ANNALIUM RELIG. CLER. REG. MINISTRANTIUM INFIRMIS AUCTORE P. COSMA LENZO...

Cosimo Lenzi



SICUT OLIVA
FRUCTIFERA
IN DOMO DEI
TE DUCE ABA REFERE
ANNALIUM RELIG:
CLER: REG: MINISTRĀTIV
INFIRMIS AUCTORE
P. COSMA LENZO
Messanensi Eiusd. Ordinis. PARS. I.
SUFFICIT NUNC
CONTINE MANŪ TUAM
Reg: 2.C.24.
decorem Domus
et locum habitationis
gloriæ illius Ps. 143.
plena eructantia ex
hoc in illud ex ps. 25.
Vexillo nostros munit Sixtus PPV
Genitricis Camilli Somniū
Approbat Religionem Greg.
Neapoli Typis Secundini Roncalioli MDCXLI. SUPERIORUM PERMISSU.

DEI SVMMI ALMA PARENS VIRGO.

ADmirabile Triadis Omnipotentis opus, Sacrarium, simulacrũ, dignissima Regia, Thronus, Cęlumq; pulcherrimũ. Animatum Templum, delitiæ, & ob gratiarum fęcunditatẽ, Paradisus: vnde Sanctorum Ecclesia, tuam meritò illibatam cum iubilo exaltat Conceptionem: Earumdem gratiarum vnica inuentrix, dispensatrix, conseruatrix, quæ ipsarum largitorem nobis feliciter peperisti:

Patris Filia, Filij Genitrix, Spiritus sancti Sponsa.

Hinc Dei Mater, & Filia, Dei Sponsa, & Genitrix, puerpera, & semper Virgo.

Gemmis pretiosior, auro amabilior, omni flore odoratior, Lilio candidior, Rosa rubicundior, Aromatibus fragrantior, Fontibus clarior, & omni lympha purior, omni miraculo, omnique prodigio mirabilior:

Patriarchis fidelior, Prophetis maior, Apostolorum Magistra, Virginum archetypus, Martyrum Antesignana, Confessorum fulcimentum, hinc desuper Angelorum omnium, atq; Sanctorum gratiam, virtutem, caritatem, pulchritudinem, merita, sanctitatemq; & gloriam, vnico, mirandoq; eleuaris decore, ac faustu, omnis demum augusta creaturæ, naturæ legibus superior, de humani generis hoste triumphas, quem pessundas: nos quoque per te aduersus zabulum victores euadimus.

Nauigantibus portus, peregrinantibus ciuitas, sitientibus potus, esurientibus esca, infirmis salus, & in lethi discrimen coniectis singulare, tutumque profugium

Animabus, quæ reatũ pœnę igni purgatorij luunt, ros, militantibus clypeus, victoribus laurea, fidei propugnatrix, hæresum expugnatrix.

Gaude ergo, quia sub Omnipotente Filio prima triumphas: tibi ex animo isthæc humillimæ deferuntur lucubrationes, debentur, ac deuouentur, paruaq; nostræ Religionis cymba tuo nauiget flatu, & sub tuis demum Regina auspicijs, mearum cogitationum, & exigui laboris in scribendo vela imbecilla laxantur: quare nullus ambigendi locus relinquitur, quin, te auspice, firma sint permansura in statione.

AD LIBRVM
Epigramma.

HIc nulli arrident falsi, haud iaculantur amores,
Qui perimunt miseros, regnaque ad ima trahunt.
Sit procul á vena, vana, quod conditur arte,
Si pietatis amor te capit, intus adest
Rumor abest clypei, quamquam induit arma Camillus
Exuit, & docuit, Regna superna rapi:
Qui miles quondam terror cadit ictus ab alto;
Viscera sic ægro pronus amica premit.
Roma tuos nunquam sic es comitata triumphos,
Tu neque musa trahis sidera ad alta lyram.
Si dederint ægris mens, ora, manusque, iuuamen;
Ridebit pia, tunc impia turba gemet.

ALIVD.

Lustra decem sume, atq; vnum, hic mea signa senectæ:
Scribere dum ægri dant, & quoque discere dant.
Quicumque est lector, complura docetur ab illis.
Tu ne carpe precor, qui sapit ægra fouet.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

D. IVLIO SACCHETTO S. R. E. CARD.

ac Religionis nostræ vig.^{mo} Protectori.

COSMVS LENTIVS Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis seruus humillimè addictus, D.

PRouidus Nauclerus priusquam nauigium ad præfinitum destinat iter, Amplissime Princeps, propitiam præstolatur auram, qua leniter flante, per æquora placida remis, velisque lignum vectans, ad amicum ducit litus. Haud vnquam mens mea irrequieta quiescere quiuit, suspensa iugiter, quousque amica perflaret aura, cui nimirum harum demandarem lucubrationum cymbam, & sub cuius auspicijs meorum discrimina laborum tuta consisterent. Iamque exacto Hiberno tempore auctoritas Tua, perinde, atque secundissimus Zephyrus, suauiter spirans præse obtulit: hinc longè propulsatis nebulis, hyemisque horroribus, terroribusque verna, atque serena tempora in nostram immo magis tuam familiam illata tuemur: quare ad felicissimos, Te duce, processuram euentus, maximosque progressus merito auspicamur, indeque recte philosophamur, fore, vt vbicumque locorum gloriosum emergat caput, nouas instituendo domos, maxime adiuuante instituti nostri præstantia, languentis corpori subsidia, mentique studio singulari adhibere dum elaborat, haud vnquam pro fratribus animam ponere formidans, quacumque exitiali etiam incessente lue. Statimatque, Meritissime Præsul, prudentissime exorsus es humillimæ huius plantæ pondera sustinendo, pacem oriri vna nobiscum vidimus, illam siquidem, quæ de bona prodit mente, regularis disciplinæ bonum spectamus, & instituti incrementum nostri in dies vernare gaudemus, simul & nauiculam nostræ Religionis, quæ diu fluctuans iactabatur infaustum timens casum, tutò regularis disciplinæ mare peragrare, Tua auctoritate, prudentiaue, conspicimus. Sed illud vehementer admiror, Te probos vnice diligere, quod pulchre diuino muneri ascribo, hic totius rectitudinis, & æquitatis sita consistit moderatio, hinc quoque probitas in Principe, & pax in Republica plane argumentamur; & quemadmodum ad fastigium Purpuratæ celsitudinis, ceterarumque dignitatum virtus Te euexit, ita cum reliquis efficere, Teque facturum collætamur, ex quo omnis propagatio, & Ordinis exaltatio, perquam bene deriuat. Si ille fortissimus Macedonum Rex pro suarum præconio laudum, celebre suscepit dictum; satis esse pro suæ magnitudinis gloria, filium genuisse Alexandrum: nos profecto maiori cum fenore satis esse dicimus, Te habere Patronum, Dominum, ac Protectorem, ex quo bona præclara assecuturi, omni ambage postposita concludimus. Quare in dubium vocari nefas est, quin omnium nostrum in laboribus, erga egenos, & ægros, intus, extraque Nosocomia præstitis, in eos speciatim, qui mortis in limine aduersus

Zabu-

Zabulum certant, magnam partem vigilantiæ, præstantiæque Tuæ depositam asseruari, eosque desuper habere Patronos non dubitanter scito inopes, quos hæc nostra tuaque Congregatio opere adiuuat pietatis, vt ad illa æterna, beataque Empyria spatia peruadant. Quocirca, cum vniuersum nostrum Ordinem iucundissimè spectes, & facundissimè serues, atque tranquilles, & dirigas; prout in reliquis maioris ordinis dignitatibus, atque oneribus Pastorali, & accurata vigilantia, tibi à prima sede demandatis, gessisse, cum admiratione spectamus, profectò nemini pietatis opera committenda magis, quam Tibi, pijssimo Principi. Hinc futurum esse haud arbitror, quominus has Amplitudini dicatas Tuæ, exigui mei captus exercitationes æqui, bonique consulas, benignitate foueas, auctoritate, ac dignitate protegas, eruditione amplifices, & Amplitudine illustres, virtutis demum, & generis gloria nobilites, vt ibi tutius, firmiusque assideant, Te auspice, vbi maior, periculosiorue vorax vertitur circum, & æstuat Carybdis. Quare dignissimè Præsul, ille, qui claritas est, & lux æterna Te mirifice extollat, incolumemue seruet perenniter. Vale igitur decus, & robur nostrum, purpuræ splendor, Prælatorum laurea, & Sapientum corona: iterum vale. viij. Kalend. Octobris 1641.

D. O. M.

 V N V S

Solus, Beatus, Immortalis, Aeternus, Sapiens, Incomprehensibilis, Creator, Conseruator, rerum omnium Moderator.
Omnia penetrat, implet, sustinet, mirabiliter perscrutatur;
Sine onere omnia portat, non inclusus vniuersa concludit:
Vbicumque præsens, sed latens, vbicumq; immensus, sed totus:
Illum sequimur, sed minime comprehendimus; mercedem soluit, nulli tamen obnoxius.
Qui licet sensu nullo percipiatur corporeo, nec loco moueatur, neue modo mutetur aliquo, vniuersæ tamen creaturæ, esse, conseruari, viuere, atq; moueri, & intelligere impertit, ac in se summo, amabilissimoque bono probos satagit oblectari:
Nil ipsum, quamuis abditissima cogitatio, dolusue humanus latet; quin & impiorum noscit, reprobat, damnatq; calumnias, Iustorumue colligit, & abstergit, vt muneretur, lacrymas:
Cuius natura Beatissima cum sit, probe quoque Beatos appellamus illam tuentes, eaque fruentes:
Quæue sua non ornat venusta gratia, iusta merito vltio flagellat.

I V S T V S

Sub cuius Omnipotentia, quicumq; contempto rationis cõsentaneo tramite, in semetipsis feris sęuioribus, impij in fratres corporis voluptatibus sese dedidere, sane ab aspectu diuini consortij penitus, ac perenniter exclusi, sine spe gemunt, diro cruciantur ab hoste, ac tetris, æternisque flammis conflagrantur in Orco.

M I S E R I C O R S

Illos quidem summus ille Deus, æternis redimitos cumulat coronis,

ronis; qui miserendo pauperum se perhibent benefici; de ipso namq; sic sacrum cecinit oraculum. Adiuuit pauperē de in opia, opē ergo præstantes egenis munere fungūtur diuino.

TRINVS

Nat ura simplicissimus cum sit, trinum tamen in Personis credimus, fatemur, & colimus, atque ad diligendam, obseruand amque præcelsæ Triadis Maiestatem (ipsa duce) trahimur, & ad ea fruēdum deniq; (mortali veste deposita) extollimur

PATER

Fons, & Origo Deitatis, absq; principio principiū, Deus plenus à quo sunt omnia nūquam non Pater, ingenitus semper generans, qui cum sit pulcherrimus pulchra quæque producit, cuius vox ad Genitum in Iordane de nube illapsa intonuit huiuscemodi, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

FILIVS

Verbum, imago, & substantia Patris, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, per quem vniuersa existunt, & perseuerant, verus, verax, & veritas, vita, vitæq; fons, vt reparator rationalis fieret creaturæ humanam à purissimis, atq; virgineis assumpsit sanguinibus carnem, qui dictū à Patre suscepit in monte sancto, Hic est Filius meus dilectus ipsū audite.

SPIRITVS SANCTVS.

Paraclitus, vtriusq; nimirum Patris, & Filij amor, ab vtroque procedens, plenus (vt cum August. loquar) Deus, amborum Patris vtiq; & geniti summæ dilectionis nexus, cuius flamine mens fœcūdatur, ac virescit, quoue præsente animus pinguescit, absente vero aridior arena torpescit. Quem Beatissimus Præcursor Ioannes instar Columbæ prospexit testificans, Vidi spiritum descendentem quasi Columbam de Cœlo.

In huius itaque simplicissimæ naturæ, ac perfectissimæ Triadis gloriam, ex qua non secus ac perenni à fonte riuuli, bona quæq; deriuant, humillima isthæc monumenta redundent, atque adeo in pauperum emolumenta refluant, quibus momentanea, quæ sunt, ac leuia exhibentur; & demum in æterna solatia, his, qui Domino obsequendo, ipsumque vt Filij æmulando, benignis impendunt animis pietatem.

AD LECTOREM.

MEmini, finem me alias apposuisse, qua scilicet de caussa in scribendo hos Annales, manus admouerim, & quare typis subiectauerim, vtriusque studioso faciendum satis. Finem principio me excitantem illum extitisse profecto scito, qui ex materiei nobilitate duxit originem, nempe tot dormitiones, ægritudines, & plagæ, tot egregij labores, quos nostri in pestilentia, in morbis contagio affectis, in agmine seruiendo militibus languidis, in Hospitalibus ferendo putores, tolerarunt fortiter, mentem excitarunt ad applicandum calamum: cur autem impressioni dedisti? instabis rursus, stricta id efficere potuit obedientiæ virtus, quando sacra nos doceat lectio, nolle acquiescere, quasi vitium esse ariolandi, & certe dignum est, tanti, tamq; celsi instituti materiem, ægris obsequendi qualibet in necessitate, seu morbo exitiali incessente, nunquam cadere, nec vsquam labi in obliuionem, sed vbique locorum luce cognitionis clarescere, & ministros quamlibet mundi regionem tales habere paratos, idoneosque, adeo perurgente infirmitatum calamitate, ad ferenda nempe auxilia, & sufferendos labores, & pericula, lethum etiam minitantia: super hoc varij ducuntur exemplorum typi, tam nostrorum patrum, quam laicorum, qui per totum volumen sparsim, quasi flores, à volente legi queunt: quare nequaquam puto, nisi fructuosam similium Religiosorum, rerumque lectionem, quæ magnam profecto redolet miserationem, & quæ mouere, dic quæso? potentia potest omnipotentiam? quotidie clamantem. Estote misericordes, forte sicut homines, vel Angeli, aut Cherubini, seu Seraphini? haudquaquam, sed vlterius, & vberius in immensum, ò ineffabilis, & incomprehensibilis Dei bonitas, atque clementia, sicut Pater vester misericors est: ergo si misericordes Deo tantopere assimilantur, quid denique possit misericordia, quantumque prævaleat digne collige.

Hic enim multa notantur, ad Patris nostræ Familiæ Fundatoris Camilli de Lellis ducentia cognitionem, vtpote tam ad eius vitam, mortem, & quæ mortem sequta sunt, caritatem, & gesta, spectantia, quam ad gratiarum, & beneficiorum, ac donorum spiritualium compluribus collatorum pertinentia splendorem, & licet quæquæ à me litteris expressa super hoc cernuntur, ex eius vita pluries, varijsque in locis impressa, & pauca ex processibus congesta eiusdem Patris in hoc volumen coegerim, quamuis semper vsus restrictione, & compendio, quando alia subticuerim, alia vero ediderim diminute: attamen sub humiliter vtar verbis A. R. P. Zachariæ Bouerij in suis Annalibus, seu sacra historia, quibus omnino me subscribo. Haud ita (sic fatur) legentibus singula proponere, quasi ab Apostolica Sede ita examinata, atque approbata, ab ea fidem, & auctoritatem acceperint, cum, his, eam tantum apud homines fidem mihi conciliare, propositum fuerit, quæ ceteris rerum humanarum Historijs communis esse solet, quæq; neminem, vel ad Catholicæ, vel certe fidei canonem perstringat: demum quæ Apostolico Sacræ Congregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decreto (quod per omnia integrum, ac sartum tectũ seruatum volo) nullatenus aduersetur; hucusq; memoratus Pater; his, & maioris restrictionis regulis, ac censuris me deuinxissem, si mentis suggessisset cla-

ritas, quæ tamen pro appositis volo; quandoquidem similia quoque in præludiorum calce apposuerim. Sit itaque pro termino colligendorum ex dictis, siue dicendis, animarum salus, ad gloriam amantissimi Nominis IESV, & dilectissimæ, ac intemeratæ eiusdem Genitricis Virginis MARIAE. Scripta biennio sub torculari iacuere ob reuisionem, & æris vacuitatem, puta principio Ianuarij 1639. ad vsque 1641. Illud quoque amice lector obseruatum cupio, me plusquam semel commendabile munus opitulandi moribundis celebrasse, prout approbo, attamen nullatenus propterea concupisco quempiam remisse procedere in suffragandis Purgatorij beatis Animabus: verum illud in animo sensi, dum pro exeuntibus è vita offeruntur preces, & suffragia, ne pro illis purgantibus pęne reatum frigescat misericors: itaque vtrisque faciendum satis, hi vt eruantur ab igne, illi ne cadant in obscurum.

Matthęus Morruellus Generalis Religionis Cler. Reg. Ministrantium Infirmis.

OPus quod inscribitur: *Annales Relig. Cler. Reg. Ministrantium Infirmis* Auctore P. Cosmo Lentio eiusdem Ordinis Sacerdote, vt typis committatur dignum ducimus & facultatem impertimur: dummodo super hoc negotio præsidentes id censuerint expedire. Dat. Neapoli in AEdibus nostris Sancti Aspreni Non. Nouembris 1638.

Matthæus Morruellus Generalis.

Loc. † *Sig.*

NOS P. Fabritius Turboli Præfectus, ac Visitator Collegij S. Aspreni Neapolis Religionis Cleric. Regul. Infirmis Ministrantium, & P. Aloysius Francus ætate, in Religione, atque in humanis, diuinisque litteris versati, destinati ex A. R. P. Nostro Generali super Annalium nostræ Religionis reuisionem, Auctore P. Cosmo Lenzo: quibus inspectis, & accurate per nos recognitis, nihil à fide ortodoxa, bonisque moribus, & à vera nostræ Religionis Historia alienum in eis reperiri cognoscimus, quinimmo pios, & tamquã plura misericordiæ facta, exemplaq; complectentes, Christi Domini exhiberi populis, quoad nos spectat, dignos approbamus: quocirca manu nostra subfirmatos reddimus. Die 13. Februarij 1640.

Fabritius Turbolus Præfectus, ac Visitator &c.
Aloysius Francus Dep. qui supra.

Imprimatur Alexander Lucianus Vic. Gen. Neap.

Ioannes Vincentius Iuuenus Cimiliarca Canonicus Dep. vidit.
Mag. Fr. Dominicus Grauina Ord. Præd. Cur. Archiep. Theol. Dep. vidit.

INDEX

Digeftus per Annos fingulos diuifim fumptos, earum rerum, quæ in hoc volumine clauduntur; primus numerus fignat folium, qui quandoque intermittitur numerorum errore, alter vero annorum claufulas diftinguit.

PAnegyrici diuiniffimę Triadis, ac Beatiffimæ Virginis.
Epiftola dedicatoria.
Epiftola ad Lectorem.
Partium enumeratio dicendorum pene per totum opus fol. 1. num. 1.
Intentio Auctoris, & quomodo fe eximit à multorum, quærelis. 2. 2
Pietas D. Martini, & D. Cyrilli Mart. 3. 4
Egregia facta cũ ægris, & hofpitibus D. Gallicani Martyris. 3. 5
Hofpitalitas mulieris Sarepthanæ cum Elia. fol. 4. 6
Hofpitalitas celebratur Sunamitidis exhibita Elifeo. 4. 7
Infigne minifterium cum infirmis D. Birgittæ 5. 8
Tabitæ, & Cornelij Centurionis virtus eleemofinarum. 5. 9
Sũmi Dei immẽfa pietas erga mortales. 5. 10
In quo refulgeat Dei imago in homine. 5. 11
Typus mifericordiæ Samaritanus. 6. 12
Quomodo Samaritanus Religionis noftræ exprimit inftitutum. 6. n. 13. 14
Damna, quæ fentiebant ægri in anima intra Hofpitia. 7. n. 15. 16. 17
Quomodo per accidẽs Sacra Vnctio infirmis fit neceffaria 8. 18
Num abfoluẽdus, qui in articulo mortis nulla figna præbuit 8. 19
Defectus affiftentium in officio commendationis animæ 8. 20
Non paucos ob Patrum affiftentiam in fupremo fpiritu petiuiffe confeffionem. 9. 21
Exemplum cuiufdam fpatio 40. annorum non integrè confeffi 9. 21
Plures falui fiunt in Nofocomijs purgati tormento infirmitatis 9. 21
Datur infidelium quorumdam exemplum ad fidem venientium 12. 25
Opera pietatis fpiritualia à noftris exhibita fpeciatim intra Nofocomiā 12. 26
Oftẽditur neceffaria effe nobis difciplinæ ornamenta. 13. n. 17. vfq; 41
Commoda complura affert noftra Congregatio etiam temporalia ægris in Hofpitio 18. n. 41. 42
Paratos effe oportet miniftros infirmorum ferre contumelias ab ægris illatas. 19. 43
Incommoda, quæ vitantur à noftris in munere commendationis animæ per vrbem. fol. 19. n. 44. vfq; 55
Cunctos obftringit munus commendationis animæ 23. 55
Quopiam die orandũ pro coniectis in extremam vitæ luctam 24. 56
Vnde tenemur præftare auxilia moribundis. fol. 24. 57
Reuerendi Parochi arctātur iure muneris fui fubire onus cõmendationis animæ. 25. 58
Quam Deo gratum, hofti vero cõi exosũ auxilia morienti præftare 26. n. 59. vfq; 63
Apologia fuper Inftitutum, ac Fundatorem. fol. 27. n. 64. vfq; 66
De præcellentia inftituti opitulando ægris in extremo luctantibus. 28. n. 26. vfq; 73.
Humiliter fua fcripta fubdit Auctor cenfuræ Ecclefiæ orthodoxæ 31. 73

Annus Domini 1550.

PAtria, parentes, & Camilli ortus. 33. 1
Parentum eius commendatio 34. 3
Nafcitur ex fterili 34. 4
Somnus genitricis Camilli portantis illum in vtero 37. 5
Enixa eft in ftabulo. 37. 6

Annus 1570. vfq; 1575.

CAuffa ludi in vitę difcrimẽ incurrit. 41. 1
Deftinatur miles in Infulā Phæacis. 4. 2
Nauale bellum init 42. 3
Interfuit obfidioni Caftri Varbagẽfis. 42. 4

Tran-

Transit ad stipendia miles Hispanorũ. 43. 5
Nauigat Tunetem versus, euadit mortis discrimen 43. 6
Ludendo perdit etiam interulam. 44. n. 7. 8
Deficiente crumena emendicat Manfredoniæ 44. 9
In opere fabricæ Fratrum Cappuccinorum elaborat 45. 11
Sollicitatur à socio desistere opere ab illo. fol. 45. 12

Annus 1575.

EXordia serui Dei Camilli ad pœnitentiam 46. n. 1. vsq; 5
Percontatur à Fratribus Cappuccinis eorum indui habitum 47. 5
Series vitæ serui Dei post eius conuersionem 48. 6
Admittitur in ordinem RR.PP. Fratrum Cappuccinorum 48. 7
Notabile factum illi obtigit dum iret vestitũ habitum 49. 8
Perculsus vlcere in tibia linquit habitũ. 49. 9
Romam petit desiderio sanandi ab vlcere. fol. 50. 10
Sibi à confessionibus Patrem delegit Sanctũ Philippum Nerium 50. 11

Annus 1576. per totum 1580.

ITerum secundo loco induit lanam Cappuccinorum 51. 1
Iterum cogitur recrudescente vlcere illam deponere. 51. 2
Recurrit ad pristinum institutum, ægris ministrando in Nosocomijs 52. 3
Vita & doctrina Hospitij famulos bonis moribus instituit. 52. 3
Optimè dispensat infirmorũ ministeria. 53. 4
Nausiosioribus morbis satagit; arguitq; tepẽtes in misericordia 53. 5
Rursus in numero ascribitur filiorum spiritualium D. Philippi Neri 54. 6
Incessit in eum cupido denuo sumendi habitum Cappuccinorum 54. 7
Soluitur à voti vinculo ab R.P.Fr.Io. Maria à Thusa 54. 8
Pululat in eo amor intrandi ordinem Fratrũ de Obseruantia 54. 9

Annus 1581. & 1582.

ITerum eximitur à voto absolutus per fidem adeptam ab R.P. Procuratore S. Mariæ Aræ Cœli 55. 1
Adhuc secularis incumbit exercitio commẽdationis animæ 55. 1
Perpendens famulorum defectus in ministrãdo ægris mœret 55. 2
Recipit primam inspirationem colligendi socios pro ęgrotorum ministerio, 56. 3
Se accingit ad onus inueniendi collegas ob præfatum intentum 56. 4
Quæ fuerit in hoc opere Camilli prima excogitatio 57. 5
Quanta exegerit pœnitentiæ exercitia pro reperiundis sodalibus 57. 6
Primo loco quinque sibi asciscit 57. 7
In quo se occupant in eodem Hospitio D. Iacobi Incurabilium 58. 8
Sustinent prægrandes insectationes 59. 10
Euertitur Oratorium; quod sibi Camillus, & sui efformauerant 59. 11
Apparet Camillo in somnis Sãctissimus Cruci pendens Dominus. 60. n. 12 14
Confortatus à Domino nouas sumit vires, suosque roborat 60. 13
In Templo D. Iacobi eiusdem Hospitij habẽt spiritualia exercitia 61. 15
Marcus Antonius Cortesélli vtilia consuluit Patri nostro 61. 16
Excitatur in Camillo voluntas ministrandi quoque tempore pestis 62. 17
Disponitur ascendere ad presbyteratus ordinem 62. 18
Latinis literis in Collegio Romano imbuitur ibidem.
Quædam eluctatur impedimenta in ordinum susceptione. 63. 64. n. 19

Annus 1583.

MIrandum factum operatur adhuc laicus 65. 2
Ordinari inchoat suscepto à Firmo Calui patrimonio 65. 4
Promuntur multa de eodem Firmo. 65. 5

Annus 1584.

PRimum Missæ sacrum peragit, vbi donaria suscipit à præmisso Firmo 88. 1. 2

Actem

Acrem sufferunt redargutionem, compellũtur ire ab Nosocomio 69. 3
Primitus Congregationem instituunt in Ecclesia D.Mariæ Miraculorũ Romæ. 69. 4
Vitæ tenor seruatus à Patribus priscis illis tẽpestatibus 69. 5
Perdeuota Camilli actio ferendo per Vrbem Cruci affixum Christum Dñm. 70. 6
Nunc iterum à Dñis dicti hospitij Rectoribus aspere coarguitur 70. 7
Suadetur à Diuo Philippo Nerio pristinũ sumere munus in Hospitio 71. 8
Exercitia,& victus,quibus illis vtebantur initijs. 72. 10
Sæuiter ægrotant 71. 9
Permutant domicilium in viam Obscurarum Officinarum 72. 11
Agitur de viro Insubri nimium eis opitulante. 73. 11

Annus 1585.

AVscultat P. Octauius Iesuita nostrorum confessiones 74. 2
Admittuntur nõnulli in Cõgregationẽ. 74. 3
De vita, & gestis F.Horatij de Sãctis. 75. 76. n. 8.
Quomodo disponitur Camillus ad opera pietatis obeunda 77. 9
Introducitur per Vrbem animæ commendatio,& nomen datur Congregationi. 78. 10
De F. Bernardino Norcino. 79. n. 11. vsq. 22

Annus 1586. Congreg primus.

CAmillus agit negotium Congregationis cum Eminentiss. Card. Montis Realis. 84. n. 1. vsq. 4
Approbatio Congregationis à Sixto Papa Quinto 86. 5
Notantur aliqua memoratu digna supra idem diploma 87. 6
Eligitur virtute præfati breuis Camillus superior, pera panem emendicat. 88. 9
Desiderio tenetur Sũmus Pontifex Camillũ alloqui, ac videre 89. 10
Assequitur facultatem ferẽdi Crucẽ. 89. 11
Crux albi coloris mutatur mirabiliter in aliũ castanei 91. 14
De Fr. Io. Adamo Hispano. 92. n. 15. vsq. 17
Obtinet Tẽplũ D.Mariæ Magdalenæ. 93. 18

Annus 1587. Congreg. 2.

MIgrant nostri in Templum, & Aedes D.Mariæ Magdalenæ. 94. 1
De P. Francisco Propheta 94. 2
De P. Rogerio Britanno 97. 6
De F. Ioanne Romano 97. 7
De P. Ruberto Britanno. 97. 8

Annus 1589. Congreg. 3.

FVndatur Neapoli Domus. 98. 1.
Recensentur ministeria exhibita à nostris intus Hospitia. 95. n. 3. 4. 5
Agitur de Nosocomio incurabilium Neapolis 100. & 101. n. 7. 8. 9
Quot emolumenta exorta sint ob pp. frequentiam in dicto Hospitio 101. 10
Memorantur congreg.ægris ministrantes in dicto Nosocomio 101. 11
Interponitur exemplum cuiusdam latronis conuersi 106. 22
Illustrissimarum mulierum caritas cum ægris mulieribus 107. 23
Describitur forma habitationis nostrorum in dicto Nosocomio, & ministeria Pp. in eodem impensa 109. n. 27. vsq; 32
Multa item notantur spectantia ad præfatum Hospitium 112. 32
Mirandus euentus duobus ex nostris vita functis obtingens 112. 33

Annus 1589. Congreg. 4.

COmplures Adolescentes bonæ indolis ad habitum admittuntur 114. 1
De P. Cæsare de Augustino 114. 2
De F. Hieremia Foresti 116. 6
Cuiusdã nouitij infelix exitus post dimissum congregationis habitum 117. 10
Similis euentus alteri nouitio superincidit 119. 10.
Neapoli alio transfertur domicilium nostrorum 119. 11
Conuersatio patrũ intra Hospitia illa reddidit placida 120. 12
Assistentia erga moribundos pene desueta frequentari cæpit exemplo Pp. 120. 13
Nouus mons erigitur Neapoli pro morientium subsidio 120. 14
Desiderantur, & assistunt nostri in obitu Illustrissimum Principum 121. 15

Tentat Eminentiss.Card.Paleotti erigi domũ Congregationis Bononiæ 121. 16.
Agitur de Sanctiss. æde Nunciatæ Neapolis 123. 18
Numerus Pp. degentium in eadẽ Sãctissima æde 124. 19
Commendabilis pietas porrigendo cihatum aquæ frigidæ febrienti 124. 20
Temporale ministerium vehiculum est, ad inducendam spiritualem escam 125. 23
Plures ducti temporali beneficio, inde confessi sunt integre 126. 23
P. Alexander Gallus Salutem adeptus est Fundatoris prece 127. 27

Annus 1590. Congreg. 5.

Subseruiunt nostri lue grassante in Monte Quirinali 129. n. 1. vsq; 5
Quid contingit Camillo, & suis eo tempore quadam in domo 130. 6
De P. Paulo Cornetta 131. 9
De F. Laurentio de Francisco 132. 12
Ministrant nostri militibus contagio captis 133. 13
De F. Seraphino Lucensi 136. 18

Annus 1591. Religionis 1.

Occurrunt nostri compluribus Romæ ægestare interemptis 138. n. 2. 3
Magnanimitas multorum Principum in largiendo 139. n. 5. vsq; 9
Casus miserandus parens enititur commori cum prole 141. n. 10. vsq; 15
De F. Horatio Totio 141. 15
De F. Leonardo Magnani 143. 16
De F. Horatio Zompillo 143. 17
Aeger ducitur in Hospitium S. Spiritus, qui repente decessit ab oculis 144. 18
Inuigilant nostri ægrotis Romæ in Hospitio Rhedarum 144. 19
Tresdecim ex Pp. ob calamitates perpessas in præmisso Nosocomio decedunt. 145 20
Camillus domũ nostram espoliat opitulando egenis 146. 21
Emedicant patres, vt opem ferant in opibus 146. 22
Etiam magno vexatus tibiç dolore, ægris ministrat Camillus. 146. 22
Formidabilis superincidit casus in præfato Hospitio Rhedarum. 147. 23
De Fr. Henrico Barbarossa 148. 24
De Fr. Marco Antonio Solini 148. 25
De Fr. Alexandro Bononiensi 149. 26
Iterum permutant Neapoli nostri habitationem 149. 27
Pietas aliquot perillustrium matronarum 149 28
De Domina Iulia de Castellis 150. 29
Apostolicæ litteræ emanatæ sub Pontificatu Greg. 14. 153
Destinant in festo dedicationis S. Michaelis Archangeli profiteri 163. 33
Emittunt primam professionem die immaculatæ Conceptionis B.V. 166. 34. vsq. 37
Creatur P. Camillus perpetuus Generalis 165. 37
Camillus, & sui omni re, etiã minutissima se spoliant 167. 40
Peracta professione peragrant septem vrbis Romæ Ecclesias 168. 41
De Fr. Angelino Bruggia 168. 42

Annus 1592. Relig. 2.

Obtinetur Apostolica facultas circa nouitiorum receptionem 170. 2
S. Philippus Nerius admodum gaudet de erectione nostrç Religionis 173. 4
Neapoli nostri incolatum eũt in viam, quam appellant Forcellam 173. 5
De F. Ioanne Bermonte 173. 6
De F. Paulo Renda 174. 9
Clemens Pp. 8. multis elargitionibus decorat Religionem 175. 12
De Fr. Godefrido stella 176. 13
Agitur de obitu Eminentissimi Cardinalis Montisrealis 177. 15

Annus 1593. Relig. 3.

Quot domus extitissent tẽpore erectionis in Religionem. 180. n. 1. 2
Eminentissimus Card. Saluiatus protector constituitur 181. 3
De Fr. Santo de Bolis 181. 4
De Fr. Scipione Mercurio 181. 5
De Fr. Francisco de Meo 182. 6
Opitulãtur nostri in opere fabricæ cçmentarijs 182. 7
Prædicit Camillus Religionem euasuram victricem graui in litigio 183. 8

Annus

Annus 1594. Relig. 4

ALiud Apostolicum diploma vestiendi nouitios sortitur 183. 184
De Fr. Fabio de Simonio 184 2
Erigitur domus Mediolani 185. 3
Fundatur Genuæ domus 187. 6
Inhonestis nautis prædicit futura damna Camillus 188. 8
Nauigans fugit à puppi ob auditam blaspemiam 189. 9
Effugisse putant diram tempestatem meritis P. nostri 189. 10
Caritas Camilli, & suorũ cum remigantibus 190. 11
Festinus Mediolanum vadit, vt peste interceptis deseruiant 190.12
De Fr. Ioanne Andrea Razzucano 191. 13
De P. Alexandro Attesano 191. 14
Mediolani iuge intra Hospitium suscipitur ministreium 192.n.1.an.1595

Annus 1595. Relig. 5.

DIssensio erga iuge ministerium intra Nosocomium 192. 2
Destinantur nostri ire *Pannoniam* militibus ęgris famulatum 193. 3
Notantur, quæ patribus contigerint in ea missione 193. 4
De Fr. Hannibale Montagiolo 194 5
De Fr. Hieronymo Beuelacqua 195. 6

Annus 1596. Relig. 6.

PAter Fundator moderatus est Religionem ante Bullæ obseruantiam 196. 1
Munia Arbitri Gen̄lis nostrę Cõsultrę. 196.2
Prima comitia coguntur pro executione obseruandorũ in Bulla contentorũ 196.3
De primis Consultoribus generalibus, & Arbitro 197.n.5.vsq;9.
Nouæ eduntur constitutiones iuxta Apostolicum rescriptum 198. 9
Nostri occurrunt contagio in Regione leonina Romæ 198. 11
Visi sunt Patres quandoque ambulare dormientes per Vrbem 199. 13
P. Lucas Moneta nãciscitur sanitatem prece P. Camilli 200. 14
Compluribus obtigit tactu P. nostri mitescere dolorem 200. 15
De P. Francisco Antonio Balsamo 201. 17

Annus 1597. Religionis 7.

SVscipitur domus Bononiæ 202. 1
De ænergumeno eneruare nitente aliquot argumentis nostri instituti virtutem. 202. 5
De Fr. Ioanne Mottino 203. 6
De Fr. Marco Antonio Clero 205. 8

Annus 1598. Religionis 8.

INcipit Religio dirigi iuxta forma Apostolicarum Litterarum 206. 1
Promiscue admittuntur nouitij quoad clericatum 206. 1
Valde amans studiorum vixit P. Fundator 206. 2
Distributio Ministeriorum exhibita à nostris dum Hospitia petunt 207. 3
De Fr. Francisco Caputo 208. 4
De Fr. Hannibale Ferrariensi 208. 5
De P. Dominico Sorrentino sanitati donato a P. Nostro orante 209. 6
Inũdatio Tyberis, & quantum profuerit ęgris eo tempore Camillus 209. 7

Annus 1599 Religionis 9.

COguntur secundo loco Comitia Generalia Romæ 210. 1
Elaborat Camillus noua suscipere onera per assiduam habitationem in hospitijs. 210. 2
Conduntur ordinationes peragendæ in Nosocomijs 210. 3
Statuitur, vt Superiores per suos Cõsultores de necessarijs prouideantur 211. 4
Recensentur secundi Consultores Generales. 211. 5
Destinantur complures ire seruitum pestilẽtiæ captis 211 6
Aliquot nostri scolares æstatis tempore Romam petunt, pene cuncti pereunt 211. 7
De Fr. Ioanne Baptista Barberio 212. 8
Duo patres Iberiam petunt caussa figendi Religionis domos 212. 9
De obitu P. Dionysij Nauarri Hispani. 212. 9
Expetuntur nostri ire fundatum in Galliam 213. 10
Florentiæ noua domus constituitur 213. 11
Suscipitur onus intra Nosocomium, quod non longe post deseritur 213. 12

Mi-

Mirabiliter Camillus subuenitur imminente necessitate 213.13
Erectio Domus Ferrariæ 214. 14
Agitur de P.Petro Barbarossa 214. 14
Accidit mirabile factum in eadem fundatione 215. 15
Messanæ domus erigitur 216. 16
In eius exordio opera patrum fidelis euadit antea iam infidelis. 216. 17
Qua fuerit deuotione receptus ea in vrbe Camillus 216. 18

Annus 1600. Religionis 10

FIt satis P. nostro per Clemementinam erga commoratione in Hospitijs 217.1
Interponitur auctoritas Reuerendiss. Prælati Antonij Senecæ ad multa edenda. 217.2
Litteræ Apostolicæ impressæ videntur. 219
Fundator pro adeptione erectionis in Religionem ter decies visit vrbis Ecclesias. 231.5
Eripit à turpitudine duas adolescentulas 232. 6
De Fr.Iacobo Antonio de Meo 233.7
Quidam auriga conualescit prece P. Camilli 234 11
Panormi Domus construitur 235.13
Cruces diu sub tellure post erutæ illesæ cernuntur. 235.15
Nolano contagio seruit Religio 236.17
De P. Thoma Trona 238. 21
De P.Marco de Marco 238.22
De P.Cæsare de Vio 239. 23
De P. Mattheo Laurino 239.24
De P.Francisco Antonio Vitellino 240.25
Fundator prædictis patribus munus obit commendationis animæ. 240. 25
Epistola Episcopi Nolani directa ad P. Camillum 240. 27

Annus 1601 Religionis 11.

NItitur seruus Dei Camillus intra Nosocomia suscipere assiduam habirationem 242. 1
Formatur Mantuæ noua domus 242. 2
De P.Francisco Amodio 243.3
Destinantur Pp. ire Canisium pro militibus ægris 143.4
In ea missione plura notatu digna narrantur 244. 4.
Panormi iacitur in ecclesia erigenda primus lapis 244 8
Mulier ægra nanciscitur valetudinem precibus P. nostri 245.9
Panormi pariter derelictus à Physicis conualescit 245.10
Complura operatur Camillus Florentiæ digna notatu 245. 11

Annus 1602 Religionis 12,

EXorditur obseruantia contentorum in Clementina 247. 1
Innotescit consuetudo vetusta Religionis faciendi Comitia 247. 2
Fit mentio aliquot patrum recordatione celebrium n.& fo.eodem
Eminentissimus Card. Saluiatus è vita decidit 249. 3
Dira incurritur pelagi tempestas, creditur P. nostri prece sedata 249.4
Eadem perculsi vi maris duo adolescentes habitũ recipiũt per manus P.nostri, vt sup.
Excitantur pp. mirificè ad obeundum munus commendationis animæ. 250. 5

Annus 1603. Religionis 13.

VIterbij erigitur domus 251. 1
De P.Adriano Barra 251. 2
Lacrymabilis exitus cuiusdam sacerdotis ab Religione proficiscentis 252. 2
Sæuam tempestatem euadunt prece P.nostri 252.4
Ducti PP. ab adolescente sub noctem in domum morientis, qui euanuit 253. 5

Annus 1604. Religionis 14

DEsumit onus trium Hospitalium Parthenope. 254. 1
Rursus assumitur ministerium intra Nosocomium Sanctiss. Annunciatę Neap. 254.2
Eminens Camilli imaginatio exprimens in ægro D.Iesum 254.3
Deseruiens ęgrum cancro affectum, amanter illi blanditur. 255.4.
Cibando languentem extra se rapitur 255.5
Vocatus à Prælato prius opus absoluit quam illum adeat 256. 6
Modus, quem tenuit ægrotorum cubilia dum sternit 256. 7
Indignatur si ab infirmis rogatur, & non præcipi-

cipitur 256. 7
Non fecedit ab infirmi præſentia, quin eis ſit omnino ſatisfactum 256. 8
Vermes ſcatentes ab vlceribus, & putoribus, vt roſas colligit 256. 9
Proprijs vlnis languentes eleuat à toris 10
Hoſpitia pomaria appellat 11
De Phyſogonomia ſerui Dei Camilli 12
Admodum hilareſcit ingrediens Noſocomia 19
Se elongans ab ægro ſæpenumero eius deoſculatur manus 20
Collectio operum pietatis à P. Noſtro intus Hoſpitale exhibitorum 21
Summus Pontifex plura diſponit conſulto P. noſtro erga Hoſpitium S. Spiritus. 22
Per noctem multa impartit ægris refrigeria. 23
Officium nutricis cum lactentibus etiam impendit 24
Tergit ægrum immundiſſimã ſcatentem ſordem 25
Sententiæ quibus vtebatur ad ſuadendam erga languentes caritatem 26
Coruſcare viſus eſt eius vultus dum prędicat caritatem 26
Alios pręcellere nititur in obeunda pietatis opera 257. 27
Inditia prędeſtinationis Miniſtri infirmorum ibidem.
Introducit ſeſſiones ſeu collationes de modo ægris miniſtrandi 257. 28
Qua cautela atque circumſpicione ad Hoſpitium ducit ægros 258. 31
Dum legitur in cõmuni menſa aliquod pietatis exemplum repetendum vult 258. 32
Qua arte iuſtituit ſuos, ne fœtores horreant Hoſpitalium 258. 33
Clamat ſollicitandos greſſus adeũdo Hoſpitia 258. 35
Si vrgente negotio ceſſabat ab opere pietatis per Hoſpitia tranſibat 259. 35
Capitis dolor ceſſauit ab eo interdum obeũdo caritatis opera 259. 35
Cuidam iraſcitur ſuadenti ſibi ne laboraret 259. 36.
Sæuerus aduerſus ſemetipſum, placidus cum alijs 259. 37
Vt ouum præberet in nocte ægroto peracres pluuias tranſit 260. 38
Quomodo exemplar fuit viuax in opere miſericordiæ 260. 38
Abſterſit quoq; pauperũ immunda vaſa. 39
Prætulit ſemper opus ſpiritualis miſericordię temporali. 40
Cuncti ægri in Hoſpitio iucundabantur viſo P. noſtro 261. 41
Inceſſit in eum voluntas deponendi Generalatum 42
Agitur de valetudinario D. Iacobi Hiſpanorum. 43
De F. Aloyſio Gens 263. 44

Annus 1605. Religionis 15.

BVcchlanici extruitur domus. 264. 1
Complura narrantur mirabilia in præfata fundatione 265. 2
Cœmentarij caſus ſub fabricæ ruinam, inde illæſi eruuntur 4
Signo formicæ idonea tellus ad conſtruendum demonſtratur 266. 5
Teate noua domus formatur. 6
Agitur de immiſericordis famuli miſerando euentu 7
Pater Scipio Carozza confirmatur à morbo prece P. noſtri 267. 8
Admittũtur Meſſanæ cõplures nouitij. 267. 9
Ex eis maior pars morte intercipitur. 267. 10

Annus 1606. Relig. 16.

MOdus viſendi Religionis domus à P. Fundatore ſeruatus. 268. 1
Tum Neapoli, quam Meſſanæ complures veſtiuntur nouitij 2
Miranda operãtur noſtris inſtante morbo peſtifero in Hoſpitio 270. 6
Complures numero pietatem exercent in dicto Hoſpitio Sanctiſs. Annuntiatæ. 8
Recenſetur caritas Camilli erga ſuos languẽtes patres. 271. 9
Nanciſcitur incolumitatẽ P. Coſmus Lenzo P. noſtri prece 10
Singularis diuinæ ꝓuidẽtiæ effectus. 272. 11
De F. Octauio de Lellis 273. 14
Electio Eminentiſs. Card. Gymnaſij Protectoris. 273. 16
Inſpiciuntur adaucti cibi facta à P. noſtro benedictione 274. 17
Incolumitatis regreſſus F. Io. Mileti. 18
Mira eleuatio mentis inter orandum P. Funda-

datoris. 274. 16
De assiduis *P.* nostri itineribus,& quam atrociter passus sit 275. 19
Modus ab eo asseruatus itinerando 276. 24
Inhibitio, non posse, neq; ad Carthusianorũ Ordines nostros transire 283.
Fit mentio regressus *Patrum* in ædẽ Sanctiss. Annunciatæ. 284.42

Annus 1607. Relig. 17.

DOmus erigitur Burgi noui. 285. 1
Referuntur quædam obtingentia in ea fundatione 2
Caltagirone in Sicilia suscipitur domus. 286. n. 4.
Soluit se munere Generalis P. Camillus 5
Sufficitur Vicarius Generalis P. Blasius Opertis Syracusius. 7
Quæ gesserit munia post officij depositionem Camillus. 287. 8
Litteræ à P. nostro transmissę per domos post muneris abdicationem. 288. 9
Recolitur aliquid de ipsius successore P. Blasio. 11
Exercitia Camilli post officij depositionem. 289. 30.
Refertur quædam epistola *P.* Petri Pillizoni multa tractans de P. nostro. 31
Quidam à natalibus cœcus visum recipit Fũdatoris tactu 297. 32
In extremis consistẽte infirmo vires recipit, & confitetur 33
Similis euentus recensetur. 34
Interminatur Sacerdoti decessuro absque sancta vnctione 298. 35
Mira quædam spiritualiter operatur erga ægrotos. 36
Quæ fuerit perpessus adiuuando moribundos 299. 39
Doctrina P. nostri suos instituendo in animæ commendatione. 301. 44
Occurritur quibusdam curiositatibus circiter agonizantes in morte 302. 46
De quadã puella à dæmone vexata. 303. 48
De alia muliere spectante dæmones in bestias versos 304. 49
Admodum terrent spiritum nequam sacra verba. 50
Opinati sunt vidisse Camillum Sanctos Angelos coram moribundo, 305. 52
Post obitum infirmorum ter replicãdus psal. Miserere 307. 55
Accidit illi intra Nosocomium septem moribundos errasse, nullumq. eorum in eius manibus expirasse 307. 55
F. Vincentius Falco liber euadit à febri. ibid.
Quid operati sunt Deo auctore *Patres* primo mense ab ingressu Sanctiss. Annuntiatæ. 308. 57.

Annus 1608. Relig. 18.

P. Blasius creatur nouus Generalis. 309. 1
Ministeria nostrorum intra Hospitia Sanctiss. Annuntiatæ. 2
Pater, qui fuerit auctor formandi cellas eodẽ in Hospitio. ibid.
Quam incommode primo loco in eo Nosocomio incoluissent 310. 3
Studium P. Blasij in deligendo pro regimine studiosos 4
De P. Augustino Grossi 4
De *P.* Iacobo mancino 311. 6
De Societate ægris ministrante in Hospitio Sanctiss. Annunciatæ 7
De *P.* Io: Baptista Ansalono 312. 8
De *P.* Iacobo Seuerino 313. 9
Puer liberatur à bestiæ pressura 314. 10
In extremo animæ conflictu æger sistens accersito confessario sua mala facinora pandit 314. 11
Numerantur quinque Camilli ægritudines 321. 13
Describitur vlcus in tibia, quo sæuiter affligebatur. 321. 14
Qua veneratione fila eius plagæ teneantur 321. 15 & 16
De altera valetudine, quæ fuit intestinorũ fractura 322. 17
3. Inualetudo nempe de callis eum in pede torquentibus 323. 18
4 ægritudo, morbus calcularis 323. 19
Extrema extitit passio, seu lãguor hoc est nimia ciborum inappetentia 324. 20
Continuum bellum gessit cum indisciplinatis 324. 21
Adhuc laicus calumnias forti animo perfert 315. n. 22. 23.
Dum Generalis munus exercet Apostolica visitatione eius vita examinatur. 226. 24
Suffert æquanimiter ardentem ceram supra

caput

caput eius fluentem 326.25
Minas quoque non leues à multis retulit 326.26
Quo studio placere conatur ægro admodum vecorde 327.27
Bucchianici exturbatus à loco erigendi conuentũ perturbãtibus est beneficus 327.28
Eius Religiosi neglectis incurijs bona repẽdunt iniuriosis 328.29
Sufferentiam maiorẽ ostendit cum suis molestantibus 328 30
Quam exercuit tantopere cum quopiam Religioso sibi infesto 328. 31
De humilitate P.nostri 329 32
Infima conuentus exercitia prompte patrauit 329.32
Ab se depellit, sibi ministrantem sodalem, refutans alterius famulatum 329. 33
Redarguit sodalem erubescentem secum ire gestantẽ perquamvetustã tunicã. 330. 34
Abluit hospitum pedes 330. 35
Dum panem emendicat per vrbem, ipsum insimulant multi 330. 36
Veluti reliqui in ordine nouitij proprios defectus aperit corã in capitulo. 331.n.37.38
Epistola P. Generalis eximẽtis illum à rebus compluribus 331. 39
Mediolanum adiens fit illico communis ostij ianitor 332.40
Quo stratagemate noua indumenta, vt reciperet, vtuntur superiores 333.41.
Nanciscitur, & desiderat de suis obiurgari defectibus à præfecto domus 334. 42
Quæ dat responsa sibi suadenti ab humilitatis opere desistendum 334. 42
Præstat ei, magis aquam potare, quam opus omittere pietatis 334.44
Ob vetusta indumenta ęstimatur valde inops 334 45
Auctoritas interponi opus fuit Emin. Card. vt nouo pallio amiciretur 335. 46
Virtute intermissa obedientiæ noua tunica superinducitur 335.47
Arguit quoque acerbe in suis iactantiam 335. n.48.& 49
Indignatur aduersus quemdam ex patribus frigidæ opus factitãtẽ humilitatis. 336.49
Quæ dat responsa cuidam eius humilitatem intentanti. 336 50
Iactantiam pessundat, quibusdam humilitatis responsionibus 336.51
Aperit propria delicta coram multis astantibus 337. 52
Eligitur trium domuum in Insubria visitator 337.54
Litteræ P.nostri, quibus se ab onere eximit visitatoris 338.55
Mediolani eius hortatu moribundus petit confessionem 338.55

Annus 1609. fol 339

Peragrat P.Blasius Religionis conuentus, eos visendo 339.1
P.Fundator se opponit eidem Patri cupienti ministeria intra Nosocomia remouere ibidem
Incurrit præfatus Generalis febrim acerbam 340.1
Exercitia quotidiana habita ab eodem domi nostræ Neapoli 340. 2
Extruitur domus nouitiorum Neapoli in loco, qui dicitur platamonis 341. 3
Complura notantur spectantia ad memoratã ædem, & Ecclesiam 341.n.4.vsq; 10
Quidam Turca agnitus est à Patre nostro, qui fictè susceperat Sacramenta 344.10
Vendit propria indumenta, vt domi necessitati subueniat 345.12
Munditiem commendat, non vero curiositatem in vestibus 345 13
Quandoque albo filo exteriora consuit indumenta 345.14
Qua instantia repellit noua tegumenta 345. 15
Forma eius habitationis, quomodo paupertatem redoleat 346. 16
In cibis, & potu amauit quoque paupertatem 346.18.
Restituendam esse operatur quamdam pinguẽ eleemosynam, putans errore subillatã 347.19.& 20
Neq; vtitur oleo Nosocomij persoluens in eo diuinum officium 347.21
Acri correptione punit quosdam ex suis dũ aliquot ficus inscio Domino excerpunt 348.23
Accurata cautione ducunt bestias ne sata conculcent 348.24
Honestatis eximius cultor 348.25
Docet quibus modis eundum contra turpitudi-

tudi-

tudinis vitium 349.25
Vehementer euitauit mulierum occursus 349.26
Obiurgat sociũ demirantẽ fœminã. 349.26
Circumeunt totum cænaculum Camillus se remouendo a muliere, illa vero sequẽs, vt loqueretur 350.27
Vetuit deosculationes sibi fieri in manibus à fœminis 350. n.28. vsq; 31
Non modice irascitur aduersus socium permittẽdo suã detineri manũ ab anu 351.31
Castigat adolescentes verba minus quam honesta promentes 351.31
Loqui non renuit cum honestis, & nostri studiosis instituti mulieribus 351.33
Binas deterruit inuerecundas adolescentulas, adeo vt descenderint è naui 351.34
Exprobrat cõptos in viris capillos. 352. 35
Inimicus sæcularis cantus, & sonos audire 352. 36
Quemdam aurigam ob eamdẽ curiositatem itinerando priuat gratuita largitione 352.36
Si Sacrum ageret missæ, sistebat quoad mulier, quæ proxime, & in prospectu aderat, recederet. 352. 37
Ob castimoniæ miram obseruantiã alta operatum esse, vt credimus, in auxilium sexus muliebris 352.38
Quomodo inter cæteras virtutes in Religioso rutilet obedientia 353. 39
Excelluit eximie hac virtute fundator 353.40
Palam exponit, quæque in cubiculo necessaria detinet, nec quiescit, donec scripto ei concedantur à Superiore 354.41
Diligenter peruestigat superiorem ad flagitandam benedictionem in profectione, vel domi regressu 354.42
In Missæ Sacrificio peragendo, singulariter se exhibet, obediendo humiliter. 354.43
Frequens est in culinæ locis, ad eius vasa tergenda 354.44
Audita superioris voce, vel campanula post habitis omnibus prõpte se offert. 355.46
Maxime virtutum obedientiam facit in Religioso 355. 45
Cum egressus domo fuisset; signum audiens cubicula verrendi, regreditur 355.47
Plura tenet in chartula signata, continentia aliquot spectantia ad executionem obedientiæ 48
Quemdam ex suis Romam ire reluctantem, eò pergere coegit, medicis non obstantibus. 356. 50
Famulus blasphemus ab asello interimitur. ibidem.
Memorantur P. Antonius de Amato, & P. Andreas Gattula 51

Annus 1610. Religionis 20.

Prosequitur munus suum P. Blasius laudabili æquitate 357. 1
Mittitur Romam Nouitiorum Magister P. Franciscus Corradus, qui reliquit multa de P. Fundatore scripta n.2. & 3
Tres nouitij purgantes fila vlceris P. nostri odorem ex eis hauriunt suauem 4
De epistola quadam Genuę dictata, eademq; die Bucchlanicum delata. 358. 5
De F. Bartholomęo Falloretto. 359. 6. vsq; 9
Camilli caritas se dilatat ad omnes inopes. 360. 9.
Mira clementia, & obseruantia prosequitur Sacerdotes 10
Cum remigantibus etiam infidelibus eamdẽ exercet beneuolentiam. 361.11
Disponit, vultq; qualibet in domo sui Ordinis in ianuis panum fieri egenis distributionem 361.12
Acerbe redarguit domum præfectum eam inhibentem eleemosynam 361. 12
Erga deuinctos iu carcere misericors se perhibet 362.12
Tribus vnico degentibus in lecto ęgrotis rara pietate præsto est 362.13
Notabile dictum Camilli si in orbe inopes deessent, per antra quærendi 363.13
Ostendit quoq; erga bruta animantia pietatis affectum 363. 14.
Exemplo formicæ nos erudit prudentiam tempore secessus è vita 363.16
Desiderat non expectandam vicinam mortẽ, ad ægrũ vt ducatur Sacerdos 364.18
De famulo, qui dęmonem inuocans animam turpiter euomit 364.19
De auaro sene itidem pessimè defungente 364.20
Miseranda mors mulieris in concubinatu decedente 365.21

Alter

Alter pari scelere miseranda morte decubuit 365.22
Quidam diues ob voracitatẽ miserrime defungitur 365.23
Casus infestus alterius, cum dæmone familiaritate deuincti. 366.24
Mulier ad pœnitentiã reuocatur, quæ Sacratiss. Altaris Hostiæ diu non crediderat. 26
Mulier ænergumina à dæmone inducta vsque ad laquei suspensionem 367.27
Alia mulier spatio sex lustrorum indigne confessa fuerat, ad lauacrum pœnitentiæ reducitur 397. 28
Relicto nefario concubinatu absolutionem mulier quædã suscipit Sacramẽtalẽ. 368.29
Ad cordis conpunctionem reuocatur, qui refutabat summouere ab se prohibitos codices 368.30
Agitatus vehementer ab insidiatore circa fidem, fit liber n.31
Non inducere tædium, sed magis lætitiam Pp. assistentiã coram moribundo 369. 37
Nouo stratagemate ad pœnitentiam reuocatur quidam scelestus n.33
Diues proteruus qua dexteritate ad confessionem trahitur 370.34
Miles reiectis simultatibus sua crimina pandit n. 35
Locuples vir eiecta domo concubina pœnitet delictorum 371.36
Quomodo minis ad pœnitudinem peccatorum miles moriendo restituitur 37
Notatur exemplum multorum: qui iucunda morte decessere 372. 39
Angelus (vt opinio fuit) ducit ad morientis ianuam Pp. 375.46
Aligeros sub forma Patrum creditur obijsse piũ cõmendationis animę munus 376.47
Religiosus Seraphici Ordinis D. Francisci nancisscitur salutem prece P. nostri. n.48
Item Bucchlanici alter eiusdem P. intercessionibus adeptus est incolumitatẽ 377.44
Annuitur de transitu nouitiorum è loco Platamonis ad eum, quem dicunt D. Aspreni in suburbio Virginum Neap. n.45

Annus 1611. Religionis 21

Eligitur per Apostolicum breue P. Fundator Gen. consultor 378.2
Quam vitæ normam teneat post collatum diploma iam dictum n.3
Quædam puella protegitur à P. nostro ne cadat in puteum 379.4
Fr. Thomas Coppula liberatur à morbo 380.5
Infirmus resilit à lecto prece P. nostri n.6
Quomodo coram Diuina præsentia ambulauerit Camillus n.7
Ex quadam epistola probatur memorata doctrina 381 8
In oratione immobilis cernitur n.9
Reperitur extra se raptus in sui cubiculo. 10
Per iter non relinquit consuetam Religionis mentalem orationem n.11
Inter hominum tumultum eleuatur quoque mente 382.12
Docebat in angulo cellæ etiã posse pro agonizantibus animam eleuari 13
In vulnere Domini dum oraret, corde introibat n.14
Orauit sæpius super tumulos 383.15
Instituit suos qua via orando insistendum esse insidiatori 16
Coarguit eos, qui bono opere non respondent ante actæ orationi 383.17
Satellites oratione eximit à nece 18
Exigit quamdam pecuniæ summam pene miraculose 384. 19
Deprecante P. nostro sterilis fœcundatur 384.20 vsq; 22
Qua veneratione ferebatur erga Beatiss. V. ceterosque Diuos 345.22.23
Erga imaginum Sanctorum venerationem studiosissimus 346.24
Diuuum Carolum Borromeum vehementi dilectione prosecutus est 25
Itinerando visebat Sanctorum Reliquias. 26
Qua musica modulatione oblectaretur 27
Mirifice erga Religiosos indiscriminatim afficiebatur 387.28 vsq; 31
Vice versa quadam illi rependebatur beneuolẽtia, etiam à magnis Dominis 388. 32
Referuntur aliquot exempla super hoc factũ n.32
Optant multi res habere P. nostri ob deuotionem 389.33
Equus efferus mãsuescit Cam. ducẽs 390 34
Flagellatur à Domino, qui P. nostro nocere enixus fuit 390.35
Erga sacerdotes p̃humilis se præbuit 391.36

Augustissimam Eucharistiam humillime veneratus est 391 37.
Quã strictim Eccl.seruauerit ieiunia 392.39.
Fugit à puppi timore frangendi ieiunij rigerem n. 4
Aeger quoque vult iecunare Cam. 41
Seruare facit aliquot festa ex deuotione, ne laborent 393 43
Horis canonicis,qua intendat mẽte 394.45
Non celeriter, sed moderate verba profert diuini officij n.46
Obiurgat recitantes illud minus attẽte n.45
Quãcũq; ob causã nec illud interpellat. 47
Nimium vigilans curauit,ne alij missam desererent 395.49
Aeger adipiscitur valetudinẽ prece P.Nostri n.50.& 51
Forma viuendi nostrorum, & ordo seruatus in congregatione admodum celebratur. 52
De P.Hieronymo Chiarella 396. 53
Ep istola P. nostri vbi continetur ratio nostri instituti n.55

Annus 1612.Relig.22

CAmillus spreto nimio frigore ad Hosp; S.Spiritus tendit 397. 1
Roma proficiscendo non ab Illustriss. D.se expedit,verum ab ægris 398.2
Destinatur visitator in domibus Aprutij.n.3
Nanciscitur valetudinem æger,etiã P.nostro remorante alia in vrbe 399.n.4.&5
P.Alfonsus Metius ex nostratibus periculoso morbo conualescit mirando modo n.7
Quæ assequantur cõmoda ciues P.nostri sua præsentia 400. 5
In maximis calamitatibus quomodo illos adiuuat n.6
Fabarũ crementũ mirabilis in horto 401.7
Sermocinatur publice, ac scite in platea Bucchlanici,vbi meminit de suo proximo letho. 402. 9
Vinum suscipit crementum. 10
Ita pariter oleum, 403.13
Aqua in vina mutatur n.13
Delusus à dæmone liber euadit prece P. nostri 404.14
Romam venit licet fracto corpore tamen Hospitium mox adit 405.15
Erogatę dapes iterum in olla adauctę videntur n.16
Febriens prece P.nostri liber fit n.17
Insõtes pueri exercẽt pietatis opera 406.18
Indicitur Gen.Capitulum n.19
P.Blasius Gen. graue tribulationum sustinet bellum n.19
Renidet in fidei professione Cam. 407.21
Hęreticus non sustinens Camilli præsen tiã à carpento resilit 408.22
Reconciliatur hæreticus ob P. nostri verba 408. 25
Simile legitur 409.26
Futura damna ante mentis oculos tenet iugiter n.2. 26
Desiderio Martirij in Hispanias, & inde ad Indias studet transire 410.27
Mira dicit coram Santiss. Sacramento dum distribuitur 28
Summis pontificibus Cam.obsequẽtissimus 411.29
Spei virtus in Cam.mirifice splẽdet 412.30
Quomodo temporalia flocci facit n.31
Cuidam prælato sapiẽter respondet 413.32
Etiam si humilitate se deprimit,spe tamen erigitur 34
Opifices ex eorũ arte capta occasione bonis moribus informat 414. 35 36
Mœsta loca magis quam læta frequentat 414.37
Cuidam principi mortuorum corporum cateruam ostendit 414.38
Læti excogitatio Camillum reddit mœrentem 415.39
Crebro auscultat conciones 415.41
Quanto studio alios ducit ad concionem 416.42
Aeger nanciscitur salutem 416.44
De Vita Fr.Io.Baudinghi.417.n.45 vsq;49
Curat morbum, illumq; prædicit in Nepote 419.49.

Annus 1613 Relig. 23

CReatur P.Franciscus Antonius Niglius Neap. Gen. 420..1
P.Cam. se adiungit P.Gen. in visenda Insubria ibidem
Genuæ grauiter ægrotat 420.1
Appulit ciuitatem veterem ex Genua supra triremem 420.4
Bini cõsultores decidũt in mortẽ Panormi 421.3.

De

De vltima P. nostri ægritudine n. 3
De Fundatione domus Sinuessæ 422. 4
Mirabiliter extractus puer baptizatur 423. 6
Puella infestatur in mortis agone ab hoste communi 423. 7
Gratiæ adeptæ P. nostri deprecante. 424. 8
Prædicit diem sui obitus n. 9
Præmonuit de proximo letho quemdam ex suis Pp. 425. 11
Eximitur à fera tempestate viator horr[illegible] tu P. Camilli n. 13
Suo ciui quędam prædicit miranda 426. 15
Prænunciat næcem cuidam adolescenti. 427 num. 16. &c.
Mirabiles effectus P. nostri erga nouitios. 428. 18.
Multis præfatur perniciem ob recessum ab Religione 431. 26
Multi quoque cooperatores in nouitiorum professione vapulant. 432. 26
Religiosus indisciplinatus terretur ab effigie P. Camilli. 434. 34
Agnoscit cogitatum susurronis 35
Detegit simulantem fraudem 436. 37
Ob fidei teporem quidam Sacerdos valetudinem non adipiscitur. 437. 41
De peccatrice à P. nostro conuersa. 42
De vita Critiæ Romanę 439. 45
A dęmone acerbe vexatur, ac insectatur Camillus 44[illegible]. 46. &c.
Memoria noui Protectoris ob decessum pristini. 441. 50

Annus 1614. Relig. 24.

De zelo Camilli erga obseruantiã Cõstitutionum Regulæ. 442. 2
Ob gulæ intemperantiam quosdam ab ordine excludit 443. 3
Alij expelluntur nouitij ob alios defectus licet non graues 4
Culpat Superiores si in domibus errata cognoscit 7
Cupit suos magis virtutibus, quã litteris splẽdescere 444. 9
Præcipit virtute sanctæ obedientiæ, vt quidã ad Sacerdotium ascendat. 10
Sollicitum vides in occurrendo necessitatibus subditorum 445. 11
Commendat, qui pluris cõparauit oleas pro languente 12
Pœnam pendit, qui procrastinans ægroto obsequium præstare. 13
Nõ intrat cubiculum, vbi super cibos susurronem audierat 446. 14
Aduersatur acerbe detrahẽtibus proximo. 15
Excusat, atq; tegit furem. 16
Enecari iubet canes in vinea, qui puerum momorderant 447. 19
Candor eius conscientię expri[illegible]itur. 448. 20
Inuehitur aduersus blasphemos 21
Vltima vices qua iuit ad Hospitium. 449. 26
Valde cum sit æger, exhibet tamen suis charitatem. 27
Vult fungi tenens penes se clauem sui cubiculi in Xenodochio. 450. 27
Iniungit ducendum oleum Sanctum pro se, & quodam oblato mox morituro. 29
De Ioanne Maria Veronensi oblato. 30
De longa valetudine lætatur ob merendi occasionem 451. 31
Lætabundus mortis suscipit nuntium. 32
Se munit pro luctamine in articulo decessus faciendo. 452. 39
Vigilantissimus in regulis obseruandis, etiam æger. 453. 34
Se validat quoq; in morte, expetendo aliorum orationem 35
Instirit in commune valetudinarium duci, vbi quoque fungitur 36
Qua instantia quidam cupit videre Camillum. 454. 27
Desiderantur res à Camillo tactę ob deuotionem. 39
Ab exteris etiã adiuuari petit suffragijs, atq; orationibus per epistolas. 455. 41
Voluntas, seu testamentum P. nostri litteris exaratum 456. 42
Communicat Diuinissimum Viaticum per manus nostri Protectoris, Oleoque sancto vngitur 458. 48
Etiam in extremis ab Officij Diuini penso petit relaxationem à Medicis. 459. 50
Prædicit libertatem cuiusdam à carcere. 51
Excludit laicorum visitationes 460. 52
Suos exhortatur ad frugalitatem antequam cedat è vita 53
Post amplexus suorum benedictionẽ eis impendit 461. 53
Simulari mãdat in sui letho sãctissimas Imagines

gines 54
Nanciscitur Apostolicam benedictionē. 55
A varijs. pijsq; Religiosis in extremo visitur. 462. 56.
In mortis agone in quo terit tempus. 57
Varias format iaculatorias orationes 463. 58
Obediens advsq; exitium nominatim valetudinario. 59
Visitur à Legato Catholicæ Maiest. 464. 60
Imponit sibi legi protestationes, cum quibus sepeliri mauult 62
Dulcia habet colloquia cū amātissimo IESV ac sanctissima Virgine. 465. 64
Disponit sollicitanda iusta 65
Quibùs considerationibus in extremo vitæ sacrum auscultat. 466. 67
Aduersus horologium tamquam tardius sonans, indignatur 467. 69
Sensibus vigens terminat vitæ horas. 70
Fragmentum cuiusdam epistolæ supra lethū P. nostri 468. 72
Recensetur ordinatim P. nostri suprema ęgritudo. 469. 73
Quid obtigerit inter persoluenda funebria. 470. 74.
Frangor ænerguminorum. 471. 75. &c.
De verbis cuiusdam arreptitiæ. 472. 78
Ostenditur obsessa tactis floribus à corpore P. nostri extractis. 79
Concursus frequentissimus ad Camilli corpus. 473. 81
Prima memoria ad sepulchrum fuit argentea tibia. 82
Aliquot gratiæ post obitum P. nostri. 83. &c.
Post eius decessum visus est aliquibus. 474. nu. 86. &c.
Quæ perspexerit Sebastiana Spagnioli. 475. nu. 89.
Arguit adolescentem, qui admodum inde profecit in virtute. 477. 44
Locus in quo decessit, transijt in sacellū Sanctissimo Crucifixo dicatum. 478. 95
Finis primi Tomi describitur. 99
Extat modus vsitatus visendi infirmos à nostris. 110
Protestationes moribūdis faciēdæ. 479. 104
Nonnulla recensentur circa ministerium infirmorum à quibusdam recentibus cōgregatis exhibita Neapoli. 481. 110.

REPERTORIVM

Materiæ in hoc aſperſæ volumine, iuxta litterarum gradus, primus numerus anni tempus annuit, alter vero annorum ordinem, tertius autem verſiculorum initia ſignat,

A

ABſolutio nũ conferenda ægro nulla ſigna dans contritionis. 8.19

De P.Adriano Barra. 251.1603.2

Bini adoleſcentes tempeſtate territi habitũ petunt. 249.1602.4

Aduerſa complura pertranſijt Camilus 325. 1608.22

Aegri quandoque priuantur Ss. Viatico ob incuriam 7.16. interdum ob patrũ curam integre ſunt confeſſi 9.21.adhuc viuentes quandoque dati ſunt ſepulturæ 21.51. ab ęgritudine conualeſcit poſt abſolutionem Camillus.41.1571.2.ægrotant periculoſe Camillus,& curtius 72.1584.9.ęgris quę pietatis munia impartit Cam. 1604.21

Aemulator intẽtus ĩ opere pietatis 1504.27

Aegros diſcedentes ab Hoſpitio veſtit. 261 1604.41 ęgritudines P.noſtri acerbę 321 1604.14.languidum ignauiſſimum lepide placat 327.1608.27.alius ſerui Dei hortatu digne confitetur 338.1608.56.alterum iactabundum monet 413.1612.34 de longa gaudet ęgritudine. 451.1614. 31.dum ęgrotat vigilat in obſeruantia regulę 455.1614.54.ſupremus Cam.lãguor exprimitur 469.161473

Aenerguminorum ſtrepitus in obitu Fundatoris 471.1614.75

Agonizantes vtique nos in cella degentes poſſe iuuare 382.1611.13

De P.Alexandro Burla 98.1588 1.

De Fr.Alexandro Bononienſi 149.1591.26

De P.Alexandro Atteſano 191.1594.14

De Fr.Aloyſio Gens 263.1604.44

Aligeri duo munus obeũt commendationis animæ 376.1610.47

Altaris erga Sacramentum perquam deuotus extitit 391.1611.37

Alexander de Lellis nanciſcitur valetudinẽ prece P.noſtri 419.1612.49

P.Alfonſus Metius obtinet ſalutem 400 1612.4

Amiternum petit cauſſa veſtiendi habitum FF.de obſeruantia 43.1570.6

De Fr.Amico Amicideui 198.1596.8.

In amore Dei,proximique tantopere excelluit 415.1602.40

Angelis valde gratum munus confortandi ægros in extremis 27.63

De Fr.Angelino Bruggia 168.1591.22

De Fr.Annibale Ferrario 208.1596.9

De P.Antonio de Amato 356.1609.51

De P.Andrea Gattulo loc.cit.

Erga bruta animantia miſericors 263 1610.10

Angelus, vt creditur,ducit Pp. ad moribundum 375.1610.10

Apoſtolicum diploma obtinetur 85.1586.4

Approbatio Religionis à Clem. VIII. 170 1591.2

Apoſtolicam benedictionem nãciſcitur 461 1614 55

Aquæ refrigerium laudabile, febrientibus collatum 124,1589.20

Aquam potare mauult,quã deſiſtere à pietate. 334 1608 44

Arbitrer primus noſtrę Cõſultę 198.1596.8

Arbitri Generalis q̃d ſit munus.196.1596.2

Arreptitiæ cuiuſdam verba. 472.1614.77

Argentea tibia prima memoria in tumulo. 473.1614.82.

Aſſiſtentia eſt tutum prognoſticum moribũdi. 307.1607.11.

Auguſtam Taurinorum ire ſeruitum in peſte deſtinantur. 211.1596.5

Aurigam vulneratum in palma ſanat. 234. 1600.12.

Auctorum nomina ſignantur conſtructionis cubiculorum in Hoſpitijs. 309.1608.2

De P.Auguſtino Groſſi. 310.1608.5

Aurigam priuat gratuita largitione. 352. 1609.36.

Aucupes ex eorum inſtituto inſtituit. 414. 1612.35.

B

BAptizatur Camilli, eiusque compatres. 37.1550.7.
De F. Bartholomeo Falloretti. 359 1610 6
Barbitonsor meritis P. Camilli meliorescit. 389.1611 6.
Benefactores singulari afficit honore. 388. 1611. 81.
Bello nauali interfuit Cam. 42.1571.5
De F.Bernardino Norcino. 79 1585.11
Benedictionem infirmorũ plurimi fecit. 125. 1589.21.
Bellũ suscipit cũ indisciplinatis. 324.1608.4
D.Birgittæ pietas. 5.8
In Bello dum nostri deseruiunt, quid illis obtigerit. 244.1601.5. Bellum adire destinãtur Patres seruitum ægris. 193.1595.3
Aduersus blasphemos inuehitur seruus Dei. 448.1614.21.
P.Blasius post Fundatorẽ primus Gen. 288. 1607. 10. idem semper religiosiores extulit. 310.1608.4. visit Religionem. 339. 1609.1. discrepantiam vide inter Fundatorem, & eumdem Gen. ibidem. prefatus Gen. quæ habuit exercitia spiritualia. 340. 1609. 2. quæq; sustinuerit aduersa. 406. 1612.19. Memoratus P. exequitur æqua lance munus suum. 375.1610.1. quinquẽnio onus Generalis fert. 419.1613.1.
Bononiam petunt fundatum Religionem. 121.1589.16.
Approbatio Congregationis per Breue. 86. 1586. 5. aliud deferendæ Crucis. 89. 1586.11.
Bulla Clem.PP.VIII. 219.1600, Alia Greg. XIV. 153.1591. quarum adeptio non nisi graui labore, & oratione. 231.1600.5
Bucchlanici extruitur domus, quę obuenerint in ea fundatione. 246. 1605.1
Burginoui suscipitur domus. 285.1607.1. & quid in ea venere. 2.
Damna illata PP. beneficio compensarunt. 327.1608.28.

C

CAmillus amantissimus studiosorum. 17. 36. ipse, & non alius Religionis nostræ auctor. 27.64. init singulare certamẽ. 41.1570.1. carnes humanas in bello execratur comedere. 42.1573.5. Cappuccinorũ habitum bis induit. 49. 1575.9.51. 1576.1. quibus ornamẽtis erigitur in fundatorem. 56. 1582. 4. fuerit quę prima illius intentio in colligendo socios. 57. 1582.5. adhuc laicus ægrum oratione sanat. 65. 1583. 2. ducit per Vrbem Cruci pendentem Dominum. 70.1584 6. sensim disponitur ad ministeria infirmorum. 77. 1585. 9. Card. Montẽrealẽ loquitur pro Congregationis erectione. 44.1586.1
De P. Cæsare de Augustino 114 1589.2
Primum Gen. Capitulum 196.1596.3 secũdum Gen. Capit. 210.1599.1. huius Capituli nomina Consultorum. 211.1595.5
De P.Cæsare Bonina. 197.1596.6
De P. Cæsare de Augustino. 114.1589.2
Camillus nutricis fungitur munere cum lactentibus. 130.1596.5. in Nolanum contagiũ secedit. 237.1600.20. cadẽs à iumẽto mirando eleuatur modo. 281.1616.25. Ceræ linquentis fert pęnã in vertice. 326 1608.18. cauponas frequentat vbi maior seruatur decorus. 277.1606.17.
Caltagirone formatur ædes 286.1607.4
Cam. atrociter vexatur a callis in pedibus 323.1608.18. calcularis dolor acerbe in eum irruit. 19. Cardinalis authoritas opus fuit, vt vetustum pallium deponeret 335 1608. 46. castitatis zelantissimus custos 348.1609.25. qua virtute docet deuincẽdum contrarium. 394.1609.25. comptos capillos exprobrat in nepote. 352.1609. 35. cantus, & sæculares sono prorsus odit. 30. mœret vehementer super lethi cogitatu 358.1610.3. eius pietas ad omnes se extendit inopes. 360. 9. canem ægrũ cõpatiens cibat. 363. 15. si damna inferunt interfici vult. 17. 447.1614.19. destinatur in Aprutio visitator. 405.1612.17. D.Caroli Boromei valde studiosus. 386. 1611. 25. illius cõscientiæ candor. 448.1614.20 clauem cubiculi in Hospitio dum vixit nõ deposuit. 450. 1614.27. eius conuersio ad pœnitẽtiam 46.1575.2. cõfitetur D.Philippo Nerio 50.1575.11. super cadauera excubant etiam nostri ne vorentur à feris. 135.1596.16.
De F.Christopharo Perucci. 132.1590.12.
Clem. Papa VIII. admodum de Religione beneficus. 175.1592.11.
Clerici cum laicis promiscue admittebantur
206.

206.1598.1. Clericus salutem nanciscitur prece P.nostri. 398.1612.3
Cornelij Centurionis pietas. 5. 9.
Cõfessio inualida quãdoq; ęgris impẽsa.7.15
Conueniunt principio in Templum D.Marię Miraraculorum. 69.1584 3.
Commendationis Animæ onus per Vrbem suscipitur. 78.1585.10
Cõmendationis animæ opus excitatur à nostrorum frequentia. 120. 1589. 13. quod ęmulati sunt quidam nobiles 13.
In Congreg.priscus viuendi mos. 55.1587.3
Congregationes institutæ intra H. spitiũ Incurabilium Neap. 21.166.1588.
A coacla extractum tergit ægrum Cam.140. 1591.8.
Forma ordinandi antiquitus Comitia. 247. 1602.2.
Cœmentarijs opitulantur PP. in extruendo. 596.1.
Constitutiones obseruantur confectas à Fundatore. 196.1596.16
Consultor Gen. efficitur Cam. Apostolica facultate. 179 1611.3
Constitutiones editæ pro ministrandis ægris 210.1599.3
Consultores superiorum prouisuri erant illos de necessarijs.ibidem.
Cœmentarij eruuntur illæsi à fabricæ ruina. 265.1605.4.
In cœno ne mergeretur mirabiliter eruitur Cam. 280.1606.34
Coguntur Comitia ad suscipienda Fundatoris renunciationem Gen. 287.1607.7
Consulit multa facienda vtilia intus Hospitia 294.1607.21.
Cœcus ad lucem restituitur. 295.1607.32
Ad conciones alios trahit. 416.1612.42
Concubina expulsa, recte fungitur languens. 371. 1610.30.
Concubinatus quidam infauste perit. 365. 1610. 22.
Comes Fontis honorifice suscipit Cam.389 1611.30. Coram Diuina pręsentia iugiter ambulasse, obseruatum est. 380.1611.25. Coronam nõ deferentem Religiosũ acriter arguit.386.1611.24. à magnis colitur Principibus. 288.1611.32.
Commendatur forma viuendi nostrorũ 395. 1611.52.
P.Cosmus Lentius liberatur à morbo. 271. 1606.1.
Primi Consultores nominantur.196.1596.6
Cordis penetrat arcana Cam. 434.1613.35
Crux alba mutatur in castaneã. 91.1586.14
Cruci pẽdẽs Dominus bis Cam. consolatur. 60.1582.13. crebro auscultat conciones. 415.1610.41. cubicula humillima incolit. 346.1609. 16. cubiculum non intrat vbi murmur senserat de cibis. 446.1614.14
Cruces à fouea erutæ illesæ cernuntur. 236. 1610.15.
De cremento ciborum. 274.1606.17
De vita Critiæ Romanæ. 439.1613.45
D.Cyrilli Mar. beneficentia.3 4.

D

Diuina eloquia dæmonem terrent. 304. 1607.50. cui exosum cõmendationis animæ exercitium. 26.59. aduersus illud inuehitur obsessus. 202.1597.2. dæmoni addictus miserande defungitur. 166.1600 2. impedire cogitur accessum ad móribũdum 373.41. Cam.dæmonibus valde perosus. 440. 1613.46.
Debitorum graue onus reperit Romæ. 175. 1592. 10. rogat sibi exprobari suos defectus 333.1608.41.
Defensio Auctoris super dicenda.2.2.
Dei imago rutilat in misericordia.5 11.
Deuotio Cam.erga Deum, Diuosque. 385. 1611.22. Dissuadetur à D.Philippo Nerio ingressus ad Cappuccinos.52.1576.2. Difficultates eluctatur in ordinum susceptione. 63.1582.15. Discedens ab ægro eius deosculator manus. 1604. 20 Doctrina Cam.exercenda cum ægris.663.1610.13 Dono suscipit plura altaris ornamenta. 68.1584.2.
Difficultates instituendi Congregationẽ intus Nosocomia.61.1582.15.
Dicendorum hoc anno mentio habetur.442 1614.1.
Dormiens quidam ex nostris, & ambulãs per Vrbem apprehenditur.199.1596.13.250 1602.5.
Dolores liniuntur tactu serui Dei. 200. 15.
Duo concurrentia pietatis officia spirituali occurrendum vult. 260.1604.40.
P.DominicusSorrẽtinus sanatur.209.1586.6

Pin-

E

Pingues eleemosynæ collatæ ab Illustrissimis Matronis pro emptione Domorũ Conuentus. 149.1591.28. Eleemosynas distribuendas instituit quotidie in ianua. 361 1610.12. obiurgat Superiorem vitãtem fieri. 165.1610.53. mandat restituendam eleemosynam putans errore erogatã. 347.1609.19.

Epistola serui Dei commendatitia pro viro Religioso. 17.37. Epistola eodem die Genua Bucchlanicum delata. 358. 1610. 5.

Epistola P. nostri de iugi Dei præsentia, 381. 1611.8. alia tractans de nostro instituto. 396.1611.55 Epistola de obitu P. nostri. 468.1614 72. alia P. Generalis eximentis Fundatorem à multis. 331.1608.39.

De quodam epulone infelici morte interceptus. 1610.365.23.

Episcopatum licet lusorie affectantem quendam coarguit. 336.1608.49.

Epistola dedicatoria, & ad Lectorem, quædã directa à patre quodam ex nostris exprimens serui Dei eximiam caritatem. 395. 1607.30.

Ab equo cadens miro eleuatur modo. 279. 1606. 30.

Esca, & cubilia priscorũ patrũ. 72. 1584.10

Eucharistiæ Sacramentum summa colit veneratione. 410.1612.28.416. 42.

Exordium totius Operis. 1. 1.

Extrema vnctio indirecte necessaria. 8. 18

Exempla multorum in extremo consistentiũ, sed tũm ad Deum conuersorũ. 367.1610 26. Exemplum cuiusdam spatio 40. annorum ficte confessi. 9.21.

Exempla Turcarum ad fidem venientiũ. 10. 23. alia quorumdam viuentium, attamen tumulati nondum emortui. 22.51. nõnulla vanarum obseruationũ ergà spiritũ exhalantes, 32.52.

Exercitia à Patribus illis vetustis temporibus habita 69 1584. 5.

Exẽplũ latronis cõuersi. 106.1588. 22.1591

Exẽplũ infirmi repẽte euanescẽtis. 144.1591 .18. Exemplo mirifice instituit suos. 1604. 29. 260. 38. aliud recensetur famuli imisericordis 266. 1605.7. extat aliud cuiusdam virginis cernentis zabulum in morte. 303.1607.48. simile subnectitur 49.

Exercitia Fundatoris post Generalis demissionem. 289.1607.14.

F

Fabricę in opere applicitus. 45.1574.11 Facultas admittendi nouitios extra generalia comitia. 184.1594.2.

Assiduus famulatus infirmorum in Hospitio Florentiæ. 213.1599.2

Facie rutilat commendans caritatẽ. 1604.26

Facultas non posse nostros neq; ad Carthusianos transire, 238.1606.40

Fabarum crementum. 400.1612.6

Famuli miserandum exitium 364.1610.19

Famulus ab asello interimitur. 356.1609.50

Ferrarię noua domus extruitur. 214.1599.14

Ferreum cingulum ducit supra femora. 322. 1608.17. die festus prorsus ab omni opere abstinendum censuit. 369.1611.42. itẽ aliquot ex deuotione obseruari sãcit. 393 1611.43. nanciscitur fidem, qua mediante à voto liber euadit Religionis. 53. 1580.8 1581. 1.

Firmus Calui commendatur. 67.1583.5

Fila serui Dei redolent. 321.1608 14. filo albo resarcit exteriores vestes. 345.1609.14 ob collectas aliquot ficus acriter redarguuntur nostri. 348.1609.23. in fide quã rare effulgeat, 407.1612.20.26. à fluminis immersione mirabiliter extrahitur. 49. 1575.8,

Florẽtiæ noua Domus ædificatur. 217.1599 11. linqtur eius famulatus in Hospitio. 12

Formica indicat aptam ad struendum tellurem. 266.1605.6.

Socium obiurgat seruus Dei, quia sibi tangi permittitur manum ab anu. 350.1609.31. adolescentulos inhonestas deterret. 351. 1609. 44. formicæ exemplo nos erudit. 363.1610. 16.

De P. Francisco Propheta. 94.1582.2

De P. Francisco de Meo. 182.1593.6

De P. Francisco Pizzorno. 197.1596.5

De P. Francisco Antonio Balsamo. 201. 17

De P. Francisco Caputo. 208.1598.4

De P. Francisco Amodio. 242.1601.2

De P. Francisco Corrado. 284.1606.41. qui monumẽta liquit de P. N. 358.23.1610.

Diu intestinorũ à fractura vexatur. 322.1608 17.

Frater Seraphici Ordinis Diui Francisci fit inco-

incolumis. 376.1610.48
Fundator Insubriam visit, vna cum P. Gen. 420. 1613.1. Furis excusat intentionem. 446. 1614. 16. Furem à satellitum manu eximit. 447. 18. Funeralia sibi parari disponit. 465.65

G

GAlliam ire fundatū expetuntur nostri. 213.1599.10.
D. Gallicani Martyris misericordia. 3.5
Genuæ domus figitur. 187.1594.5
Genera pœnitentię serui Dei ob formandā Congregationem. 57.1582.6. Genua Romam proficiscitur. 420. 1613. 2. disponit haud esse Generalem. 261.1604.42
Tertius Generalis creatur P. Frāciscus Antonius Niglius. 420.1613.1
De F. Godofrido Stella. 176.1592.13
Gratię collatę post obitū P.N. 473.1614.83

H

DE F. Annibale Mōtagiolo. 194.1595.5 Hæredem instituit Religionem Card. Monsrealis. 179.1592.15
Hæretici inter Hospitia complures resipiscūt 9.22. qui reconciliantur suasionibus patrum. 409 25. 1612. occultus hæreticus patet P. nostro. 407.1612.21
D. F. Henrico Barbarossa. 148 1591.24
D. P Hieronymo Chiarella. 396.1611.53
De F. Hieronymo Beuilacqua. 194.1595.6
Hospitalia purgant peccatorum scoriā. 9.22
Hospitium Incurabilium Romæ iterum adit. 50.1575.10.
D. F. Horatio de Sanctis. 75.1585.5
Quę bona parāt in Hospitijs nostri. 99.1588 2. Hospitij Incurabilium Neap. meminit. 100.1588.6. Frequentantur exemplo Patrum. 101.10. Fit pro ægris Hospitium in nostris ædibus. 138.1591.3
De F. Horatio Torio. 143.15
De F. Horatio Zompillo. 17
In Hospitijs iuge ministerium suscipere conatur Cam. 210.1599.2
Cui figurabantur pomaria. 1604.11. Illuc eūdum celeri passu volebat. 34. Patres illic demorantes lepide tractauit. 269.1606.3
Horologium infimulat, quasi velociter fluens. 295.1607.29
Ab Hospitali dimissus æger, vult Cam. iterū deponi in lecto, qui cito occumbit. 299. 1607.38.
Honestatem commēdans, quasi irradiat eius vultus 352.1609.34
Horas Canonicas quam attēte persoluit. 45. 1611.
Horatius equestris summi Pontificis graui morbo ereptus. 398.1611.4
In Humilitate nouitios superauit. 329. 1608. 38. valde enituit in ea virtute 32. dissuadentem humilitatem expulit. 334.43. tētatus de Humilitate accurate respondit. 336.50. Quam etiam ostendit sacrum faciendo. 354 1609.43. In culina, locisq; vilioribus frequens 44. Humilitatem cum spe mirifice connexit. 413.1612.33

I

DE F. Iacobo de Meo. 233.1600.7.&c. D. Diui Iacobi Hospitio Neapoli. 261 1604. 43.
De P. Iacobo Mancino. 311.1608 6
De P. Iacobo Seuerino. 313.9
Iactantiam calcat sagaci responsione. 330.20
D. Iacobi Hospitium Romæ describitur. 50. 1575.11.
De F. Iacobo Martinelli. 112.1588.33.&c.
In Iberiam secedunt duo ex nostris formādi loca. 212 15990.9
De F. Ieremia Foreste. 116.1589.6
Ieiunia quam strictim seruauit. 492.1611.39
Ieiunauit quoque æger. 392.41
Imaginatio Camilli vehemens ægris ministrando Dñum repræsentans. 255.1604.3
Infirmi destituti auxilijs deficiebant. 8. 10
Infideles ægri intra Hospitia, vt plurimū veniunt ad fidem. 9 22. Infirmi per Vrbem quandoque ob incuriam ministrantiū decedunt absq; Sacramentis. 20.44.&c. Infirmi in domibus priuatis ob ciborum nimietatem quandoq; suffocantur. 21.49
Interfuit Cam. in expugnanda Varbagensi arce. 41.1571.4
Insidias pergraues fert à commilitone. 45. 1574.12.
Inimico qui nō pepercit, quid ei obtigit. 441 1613.
Inspiratio prima Camilli cogendi socios. 56. 1582.3.
Intētio principalis nostri instituti. 88.1586.8
Indignatur dum rogatur à paupere non autē pręcipitur. 256.1604.7
Instrumenta varia ducit, ac cibos ad refocillandos

landos ægros. 1605. 23. cum infantibus exercet nutricis officium. 24.
Infirmantur ad mortem cõplures ex nostris seruiendo ægris in ædibus Sanctiss. Annũciatæ. 270.1606.8
Infidelis ficte suscipiens Sacramenta agnitus à P.nostro. 343.1609.10
Indicuntur Comitia pro abdicatione Generalatus serui Dei. 289.1602.12
Infirmus cum suis ægris exhibet caritatem. 489.27.
De F.Io.Adamo. 92.1586.15
De F.Io.Baudinch. 417.1612.45
De F. Ioanne Romano. 97.1587.7
De F.Io.Andrea Razucano. 191.1594.13
De F. Ioanne Morino. 204.1597.6
De F.Io.Bapt.Barberio. 252.1599 8
De F.Io.Mileti incolumitate. 275.1606.18
De P.Io.Bapt.Marrapodi. 284 41
De Io. Maria Veronensi oblato. 450. 30
De F.Io.Bermonte. 173.1592.6
Itinerando Cam. corruit cum vitæ discrimine. 275.1606.20.&c.
De Dña Iulia de Castillis. 150.1591.29

L

DE F.Laurentio de Francisco. 133.12
Laicorũ visitationes excludit. 459.52
Qua lętitia gestiat ministrando infirmis. 291. 1607.19. laudat ministrum liberalem cum ægris 445.1614.12
De F.Leonardo Magnini. 143.1541.16
Lectos infirmorum qua vigilantia componat 256. 1614. 7. è lectis mutando infirmos quam sit cordatus. 1604.10. sub eis ferro abradit sordes. 1607.21
Lectorem repetere caritatis exempla in mẽsa clamat. 1604. 32
Litteræ immissæ à P.nostro post officij emissionem. 288.1607.9. nonnullæ significantes eius intra Nosocomia iucũditatẽ. 290. 16. quibus etiam se excludere intendit ab onere visitationis. 338.1608.55
Liberalitas Romanorum Principum cum inopibus. 138.1591.4
Prædicit grauem deuincendam litem. 183.8
Lis sedatur orta erga infirmorum ministeria in Hospitijs. 217.1600.1
Litteris minus quam virtuti malebat suos intentos. 444.1614. aliç quibus præcipit sub præcepto ascensum ad Ordines. 445.10
Loca vbi colliguntur, quæ narrantur. 3 3.
Cum loquela defungitur. 467.70
Lusores famosiores perquirit. 43.1574.7. Ludendo amittit interulam. 44.8
De F.Ludouico Franci. 112.1588.33
De P. Lucæ Moneta incolumitate. 200.14

M

DIui Martini Episcopi pietas. 3.4
Mater Cam. sterilis. 34.1550.4. eius laudes. 38.1570.8
Marcus Antonius Cortesselli vtilia consulit Camillo. 62.1581.16
Mauritij caritas erga Congreg. 77.1585.8
Diuæ Mariæ Magdalenæ Templum, & ædes obtinent nostri. 93.18. eo migrant. 94.19
Illustrissimæ Matronæ ministrant ægris in Hospitijs 107. 1588. 23. parant fila pro vlcere P. nostri. 322.1608.16
De F.Marco Antonio Solini. 148.1591.25
De P. Marco Antonio Cleri. 205.1597.8
Magistri sæculares nostros instruebant. 206.2
De P.Marco de Marco. 238.1600.22
Mantuę formatur domus. 243.1607.3
Maris sæua procella adoritur Camillum. 249 1602.4. Item aliam euadit. 252.1603
Maris post tẽpestatẽ mire reficiũtur. 276 24
Martyrij desiderium in Cam. 410 1612.27
Mendicat Cam. in vrbe Manfredoniæ. 20. 1570.9. Mẽdicos edùcit à cœno. 141.11.
Mendicant nostri, & adepta pauperibus impartiunt. 146.1591.21
Mercenariorum famulatus in Hospitijs, quã defectiuus. 1565. 81.2
Mediolani Domus extruitur. 185.1594.3 Illuc pergit ad auxilia porrigendũ in peste 40 1594.190. Mediolanũ adiens fit ianitor domus nostræ. 332.49.1608 ibi morientem ad pœnitentiam inducit. 338.56. Quanta egerit in Hospitio. 282.1606.39
Messanæ admittitur Religio. 215.1599.16. vbi pia veneratione suscipitur Cam. 216. 18. illinc ducuntur plures nouitij Neapolim. 269.1606.4
Meretrix ad pœnitentiam trahitur. 374 45
Mendicare visus arguitur Cam. 330. 36.
Diui Michaelis Archangeli in festo profiteri destinant. 162.1591.32
Militis dum animam commẽdatur, quid obtigit. 194 1595.4. Militibus seruitum eunt Canisium. 243. 1601. 4. Miles semotis

odijs

odijs ad pœnitentiam recurrit.370.1610. 35. Miles minis reddit ad cor. 372. 37 Cam. fit miles 40.1570.8.& 41. 2.
Missam ne prætermitterent rustici magna cura fuit seruo Dei. 395.1611.99. Quàm non prosequitur donec se elonget mulier 352.1609.37. Dum iret ad sacrum peragendū graue incurrit periculū. 282.1606. 39. Quando primitus celebrauit sacrū.68. 1584.1.
Misericordia Dei Filium traxit ad nos. 5.10 exhibita à viro ornato virtute rutilat.18.38
Ministris infirmorū peritia reqsita.13.26.&c.
Ministerium seruiendi ægris qua vi innodet nostros. 24. 57. ministrando in pestilentia species Martyrij. 30.69.70. Ministeriū intra Nosocomium.55. Annunciatæ iterum assumitur.311.1608.7 Minas acerbas suffert.326.1608.26.
Mortui pes à tellure repudiatur 215.1599. 15 morientes adiumento deserti languent 7. 15. moribundis per vrbes plura Relig. præstat beneficia 19.44. quandoque incaute claudūtur lumina 22. 50. in morte desiderantur nostri à magnis ducibus 121 1589.15.mortem contrahūt 13 ex nostris 145.1591.20.moriēs reuiuiscit, & cōfitetur 397.1607.33.aliud.34.& 314.1608 11 mortalitas in Hospitio Ss. Annunciatæ 296.1605. 5. post obitum intermittenda mora priusquā oculi claudantur 307.55 ad morientis domū cū feltris eūt, 300. 41 aliq; ad se reuersi absoluuntur 298.1607. 36.mortis cogitatu mœret Cam.415.39 1612 moribundum sanat 377 44.1610. quibusdam mors iucunda 372.38.41.in agone lethi se caute munit.452.33.mortē oppetunt bini Cōsultores.421.3.13.prędicit cuidā ex suis.425.1613.11. alius vitat morte suasu P.nostri.426.14.ipse eam suscipit lætus. 451.1614.32.
Modestiā omni in loco seruandā vult.444 8.
Munus commendationis animæ celebre.25. 59. quę sustinuit incommoda Cam. illud obeundo.300.1607.40.
Binas mulieres à turpitudine extrahit.232.16 earum obtutum deuitauit. 349. 1609.26. 350 30.cū honestis loqui visus est. 351.33 cōcubina miserāde moritur.365.1610.21 Mulier ter P.nostrū salutans fugitur.374 43.alia euadit sana.424.1613.8.
per Musicam quidam trahitur ad pœnitentiā 369.1610.16. Qua musica oblectabatur. 386.1611.23.

N

Natiuitas Cam. in stabulo.1550.37.6 Nobili loco natus.3.
Nauigat Tunetem versus.43.1574.6. nautis inhonestis mala interminatur.188.1594.8
Neapolim introducuntur nostri. 98.1588.2. transeunt in ædes D.Mariæ ad Agnonem. 120.1589.11. admittit plures ad professionem 174.1592.7.in æde S.Marię Portę Cæli.173.1592. 5.
Negotia antequā obiret præstat aliquot pietatis opera. 1601.35.necessitatibus suorū pręsto est.435.11.1614.
Nouitij nouiter admittūtur.74 1585.3. Nouitij infaustus exitus.117.1589.7.circa eosdem Apostolica facultas.171.1592. Nouitiorum extruitur Domus in loco Platamonis Neap. 341. 1609.3.10. Nouitij ex filis plagæ P.nostri odorem hauriunt.358. 1610 4.trāseunt in ędē D. Aspreni Neap. 373.45. Icui ob causam eiciuntur ab Ordine 443.1614.3.6.erga nouitios mirabilis extitit Cam.428.1613.18.&c.
Nouitius tactu matris abscedit ab Religione. 430.23.nōnullorum miserandi euentus.431 26.alij vapulant, qui in causa fuerunt professionis nouitij.433 1613.32.& 119.10.
Nomen Congregationis appositus. 78. 10.
De Sanctis.Annūciatæ pietate agitur Neap. 123.1589.18. eo nostri eūt seruitū.1606. 4 2.1607. 2. (1591.19.
Noctes peruigil fuit in suendo culcitras. 145.
Nomina Patrum primæ professionis Romæ. 166.1591.39.
Nolano contagio nostri deseruiūt.236.1600. 17.item altera vice n.18. Epistola Nolani Episcopi.240.1600.27.&c.
Noctis sub silentio,quæ tulit incommoda adiuuando moribundos Cam. 301.1607.44

O

De Obitu genitricis Cam. 39. 1570. 3. Cam.virtute obedientiæ deponit tunicā peruetustā. 335.1608. 47. quæ fuit in Cam. eximia 353. 1609. 38. eius ordinationes penes se in scripto seruabat. 354& 1609.41.& 48.vt benedictionem assequatur

tur quæ rit per totam Domum Superiorē. 354.1609.42.audito obediētiæ sono post habet omnia. 355. 1609. 46.in letho varias iaculatorias orationes fundit.463.58. obediens vsq; ad vitæ calcē.463.59. obitus P.nostri.467.1614.71. Romæ obscuras in officinas mutāt incolatū.74.1585.1
Obsessa manifestatur tactis floribus corporis P.nostri.472.161479.
Odoratam sindonem respuit. 1604. 35.
Oeconomus in Hospitio Incurabilū Romę eligitur. Cam. 52. 1576.3.
Officium cōmendationis animæ indiscriminatim omnes ligat. 23.55.
Cam. ollam ferens vnguenti,fit obuiā Card. Eminentiss.131.1590.7. Oleum in olla multiplicatum.403.1612.11.ab oneribus Templi D. Mariæ Magdalenę soluitur Religio, 93.1586.18.
Onera, quæ sustinuit Religio grassante lue in Nosocomio Sanctiss. Annunciatæ Neap. 270.1606. 6.
Orandum quotidie pro coniectis in exitū animę.24.56. Oratorium Romæ in Nosocomio formant.58.1582 8.ordinibus initiatur.65.1583.3. ordo ministerij in Nosoc. 207.1598.3. Oratione P. nostri quidam nanciscitur salutem. 416.1612.44.in ea assiduus.381 9.1611.orantem, & non bene operantem rectè exprobrat. 383. 16. per eam in necessitate liberatur, 382 19. quomodo resistendum in oratione insidiatori. 383. 16.
Ossa mortuorum sepe visit, ostenditq; cuidā prelato. 414.1612.37
De F.Octauio de Lellis. 273.1606.14
Ouum vt subministret ægro grauia transit incommoda.260 37.

P

Panormi erigitur Domus.235.1600.13. primus lapis in Ecclesia iacitur.245 8. ibi ludis operā dedit.346.1574.Patriam, & parentes Camilli. 33.1.1550.patiuntur acriter dum vna spiritualiter conueniunt. 59.10. 1582. persequentibus se bona rependit.353.40.1604.patrimonio decoratur à Firmo Caluo.66 4.1583.panē ostiatim efflagitat.68.9.1586. pater cum nato mori insistit. 141.10. 1591.
De P.Paulo Cornetta. 131.1590.9.&c.
De P. Paulo Renda. 174.1592.9.
De F.Paulo Cherubino. 197.1596.7
Parochi iure muneris sui tenentur obire munus commendationis animæ. 25.58.
Peccatricis conuersio. 437.1613.42
Pedes suorum, & Hospitum abluit. 530.35.
De heroica Cam. paupertate. 344.1600.11 346.1609.17.347.22.
Patrum assistentia in ægritudine lætitiā affert 365.1610.32. 167.1591.40.445.1609.12
Panegyrici in exordio.
Pedestris multa cōficit miliaria.277.24.propria delicta corā aperit. 337.1608.52. pestilētia affectis seruire quām interest. 30.69
De P.Petro Barbarossa. 214.1599.14.
S. Philippus Nerius vidit Angelos subministrantes verba nostris in moribūdo.27.63 Congratulatur P. nostro de erectione Religionis. 173.1592.4.
Pietas cum ęgris valde eminet.5.10.splēduit in quibusdam sororibus.108.1588.25.
Picturam simulari mandat in sui obitu. 479. 115. 1614.
Summis Pontificibus obsequētissimus Cam. & sui. 411.1612.29.
Pompeus Bartolelli benemeritus de nostra Religione. 73.1584.11
Procemium totius Operis. 1.1
Prima professio Romæ habita 163.33.&c.
Protectoris Montisrealis obitus.178.1592. 15.Sufficitur Card.Saluiatus.181.1593.3 alius recenter creatur. 441.1613.50.
Diuinam prouidentiam experitur sæpè Cam illus.215.599.13.272 1606.11.
Prouinciales primitus eligūtur.248.1602.2.
pdestinationis signa designat in suis.16.4 27
Præfectos stimulat, vt vocent eum ire nocte ad moribundos. 290.1607 17
Prognostica vana cū moribūdis.302.1607.6
Prędicit suum proximum obitum. 424. 9. & quædam suo ciui.426.1613.15.atq; necē adolescenti. 427.
A pueris illuditur Cam.45.1574 11.de pueri incolumitate.314 1608.10 quidā secto aluo materno baptizatur. 423.1613.6. puella discutit tentatorem. 423. 1613.27
Puer in quo tēpus triuit. 38. 1557.1. puellæ post interitum germinarunt rosę in fronte 374.44 1610.pueri ministrant ęgris. 406. 1612.18.

Pup-

Puppim vitat, ob auditã blasphemiã. 189. 9
Puteolis in cõtagio nostri ministrãt. 133. 13.

Q

QVinque collegas principio sibi asciuit. 18. 1582. 7. In Monte Quirinali nostri seruiunt lue captis. 128. 1590. 1. &c. Quęrit per Vrbem egenos. 141. 1591. 9. Quatuor Sanctorum celebatur festum decumbentium in peste. 3. 69.

R

RAptus mente in cubiculo adinuenitur Cam. 381. 1611. 10. & quoq; inter hominum tumultum. 382. 12.
Reliquias SS. itinerando visebat, 386. 26.
Religiosos quomodo sit reueritus. 387. 28.
Cam. cum remigãtibus magnã exhibet pietatem. 361. 1610. 11. 190. 1594. 11. cuius res abripiuntur ob deuotionem. 452. 39.
Religio nostra pluribus occurrit incommodis intus, atq; extra Nosocomia. 7. 15. &c. etiã in temporalibus præsto est. 18. 41. &c. eius institutum sublime. 28. 64. &c. in nimia egestate abundans. 138. 1591. 4.
Renuntiat Generalatui Cam. 286. 1607. 5. quæ egit post abdicationem. 349. 1609. 8.
Rheda conceditur Cam. vt ducat ęgros 142. 159. 12. suscipiunt Rhedarum Hospitium. 145. 1591. 19. casus ibi grauis occurrit, 147. 23. imminens euadit periculum. 278 1606. 27. Ridicula vitat quoq; tempore baccanalium. 53. 1576. 5.
Romam petit causa curandi plagam, 1570 7 ibi in Hospitio D. Iacobi inchoat Cõgregatio. 50. 1575. 11. Auxilio est Religio multis inopibus, & ægris. 137. 1591. 1. illic in Regione Leonina languidis opitulatur, 198. 1596. 11. eo veniens Cam. mox ad Hospitium recurrit. 405. 1612. 15.
Rusticos homines docet mirè. 414 1612. 36
De P. Rugerio Britanno. 97 1487. 6.
De P. Ruberto Britanno. 97. 8.

S

SAcerdotes prosecutus est honore nõ leui 391. 1611. 36. 360. 1610. 10. Quid vni obtigerit post obitũ P. Cam. 476. 93. Qui & vocãdi ante vltima vitæ spiramina. 366. 25. 21. 48. Sacerdotiũ suscipere designat Cam. 63. 1582. 18.
Samaritanus typus Religionis nostræ. 6. 12.
Sacerdoti prædicit decessuro absq; vnctione Sancta. 298. 1607. 35.
De F. Sancto de Bolis. 181. 1593. 4.
Sacrũ Missæ, qua mente auscultat. 466. 1614 67. 297. 1607. 35.
Sanitatis gratiam nanciscitur æger. 245. 9.
P. Scipio Carozza conualescit. 267 1605. 8
Scripta subijcit Auctor S.R.E. 31. 32. Scholares Romam petũt studiorum causa. 212. 1599 7. Sermonem nimiæ fidentiæ habet Cam. 178. 1592. 14. & alium peragendo septem Vrbis Ecclesias. 168 1591. 41.
Sententiæ quibus vtebatur ad suadendam caritatem. 1604. 26. sermo ad populum scite habetur à Cam 412. 31. 1612. 411. 24
Sepelliri insinuat Cam. cum protestationibus 464 1614. 62.
Sixti in Hospitio nostri ministrant Romæ 142. 1591. 13. simulat asinis tepentes in caritate. 604. 30.
Simulacrum Camilli terret peccatorem. 434 34. 1613. fingentem fraudem agnoscit. 436. 37. Sixtus V. cupit alloqui patrem nostrum. 89. 1586. 10.
Somnus parentis Camilli. 37. 5. 1550. societas ministrans in Xenodochio Ss. Annunciatæ Neap. 312. 1608. 7. socium respuit assignari ei seruientem. 329. 1608. 33.
Spei virtus in Cam. viuit 412. 3. 1612. Sãcti Spiritus in Hospitio. quæ fuit Cam. occupatio. 292. 1607. 22.
Stipendia suscipit Neap. miles. 42. 1574. 5.
Studijs vacat Cam. in Collegio PP. Iesuitarũ 63. 1582. 18. Studiorũ amantissimus. 207. 1598. 2. steriles pariunt precante P. nostro 384. 1611. 20. &c.
Sunamitidis pietas. 4. 7.
Superstiones omnino vitandas in domibus ægrotantium. 22. 52. Summus Pontifex consulto Cam. multa peragit in Nosocomio S. Spiritus. 1604. 22. Suadenti sibi, vt desisteret à labore, quæ dat respõsa. 1604 36. superbiam in se, suisq; demolitur. 335. 1608. 48. susurronum aduersans. 446. 15.
Superiores culpãdi in subditorum defectibus 464. 62. 15. 1614.

T

TAbita venit ad vitã ob eleemosynas. 5. 9
Tempus natiuitatis Cam. 34. 1550. 2.
Tempestatem maris transit acerbam. 43. 5. 8. 189. 1594. 10. viator à tẽpestate eripitur Camillo suadente. 425. 1613. 13. Tempo-

ralis misericordia non parum iuuat spiritualem.125.1589.22.Tempus criminatur quasi tarde fluens. 467.1614.69.
Testamentum P. nostri. 456.45.1614.
De P. Thoma Trona. 238.1600.21.
Theate suscipitur Domus.226.1605.6.Theologia ornatos conuenit nostros. 18. 40. F. Thomas Coppula à morbo eripitur. 308. 1605.11. Sinistram tibiam Cam. occupat plaga. 147.1591.22.Tyberis inundatione eripit ægros. 209. 1598.7. Tribulationis procellam fert.71.1584.7. in transitu magnorum Principum desideratus Cam.304 1607. 50.52. Tribus ægris vni lecto præsto est.362.1611.13. Turcæ conuersio ad fidem. 216.1599.17. è Turcarũ manibus euadit Cam. 279.1606.31. Turca ad fidẽ venit.409.1612.24. super tumulos non raro orauit Cam.383.1611.18.

V

Vacuat Domũ nostrã opitulando ęgris. 146.1591.20. vasa immunda tergit ægrotorũ.260.1604.39. Valetudinarij munus exercet cum suis.271.1606.9. In vestibus laudat munditiem, reprobat curiositatẽ.345.1609.13. quanta vi refutat nouas tunicas. 15.333 1608.45. & 334 45.
Vestiuntur complures inopes pietate P. nostri 139.1591.6.
Verba promit ardentis beneuolentiæ ęgros depascens.225. 1604.4. verba cognoscit illius, qui longè aberat.434. 1613. 35. aliud simile. 36. vermes flores reputat scatentes ab vlceribus languentiũ. 256.9.
Viduæ Sereptanæ Hospitalitas. 4.6.
Virginem beatam suscepisse aiunt sacrã vnctionem. 20. 47. Quam stricta ferebatur deuotione in eam.385.1611.23.
Viuendi ratio Cam. post conuersionem. 47. 1575.6.Visitatio domorũ quam frequenter fiebat à Fundatore.268.1606.1.2. Viã quã caperet ignorans, facto Crucis signo stimulabat equum.1606.35.36. Videtur post obitum à multis.474.1614.86. qua instantia Cam. quis cupit videre. 454.37. suscipit Diuinissimum Viaticum. 458.48. & sacram Vnctionem.459.49.Vinũ adaugetur in dolio.403.10.1612.Viarum grassator deflet sua crimina.373.42.1610.modus visendi ægros. 478.100.1614.
Visitatio Apostolica tẽpore fundationis. 325 1608. 24. Visitat Prouinciam Insubriæ. 337.54.
Viterbij efformatur Conuentus.251.1603.1
F. Vincentius Falcus fit incolumis. 207.56.
Principium vlceris in tibia. 39. 1570.4. eius forma.321.1608.14.vltimas mortis horas in quo terat Cam. 466.1614.68.
Votum emittit Religionis. 39.1570.5. eius voluntas sumendi famulatum tempore pestis. 62. 1582. 17. Voluntatum discrepantia erga habitationẽ in Hospitijs. 192. 1595. 2. Vocatus à magno Prælato prius explet Cam. pietatis opus, quam ad eum accedat. 256.1604.6.
Vox ignota illum auertit ab indirecto calle. 280.1606.32.
Vocati nostri ab adolescente ire ad moribũdum, eò ducti, ducens repente disparuit. 253.1603.5.
Vtitur varijs linguarum generibus, vt audiatur ab ęgris.1604.25.
Inter vulnera dulcissimi Iesu mergitur dum orat. 382.1611.14.

X

Aliqua notantur erga Xenodochium Incurabilium.482.1614. vide plura in eo titulo.

Z

Quo zelo, & labore, ac dexteritate reformet adhuc laicus Cam. ministeria infirmorum.
Explent Indices.

ANNALIVM RELIGIONIS CLERICORVM REGVLARIVM INFIRMIS MINISTRANTIVM

PRAELVDIA.

SEnescente iam Mundo, hoc nostro sæculo, & ætate; principium habuit Religio Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis à seruo Dei CAMILLO de LELLIS eius primo Parente, Auctore, Institutore, Fundatore, ac Prouidentissimo Generali; cui egregiè Dauidicum Vaticinium consonat, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. Mira siquidem pro ægrotantium salute, animęque, corporisque, atque pauperum beneficentia fecit, tulit, dixit, perpessus est: multas item insectantium calumnias æquanimiter tolerauit, sudauit (vt Lyricus canit) & alsit, instanter Deum orauit, ingentesq; profudit lacrymas: & quamuis aduersa semper valetudine, validos tamen labores, ærumnas, vigilias, famem, sitim, duram pauperiem, aspera itinera, mari, terraque perpetuo sustinuit, curriculo, vtpote, annorum quadraginta. Tali enim ornatu virtutum decoratus Camillus ad ea disponitur, quæ per ipsum posthac perficere Dominus dignatus est. Hinc itaq; socios aggregauit, Congregationemq; instituit & tandem illam in Religionem erigi obtinuit, Romanorum Pontificum auspicijs: quam illis initijs, per Vrbem ostiatim panem emendicans, pera aluit: ipsamque primitus Romæ, postmodum in pluribus Italiæ, Regnique Siciliæ Amplissimis Ciuitatibus, oratione, ac sudore fundauit, vigilantia rexit, & prouidentia demum propagauit. Suos item religauit Religiosos quarto solemni (præter tria) voto, inseruiendi Infirmis, etiam si dira pestis incesserit. Fuit mirabilis eius ortus, vitæ decursus mirabilior, (spatio tamen vnius lustri adempto, quo militiam professus est) gloriosior denique quasi matutinus Lucifer in morte claruit. Ipse Patriarcha Camillus prece sua det calamo congruentem scribendi stylum, & orationem, mentiq; proximos iuuandi ardorem: de se, suisque, totaq; eius Religione, narrare dum aggredior: verumenimuero, quantum meæ se poterunt, graciles vires erigam. Equidem quot à morte peccati animas euulsit, sanitati quot ægra membra donauit opere, ac industria, quot spiritum exalantes ad Cœlos, vt euolarent, adiuuit, quot abiectos, ac dispersos

Nouissim[a] hora est I[o.] Ep. 1. c. 2. C

Psal. 40.

Exordia i[n] laudē Seru[i] Dei Camil[li] atq; institut[i]

In Poetic[a]

I

collegit, confouitq; quotquot tandem mira patrauit, & quotiens pro fratribus suis morti se obiecit: quis sufficienter, ac dignè hæc, inquam, & alia complura valebit ante mentis oculos legenda proponere? opus enim foret ipsasmet Vrbis Romanæ cryptas, vbi ægri latitabant more animantium, formam pallidæ mortis præseferentes, stabula, carcerum squallores, hospitia, atque sordida alia loca, in quibus delitescebant, visu non caruisse, nec sermone: vel tandem aliquando, vt ipsimet egeni, & infirmi iam morte consumpti rediuiui consurgerēt, & prædicarent, quam innumeris beneficijs à Patre Camillo, suisque Religiosis fuerint conferti: sed nequaquam his in latebris, maleque olentibus locis, præter Diuinos oculos, speculatorem alium habuere; Quapropter nihil scire, & in tanto pietatis, Cœlestisque flammæ subiecto me caligare libere profiteor.

Auctor in multis excusari desiderat.

Non equidem huiusmodi Annales cum pompa dicendi, & Rhetoricis ornamentis, fucatisque mente spectandi traduntur, vel apparatu superfluo: cum hæc simplicē dedeceant Historiā, & à me penitus ignorentur; sed rudi quasi minerua (vt dicitur) memoriæ prodibunt; & ita cunctis mediocriter eruditis innotescent, quæ per singulos annos, in nostro Religionis corpore, digna memoratu, gesta sunt ea nimirum, quæ potuerunt ad meas aures peruadere. Non solum enim quod laudem redolet; verum etiam quod despicabile est, in medium afferam: idcirco fit, vt honestum plenis velis sectemur, turpe vero deuitemus: siue potius vt in ambobus Dei sapientia, & bonitas præclare rutilet, quæ nouit de lapidibus filios Abraham suscitare, & contemptibilia mundi eligere, vt fortia quæq; confundat. Illa siquidem me ratio ad hoc onus ferendum compulit: ne tot rerum, atque Religiosorum memoria, virtute, ac potissimum pietate illustrium, obliteraretur: quandoquidem Saluator omnium in Euangelio suo tradidit, pręcipitque fragmenta colligenda, ne pereant. Quod vero nunc remisse, ac negligenter fortasse excuditur; alteri posthac præcellenti ingenio materiam præparabit, affabre relinquendi monumentum. Profecto quisquis isti se industriæ accinxisset, fama maioris applausus circumferretur. Nō propterea audacter contēdi turpiter à me abicere onus, sed malui (sic decet) obsequi. Illud quoque animaduertendum est: me nonnulla transponere, vitæque cursus aliquot Patrum tempore receptionis ipsorum describere, vel obitus die, seu alibi: id totum fit exigente sic temporum opportunitate, vel dicendorum arrepta occasione: atq; ne Lectoris mens defatigetur super re vna, plura quærendo loca, inaniterq; tempus ne conteratur in reuoluendis chartulis, numerosq; deposcēdo. Licet .n. cō plures, quorum gesta hic memorātur, forte nulla ediderint miracula: quid maius, aut præstantius ipsomet opere pietatis? propter quod, & in quo vitam gloriosa morte terminarunt. Non miracula muneraturus profecto veniet Dominus, sed opera misericordiæ, Euangelista proclamante, Infirmus fui, & visitastis me. Demum distinguntur, & compaginantur hi Annales modo infrascripto. Primus Tomus prodit tamquam ex vtero infans, hoc est exorditur à natalibus institutoris nostræ Religionis: sequendo per eiusdem gesta, variosque euentus: per se, vel reductiuè ad eam spectantes, iuxta temporum, rerumque exigentiam, ad vsque exitum Fundatoris à temporanea vita: & in his circumagitur harum lucubrationum Periodus. In calce vero quædam annotantur Patris nostri peculiares virtutes: quoniam vero designatum tempus non habent; cum, toto suæ conuersionis æuo vsq; ad lethum, eas attento corde excoluerit: idcirco (inquā) per vltimos pręsentis Tomi annos exporguntur; & ita lectio facilior sustinebitur, & admittetur; perinde ac cibus, qui non simul, sed per bolos suauius manditur, ac de-

Luc. 3.
1. Cor. 1.

Io. 6.

Matth. 25.

gludi

gluditur ſalubrius. Subſequens autē Tomus (Deo duce) annos digeret: non.n. præfinitè illos hic numero, vel indico: quia morbus, & mors omnibus inſidiatur.

3 Quæ enim proprijs oculis vidi, hiſce auribus audiui à viris probatæ fidei, & ex proceſſibus vitæ Patris Noſtri Camilli pluribus in locis fabricatis congeſſi, atque nominatim ex volumine quod inſcribitur, Vita Patris Camilli de Lellis, à Patre Sanctio Cicatelli, olim eiuſdem Religionis Generali edito, quod decerpſi: deniq; q̄cq̄d à quodā libello manuſcripto Patris Franciſci Corradi Sacerdotis, viri in noſtra Religione eximiæ virtutis delegi: hæc ipſa poſteritati fideliter reſtituo; Quandoquidem turpitudinem mendacij, & notam incurrerem infidelitatis, ſi minus vera profitear, vel certa ſileam. Illud equidem citra dubium affirmo, eſſe ampliora, quæ ſubſilentio velata teguntur; quam ea, quæ exerantur: quippe ipſe Camillus, totaque Religio, cum mortalium oculi grauiori ſomno preſſi iacerēt, præclara facinora operati ſunt, & ex inſtituto perpetuo peragunt. Sit igitur pro conſtituta materia (ſi fari ita licet) Camillum lapidem fuiſſe, ſupra quem in Eccleſia Dei erectum eſt ædificium ſeruiendi infirmis quouis morbo, peſte etiam correptis: ne dum in corporalibus miniſterijs; potiſſimum vero in ſpiritualibus: nouo ſane modo, ſollemni ſiquidem voto. In hoc enim inſtituto (vt conſideranti patet) vtraque Mariæ ſcilicet, & Martæ Sororis permixta exercitia mirificè coruſcant. Quæ via compendioſa profecto eſt; nec multis ſentibus præpedita, immo expedita; facile ad cœleſtia ducens. Ex hoc ſit tibi conſpicuum; eo quoniam Redēptor propinanti ſuis pauperibus aquæ frigidæ potum, æternam munificentiſſimē ſpondet retributionem.

Vnde deducantur, quæ narrāda exhibentur.

Marc. 9.

4 Nec deſunt ſuper hoc egregia facta, & pene innumera exemplaria. Recole celeberrimum Diuinæ dilectionis ſignum Sanctiſſimo Turonenſis Eccleſiæ Antiſtiti Martino exibitum; qui mane in conſpectu Solis, & coæqualium militum, cū algente paupere chlamydem in integrum partiuerat; ſuccedente vero nocte Chriſtum ſeruatorem vidiſſe, fert hiſtoria, hac ipſa veſte circumſeptū, ſecūque ita alloquentem (Martinus adhuc Cathecumenus hac me veſte contexit) quid Regium magis, ac Beatius pro modica lana frigeſcenti inopi impertita Chriſtum Dominum intueri; & amanter loquentem audire: quamuis Fonte Baptiſmatis adhuc non eſſet renatus: quod enim ſuo nomine erogatum fuit mendico, ſibi datum imputauit Dominus. Et in Martyrologio Romano V. Cal. Nouemb. ſummis laudibus pietas Cyrilli ſuſtollitur; qui Romæ inuictiſſimæ Virgini, ac Martyri Anaſtaſiæ parum aquæ in refocillationem ſuppeditauit: ipſe denique ob tantę beneficentiæ mercedem, Coronam pariter Martyrij nactus eſt. Si pretio tam eximio, liquidi elementi ſubminiſtratio; & dimidij pallij erogatio rependitur à Domino: quanto munificentiorem futurum eſſe credendum; ſi egenti maiora præſtentur; & in neceſſitatem morbi redacto beneficia conferantur celſiora!

D. Martini Epiſc. pietas apprimè illuſtris.

D. Cyrillus aquę potum dans, martyrio dignus inuenitur.

5 Num ne memorandum, & omnibus ſæculis extollendum eſt vſque ad ſidera egregium Diui Gallicani Martyris factum? qui patritiæ nobilitatis, ac conſulatus Eminentiſſimi honoris, & glorioſi triumphi pompæ oblitus, ad Chriſti fidem cucurrit (illis omnibus, alijſque dignitatibus iam calcatis, quibus ornatus effulſerat) & tanquā ſupereminentiores concupiſcens, & glorioſiores ſupergredi quæritans coronas Hoſtiam Tyberinam adijt (ſolutis antea ſponſalijs, quæ cum Conſtantia Magni Conſtantini Cæſaris filia inierat, & manumiſſis quinquemille proprijs ſeruis) ibi ſuo ære Amplo efformato Hoſpitali, ægros, leproſos, & hoſpites recipiebat, ſeruiebat proprijs manibus, curabat, tantaque eis charitate, & ala-

D. Gallicanus Mart. infirmorum amātiſſimus ſuſtollitur.

crita-

critate obſequebatur: vt vndique ex toto pene orbe terrarum; e finibus nimirum extremis Imperij ad ipſum confluerent: non quidem, vt Romanam Vrbem, nec ludos gladiatorios, nõ marmorea, aut ſuperba ædificia, ſiue fornices, vel triumphales magnificentias, eloquentiſſimos viros, vel Inuictiſſimos Cæſares ſpectarent; ſed Gallicanũ, qui fauſtos, ſæcularesq; dies peſſumdederat, ſuis oculis intuerentur: non equidem armis, nec toga conſpicuum, non deuicto hoſte ouantem, non diademate coronatum, aut inaurato curru deuectum per vrbem ipsũ ſane contemplabantur; ſed infirmorum, hoſpitum, & leproſorum, dum caligas calceoſque detraheret, manibus, ac pedibus funderet aquam, illoſque ablueret, mundaret à ſordibus, atque abſtergendo deoſcularetur, menſaſque pararet, ciboſq; ſuggereret, & cubilia ſterneret, ulcera medererur, ac ſimilia benignitatis officia dum perageret, cum ſtupore, & non abſque ſingulari compunctione admirabantur. An non conſpicis humilitatis chriſtianæ in hoc ornatiſſimo viro celſitudinem? per hanc enim in pauperes beneficentiam poſt multa patrata miracula, & poſt perſeuerantiam per aliquot luſtra uſque ad ſenectam; quaſi manuductus à tot Coronis fulgentiſſimis caritatis ad martyrium euolauit, euaſitq; inclytus Chriſti Martyr: modo uero glorioſis tropheis rutilat in Cœlis. Erubeſcant igitur, qui nauſeant eiuſmodi loca noſocomiorum uiſere, & infirmis propinquare, ac famulari: quando uir pręcellenti decore fulgens, ac ſenatorio ſanguine ortus, & fortiſsimus Imperator hæc hilariter exhibuit. Profecto sũmæ pietatis monumenta omnibus mundi huius Principibus, totoque Orbi, præclara reliquit.

Hoſpitalitas viduæ Serepranæ cõmẽdatur 3. Regum 17.

6 An non inter ſanctiſsimarum Mulierum cœtum affabre hæc pietas delineatur? dic quęſo; forte non uidua Sereptana prophetam Eliam pauit? & ob miſericordiam obeundam euidenti ſe immiſcuit exitio; vnde certe vera euaſit miſericordiæ proles, obediens ori prophetico. Hinc D. Leo ad eius dirigens oculos, retributionem temporaneam: nouit (inquit) Dominus vaſa hoſpitalis viduæ, in opus pietatis ſuę vacuata complere; quare prophetica promiſsione, immo magis Diuina, nec farina defecit de hydria, neque de lecitho oleum diminutum eſt. Inde quoque ex hoſpite, ideſt, Propheta, extinctum puerum, excitatum ſuſcepit ad vitam, & modo ipſius pietas præclare celebratur, & vndequaque rutilat, atque exemplar eſt vniuerſo orbi: quę ſane primo loco ex aquę potu ortum ſuſcepit; quẽ à vidua principio quæſiuerat Propheta, ipſa uero quam libenter (ut Regnorum narrat hiſtoria) cunctis poſthabitis ad deferendam iuit lympham properanter: verum ad altiora meritò ex hoc modico euocata eſt.

Pia Sunamitis celebratur propter eãdem eleemoſynam. 4. Reg. 4. & 8.

7 Haud inferioris eſt conſiderationis, & admirationis, quod Eliſei obuenit temporibus; quando in domum Sunamitidis declinabat, apud quam frugaliter hoſpitabatur, & ob eius beneficentię meritũ datus ei eſt filius, cũ eſſet ſterilis, Prophetãte Eliſeo: qui etiam demortuus, quaſi rurſum conceptus, ex mortuis ab eodem reuocatus eſt Propheta ad reſpirandam hanc auram. Iuſſu quoque ſerui Dei, ob vacuitatem, ingentemque rei frumentarię inopiam, inde in exteras nationes, quoad periret penuria, abſceſsit: neque mulierem, quę alijs benignitatem exerauerat, miſericordia deſeruit; ſed ibi commode uitam protraxit; indeque patriam repetens una cum prole abundantiorem experta eſt clementiam: ei propria rura, fructuſq; perceptos reſtituendos in integrum decreuit Rex. Sed dic oro, vnde tot bona, proſperique euentus pullularunt? aliunde forte quam ab eleemoſyna Sãcto exerata Prophetæ? neutiquam: ſed bene, veluti à fonte, nempe hoſpitalitate emerſerunt, & ex benignitate impenſa.

Præ-

Præterea, vt pene innumeras linquam honeſtiſſimas, ac ſanctiſſimas mulieres, quę hac via benefaciēdi ad altiſſimas ſedes, inter primas cœleſtiū ſpirituū cohortes (relicta mortali veſte) tranſuolarunt poſt Saluatoris aduētum; ſit veluti in tabula pulchre depicta S. Birgitta pijſſima matrona: quę perinde atque oliua frugifera, miſericordiæ oleum in pauperes, ęgroſque effudit. Hæc.n.ipſius domo in hoſpitium conuerſa; ibi ægras, ac varijs longoribus detentas admittebat, quas proprijs lauabat, medebatur, miniſtrabat manibus, & ſudoribus: eas haud propter pauperiem ſpernens, aut infirmitatum infeſtas, & ſordidas qualitates abhorrens, ſed amanter, & indiſcriminatim in lecto reclinabat, gaudens illas ſuis nutrire ſubſtantijs, ſuiſque laboribus miniſteria præbere: vnde iure merito pene innumeris, & abditiſſimis tum à Domino, cum etiam ab eius puriſſima Genitrice reuelationibus effecta eſt digna.

D. Birgittæ charitas eximia ægris impenſa.

9 Ecquid à mortis caligine reuocauit ad lucem ſolis iſtius Tabitham? eleemoſynæ, quas viduæ oſtendebant, manibus palpando veſtes, quibus à pia contectę fuerant Tabitha. Orante pro ea Petro Apoſtolorum Principe ad obſecrationem earumdem egenarum, erepta eſt repente à corporis interitu. Ecquid Cornelium Centurionem ab animæ crudeliori interitu abſtraxit? eleemoſynæ quidem, dicente ſibi Angelo, Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam, in conſpectu Domini: intellige, orationes aſcendiſſe vi, & impulſu eleemoſynarum.

Act. c. 9.

Act. c. 10.

Ecquid Dei Filiū de Throno Maieſtatis ſuæ, hoc eſt, de ſinu Patris ad Mūdū

10 iſtum inclinare potuit? ſane, vt nos, omni pauperie cumulatos, locupletaret; a ſua tractus immenſa dilectione; caritate perpetua dilexi te, miſerans tui: ecce ſupernæ miſericordiæ immenſitas ad homines omni peccatorum ſorde inuolutos: & mortalis homo eiuſdem ſortis homini, præſtare ſubſidia dedignabitur? Quapropter ſicuti Miſericordia Diuina nos redemit: ita miſerendo, nos ad ipſum Miſericordiarum fontem reducimur. Per eam .n. vniuerſa bona à Cælo in hunc orbem deriuant; ità ſacræ clamant Scripturæ: cum effuderis eſuriēti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenabræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit: quæ ſane verba profundiſſimum important ſenſum, & gaudium miſericordibus nō vulgare: quando etiam Dominus eorum oſſibus præſto eſt; vt liberet à ſordibus. Qui ſplendor eleemoſynæ ſi languentibus exhibetur rutilantior erit, & benigniorem oſtendet benefactorem; Deoque gratiorem. Sic enim D. Leo in hæc verba demonſtrat, in pauperes quoque & diuerſis debilitatibus impeditos, benignior nunc largitas exeratur. Supradicta enim benificentiæ genera inſtituti noſtri profeſſio complectitur: vt legenti infra innoteſcet.

Iſa. c. 58.

Eminet charitas languentibus exhibita.

Ser. 10. de Quadrag.

11 Audiamus quoq. rurſum ſanctiſſimum, & eloquentiſſimum Pontificem Leonem ſerm. 1. de ieiun. 10. menſis: Ad imaginem Dei (inquit) conditus eſt homo: vt imitator ſui eſſet auctoris: & hanc eſſe (ſubdit) noſtri generis dignitatem: ſi in nobis, quaſi in quodam ſpeculo Diuinæ Benignitatis forma reſplendeat; &c. vnde quo magis in benignitate præcellit homo, eò magis ſuo conditori proprior accedit: & quo ab ea amplius ſe elongat, eò immanius crudelioribus ſæuit Tyrannis. Inſuper licet tot attributa numerentur de Deo, nullum velut miſericordia coruſcat. In quadam enim Collecta Mater recitat Eccleſia: Deus cui proprium eſt místereti ſemper, & parcere; ſatius fuiſſet edicere; Deus cui proprium eſt miſereri, at ſuperabbundanter additur, & parcere, eòquod non

Ser. 1. de Ieiun. 10. Menſ.

tantum eſt in largiendo munificentiſſimus; verum quoq; in ignoſcendo largiſſimus. Si igitur hac duplici virtute rutilabit homo, magna vicinitate ſuo choerebit auctori, & mirificentiſſimè eleuabitur ſuper aſtra, cum principibus populi illius: quia nimirum caritate, miſericordiaq; præcelluit. Verum non diſpliceat magnificum, viuacemq; pietatis typum ſubnectere adhuc: eritq; pro dictarum, dicendarumq; rerum ornamento, poſitus ab ipſo Dei Filio cunctis, ad imitandū.

ypus miſe cordiæ Samaritanus. uc. 10.

12 Sit igitur ante oculos humanæ mentis, quaſi ſpeculum, flebilis ille, & omni commiſeratione dignus, Euangelicus homo; quem, tibi perſuade p̄nte, ab Ieruſalem in Iericho deſcendentem, à latronibus inuaſum, appræhenſum, denudatum, vulneratum, & demum pene Iugulatum media in via procumbentem, omni ſubſidio deſtitutum, à Sacerdote prætermiſſum, à Leuita contemptum. Samaritanus autem alienigena hinc procedens, ſpectaculum contemplans, mente conſternatus ſtetit; viſcera ſibi commoueri perſentit (ò beata pietatis viſcera) non digreſſus inde, immo compaſſus, & opitulatus, oleo, vinoq; medicatus eſt: oleum ad liniendum dolorem, & vinum ad ſanandum applicuit: in ſtabulum ſupra iumentum inſidentem, in quo ipſe inſidebat, perduxit: ſuis manibus phaleras beſtiæ pedeſtris regens, ſoluit prætium ſtabulario liberaliter, magnanimiter ſpopondit, amplius ſi ſuperorgauerit ſe penitus poſtridie Cauponi ſoluturum.

ropoſita Samaritani ſimilitudo Camillo, ſuiſq; ongruit.

13 An non Samaritanus, Camillum indicat, ſuamq; Religionem? (vt ad propoſitum me reducam) quæ ægro in anima vulnerato quamplurimis criminibus, & in corpore vrgentibus angoribus, ac infirmitatis iaculis ſauciato totis viſceribus opitulatur. Diuertit Camillus, veluti Samaritanus Cæleſtis ad Noſocomia, & ad alia infirmorum loca; non inde profectus eſt, ſed omnimodam aſſiduo curam amanter impendit; At quoniam eius laborem ægris impenſum cum vitæ ſuæ termino clauſum iri noſcebat: vt tale miniſterium perpetuo conſtabiliretur, Religionem fieri adinueſtigauit (bonorum omnium auctore inſpirante, ac ſecūdante Deo O. M.) quam ad perfectum vſque protraxit. Ille Samaritanus duos ſtabulario exhibuit denarios: Religio vero noſtra Sacramenta conferendo, paſcuum verbi Dei ſuggerendo, moribundis oratione, ſpiritali lectione, ac hortamentis opem ferendo, in ſpe diuinæ bonitatis ſpiritum roborando, vnum denarium impertit; corpori etiam quamplura beneficentiæ dona ſugerendo, pauperibus quaſi alterum denarium erogat. Samaritanus vndequaque ſanguine madentem ægrum, omnique indumento, ac adiumento denudatum contuens, manu, medicamine, pecunia, veſtibus, ſubleuauit. Camillus plurima, quæ Infirmi ſentiebant in anima, artubuſque corporis incommoda, vt propelleret adhibuit omne ſtudium, operam, omnemque conatum, pecuniam, diuturnos labores, vigilias, pericula etiam mortis non ſemel, ſed ſæpe percurrit.

Vulneratus ægrotorū in hoſpitale degentiū, & extra, fortunā deſignat.

14 Ceterum quis ambigit per hominem iſtum dilaniatum pauperum ægrotorum in Hoſpitali degentium, & extra miſerandam fortunam deſignari? Samaritanum Religionis noſtræ figuram portare dictum eſt ſupra. Maxime enim vrgebat his perſonis aliquod adhibere ſolamen, ac iuuamen, & plurima ab eis remouere incommoda; tam exteriorem hominem, quam animam lædentia. Quandoquidem multa aduerſa à Patre noſtro Camillo; ſuiſque Religioſis in Noſocomijs, ac in alijs peculiarium domorum locis viſa mala, atque animaduerſa ſunt, ex quibus in cōmodis, & non leuibus, aliqua, me narrando, vos audire nō diſpliceat. Itaq; in Xenodochijs; vt ab eis exordiar, erga Sacramentorum adminiſtrationem maxima pauperes ſentiebant detrimenta: etenim cum hi loci corporeę

saluti sint noxij; Sacerdotes magno labore quæsiti Sacramentorum Collationi dabant operam;plerique illiterati,lepram a lepra discernere: idest peccatorum grauedines, ac species, & circumstantias distinguere ignorantes: & nihilominus ad hoc onus impellente necessitate intrudebantur; nonnunq̃ etiam delinquentes, vel damnati in Hospitalibus ægris inseruiebant. Quodnam pietatis pectus, aut zelus charitatis in his poterat dominari? Interdum etiam apostatæ Religionum, ignoti tamen,se intermittebant ægris Sacramenta ministrando,inualidantes potissimum summæ necessitatis, post naufragium, pœnitentiæ Sacramentum,id specialiter contingebat, cum grauior morbus, aut lues in Hospitalibus sæuiret.

Defectus ministrorũ idoneorum in cõferẽdo Sacramentum Pœnitentiæ

15 Occurrebat item plerũq;sine præuio suorum facinorum examine,febrium frigoribus, vel caloribus correptos ægros auscultari in cõfessione,absque necessaria dispositione; sic demum spiritualibus his auxilijs destituti,morti occumbebant.Vigilias nocturnas,diurnasq; minime peragebant, & in periculosissimo, ac nimium formidabili mortis conflictu, orationibus, ac spiritualibus hortamentis, qui illis oppitularẽtur,ac in Domino roborarent,nulli aderant;cum sane experimento compertum sit; aliquot infirmos, ob timorem, aut verecundiam,delapsis pluribus annis, & si adiicerem lustris, vel decemnijs,a veritatis tramite non deflecterem, integre non fuisse confessos;ex assistentia tamen patruum,& cohortatione, quod insipienter iampridem omiserant peccatum in confessione ab eisdem,in eo articulo detectum est. His autem personis Euangelistæ dictum congruit; hominem non habere; vt mittat eos in piscinam; hoc est in peccatorum inducat pænitudinem, & lacrymarum balneum. Hæc,& his similia incommoda, vbi patres incolatum habent in Hospitijs obliterata sunt, vbi vero assuetis visitationibus supplent, magna ex parte cautum est.

Inexcubãc supra moribundosque incuria.

Io. 5.

16 Quot sanctissimo Viatico priuabantur?profecto non pauci; & quam irreuerenter circum Hospitale ducebatur?præcedente cum cereis, vno, vel duobus tantum famulis; modo vero multis luminibus, & magno decore defertur; quis parua aqua Purificationẽ post susceptum Sacramentum, ne irreuerenter sumeretur, ac tractaretur,suppeditabat? vel nemo,vel aliquis ex ministris,quamnegligenter; id exequebatur;cum huiusmodi homines ęgroti intra Hospitale,plerũque ex infima plebe, & ignauissimi sint;vnde ratio,necessitasq; postulat, vt omnibus ad animam spectantibus instruantur. Nonunquam enim sanctissimam Hostiam expuere obseruatum est, digitoq; vel linteo extrahere, siue magna cum irreuerentia, atque ignauia manibus contrectare (vt alibi insinuaui). Contigit etiam superueniente tussi, seu stomachi mala affectione cum alijs excrementis, & bile euomi sacratissimam Hostiam; his incommodis, vbi intersunt nostri, prouidetur priusquam eueniant; fitque à patribus, hæ personæ ne communicent; vel fortuitus si casus occurrit euestigio eleuatur Sacramentum, & decenter consumptis speciebus in Sacrario locantur. Patri nostro Camillo euenit, Infirmum post susceptum Sacramentum,illud per vomitum mox reddidisse; seruus Dei extensis, iunctisque palmis, intra eosdem vna cum alijs emissis prauis humoribus Venerabile Sacramentum suscepit, constituitque decenti in loco.

Purificationem danc ęgris post sceptũ Augustissimũ Viaticum,quã grauis Ministrorum negligentia.

17 Et ne superflua videar congeminare. Multi absque extremæ vnctionis Sacramento vitam finierunt. Si tanta negligentiæ, ac dementiæ vis (vt ita loquar) ministros in necessitatis Sacramenta conferendo, cepit; multo amplius in hoc Sacramento negligebant: quod quidem eximię bonitatis viros expostulat: & sanè qualibet noctis hora paratos ad illud conferendum: cum accidentia, &

Administrãdo Vnctionis Extremæ Sacramenti sollicitudo ac vigilantia quæritur.

peri-

pericula lethi in horas, atq; in momenta inibi concurrant. Etsi adhibita omni vigilantia, & cautione à Patruum manibus, nonnulli ægri, absque eo decedunt: quid mali adiecta vecordia subsequuturum?

18 Quamuis enim huiusmodi exeuntium è vita Sacramentum non sit, absolutè loquendo, ad salutem adipiscendam simpliciter necessarium; attamen quandoque necessarium esse (per accidens tamen) fateri oportet: nam eiusmodi personę plerumque graui morbo captæ, non satis sufficienterque confessi sunt: cum vero in extremis suspiriis anhelant (fit enim non raro eo tempore ardétiam febris mitescere) euadere tum quandoque sui perfecte compotes: & accedente saltem attritione; calore, seu virtute huius Sacramenti, gratia potiuntur; indeque perenni Beatitudine perfruuntur. Tantum quidem interest ægros inopes huius Sacramenti fieri participes. Sed audi quæso verba libenter iuris prudentiæ Doctoris Nauar. fieri potest, vt aliquis moriens absque hoc Sacramento (subaudi Oleũ Sanctũ) damnetur, & vnctus eo saluetur, rationem assignat, quia, vel non confessus est; vel non cum sufficienti attritione: & postea superuenit attritio, quæ licet de se non sufficiat ad remissionem; Sacramenti tamen calore sufficeret (vnde concludens ait) quare magnæ curæ nobis huius Sacramenti susceptio esse debet: vt morientes Beati semper viuamus: hucusque Nauar.

Indirectè necessaria iam dicta Sacra Vnctio.

In Man. Nauarr. cap. 22. nu. 12.

19 Sed quid dicendum, aut quomodo procedendum cum eo personarum genere (scire multi desiderant) quod prorsus corporis sensum amiserit: attamen intra viscera remanserit anima, quæ solum per vitalem motum, seu spirationem ostẽditur. Etenim se offert interdum occasio ex accidentibus repentinis suborta; quibus hominis vita subiacet in dies, immo in momenta, ad Hospitia, vel extra aliquem infirmum sensibus destitutum perduci: itaut nullatenus signa contritionis, vel attritionis exhibuerit cõfessario, neque per testes (Sacramentũ vnctionis citra dubiũ; dum non constat, ægrum in peccato mortali permanere, conferendum est) num illi sit à Sacerdote Sacramentalis absolutio impendenda? Et quãuis in varias, atque contrarias sententias ferantur Doctores: in dubijs vero fauendum est reo: idcirco particeps fieri debet huiusmodi infirmus Sacramenti pœnitentiæ, & impertienda absolutio sub conditione; si capax es, ego te absoluo, vel retenta conditione in mente: hoc enim modo nulla Sacramento iniuria infertur: insuper in necessarijs ad salutem tutior pars est eligenda: cum non constet ęgrum in statu peccati mortalis existere, saltem attritus putatur; & aliquod signum contritionis, seu attritionis prodidisse, piè existimandum est. Ita docet præter ceteros Antonius de Litteratis in Summa Sacramentorum Parte 1. cap. 35. nu. 7. ita Pater Salmeron cum multis ex RR PP. Iesuitis: & P. Lupus. Sic docet Praxis Clementis Octaui, cum quodam, à culmine Basilice D. Petri, ruente; quem absoluit sub hac forma; si capax es, ego te absoluo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quamuis nullum ostendisset contritionis, vel attritionis signum. Hoc exemplum satis esse puto, ad quælibet flectenda ingenia; sed hoc relicto, reddamus ad incœpta.

Num absoluendus, qui nulla perhibuit Sacerdoti in repẽtino mortis articulo, signa.

20 Infirmi in extremis animam agitantes totis diebus, ac noctibus, soli lamentabantur; nec aderat (vt alibi dictum est) qui illos in tantis depręhensos calamitatum temporibus consolarentur; Et cum dęmones infestissimi coaceruatim, tunc tẽporis, insidias tendunt, & laqueos multiplices: pro ęgro, qui Dominũ oraret nullus assistebat, quandoquidem indubitatum est illud dici, & esse momentũ vnde pendet pœnarum, vel gaudiorum æternitas. Tum enim præcidi lignum, necesse est, vt cadat (sic Sapiens loquitur) siue ad Austrum diuinæ gratiæ, siue

Omnibus formidabilis supma mortis hora.

ad

ad Aquilonem æternæ indignationis: & nemo eo in articulo tutus eſſe ſibi promittit, cum neſciat, an odio, vel amore dignus inueniatur: quando etiam contremuere, & concuſſi quodammodo vacillarunt, etiam firmiſſimi montes, nimirum maximæ pœnitentiæ ſanctiſſimi viri; & ſi Iuſtus (ait Petrus Apoſtolorum Princeps) vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Quanto amplius, inquam, ſuperabundat inuidorum ſpirituum iniquitas, & morientis peccatorum ſarcina grauat; eo magis aſſiſtentium innocentia, & vitæ integritas, eo tempore deberet rutilare, atque perſeueranter Dominum deprecari; vt hoſtium audaciſſimam veſaniam retundatur. Hac enim de cauſa, potiſſimum credo, nos Dominum Crucis vexillo circũuallatos ſignaſſe; vt nimirum illo viſo inferni rabies tunderetur, & deluſa aufugeret, ac furens, & fremens depelleretur.

Eccl. 11.

Omnibus formidabilis extrema mortis hora.

1. Petr. c. 4.

21 Animaduerte in eo quoq; ſupremo vitæ ſpiramine, multos ægros propter aſſiſtentiam Patrum, illis neceſſaria ſalutis ſuadentium, Sacerdotem, qui eorum auſcultaret confeſſionem, petiuiſſe (vt alias inſinuaui) & ſuffulti pœnitentiæ Sacramento dormierunt in Domino. Referam ſingulare, quod mihi contigit exẽplum, dum Neapoli in Hoſpitio Incurabilium diuerſarer. Nam intempeſta nocte, ex noſtris Pater, qui prope moribundum orabat, ab infirmo per vocum interualla quãdifficulter percepit, velle Confeſſarium; qui me expergefecit: ad eum cum properaſſem, magno cum labore comprehendi (quia admodum à pituita angebatur) per quadraginta annorum ſpatium, quoddam turpe, & inhoneſtum, in Sacramentalibus omiſiſſe Confeſſionibus delictum: cui facta per capita Præceptorum Dei, & Eccleſiæ confeſſione, ſtatim expirauit; ſigna interni doloris præſe ferens. Exempla ſortis eiuſdem ſunt penè innumera; nam frequenter euenit, noſtros Sacerdotes in Hoſpitali commorantes, ſub maius noctis ſilentium ſuſcitatos properare: vt auſcultent alicuius moribundi confeſſionem, vel Sacramentum impendant Extremę Vnctionis, vel Sanctiſſimum diſtribuant Viaticum: quod ferme vbique locorum, in aliquo Hoſpitalis ſacello, laudabiliter aſſeruatur; ne ob eius carentiam, abſque ea Cæleſti refectione, quis ægrotorum decedat. Summa plerumq; Dei clementia mirabiliter ſuam impertitur his miſerandis hominibus, maximè in extremis laborantibus, miſericordiam. Qui .n. iſti pietatis operi ſe addicunt, potiſſimum incumbant, vt digne ab ęgro ſuſcipiantur Sacramenta, & ad conferenda, ne hora protrahatur; quia non raro nos decipiunt ægritudines, tempus ſpondentes, cum repentina mors nullum poſtea concedat: ita experientia complures noſtros edocuit, & tarditas feſellit.

Exemplum vnius, qui in extremis cõfeſſus eſt, q antea omiſerat peccatũ valde turpe.

Laudabiliſſimum intra Hoſpitia aſſeruari venerabilem Euchariſtiam

22 Et profecto cum ſint hæ perſonæ ex diuturnis morbis, doloribus, ac vlceribus, arctuumq; contractione, ac febribus, quaſi conſumpti, & per multorum interſtitium annorum, quaſi igne Purgatorij aduſti, ac probati, parentibus deſtituti; nam pater interdum, mater, vxor, & quilibet ex conſanguineis, ac neceſſarijs, in his Hoſpitalium locis, veluti cadauera eos ſepeliunt; quorum omninò obliuiſcuntur. Deus autem ipſorum non obliuiſcitur, ſed prodiga commiſerationis manu ad ſui cognitionem, ac dilectionem perſepæ trahit: non enim cum his tantum hominibus iam fonte Baptiſmatis renatis, ſed etiam cum infidelibus euidentiora ſuæ immenſæ bonitatis ſigna demonſtrat, & ſui amoris, ac timoris iacula immittit; ad hæc nobiliſſima opera Patribus tanquam inſtrumento vtendo; etenim ex his multi, tum etiam hęretici, itidem à fide apoſtatæ vndecima hora, nimirum in limine mortis reconciliati ſunt, falſa dogmata deteſtati, & anteactam vitam execrantes, orthodoxam complexi ſunt fidem; huiuſmodi caſus quamuis plurimi enumerari poſſent, qui in dies obſeruantur, tres tantum, ſi non

Plures in Noſocomijs miſerandi in facinoribus infirmi reuocãtur ad pœnitentiam

diſplicet, ad exemplum referam. Vnum à quodam ex noſtris fratribus, qui ad huc ſuperſtes eſt, Religioſo alioqui eximiæ beneficentiæ erga pauperes ægros in Hoſpitali, vt accepi, prodam; alterum, me præſente, contigit; tertium infra intelligetis.

Turcę mirabilis conuerſio.

Anno Domini 1632. Menſe Auguſti Neapoli in Sanctiſſimæ Annuntiatæ Noſocomio; Mancipium germani fratris Excellentiſſimi Domini Principis a Monte Mileto; ardentiſſima febre correptum detinebatur: licet illud inſtanter noſtri, & complures alij Religioſi ſuaderent; vt nefaria Maumethi dogmata, ac peſtilentem ſectam, quam profitebatur, deteſtaretur: hortamentis, rationibus, & blanditijs, Patres ſuperaddebant etiam orationes non exiguas, ſed lõgas, & feruentes, quæ his in euentis plurimum adiuuant: attamen mentem in ſua perfidia Turca ſilice duriorem obfirmauerat: ceterum poſt multas preces, & valida argumenta deuictus Turca Patribus aſſentitus eſt; petiuitq; baptizari, ac proinde fidei rudimentis imbuebatur: & cum ingraueſceret febris; Iterum inſtitit velle Baptiſmum ſuſcipere: ſed re vera hac vice (fortè ipſum eiuſdem ſectę ſibi collega dehortatus eſt) non ſanè venerabile deluſiſſe Sacramẽtum oſtẽdit: ſed ſemetipſum, quare accedente Sacerdote, renuit aqua baptiſmali ablui: nec quiſpiam tum valuit ei contrarium perſuadere; itaq; inopinato rubore Sacerdos Sacramenti Miniſter, & cũ mœrore ob illius perfidiã, & magis ob animæ iacturã, ſeceſſit; verumtamen ab eo non incompræhenſibilis Dei ſummi bonitas, & beneficentia longe elapſa eſt, nec à Patribus pietas, illum vt antea ſuadentibus. Interim acrius dominata eſt febris, adeo ut Turca ſe à Thoro nequiret, ad corporis neceſſaria obeunda, erigere: quocirca in quoddam ſuraminoſum cubile ductus eſt, & in aliud quoque eiuſdem Hoſpitalis diuerſorium, vbi grauiores ægri decumbunt; adhuc enim ipſe tenaciter in ſua infidelitate perſeuerabat, oculis, & ore, ac nutibus Patrum cohortationibus aſſentiri deteſtans; ſed quid vltra immoror? prima noctis cuſtodia præfatus accurrit frater, vt ipſum reliquoſq; grauiores infirmos viſeret, quem adinuenit lumborũ tenus eſſe ſupra lectũ, reliqum vero corporis cecidiſſe deorſum, caput, & faciem viſus eſt, habens telluri hærentia, manibus verò terram reptans, cui innitebatur, more belluarum, vel vecordium: parum aberat, quominus toto corpore præceps caderet de lecto, & ſuo caſu corpus priuaretur anima, & animam ignis tartareus haberet; ita ab eodem fratre noſtro inſpectus, eleuatus repente eſt ſupra cubile; iterumque illi ab eo perſuaſum eſt, ſi nollet ſibi æternaliter obeſſe, horam iam inſtare idoneam ſuſcipiendi Baptiſma, regnumq; adipiſcendi Cælorum. Verum, ò inſcrutabilis Dei patientia, ac bonitas, & longanimitas: qui prius tot irrefragabilibus rationibus ab eruditiſſimis habitis Religioſis nequiuit à ſuo nefario dimoueri propoſito; nunc vero, ex lupo verſus in agnum, ſimplici huius fratris ſermone baptizari firmo corde quæſiuit: illico ex noſtris Sacerdos acceſſit; quia nox incumbebat, & vltima infirmi hora imminebat: ſatis pie Baptiſmatis Sacramentum ſuſcepit ab eo; quid inde? poſt collatũ Sacramentũ, infidelis iam tunc fidelis effectus, ac principalioribus myſterijs, ad Religionem noſtram ſpectantibus imbutus, vt quieſceret relictus eſt: mane vero ſub diei ortum redijt idem frater. Iacebat enim ſenex quidam æger prope recenter baptizati cubile, hic inſtanter expoſtulauit ab eodem noſtro fratre auſcultari; quandoquidem totam noctem duxerat inſomnem, ob mira, quæ ſuis oculis viderat, narrauitque triumphale bellum inſpexiſſe: namque proximum cubili, propeque puluinar ægri iam baptizati ſub noctem inhæſiſſe ſpectauit quemdam aſtantem ſtrenuiſſimum Militem, ſub for-

ma

ma pulcherrimi adolescentis, micantem oculis, totoque vultu splendidum, manibus ensem circumducentem aduersus quosdam teterrimos, fœdissimosque tartareos hostes, qui vehementer infirmum, vnguibus, & minis, horrendoque ore recentem Christi Militem baptizatum dilaniare, & ab Angelicis manibus eripere, conabantur. Sed Angelica custodia ad finem vsque noctis strenue dimicans, denique vicit; Cælestẽ vero militẽ asserentem, audiuit senex: Non est amplius vestra huius infirmi anima, nullumq; in ea vobis reliquum est ius; quia baptizatus Cælesti gratia iam dignus euasit; illi contra sibi obnoxiam esse contendebant, ob innumera facinora, & sectam, cui tamdiu subiecerat; demum triumphans inter Angelicas manus feliciter expirauit, eximia cum protegentis Angeli lætitia. Putandum est, pieque credendum eius custodiæ Angelum fuisse, qui potissimnm iu mortis agone nos tuetur, pro nobis prælia sumendo aduersus spiritales nequitias: quantum ei debeamus hinc intelligere poterimus, & quas gratiarum actiones illi referre teneamur. His sane in locis Hospitalium iam matura messis colligitur, & frumentum paruo labore intra Dominica horrea collocatur, absque ferarum amplius, vel hostium incursione, aut aliqua alia trepidatione.

Reuersus ad fidem ab Angelica custodia protegitur in mortis extremo.

24 Alterum in Hospitali Sancti Iacobi Hispanorũ Neapoli contigit anno 1617. Ob sæuam enim tempestatem, quædam Turcarum triremes in oris marium Regni Neapolis naufragarunt; eamdem in Vrbem quamplurimi Turcæ perducti sunt, quorum alij ægrotarunt, & in Hospitale iam præfatum vecti sunt; vnus vero ad interitum decurrit, at quoniam (quod erat immedicabile) nec Italum, siue aliquod ex nostratibus verbum, sed solum Arabicum percipiebat: quomodo fides nostra suaderetur, ignorabatur: quoniam fides ex auditu. Nunc vero cõpræhendi exempla plus posse, & efficaciora esse, quam verba: accessit quidam ex nostris Patribus; vt ipsius lecti operimenta componeret, gestabat enim Pater manibus Diuinum Officium, illud supra infirmi lectum deposuit, quod Turca suscipiens deosculatus est; protinus Cruci pendentis Domini imago oblata est, eo fiue, vt saltem, quod per auditum ei nequibat communicari, alio sensu, nempe visu, suppleretur; Infidelis repente arripiens Sanctissimum Cruci affixum Dominum perdeuote, ac reuerenter illi oscula fixit, quo facto maximum gaudium, ac stupor omnes astantes arripuit; Maumethi Asseclam ab Oriente vocatũ fuisse, vt recumberet cum Abraham, (nauigauerat enim iste ab Orientali plaga) Isaac, & Iacob in Regno Cælorũ, redactus est demũ ad Sãctæ Romanæ Ecclesiæ gremium, intercedentibus sollemnitatibus, ac cæremonijs Ecclesiasticis adhiberi consuetis cum huiusmodi personis. Dirigebat tunc temporis Neapolitanæ Ecclesiæ gubernaeula Eminentissimus Cardinalis Decius Carrafa: præter reliqua quæsitum fuit ab eo, qua ratione ductus ad Christi fidem deuenisset, ob Patrum in Hospitali infirmis exhibitam charitatem, prompte respondit; quod postmodum non sine ingenti cordis lætitia, idem felicis recordationis Eminentissimus Cardinalis persensit, gaudens de hoc instituto adeò egregia prodire facta in tam humilibus Nosocomiorum habitaculis: nouus vero Christi miles, paucorum post decursum dierum vrgente eadem infirmitate, munitus Sanctissimo Viatico, & Oleo Sancto, in sui patrocinium Dominum Iesum, Sanctissimãq; Virginem aduocans, perdeuotè, assistentibus Patribus, decessit. Fermè nemo est, qui in his ægrotat locis, siue inueteratus in malo, seu à fide alienus, quin opera primitus Diuina affluente: vnde omne bonum deriuat, deindè addito labore, ac studio Patrum, satis, sufficienterque dispositus, morte intercipiatur

Similis conuersio alterius Turcę.

ægritudines verò, cruciatus, atq; pauperies patienter lata, bona occasio sunt ad satisfaciendum Diuinæ iustitiæ, propter elapsa mala facinora: atque adeo vt miserentis Domini viscera ad pietatem flectantur, quando legimus, exiguo conceditur miseratio.

Sap. 6.

Aliud non abśimile exemplum.

Par casus, haud inæqualis euentus alij cuidem Turcæ Panormi euenit, qui annorum octoginta decursu in falsi Maumethi nefaria secta veluti sus se inuerserat. Iste ob conuersionem cuiusdam sibi sodalis ad Christi Domini fidem, tanto mœrore correptus est; vt grauiter in lecto æger deiceretur; quapropter ad extremũ vitæ terminum deducitur; hinc nostri ab serui Hero (erat enim in dura seruitute detentus) conuocati sunt, si quid emolumenti illius animæ deferri possent, cum in sua sententia abduratissimus plusquam adamas persisteret: velox ad eum domi nostrę Præfectus perrexit, visitque ægrum, cui verba, morbi vis pene abstulerat, attamen de ipsius æterna egit salute, nonnullaq; vtilia de sacris Scripturis exempla deprompta protulit; qui citra omnem expectationem optimam, ac maturam repente messem deportauit; repentino, mirandoq; modo assentitus est nutibus, & raucedine vocis expressit se velle baptizari; è vestigio conuocatus est Parochus, cui post debitam, iuxta temporis exigentiam, dispositionem, collatum est Baptismi Sacramentum. Quæ causa ad fidem perfidum hominem induxerit, profecto non aliam, nisi quam allegat Psalmista, hæc mutatio dexteræ Excelsi; secundaria verò verborum vis, & orationes illorum Patrum. Demum redeamus ad pristinum; iam aqua Baptismali renatus, dignus itidem effectus est, vt ad eius pręsentiam omnium Redemptor deferretur, sub accidentium Panis velamine, causa siquidem communicandi Diuinissimum Corpus, non autẽ adorandi solummodo; verum ob nimiam pituitam, qua repente abundauit, nequiuit, ea Cęlesti mensa refici, tamen reuerenter adorauit, & præsente Augustissimo Sacramento expirauit; quasi ei Dominus commendationis animæ munus exhibuisset; vt quondam Latro, qui in Cruce coram Redemptore animam exalauit, quando illa suauissima verba ex ore Diuino suscepit, Hodie mecum eris in Paradiso; Sacerdos quidam vir nobilis, eruditissimusq; ac famosissimus Concionator, tum illius Vrbis Generalis Vicarius Bissus nomine, cum hoc relatum à Patribus audisset, hæc protulit, exclamans; Nos vexamur de æterna prædestinatione texere sermones, ac subtiles disputationes interponere; en, quæ merita in hoc infideli præcesserant? quinimmo plurima demerita, qui ob odium fidei ægrotauit; & tamen, ò imperscrutabilis Dei veritas, pertractus est ad baptisma, & prædestinatum esse, pia mens credere flectitur: aliud fari profecto nequaquã fas est, quam illud Apostoli, O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incompræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.

Psalmus 76.

Ad Rom. 11.

Opera spiritualia, quæ exhibet nostra Religio ægrotis.

Itaq; ab Religione nostra ignorantes ęgri (nã de ipsis nunc fit sermo) Dei verbo, ac lege æterna instruũtur; si qui sunt proterui coarguuntur, blasphemis Deum supremum benefactorem benedicere, laudibusq; magnificare suadetur; continẽtia inhonestis; rapacibus abstinere à furtis, vitamq; ducere laborando, ac stipẽ potius quærere, quam ex alieno sibi alienata comparare; & omnibus patientia, ac Sacrãmentorum frequentia indicitur; in spe tentati, vel fide claris rationibus, ac exemplis in Dei promissis firmiter consistere, ac in diuinorum obseruantia præceptorum viriliter stare erudiuntur; pusilli eleuantur; elati, spirituq; superbiæ inflati deprimuntur acri correctione. Et quemadmodum corporalis medicus, iuxta morbi exigentiam, variam, ac salubrem escam dispensat, ita pariter Patres his in locis Hospitalium præsertim, & per domos priuatas Dei verbum

perso-

25

29

perſonis porrigunt, dantque ſpiritualem eſcam infirmis,quibus etiã coram ægris aſtantes participant. Quo circà ſi non fuerint noſtri eruditione præditi, & in Sacris Litteris verſati: vt valeant (ſicuti præcipiunt noſtræ Religionis Apoſtolicæ litteræ) quoſcumque etiam perdifficiles ad conſcientiam ſpectantes caſus explanare, turbatamque infirmi mentem ſedare; neque ſuæ, neque infirmorum conſcientiæ, neque proprio muneri, neque demum ſuæ Religioni ſatisfeciſſe credẽdum eſt,poſita tamen morum integritate, qua remota in illud incurrimus, quod Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, interminatur: ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam,factus ſum velut æs ſonãs, aut cymbalum tinniens. Hinc Pater Camillus, cum de noſtrorum perfectione diſſereret, hæc plerumque verba inculcabat: Infirmorum miniſtros eſſe oporteret,ſcientia, & charitate ardentes Seraphinos, qui ægrotorum pectora, ac circumſtantium Cæleſti flamma accenderent, eorumque mentem ſapientia illuminarent; quibus armis à morientium conſpectu, contrariarum poteſtatum tenebras in fug ãverterent;eoq; modo propellerent, quo ſolares radij nubeculas funditus exterminant: præterea eo quia Religio noſtra ex diametro, & immediate aduerſus dæmonum conatus in ipſo formidabili mortis conflictu, contra nefarios hoſtes præliando;opponitur idcirco illuſtres ſapientia, ac probitate Religioſos deſiderat, vnde clamant Sacræ Paginę: Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

Inſtitutũ noſtrum exquirit viros eruditione, & charitate præclaros.

1. Cor. 13.

Luc. 10.

27 Et ne à propoſita ſimilitudine Medici recedamus, ſi vero Phyſicus conditionem morbi ignorauerit, quando ægrum medendo à praua humorum qualitate expurgabit? quo pacto tempus ſecandi venam, vel pharmaca adhibendi diſponet? Et Chyrurgus profecto, vti ferro,& lenia vnguenta applicare non valebit, ſi peritia artis caruerit: vnde non dubitanter ad interitum miſerabiliter labi infirmum; Patres vero noſtros,cum ſint animarum,præſertim ægrotantium,ſpirituales medici, ſcire neceſſe eſt ſpirituales ægrotorum morbos; qua tentatione quippe à Dæmone impetuntur, exturbanturque, qui laqueos ad ipſos capiendos tendit; vt queant ſana doctrina, & oratione illam tentatoris caliginem ab eis propulſare: ſecus,& miniſtrum ægrotorum, & ęgrum in tenebris iacere certum erit: & cum,extremis temporibus mortis truculentiores, periculoſiores,ac difficiliores,& variæ ſint tempeſtates; quibus Tartareus Hoſtis hominẽ fluctuãtem in corpore ob infirmitatem, & in anima ob prauas anteactæ vitæ actiones exagitat: vnde infeliciter illum mergere, & æternaliter obnititur; idcirco varijs diſciplinarum ornamentis, & virtutum, miniſtros infirmorum opereprętium eſt coruſcare; præſertim ſacra Sapientia, ne forte illud incurrat Dominicũ dogma: Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt.

Luc. 6.

28 Inſuper cum noſtra Religio verſetur etiam in Hoſpitalibus, vbi non pauci cõfluunt, & hæretici, qui in illo ſupremo vitæ limine dignoſcuntur tales, & infideles,& peccatores multis iam luſtris in omni pene facinorum turpitudine,quaſi letargo quodam, ſepulti, qui dormitarunt, (vt ſupra ſignificatum eſt) hi autem non niſi viuis,& efficacibus diſcurſibus,à ſacra Theologia depromptis,& diuinis teſtimonijs profecto conuincuntur,atque ad orthodoxam fidem pertrahuntur;& eorum ſtatus infeliciſſimus non pandetur, niſi catholica illos illuminabit doctrina; eo magis cum Religionis noſtræ ſtatus potiſſimum ſit conſtitutus, in miſericordiæ operibus obeundis ſpiritualibus; non excludendo, immo includendo temporalia benignitatis obſequia,vt Pontificijs diplomatibus cõtinetur: verumtamen animarum curatio,quæ omnem aliam ſupereminet temporaneam opera-

Probatur neceſſitas eruditionis.

Apoſt. Breue Sixt. V.

tionem præcipuus eſt noſtri inſtituti ſcopus, & centrum. Cum autem tot præclariſſimæ Religiones in Dei Eccleſia ſint, quæ non adeo cum proximis communicant; ſtudijs nihilominus Sacrarum Diſciplinarum iure optimo mancipantur: eo plus ſe debet noſtrorum Familia eis addicere, quę maximopere, & indefeſſe auxilio ſpirituali ægrotorum operam nauat; quod onus plus ſe extendit, & plus laboris, ac ſtudij poſtulat, quam credibile eſt, vel penna ſcit exprimere, viriumqua ſpiritualium, roburq; non gracile corporis profectò exquirit ad vigilias obeundas, nocturnas nomintim. Ceterũ proprijs in Eccleſijs, & Oratorijs Sacramentorum adminiſtrationi incumbit; Congregationibus itidem noſtri intendunt ſæcularium perſonarum; Dei verbi itidem pabulum ſubminiſtrãt populis. Hæc ſanè eruditum, & cum intelligentia frugi Religioſum efflagitant.

29

Et D. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum nonne clamat? Sancta quippe ruſticitas ſolum ſibi prodeſt, & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Dei, tanto nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat, &c. quomodo enim reſiſtitur, nonne eruditione? aut vnde animarum interitus aliquando deriuat, nonne ex ignorantia neſciendi ægrotorum ſpiritualibus mederi languoribus? ſi quis enim ex hac mortali vita cũ aliquo vincibiliter errore mortifero decedit, ob miniſtri craſſam ignauiam, neſcientis eius tentationibus occurrere opportune, quod abſit, manet ne vnde amplius corrigatur? nequaquam, cum ſit mox in termino iam diſcutiẽda anima; hinc lugubriter Propheta inuehitur, ideo captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiã; & plane Apoſt. ait: Qui autem ignorat, ignorabitur, illud quoque congruit Saluatoris paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, ex aduerſo legitur, qui docti fuerint, & multos ad iuſtitiam erudierint, fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.

Iſa. 5.
1. Cor. 14.
Tren. 4.
Dan. 12.

30

Nec minuitur quicquam, ex dictis, quantum ſapio exiguitate iudicij mei, ſi in Clementis Papæ VIII. ſuprema noſtræ Religionis Bulla harum facultatum mentio habeatur; humaniores quippe litteras, Logicam, & perfecta Caſuum cõſcientiæ ſtudia poſſideant noſtri; hoc inquam non officit, quandoquidem Pontificia reſcripta, ceteras facultates non vetant; & cum ſimus in fauorabilibus, ampla, & gratioſa facienda eſt extenſio ad reliqua, vtpote diſciplinarum genera: quinimmo illa implicite præcipit, dum aſſerit noſtros perfectè, non autem vulgariter ſcire oportere præmemoratas diſciplinas, ac in eis paratiſſimos eſſe debere qualibet reſoluendo dubia ad conſcientię ſpectantia. Verum per ea quęſo doctrinarum membra iam memorata, parumper diuagetur oratio. Humaniores enim (ideſt pluſquam vulgatæ) litteræ omnem orationis rectum, ornatumque contextum an non deſiderant? vt ipſa nominis notatio indicat, niſi etiam, & forte congruentius loqui velimus; vt quis perfectè ſit in litteris diſertus, rerũ omnium peritia imbutum eſſe conuenit; cum ars benedicendi, res oẽs habeat pro ſui conſtituente materia, quarum ignoratio, etiam ipſarummet humaniorum litterarum abſolutam notitiã excludit; & nonne Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, ſanctiſſimi, eloquentiſſimi, ac ſapientiſſimi Patrts in hoc maximopere dicendi genere floruere? vt prætercam ſcholam Græcorum Doctorum, quorum eloquia melle dulciora legentium animas ſpiritualiter recreant; quibus, illud fabuloſum Orphęi Commentum traxiſſe, nẽpe dulci ſono lapides ſane quodammo Nezianzeno Chryſ. & quãpluribus etiam alijs eloquentiſsimis Patribus quadrare, citra dubium eſt, qui lapidea pectora, cæleſti quadam ſapientia, & aurea dicendi, atque dictandi facundia frangunt, rapiuntque: omitto Gentiles Oratores, nam Romanę eloquentię parens Tullius in Oratione pro Archita Poeta ſic con-

Explicatur quid per humaniores litteras ſubaudatur.

ſue-

ſueto elocutionis torrente fatetur, me autem quid pudeat? qui tot annos ita viuo Iudices, vt ab illis (ideſt humanioribus litteris) nullo me vnquam tempore, aut commodum, aut otium meum abſtraxerit, aut auocarit, aut denique ſomnus retardarit; hinc Græci totum artium liberalium genus humanitatem vocarunt: & vt eiuſdem Tullij noua ſententia vtar, ait enim, neminem eloquentiam non modo ſine dicendi doctriua, ſed ne ſine omni ſapientia florere vnquam, aut præſtare potuiſſe. Quid enim conor è tenebris gentilitatis, veritatis lumen educere; quando ipſe Paulus Electionis vas, ſumma illa, & pluſquam acquiſita eloquentia, ſapientiſſimos ſuperauit Athenienſes, & ad fidei veritatem pertraxit, vt Actorum Liber teſtatur. Demum interrogatus ſapientiſſimus Cardinalis Baronius, quantum hæc ſane vox, humaniores litteræ ſe extendat; illuſtriſſimas (optime ſatisfaciens ait) in ſe claudere diſciplinas. haſue ſcire, ſubdidit, ac profiteri me coram fateor; cum alioqui omni eruditionis, & ſapientiæ ſplendore eminerct.

Lib. 2. de Orat. ciga principias.

cap. 17.

31 Dialectica vero argumentorum vi ſeiungit à falſo verum ſermonem, quę, vt perfecte acquiratur, ſicut præcipiunt litteræ noſtræ Religionis, inuoluit ſcientias naturales, inſuper, & Metaphyſicas: etenim cum agat de ente in communi, quod eſt genus analogum cathegoriarum, de ſecundis intentionibus, de vniuerſale, de ente rationis, quæ profecto ex profeſſo ad Metaphyſicam ſpectant, & plura ad Animaſticum; & cum de ente reali, hoc eſt de Prædicamentis, ediſſerit, ſcieutias item naturales compręhendit; quæ quidem ſi ignorentur ignorari, perfecto modo opus eſt ipſammet Logicam, & cum non habeat cui applicetur demonſtratio, ſuperuacanea foret. Porrò quis adeo mente torpeſcit, vt neſciat ſapientia decoros eſſe huius Religionis Alumnos debere: dum dicitur eſſe oportere noſtros rèſolutiſſimos, ac perfectiſſimos in omni Conſcientiæ Caſu; vt illico infirmorum conſcientiã ſedare quęant, & aliorum, quos obligatione proprij inſtituti frugi viuere inſtituunt; Cum dubia non in vna, aut alia difficultate ſiſtant; ſed quamplures, & pene innumeras, variaſque ſint complectenta materias, ac ſcientias, & non tantum morales, quæ non indigent ſyllogiſmorum acumine, verum & diſcurſiuas, & ſpeculatiuas; maxime cum nõ deficiant callidiſsimo, ac verſipelli hoſti eo in ſupremo vitę articulo acutiſſimas fallacias ſuggerere; vt miſerrimè animas morientium illaqueet; has profecto ambages Sacra Theologia enodat, vna, & aliæ honeſtæ diſciplinæ: quibus eruditos eſſe oportere noſtros, citra dubium eſt: vnde venerabilis quidam, multa prudentia, atque experientia Prælatus in Vrbe Romæ affirmauit: maiorem peritiam neceſſum eſſe habere infirmorum Miniſtrum, quam ipſummet Diabolũ, cum quo altercaturus eſt coram moribundo, vt illum deuincat, & ſpiritus morietis ab ipſius fallaciſſimis, & venenatis iaculis ſeruetur innocuus.

Quid vocabulo Dialecticæ, & Caſus cõſcientię intelligatur.

32 Haud quemquam perturbationis error diuexet, ſi Religio noſtra in his verſetur locis praue olentibus, & ſordido mundi oculo, ſordidis apparentibus; cum Dominus præſentia ſua illa redolentia reddiderit, quando nempe in probaticam Piſcinam deſcendit, vbi languentium, & ægrotorum magna copia ſternabatur; miſerandum ibi illum hominem triginta, & octo annis in lecto doloribus ligatum, atque in ſummã pauperiẽ redactum adinuenit; quãdoq; dẽ nec propinquus, nec familiaris, nec notus, ſeu ignotus illi vnquam adhæſit, qui pia manu ipſum veheret ad Piſcinam, quem ſolus benigniſſimus Dñs, ac Saluator tetigit, ſanauitq; profecto celebriora quæcumque Regia hæc irradiabunt ima loca nouiſſima hora, cum ore proprio Deus, ac omnium Redemptor ſententiam coram

Nõ dedecorat noſtros conuerſatio in ĉtus Hoſpitia

Orbe vniuerſo pandet: Venite benedicti Patris mei poſsidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi, infirmus fui, & viſitaſtis me, in his profecto valetudinarijs maior prudentia, virtus, & ſcientia deſideratur, quam alibi, cum ſint ſemiuarium, ſeu potius ſentina miſerabiliſſimorum hominum, omnium ſpiritualium morborum genere languentium: & miniſtros, aut magiſtros, qui illos erudiant pene nullos videant; propterea hæc noſtra Familia potiſſimum inſtituta eſt: hinc, niſi charitate noſtri præcellant, & varijs diſciplinarum ornamentis, (vt ſæpe repetitū eſt) præſertim Sacra Doctrina præfulgeant, à ſui muneris penſo decidunt.

Matth. 25.

Verum cum ſint hæc Hoſpitalium loca maximè humanarum virium dextructiua; Religio quidem noſtra, ſuos ſummæ expectationis Religioſos in ſe ſuperſtites contiuens, ac confouens, priuſquam ex illis ſuauiſſimos litterarum fructus, cæterarumque virtutum perciperet, vel maligna febre, vel peſtilentia, vel labore tabefactos, conſumptoſque amiſit; Immo potius ad Cælos tranſmiſit; mauult pro fratribus animas ponere, opere viuificæ charitatis, quam voluminibus ſe poſtertati commendare: idcirco non vſque floruiſſe magnis litterarum monumentis mirandum non eſt; quamuis per quælibet temporum interualla, doctiſſimos complexata ſit Religioſos, qui ſermocinatione publica, lectionibus, libris, atque ſcriptis, & ſeipſos, & Religionem illuſtrarunt, & proximos ædificarunt, vt ſparſim ex parte in hoc opere patebit. 33

Noſtri charitate potius quā aliter ſe celebrant.

Demum Sacra Congregatio de Propaganda Fide epiſtolam ad Reuerendiſſimum Patrem noſtrum Generalem ſub infraſcripta forma direxit. à tergo in fronte.

Admodum Reuerende Pater in Chriſto Generalis Miniſtrantium Infirmis.

Intus autem.

Admodum Reuerende Pater. Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide mentis oculos dirigeret, & animaduerteret, quali neceſſitate Religioſorum teneretur, ac Theologorum, potiſſimum linguarum peritia præcellentium, non tantum ad litteras ab Orientalis plagæ populis huc tranſmiſſas interpretandas, verum ad librorum correptionem, interpretationemque; & inſuper ob deſtinandas illuc idoneas perſonas. Interea decreuit, vt Romæ ſaltem in qualibet Religione idiomatum ſtudia erigantur, iuxta Concilij Vienenſis, & Bullæ pię recordationis Pauli V. diſpoſitionem; quapropter de mandato eiuſdem Sacræ Congregationis Paternitati veſtræ præſens decretum indicitur, vt ea, qua decet, prõptitudine, ac ſolertia, ſicut tanti momenti expoſtulat ratio ad animarum directa ſalutem, inuigilet, quamcitius præmiſſa executioni mandare, perſonaſque deligere, quæ illarum Regionum ſermones quæat addiſcere, quemadmodum iam ſupradicta Concilium, ac Bulla præcipiunt. Itidem in Vrbem aliquot Religioſos maximè Theologos conuocet, quos idoneos non tantum in eas linguas capeſſendas, verum quos eruditione, & integris moribus conſpicuos iudicauerit, propter miſſiones, pleraſque in dies Sacræ Congregationi oblaturas occaſiones, & Diuina tecum inhabitet gratia. Romæ 8. id. Auguſti 1622. 34

Litteræ ſacræ Cōgregationis exponendi noſtros ad peritiā linguarū addiſcendam, & ſacrā diſciplinam.

Locus ſigilli.

P. Veſtræ Amator

Cardinalis Sauli.

Vt oneri impoſito executio daretur, ab Reuerendiſſimo Patre noſtro Generali, illicò Romæ ex noſtris duo (præter cæteros) appliciti ſunt, vtpote P. Donatus Antonius Biſognius Theologus noſtræ Religionis profeſſus, ac Sacerdos Re- 35

gni

gni Neapolis, qui poſt aliquot annorum decurſum ægrotis peſtilentia affectis Florentię miniſtrans eodem morbo, & ipſe interceptus cecidit; ſecūdus extitit P. Antonius Vre ex Gallia; ambo idiomate Arabico ſatis inſtructi profecere; alios iure breuitatis prætereo, qui eidem addicti ſunt facultati.

36 Pater item Fundator Camillus amantiſſimus iugiter ſtudiorum ſe præbuit, ac ſtudioſorum beneuolentiſſimus. Ita vt, approbata per Apoſtolicum Breue Congregatione, ſtatim atque in ædibus noſtris Diuæ Mariæ Magdalenæ, & poſtmodum Neapoli Magiſtros cōſtituerit: & quia illis initijs ex noſtris deerant, qui huius muneris partes ſuſciperent, Sacerdotes, ſeu Laicos præceptores, mane, & ſero, vt inſtruerent ſuos Religioſos ſub mercede præfixit; ex quibus etiā nonnulli Domi noſtræ aſſiduo diuerſabantur, ex menſa Patrum alimenta ſumentes. Plerumque etiam fari conſueuerat, ſuos ſcientiarum eminentia, quemadmodum in Diuina, ac in proximorum dilectione, micare oportere (vt ſupra iam notatum habuiſti,) & huiuſmodi Religioſorum ſemper amantiſſimus vixit, peculiari beneuolentia illos proſequens. Addam laudabile factum, quod huic ſingulare doctrinæ lumen afferet.

37 Frater Fabius de Simone Sutrij Religioſus, integritate, & ſacræ Theologiæ peritia ſatis ſpectatus, cuius probitas ſapientiam, & ſapientia probitatem corruſcam reddebant, ægrotauit, quid non egit? quid non adhibuit? quid non ſcripſit, eo abſente P. Camillus? vt illum incolumem ſeruaret: itaque hic Romæ è pectore emanantem ſanguinem expuit, ob nimios labores, pauperibus ægris maxime impenſos; & ex quo Religionis habitum induit, perpetuo capitis dolore vexatus doluit: porrò poſt adhibita Romæ exquiſita, ac pretioſa remedia; Neapolim à P. Camillo tranſmiſſus eſt; vt inibi in Oppido Herculano aditus, illius aeris benignitate, ac ciborum optimorum, & medicaminum auxilio à morbo confirmaretur; cuius ægritudinem mæſte tulit P. Camillus qui ipſum ob memoratas virtutes maximo beneuolentiæ affectu complexabatur; hinc Neapolim ad Superiorem tranſmiſit ægrū Fratrem, & epiſtolā infraſcripti tenoris addidit. Huc Fratrem Curtium, vna cum alijs quinque fratribus mitto, quibus varijs in Domi muneribus vti poteris; pręter Fabium de Simone, qui ſanguinē è pectore haurit, & ex Medicorū conſilio Neapolim venit; Itaque Reuerentia veſtra illico ipſum in Turrem Octauam transferri ſtudeat, & noſcat hunc Fratrem admodum eſſe litteris, & probitate decorum, faxit Dominus, illi ſalutem reſtituere, dum pro ſua expediens fuerit gloria: ſi conualuerit, euaſurum, ſcito Reuerentia veſtra, ex optimis Religionis Operarijs; cæterum ne pręteteat R. V. omni illum complecti charitate, vt bene valeat; huculque P. Camillus; ex quo verborum circuitu, ac reduplicatione perſpicuum eſt, quanti Religioſos, & virtute, & eruditione claros penderet, cum alias ipſe in ſuis epiſtolis compendioſus dictaret: nec vti in negotijs ſcribendis exageratione cōſueuit, maxime cum ſibi ſubditis. Impenſe præfatus Superior, iuſſa P. Camilli executus eſt, adhibitis quamdiligentiſſime omnibus pro illius reſtauranda ſalute medicaminibus, in rememorato iam Oppido, ſed nihilo melior ab ęgritudine euadens, Neapolim profectus, ac roboratus Sacramentis, patientia, & omni virtute clarus mortalem veſtem exuit 15. Kal. Iun. ſepultus quieſcit in Templo Diuę Marię Portę Cæli Neap. admodum Camillo diſplicuit, tantę expectationis Religioſum amiſiſſe, in quo, & virtus, & diſciplinæ decor ęqua lance renidebant.

Diſciplinarū ſtudioſor. P. Camillus amātiſſimus

38 Licet in propatulo ſit vtriſq; manibus Congregationem noſtram pręſto eſſe, & fouere pauperibus ęgris. hoc eſt ambobus miſericordiæ auxilijs ſpiritualibus,

puta, ac temporaneis: attamen alio modo, & intentione (& vt manifestius loquar) altiori merito beneficentiæ opus relucet à prudenti, ac Religioso viro, eruditoque editum, quam à rudi, è vulgo, atque idiota homine; illum omnes admirantur,& cõmendant; hunc vero pene haud est,qui consideret. Illud sane à primoribus viris impensum opus intra Incurabilium Hospitale Neapolis magnificatur admodum, & merito celebratur à cunctis; quod si ab homine populari, plebisq; suggereretur, puto nõn esse, qui de illo verba faceret,nec peculiari cõsideratione eius gesta notaret, ac admiraretur. Vnde documentum lego, magnum esse ornamentum,& emolumentum huic instituto scientiā: ad obeunda quidem spiritualis misericordiæ opera necessariā; ad temporalia autem non modicum adiumentum,& splendorem,vtilitatemq; confere, tum misericordiam exhibentibus, cum etiam suscipientibus; insuper & spectantibus illam. Interdū quoque sola fama sufficiens stimulus fuit, imitari plerosq; ægrotorū ministeria.

39

Addo etiam non dubitanter; in his facultatibus, de quibus expresse Religionis nostræ Apostolicæ litteræ memorant, eruditionem maiorem expostulari à nobis; quam de ceteris disciplinis: potissimum in peritia Casuum Conscientiæ, quam lectionem vtique Laicis, & Sacerdotibus sæcularibus mos est quandoque laudabiliter à nostris explanari, & legi in studijs Religionis.

40

Quoniam verò Pater Camillus optime intuebatur, quantis cum emolumentis, in animarum præsertim salute, nostri, prudentia, & probitate ornati infirmis prodessent, Indias Hospitalia, & alia ægrotorum loca appellabat, à quibus auri, & gemmarum copia refertur; nimirum ab his locis, sanctis, & doctis collocutionibus, & hortamentis, animæ quasi candidæ margaritæ ad Deum transuolāt & ex fœtore talium habitationum; quasi splendidissimæ gemmæ Domino offeruntur. Itaque cum omnis Religio nostra sustineat per veritatis, & salutis tramitem ducere proximos, nominatim infirmos; proculdubio nullum studiorum honestum genus ab se excludit, sacræ vero potissimum Theologiæ operam dat.

Appellat Indias P. Camillus Hospitalia.

41

Vnde tempus aduocat, vt aliqua alia recenseamus, quæ affert in Dei Ecclesia pauperibus ægris præsidia nostrorum institutum; & quæ damna ab eis propulsat: multa enim, quæ Sacramentorum administrationem inspiciunt,& animę commendationem, dicta sunt; solum aliqua paulo ante relicta, hic attingemus in animæ bonum, & corporis infirmorum vergentia. Si ad temporaneam refectionem conuertatur obtutus, hoc est ad cibos infirmis suppeditandos in Nosocomijs. Interdum enim allatis, positisque à ministris mercenarijs iuxta ægri cubile patinis vna cum dapibus; inde absque mora proficiscebantur: & postmodum illuc remeantes intactas,quemadmodum eas locauerant, extrahunt, propterea quod ægri viribus imbecilles ex se cibos sumere nequeunt,nec eos suggerens astabat; ac proinde contabescere infirmos: & mox in funus duci opus erat; hinc multum perturbationis in ægrotorum animis concitabatur, & non tantum grauia ex hac incuria corporeæ saluti damna emergunt, verum anima peiora interdum mala peccando contrahit; plerumque enim in detractiones, maledicta, vel blaphemias irrumpit, sęuā famulorum pendens pectus, qui multoties exules, damnati, ac mortis rei in Hospitalibus ministrant, (vt ante notatum est) modo siquidem à tot incommodis eximuntur ęgri Patrum frequentia, ac pietate. Opera item virorum, vbi Cõgregatio in Nosocomijs viget, atq; mulierū in Hosp. fœminarum pie subleuantur infirmi: vt plane constare videbitur; cum de Hospitali Incurabiliū sermo monstrabit; tum istorum immortalis pietas enucleabitur.

Commoda, quæ ęgris in ualetudinarijs nostra confert Religio.

42

Quoad cubilia tergenda, ac reficienda non minor desidia intererat, quæ pariter

aiter à noſtris adempta eſt; nam plerumque hi miſerandi homines in lectis proſtrati, ob defectum ſternendi eos, admodum patiebantur, ob carentiã nimirum refectionis ipſorum; ab infeſtis vermibus ex putri proprij corporis materia genitis, excruciati: poſt grauiſſimos dolores ad ſepulturam trahebantur; quos vermiculos nonnumquam Pater Camillus ſternendo lectos inueniens; intra manuum palmas collectos eleuabat; quaſi flores ore tenus ſtringens, roſas redolentes, & candidas margaritas appellabat: talem enim odoratum ei Diuinus amor indiderat, vt delicato ſtomacho perſonas, ac tepeſcentiſſ. mentes excitaret. Inſuper cum à ſitis tormento vehementer exurerentur (ita eam vocari liceat, quæ à febrium ardores tẽpore maximè æſtiuo gignitur) inter tot crudeliſſimos æſtus potum aquæ ægrotis qui ſubminiſtraret, deerat: cum citra omnem dubietatem ſit, pœnã hãc dãnatos vehementiſſime torquere, quæ in Euangelio ſatis per diuitem illum immiſericordem Epulonem veraciſſimè ſignificatur. Interim hæc pœna qualem angorem inducat, ex eo pende parumper; quia nonnulli deprehenſi ſunt infirmi, proprias vrinas, ſanguinem, & ex lampadibus aquam, oleũq; vacuantes, ſorbuiſſe; tolerabilius putridam vrinam affectã febrium qualitatibus, & ſanguinem pure permixtum deglutire putantes, quam ſitis ferre immanitatẽ, & incendium. In Nocoſomio Mediolani ſub vnam noctem, quendam ægrum febre æſtuantem, & à ſiti exagitatum, quinque ſyropos, vnà & pharmacum potaſſe certo tene, non propterea hoc errore functus eſt.

Admodu ægri patientur ob carẽtiã refectionis cubilis

Sitis febriũ maximus cruciatus.

43 Singillatim commemoranda non eſſe opinor improperia, minas, & interdum verbera, & colaphos, quibus à miniſtris charitate nudatis, ægri impetebantur; quandoque etiam, dum ſuper vulnas aliò transferrentur illi ægri, qui ſeſe mouere, vel incedere minimè poterant, ob ſeueritatem, vel magis ſæuitatem, quã trahebantur, inter ipſorum famulorum manus animam exalarunt. Si forte in terram caderent è lectis, qui preſto eſſet; vt eos leuaret aberat: vbi vitæ ſuæ ſupremum clauſerunt diem. Super hoc plura dicenda forent, quæ per iſta generatim relata ſatis noſci queunt. Sunt quidem noſtri maximo emolumento, vt præfatis incommodis caueatur.

44 Pleraque memoraui reſpicientia in Hoſpitalibus aliquot inordinationes: modo ratio poſtulat; vt de quibuſdam alijs ſermo tractatur, quæ in domibus occurrunt perſonarum peculiarium. Quandoque proprijs in domibus ægri, abſque Sacramnentis decidunt, & interdum abſque pœnitentia. Cum enim periculoſe in lectis decumbant, eorum ægritudo lethalis eſſe non diſcernitur; re tamen vera talis ineſt, intraq; viſcera putredo, ac malignitas latens graſſatur; quapropter de Pœnitentiæ Sacramento ſuſcipiendo, nihil agitur, quod plurimum lacrymabile eſt; cũ decedat infirmus abſque illo, vel per manuũ contractionẽ confitendo, aut alio ſigno; quod ſane periculoſum eſt, & cum mœrore tranſeundum. Recolant Medicinæ Doctores ſub periurij culpa ligari ad non viſendum ægrum poſt triduum, quin prius de mundanda, virtute Sacramenti Confeſſionis, cõſciẽtia Infirmum commonefecerint, iuxta decretum Pij V. emanatum anno 1566. qui plura deſiderat ſuper hoc conſulat Summiſtas verbo Medici. Contra charitatem delinquunt grauiter, ſi ad id negligenter extiterint, non curantes vocare Confeſſarium ſub vana ſalutis ſpe neceſſarij, propinqui, ac circumaſſiſtẽtes miniſtri, dum Gentilis Galeni ſequuntur axioma, non ſuggerenda ægro colloquia mœrorem inducentia: immo contra, ſummam lætitiam ingerunt ſermones, de Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ſuſcipiendis ingeſtis; & profecto experimento certo in dies comperimus, poſt collationem Sacramentalis abſolu-

Damna, quæ incurrũt ægri domibus in peculiaribus

tionis

tionis ęgros magnis febribus detentos, repente incolumes euasisse; sic euentus Patris nostri Camilli nos erudit; dum miles in Insula Corcyræ grauissime ægrotauit; & in extremo constitutus vitæ periculo, impensa illi à Sacerdote absolutione, conualuit; quod à Sacramenti virtute obtinuisse, meritò fassus est. In contrarium potest exemplo esse Rex Asa, quia in infirmitate sua Dominum non quæsiuit, & omnino Medicorum auxilio innixus est, idcirco vehementissimo pedum dolore conflictatus, infeliciter functus est, vt Paralipomenon explicat textus, etiam si antea commendabilis vixisset.

Paralip. 2. c. 16.

Nonnulli etiam ob eamdem incuriam, vanosque timores, absque venerando Viatico obiere, cum sit infirmus obnoxius illo muniri, sub mortali priusquam è vita migret; excepto tamen ni ab ægritudine paucos anta dies corpus Dominicum communicasset, ita Dominus præcipit Io. 6. Nisi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis, sic fert germanior, & pene communis Doctorum sententia, ita refert, & docet Doctissimus Pater Suarius tom. 3. disp. 69. sect. 3.

45

De Sanctiss. Viatico cōferēdo ęgris Io. 6.

P. Suarez.

In Sacramento demum Extremæ Vnctionis, cum non sit Sacramentum necessitatis, nec sub mortali obliget, nisi intercedat contemptus, seu scandalum astiuum, maiori in eò sumendo incuria proceditur, & si plures fletu digni absq; Sacramentali Confessione decedunt, pluriores non muniti Sacramento venerabilis Eucheristiæ, quamplurimi absque huius Sacramenti armatura in morte oculos claudunt mœstos: cum planum sit in animæ, corporisque salutem à Domino fuisse institutum, vt Iacobus Apost. docet, dum ait, Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur eis &c. vnde sequitur multos ob eius carentiam, caruisse etiam corporis incolumitate; & alios quod funestius est, animæ vita, idest Diuina gratia; quandoquidem hoc Sacramentum confert interdum (vz indirectè) primam gratiam, quãtumuis attritus accedat suscipiens, est communis Theolog. & Summ. Immo D. Thom. dist. 23. hoc Sacramentum, asserit, posse validum esse, & informe; & tunc recedente fictione, & interiecta contritione, seu attritione iuuari tum ægrum ope ipsius Sacramenti, & informari Cælesti gratia; Insuper eximi quandoque, vt dictum est, à corporis ægritudine, si animæ tamen saluti expediens foret; alios item quamplures gignit effectus, à quibus qui eo priuatur, indignus redditur; hos enumerat Concil. Trid. sess. 14. c. 2. asseuerans. Res etenim hæc (ait loquens de hoc Sacramento) gratia est Spiritus sancti, cuius Vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, & labores leuius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit consequitur hucusque concilium: quando vero à Sacerdote confertur, hæc & similia ægro aperiri perutile est, docet Suarius vt sup.

46

Iacob. 6.

Suarez disp 41. sec 5. asser. 2. to 4. in 3. p. D. Th.

Conc. Trid.

Beatissima item Virgo fons totius Sanctitatis, & Innocentiæ illud suscepisse, inquit D. Bonauent. dist. 23, p. 2. a. 1. q. 2. & quamplures alij non minutæ auctoritatis Doctores; huius itaque supremæ Reginæ famuli, atque ancillæ, non lætanter eo munientur? Illud quoque animaduerte, ne ægro in eo consistenti statu conferatur, dum est mentis impos, vel amisit sensus, sed cum rectis viget intellectus operationibus, attamen in vitæ discrimine à Medicis arbitretur consistere; Cum Diuus Iacobus Apostolus fateatur, infirmatur quis in vobis, ergo non expectanda sunt omnimoda perturbatio mentis, & extrema suspiria; sed

47

Beatiss. Vir. Sacramētū Olei sancti suscepisse probabile est D. Bonau. d. 23. p. 2. ar. 1. q. 2.

dum

dum periculosus iacet, attamen in recto perseuerans sensu, tum illud lætanter suscipere, ne formidet infirmus.

48 Aliud etiam malum veluti immane monstrũ ægrum inuadit,& hoc certe belli genus intestinum, & sæuissimum, atque vt Cancer demolitur; nimirum Cognatos, domique familiam non assentiri Sacerdotem, seu Religiosos illum inuisere, quos conuocare illico debuissent; & hoc ne terrore languens concutiatur, vel quod immanius est, ne hæreditatis, seu legatorum quicquam eis diminutum succedat, interim infirmus debita non soluit, & suæ conscientiæ non satisfacit, qui per momenta ad interitum defluit, & Dæmones eius prædantur animam; ita agunt, quasi non pluris facienda anima, quam eorum damnabile interesse, & vniuersus Orbis: profecto si penderent, quæ Dominus fecerit, ac perpessus fuerit pro ea redimenda, aliter procederent; sed ò crudelis amor, ò execrandus timor, ò pectora omni fera immaniora. Scripta queunt retractari, ædes corruentes refici, sed animæ rationalis in ignem tartareum lapsus quomodo reuocatur? vel ignis cum sit æternus quomodo extinguetur? sibi persuadeant tales inhumanæ personæ idem sibimet redditum iri, cum planum sit per quæ peccauerit homo, per hæc & punitur; hi deteriores sunt Cain, qui corpus occidit fratris; isti animam interimunt: & quem modo ægrum habes amicum, si in vincula videres coniectum non ne conareris illum eximere; vt per vrbem tecum incederet, domique suæ diuersaretur? Cur ergo idem modo non operaris, ipsum exeuntem à corporis ergastulo adiuuans? quælibet spiritualia adhibendo media, vt ad illam peruadat Cęlorum mansionem; quandoquidē in confesso est diuinorum diuinissimum esse saluti cooperari animarum, vt D. Dionysij clamat proloquium.

Conuocãdi sunt Sacerdotes statim ac quis ęgrotat.

Gen. 4.

49 Non tantum his iaculis transfinguntur ægri, verum & alijs, nam quemadmodum in Hospitali quandoque ob inopiam personarum, quæ illos humaniter pascendo adiuuent,& in eorum ora cibos inserant, pereunt; sic vice contraria in priuatorum hominum domibus ob nimiam escarum affluentiam, intra infirmi os illatam, quia nec mandere, nec &t deglutire valet, suffocatur. Et cum mane quodam infirmum visissem, nō adeo ex morbo vexatũ: quin per aliquot dies hic nobiscum potuisset videre hanc lucem, sero iterum ipsum visum adij, si qua mutatio in eius infirmitate facta sub occasum solis fuisset, quem inueni spirantem animam, causam perquirens (quoniam inexpectato id contigerat) fuisse subdiderunt astantes; propterea quod pastillos manderat, quos æger postulauerat illos, extrahi è vestigio mandaui; nihilominus paulopost obijt. Vtinam quammulti hac via ad mortem hora naturali non citius irent. Haud enim quæcumque optat æger ei subministranda sunt, maxime in nimietate; sed vtilia, & quæ Medicorum ars præscribit; secus ante tempus decumbet ægrotus, & falsa pietate necabitur.

Non superflue cibandi ægri.

50 Multi etiam nescio qua mentis, ac manus Leuitate, priusquam anima corpus reliquerit, claudere morientis lumina nituntur; quod non raro contingit; ex eo, quia dum æger expirat, quædam ponit temporis spatia inter primum, & alterũ alitum, infra quos exhalasse putant; cum re vera adhuc superuiuat: idcirco ad minus per intercapedinem trium Dominicalium Orationum, ac totidem Salutationum Angelicarum obseruetur; num infirmus decesserit. Si vero accensa facula benedicta moribundi ori sit propinqua (quæ eo tempore debet lucere, est enim contrarijs potestatibus inimica) tum cautius, ac tutius proceditur, ad dignoscendum, an æger functus sit, illam ad moribundi os manu extendendo: pro-

Expectanda aliqua mora priusquã ægris oculi claudantur.

inde infirmi halitus flammâ agitat, & oculus astantis clarius intuetur: neque sepulturæ cito donandi sunt ægri; sed obseruetur laudabilis ritus, & contuendo.

Ex præcedenti vecordia crassior alia tamquam appendix ab ea deriuat, ægrũ nempè sepulturæ donari adhuc viuentem, sed laborantem, vel apoplexia, vel alijs occultis, malignisque affectionibus, sensuum motum, manifestamque respirationem per aliquod temporis tractum adimentibus, quapropter functus æger deputatur, cum certò corporis artus anima adhuc vegetet; neque id tamquam inane figmentum putandum est; & vtinam ita foret, aut nusquã tale euenturũ ex incuria detrimentum obseruetur: quando & ipsemet Pater noster Camillus proprijs oculis inter mortuorum massam in quodam Hospitali Romæ, adhuc spirantem hominem intuitus est: & inde actutum extra duci, vnaq; cum alijs ægris collocandum iussit; cuius vita trium dierum spatio superstes fuit, Plura sunt exempla super hoc, quæ Pater Sanctius in Vita Patris Camllli commemorat; sed illud tantum, quod notabilius est, referam. Romæ occurrit cuidam nomine Antonio Mariæ Grillo ex vrbe Parmę; In lecto enim æger decumbebat, sed pestiferis nonnullis, ac latentibus qualitatibus affectus; quibus repente superuenientibus naturalis, & manifestus motus interceptus est; vnde veluti exanimè corpus ad sepulchrum in Templo Diuę Matię Monticulorum à portitoribus in Capulo ductũ est; tota nocte in tumulo iacuit, & inter cadauerum cateruam deiectum tamquam vnum ex ipsis non sentiens loci horrorem; mane vero ad se se reuersus Antonius, & à termino morbi dimissus, vxorem nomine proprio vocauit Catharinam, sępe repetens Catharinam, vt fenestras aperiret, noctisque tenebras submoueret, & pestilentem, qui efflabat in cubiculo, fętorem secluderet, (domi suę quidem adesse putabat) & quamuis iterum, atque iterum, ac replicatis vicibus exclamasset; haud exaudiri animaduertit, vnde arbitratus est vxorem somno correptam, ob peractas iam vigilias non expergisci, perinde cuiusdam mulieris cadauer contrectans, eius tibiam apprehendit, quam adeo vehementer ad se rapuit, (existimabat enim esse coniugis) ita ut ab reliquo euulserit corpore: tum exterritus, ac stupens, & pene tabefactus, totoque ore rigens in sepulchro cum defunctis claudi agnouit; & quamuis streperet, ac vociferaret ab nullo tamẽ rumor perceptus est, sed sua bona sorte accidit illuc tumulandum sequenti mane alterius cuiusdam cadauer deferri; subleuatoque lapide, præfatum Antonium formam squallidę mortis ostendentem, & ferme exanimẽ offenderunt, indeque ad lucem eleuatus, adiuuante Domino, conualuit; huius facti nouitas cæpit per Vrbem diffamari. Hinc Summus Pastor, ac Beatissimus Pater Clemens VIII. illum intueri, & agnoscere concupiuit, & à proprio ipsius ore sigillatim, quę illi euenerant, audire. Si ergo Romę, quæ Mater est pietatis, ac religionis, vbi prudentia excolitur, & vbi Christi Vicarius, & prima sedes eminet; similia contingunt, multo maiora alibi, ac peiora damna secutura fas est arbitrari; quę profecto non modica in parte, vbi nostra Religio incolit, eliminantur.

Exempla super his, qui viui sepulti sunt.

Neque tantum in hoc conquiescit, sed vlterius quoque dæmonis versutia peruadit; qui mulieribus potissimum vtitur, ad varias superstitiosas res, vanasque Cantilenas effutiendas super ægrum animam agitantem. Et cum oporteret eo turbulentissimo tempore, orationibus mentalibus, atque voce depromptis insistere, neque a moribundi lecto discedere, vt a dentibus Tartarei Leonis educatur, ipsæ vero Insipientes nefarium hostem suis magijs conuocant; adhibent enim interdum inter culcitras, vel subtus puluinar, aut cubile iuga boum, felis,

Vitandus superstitiosarum mulierũ accessus.

vel

vel gallinæ stercus, seu de camporum aggeribus aliquod fragmen euulsum, abduntq;intus, vel infra cubile, impolluto ore profanos item versus canentes, cum ipsæ profanissimæ sint: ab hoc vsu pestilenti omnino coercendæ sunt, ac viriliter propellendæ; vt deuotissimus olim effecit Bernardus. Dum ipse puer ægrotans, ad eius cubile petulca ducta est anus, quæ occultis, ac vanis notis a doloribus Sãctum liberare se iactabat; quam vt vidit, ac dignouit Sanctus puer, quid esset factura acriter ab se repulit, ipsaque rubore suffusa, seu mauis pallore celeris carpsit iter, Sancti cubiculum festina reliquens.

53 Et cum munere cõmendationis animę in transitu cuiusdam mulieris Messanæ fungerer; mulier leuis alia supra lectum moribundæ audacter insilijt, suumque os ad morientis aurem adiunxit, ibique susurrare nescio quid cœpit; vt admirans aspexi, duriter eius audaciam increpaui,& simul inquisiui, quid egisset, seu quid illis verbis intenderet, subdidit, ne moriens a pediculis molestia afficeretur, neue ex eius corpore illius modi immũdi vermiculi scaterent, infernatam appellaui,& diabolicum esse illum susurrum adiũxi,nec quicquam ea dicta prodesse, solum ad suam illaqueandam animam. Mille similes his superstitiosis obseruantijs accidunt. Sub intempestam noctem statim ac expirauerit æger, nonnullæ mulierculę fenestras actutum adaperiunt,quasi lignum, vel vitrũ obsistant quominus spirituales animę pergant, quo à Domino fuerint destinatæ. Hęc, & his ęqualia, vbi degit nostra Religio, non mediocriter corrigit. Ceterum huiusmodi personę, si ignoranter agunt, increpandę sunt, vt desistant, si malitiosè Officio Sanctissimæ Inquisitionis trandantur, vt eas coerceat; ne sibi, atq; alijs sint causa perpetuæ perditionis.

Exemplum præcedentis doctrinæ.

54 Aliqui etiam ęgri, & hoc magis miserandum est, sibi superstitiosa medicamina, et incantationes adhiberi patiuntur, vel exquirunt, vt bene valeant, pluris valetudinem quam Creatoris offensam facientes: Dominus vero plerumque sinit eos torqueri à doloribus, qui demum vitam temporaneam, & ęternam sub tyrannica diaboli potestate amittũt. Cum enim non multis ab hinc mensibus cuiusdam infirmi confessionem auscultassem,& absolutionis beneficium impendissem, quoniam graui capitis dolore affligebatur ęger, seruum Dei Camillum obsecrando, inuocauit, & repente meliorauit, ac pene liber euasit: quoniam vero domi mulieres impia pietate maleficiam anum conuocauerant;hinc nonnulla post recitata verba, vehementiori protinus impetu, quam prius, dolor in ægrum impetijt, hoc præter scelus infirmus nactus est; quod aperte cũ mœrore mihi coram astantibus aperte fassus est. Caueant igitur hi magis in strigum mendacijs, quam in Dei, suorumque Sacerdotum, ac in Sacramentorum vi fidentes, ne illis eueniat; vt olim Regi Ochaziæ, prout sacra in 4. Regum testatur Historia, dum consuluit Belzebub, à quo non auxilium ipsi, sed infaustum collatum est flagellum,nam infeliciter moriens, ęternum adinuenit ignis tormẽtum. Hęc & alia non dissimilia damna supra iam memorata,ad extinguenda ab ęgrotorum habitaculis. it obuiam nostrorum Familia; atque amplius, latiusque aspirante Diuini Spiritus flamine, feliciusque ibit extinctum,cum se per orbem expanderit totum;ita asserere auditus est seruus Dei Camillus, sed transitus ad vlteriora instat.

Ne adhibeãt conualescẽt ægri superstitiosa.

Ochoziæ factum. 4. Reg. c. 1.

55 Hoc.n.maximum munificentiæ bonum,seu munus visendi infirmos,in mortis speciatim agone,omnes indiscriminatim complectitur, cum indistincte Spiritus Sãctus in peruerbijs sic eloquatur erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Non ad vnam,vel alteram personarum

Omnes amplectitur munus commẽdationis animæ.

ſortem ſermo conuertitur, ſed in vniuerſum cuiuſcunque fidelis in auribus iuſonat. Nemo ſecernitur, quin ſaltem a Domino orationibus opem pro moribundis poſſet implorore; quandoquidem caritas & vrgentiſſima morientis neceſſitas ad hoc impellit. Cõſtitue quæſo in campo pulcherrimam Regis filiam, derelictam, inermem, mœrentem, parte ex vna; contra vero ex altera exitialem draconem ad eam propinquantem, ignem, & ſanguinem, quaſi fulgura vibrantem ex oculis, ſibilantem ore, dentibuſque frementem, caudam rotantem, turbinemq; è tellure excitantem, & demum pene toto corpore erecto, à vertice puellam vorare obnitentem, forte ſi tibi virtus, & animus opem ferendi adforet, torpeſceres? nequaquam profecto. En infirmus in ſuprema mortis dimicatione cum tartareo præliatur dracone, quo nil ſceleſtius, nil callidius, nil truculentius, nil formidabilius, nil fœdius, qui cum ſit miſer, nos miſerrimos in eo conflictu reddere conatur, ac demergere, vbi ipſe detorquetur cruciatibus duriſſimis, ad inferna. Liceat ergo, quamuis præſentia non aſſiſtas, aliquod in dies emolumentum in extremis periclitantibus animis conferre, eleemoſyna, oratione, vel ieiunio. Citra enim omnem dubitationem tibi perſuade ſummæ pietatis obijſſe munus, operando ſiquidem, vt anima Chriſti Domini ſponſa, ad Dei ſummi ſimilitudinem creata, ſuoque pretioſiſſimo cruore redempta, ſçuiſſimas infernalis beſtiæ fauces euadat, æternaque fruatur, ac beata luce; ne prætereas, Lector, diem, quin pro moribundis aliquod exhibeas pietatis opus; quod in tui maximum etiam redundabit ſuffragium, & leuamen in articulo moriendi.

Quodam ſimili probatur, quod aſſeritur.

Animal inermis draco terrificos peccata, timoreſq; pœnarum æternitatis inſtãtia.

Nominatim, cum die quolibet ferme innumerabilis fidelium intereat multitudo, alij inter Turcas, ceteroſque infideles, ſeu inter hæreticos, abſque Sacramentis, alij in bello, nonnulli proditorie, multi in mari, & in fluminibus alij, nonnulli repentine, ab igne alij deuorantur, ne pigeat pro his peculiariter Dominũ obſecrare quotidie, atque illis qui miſerãdo in ſtatu cum aliqua eo in certamine proxima peccandi occaſione agunt animam, vt auertantur ab illo miſerabili, & inſtanti æternæ mortis diſcrimine. Etenim experti ſumus interdum à concubina cibos, & remedia ſubminiſtrari eodẽ in cubiculo, quam magnis interminationibus addito non paruo labore, domo longe abeſſe ſtuduimus; huiuſmodi genti plerumque etiam occurrit delirio captæ nomina meretricum ſæpius replicare, vel ſi auaritia fuiſſet irretitus infirmus pecunia ſignat numerare, ſi vero ludis obnoxius aleas, & ſortes luſorias, turpiter recenſere, cum riſu quidem aſtantium; ſed quid memorot: quemadmodum vita ante acta fuerit conſupta, ſic eadem in ipſo lethi fine manebit, comitans infirmum, & ſi a priuatione ad habitum (vt ait philoſophus) non datur regreſſus, iſti quidem ab habitu ad priuationem non retrocedunt, niſi ſpecialiſſimo Dei protegentis fauore, & æquiparantur quatriduanæ Lazari Sepulturæ, quem non niſi præuio ploratu Dominus excitauit a mortuis, hinc pende quantum ſpiritualis indignant adiutorij.

56

Quolibet die orãdũ pro moribũdis.

Noſtrorum obligatio miniſtrandi infirmis à voti ligamine ortũ ducit, propter quod peculiariter in hoc miniſterio infirmorum, tam ad animum ſpectante, quam ad corpus cum noſtris Deum concurrere credendum eſt; limitatur tamen, & regulatur huiuſmodi famulatus, iuxta vires Religionis, & Conſtitutionum tenorem, pro vt extat in libello approbationis eiuſdem a Clement. VIII. edito anno 1600. eſt autem miniſterium hoc ampla meſſis, quæ meſſorum numeroſam exigit copiam: nam quandoque magna Domus plurima conſtipata familia, tota languet vni infirmo ſeruiendo, quanto minus vna parua domus valebit omnium neceſſitatibus in ægritudine continuo parata eſſe. Interdum enim moriens ad

57

plures

plures dies transit, potissimum si hydropisi, vel tabe laborat, seu asma te, vel simili quopiã corrupto humore, quarum agonia personarum, quemadmodum in longũ tempus extenditur, sic etiam vanum est mortis horam auspicari; re vna tantum certa redditur, si patientia, ac perseuerantia assistitur, & si deest per aliquod tẽpus Sacerdos, non desistat quispiam ex circumstantibus, qui pium opus exhibeat, aqua benedicta infirmi lectum aspergẽdo, verbumque vicissim aliquod suggerendo salutare. Huius ministerij operatores, caritate, ac sufferentia munitos esse oportet.

58 Reuerendi item Parochi ab hoc onere non eximuntur; sed bene noscant iure muneris sui coarctari: cum ordo administrandi Sacramenta, seu ritus Romanus pro ipsis instruendis editus id plane præcipiat; eum nẽpe cogi suæ Parochiæ infirmos adire (dum ait) Parochus cum primum nouerit aliquem in sua Parochia ægrotare non expectet se vocari, sed capta occasione, ipse eum adeat, & cum ægroto de ipsius æterna salute Serio tractet, eum leniter admonens, vt omnem suam spem in Deo ponat, illiusque infirmitatis pænas tamquam paternam Dei visitationem patiẽter, & læto animo ferat, & ad salutem suam peruenire credat, rebusque suis dum sensus, & ratio viget rite prouideat, de peccatis Confessionẽ faciat, cætera etiã Sacramenta Ecclesiæ integris sensibus sibi dari postulet, &c. Et inferius subditur Ingrauescente morbo, cum mors sit momentũ a quo æternitas pendet, qui in Domino moriuntur perpetuo beati sunt, & qui in peccatis diem obeunt æternis supplicijs addicuntur, dæmon qui semper nostræ saluti aduersatur, tũc maxime, vt Diuina testatur scriptura calcaneo nostro (idest extremæ vitæ nostræ parti) insidiatur, proinde Parochus inuigilare eo potissimum tempore debet, vt oues suas ab insidiantis lupi faucibus ereptas, ad veri pastoris, cuius ipse minister est, sinum transmittat, quare perspectas habeat omnes fraudes, quibus humani Generis hostis morituros aggreditur, easque detegat, ac salubribus remedijs, quemadmodum illi resistere debeat instruat, &c. hic etiam agitur de protestationibus peragendis ab ægro, alijsquam salutaribus monitis, quibus mortis tempore muniendum esse infirmum, eruditur Parochus, seu quilibet eius loco Sacerdos. Et in calce huius Capituli subnectitur, denique Parochus, & Christianæ charitatis, & officij sui memor, istis aut similibus monitis aderit ijs, qui sibi commissi sunt, vt ex hac ærumnosa vita ad beatam, & æternam felicitatem migrent, & alibi euidentius habetur; ægroto in extremis agenti, Parochus assistet, &c. Itaque frequenter verset, & præ manibus habeat, vt suo muneri satisfaceat Parochus hunc administrandi Sacramenta ordinem, seu Rituale, præterea vtilis est liber cum postuma additione, qui inscribitur practica visitandi Infirmos Auctore P. Iacob Mancino Religionis Ministrantium Infirmis, vbi præter multa ad statum Infirmorum spectantia, complectitur nonnullos Casus Conscientiæ perutiles, quæ singula ad Animæ salutem ægrotorum optime dirigendam, ordinantur.

RR. Parochi stricto iure tenentur hoc munus obire cõmẽdationis animæ.

59 Siquidem commendatissimum illud opitulandi Infirmis exercitium est, & ab ipsomet Domino, & a Prophetis, Sanctisque Patribus mirifice celebratum, & in Sacrosancto Trident. Conc. sic asseritur, memores qui Hospitalitatem amant Christum in Hospitijs recipere, &c. quid clarius, aut sanctius, hinc cuncta infirmo impensa, & pauperi subsidia sibimet exhibita Dominus, ac Saluator noster esse approbat; inde infertur a minori ad maius, quanto erit, & perquam gratum Domino id munus cõmendationis animæ, cũ agatur de superna salute, quodue dęmonibus formidabile, ac perosum: ducam in medium exemplum quod paulo

Sess. 3 de reform. c. 8.

Nobilissimũ est ægris opitulari.

ante, me præsente, dum hæc scripta conficerem, contigit.

60

Vocatus, pauperem in domum accessi, ibi mulierem grauiter ægrotantem magnis doloribus contortam ad inueni, quæ me simul, & socium intuens faciem erga parietem, tergaque contra nos repente opposuit, huius rei nouitatem nihil fecimus; nam hæc, & similia morbi doloribus adscribuntur, & cum aliquã-diu ibi fuissemus commorati, nonnullaque de eius salute locuti; demum quia non dum in extremis constituta animã agebat, destinauimus illinc ire; at quoniã hæ præsertim pauperes ęgræ interdũ inopinato decedũt a vita, leggere commẽdationis animæ orationes decreuimus; & quę prius non nisi lamentum mussitãs balbutiebat, tum perinde atque de graui somno experge facta sæuero vultu, terrificis oculis, ac voce sibilante quasi serpens Ięsus se aduersus sociũ, & me conuertit, atque in hæc verba erupit, ab hinc ite, quid hic agitis? vestrum operam non egeo, iam valeo, hæc, & similia claris, & altis notis ira plenis replicans effutiebat: prosequebar tamen legere orationes; & quoniam eius clamor lectionem præpediebat, arbitratus sum esse a dæmone possessam; nec mea me fefellit opinio; cum in ea Demum verba deuenissem prosequendo præces, agnosce Domine Creaturam tuam non ex Dijs alienis creatam; sed a te solo Deo viuo, & vero, acrius odisse eas Sacras dictiones indicauit spiritus malus; hasce protulit voces per os mulieris, heù me miserum, quã infausta mihi hæc obtigit dies; ac protinus reliquit ægrã; statim vero mulier quieuit, eodẽque instanti infirmæ tradidi Cruci affixi Domini imaginem, cui deuote figens oscula; prius quã recitari posset vnica Oratio Dominicalis simul, & Angelica Salutatio cessit a vita. Postmodum a vicinia intellexi; satis laudabiliter vitæ suæ protraxisse dies; & cum a viro (erat enim coniugata) quiescere linqueretur, qui indomita natura, & ferina conditione maledictis, ac verberibus ipsam sæpius lacessebat, nummos vt suppeditaret, (mulier.n.textrinã artem exercebat) pręterea sub noctem dormiente viro diabolus a quo obsidebatur extincto lucernæ lumine illam dire diuerberabat; mulier vero cuncta ęquanimiter sustinuit, nec contra virum, nec aduersus creaturam vllam, seu creatorem os operuit. Idcirco prius quam diem obiret inimicus ad inferna demersus, ac delusus, ipsam torquere desiens, dixit operam, & fallendi artes cum ea perdidisse, mulieris vero spiritum tamquam in camino tribulationis probatum candidum ad Cœlos volasse, pie credimus, & licet dæmon istius mulieris vitæ probitatẽ oderit; summopere etiam munus cõmendationis animæ (vt ostendit) exosum habuit, adhuc enim in eo articulo trophea deportare sibi audacter promittebat; sed incassum abijt spes ipsius, & impietas; vnde Sanctas audiens lectiones, Diuinaque verba ad inferna corruit actus in rabiem.

Opus commedationis animæ dæmonibus odibile.

Exẽplo manifestatur.

61

Quamuis .n. istius commendationis animæ institutum, piumque exercitium dæmonibus sit exosum; vt exemplo probatum est, & inferius innumeris alijs innotescet doctrinis, & euentibus. Admodum tamen delectabile est Cœlicolis ipsoque creaturarum omnium Domino: quod vnico claret, celeberrimoque exemplo; moxque subnectam.

62

Illud æquidem omni sæculo recolendum est, quod duobus accidit ex nostris Patribus; dum autem commendationis animæ munus obirent: hoc autem exẽplo non modice præfatum institutum nobilitatur: in eo enim frigescentes excitantur, feruentes vero, feruentiores euadunt: auget quidem rei magnitudinem auctoritas, ac santitas Diui Philippi Nerij Institutoris Congregationis Patrum Oratorij (vt in eius vita refertur) tamquam testimonium omni exceptione maius

istud sane exemplum satis sufficiens foret ad nostram firmandã, & illustrãdam Religionem; Ipse autem Sanctus vt vidit, sic pariter retulit, Tobiæ dictum sequens, ac referans: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificũ est, &c.

Cap. 12.

63 Romæ idem qui supra Sanctus Philippus Nerius orando assistebat in transitu animæ Domini Virgilij Crescentij, viri Claritate Sanguinis, & nota virtutum perIllustris, Cuius proles ad Cardinalatus purpuram euecta est; aderant item duo Patres ex nostris, qui idem munus pariter obibant, modo precibus, inde pijs lectionibus, postmodum in aures Infirmi salubria documenta suggerendo; sic ad felicem, æternamq; vitam dimicantis infirmi in extremo certamine animam dirigentes: post obitum dicti Illustrissimi Domini, Sanctus Philippus Patri Claudio Vincentio, qui inibi pium exercitium commendationis animę peregerat, ait, Patres huic egregio operi totis præcordijs, ac viribus incumbite; quandoquidem dum Patres vestri cuidam agonizanti assisterent, vbi itidem ego aderam, hisce oculis vidi splendidos Angelos suo ore Patris vestri auribus verba suggerere, quæ verba idem Pater è vestigio morienti ægroto subministrabat, quemadmodum solare Corpus suis radijs cœlum illuminat, indeque fluit ad inferiora lumen: & notanter dicit Sanctus, vidisse Angelos: vnde Dominus non vnum, sed plures Angelos in præsidium destinat morientium; & miscet Angelos cum Patribus (o mira summi, ac supremi Pastoris bonitas, & humanæ fragilitatis dignitas) Angeli magistri sunt Patrum in munere commendationis animæ, Patres vero immediate erudiunt moribundos, vt ad Cœlestia transeant, Et arbitror, quicumque piè hoc munus exhibuerit Angelos Domini habere præceptores, & adiutores, vt Infirmus salutem æternam pancifcatur; perpendatur igitur quanta cum integritate morum illud administrari defatigandum, cum Angelos comites habeat, & dęmones aduersarios, & calumniatores.

Habetur in Vita S. Philippi Nerij li. 1 c.6.n.4.

64 Reliquum est vt breuiter duo promamus, ac probemus. Primum quemadmodum Religio nostra celsæ considerationis, & maximæ charitatis ministerium exhibet, ita non inter infimas, sed nobiliores Ecclesiæ Dei Religiones locum tenere, asserendum puto. Alterum est, quemadmodum indistincta in se, nimirum non participat in instituto cum alijs; Ita pariter ab omni alia seiungitur, nec ab alio Religioso, seu quauis persona originem duxisse, indubitatum est, quam a Patre nostro Camillo eius Auctore, ac Parente: pro hac secunda propositione satis esset ad frenandum ingenium quoduis Summorũ Pontificum Congregationis, tum etiam Religionis litterę, vbi præcipue de Patre Camillo Fundatore mentio fit, indeque de suis Alumnis, ac Socijs; ergo si qui participes quodammodo censendi forent, essent eius sodales, qui etiam & tribulationum, laborum, & consiliorum vna participes extiterunt; & non alius exterus; qui, cum esset alterius Instituti, toto Cœlo alieni a nostro, iam professor, ministerium Infirmorum, & Commendationis animæ, & seruiendi in peste, haud vnquam excogitauit, nec per eius caput tale transijt consilium. Nam Camillo inspiratio à Domino fundandi Congregationem, & post modum religionem cælitus data est, ipsum locutus a Cruce pendens Saluator, & consolatus est, solutis manibus à clauis. Camillus aggregauit socios intra prius Hospitale, & paulopost extra in Ecclesia Sanctæ Mariæ Miraculorum; ipse affatus est, absq; alio intercessore Eminentiss. Cardinalem Montis Regalis, præterea, & Summum Pontificem Sixtum Papam Quintum à quo Congregationis vnum, Crucis ferendæ alterum, diploma obtinuit: Ipse domum ad propagandam Congregationem in via obscurarum officinarum

Duo proponuntur probanda.

Haud alteri præter quã P. Camillo Fundatoris nomen adscribendum

In Vita P. Camilli lib. 1 c.10. & in procel.fo.15 & 16.

con-

Obtenta à Papa Sixto V. diplomate an. 1586.

conduxit; ipse Ecclesiam dehinc Diuæ Mariæ Magdalenæ suscepit, quæ à Bernardino eius primo socio prænunciata fuerat nostrorum futuram, ipse in fundatione maximas tribulationum procellas perpessus est: ipse item suis pedibus feruens mare tot laborum, ac vigiliarum (vt sic fatear) traiecit, noctu, diuq; in Hospitalibus, & per domos priuatas morientibus assistendo; ipse perdius, & pernox insomnis perseuerauit, vt à Domino Religionis approbationem obtineret; suo exemplo, suorumq; sociorum per moti Summi Pontifices, totaq; Romana Curia eam confirmarunt; Ipse in maximis Solis perferuentis caloribus per vrbem defatigatus discurrit, vt pauperibus opitularetur; ipse quasi Domini venaticus canis per cryptas quęrendo pauperes defatigauit temporis omnem intemperiem sustinens, ipse plerumq; se immersit in pestes, & in tot vitæ discrimina; sed quid memoro, & quo incautos deflecto? potius deficeret dies, quam eius laborum, & pietatis, & patientiæ extingueretur materia; quos absumpsit pro affigenda in Ecclesia Dei hac planta, ergo non alterum (vt ad portũ me recipiam) decet sibi Fundatoris nomen tribuere, & eam messem ambire, quam prorsus non seminauit, & illius arboris fructus decerpere, quam non plantauit, non coluit, non laborauit, non custodiuit; at quoniam super hoc extat Apologia in fronte libri, cuius titulus est Vita Patris Camilli de Lellis, propterea istic terere tempus frustra non licet, illuc remitto lectorem, si plura desiderat. Ibi .n. apparet fuisse Octauij Panziroli volumen suspensum, qui alteri fundationis nostræ Religionis inscius honores adscripserat; quasi alter quam Pater Camillus in eius Institutione sudauisset, & alsisset; vnde eiusdem auctoris liber suspensus aliquandiu obdormiuit; quoadusq; corrigeretur, in eo quod asserebat, alium fuisse huius Religionis Auctorem, & huiusmodi suspensionis decretum Romæ in Domus nostræ Archiuio asseruatur; quæ correptio demandata, ac per acta fuit ab eodemmet Patre Sanctio Cicatelli tum Ordinis Generale.

In Proem. Vitę P. Camilli.

65

Postremo raptim iusta trutina ponderemus vnde hæc planta nostræ Religionis germinauit, & sic tribuentur cui tribuendi huius germinis sunt honores: interrogemus P. nostrum, & respondebit; vt omnes sui temporis Patres fatentur tanquam ex auditu testes veracissimè, ita ab eo audiuisse. Primo loco à D. O. M. à quo bona cuncta fluunt, emanasse: ex occasione vero à tibiæ vlcere, quod per multas duxit olympiades (id infra late patebit) hoc enim ligamen, & clauus fuit tenax ipsum Patrem nostrum stringens iugiter intus Nosoconia, & in ministerio infirmorum, vbi eorumdem spectans necessitates, & lamenta, atq; compatiens, ardenter, & incunctanter anhelauit ægris opẽ afferre; ea voluntatis ardentia fretus à Deo summo (prout credimus) qui pauperibus ægrotantibus solamen, & remedia porrigi per aliquot Religiosos, suosq; famulos decreuerat, Camillus (vt ad propositum reuocem orationem) ad perfectum traxit denique, quod auebat, in erigenda hac Religionis noua (vt sic loquar) suarum orationum, lacrymarum, & laborum prole. Quare non arbitror alium præter ipsum fingendum, & ingerendum in eam auctorem. Sed ratio poscit, vt de reliquo, quod spopondimus verba faciamus; priusquã præludia absoluamus.

66

Sublimatur instietutũ huius Religionis.

Angelicus Doctor 2.2.q.188. per totum tripartitam constituit Religionum varietatem; tertium locum, & infimum, his, qui actuosæ tantum vitæ incumbunt, adscribit; Secundum vero illis, quæ simplici contemplationi addictæ sunt, principem vero locum sibi vendicare docet Religiones, quæ ex plenitudine contemplationis in opus actiuæ vitæ descendunt docendo scil. seu concio-

cio-

cionando: tale dat exemplum ad 6. sicut maius est illuminare, quam lucere solum, ita maius est contemplata alijs tradere, quam solum contemplare; & huiusmodi gradum propinquissimè adiungit Episcoporum perfectioni: quare cum in eo nostræ Religionis status constituatur, vt in temporalibus, & spiritualibus potissimum misericordiæ operibus infirmos adiuuet, suosq; Religiosos Domi orare; & libros, qui deuotionem redolent, in manibus habere præcipiat. Inter primas igitur Religiones locum sibi asciscere non est denegandum. Et quis adeo cæcutit, quin clare, atque præclare decernat, in munere assistendi certantibus in mortis agone complexa, & contemplatio euidenter, atque actio esse videantur. Et quamuis ob plura, quæ intra factitat Nosocomia humillime subsidere videatur nostrorum Familia; id sanè iudicium insanum est, cui quadrat Apostolicum illud verbum animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt: quandoquidem his in locis ministrare opus est eximiæ charitatis, & maximę perfectionis, vbi animæ, corporisque intenditur salus. Ita nos exemplo suo instituit Saluator, ægros in anima, corporisque languoribus iuuando. His enim in locis nostri orationibus vacant, indeque ad auxilia deffluunt infirmorum, vt latius infra innotescet. Si autem sermo est (vt insinuaui) de assistentia, quæ propè morientium lectos fit; nonne mixta vita, & contemplatiua, & actuosa clarissime lucet? nam orare, & orationes vocales meditando recitare, quid nisi per hoc quam contemplatiua vita exprimitur? & verba ædificationis coram moribundo, & circumadiacentibus personis interserere en actiua; quare ex vtraque perfectissimus Religionis status resultat, quem docet, & explicat S.Thomas, vtpote ex contemplatione deriuare in opus actiuæ vitæ.

In quo perfectionis statu moribũd opitulari constituatur.

67 Non enim, inquam, excludit nostrum Institutum, opera misericordiæ temporalia, seu corporalia, (vt alibi notanter, & pluries tradidi) quinimmo summa pietate complectitur; & nominatim huiusmodi functiones ægris exhibet, qui debilitati corporis artubus, se opitulari nequeunt, & quasi in extremam necessitatem deiecti petunt sibi, & in os ingeri cibos, sterni lectos, oraque, & corpus mundari à sordibus, & similia præstari; hasce actiones (vt sæpe indicatum est) ad spirituale bonum infirmi à nostris directas esse, ita Religionis nostræ Ordinationes indicunt; vt nimirum cum cibo materiali spiritualis introducatur refectio, quibus profecto operibus vtitur Religio, tamquam carbonibus ad expergiscendam ægrotantium mentem, atque flectendam, vt auscultent, & libentius percipiant, spiritualem verbi Dei, quæ suggeritur, escam: & demùm, quia in limine sunt vitæ positi, vt in illam bonorum omnium affluentissimam Regiam migrent, ac perenniter viuant, neque hoc temporale quod exhibetur paruum est, immo maximum, nam idem Angelicus Doctor, quando actiuas actiones, contemplatiuis inferiores facit, illico excipit ni forte in casu necessitatis illas præstet, vnde à lectore deduci conclusionem quæro; in quo debeat sublimari perfectionis statu, is qui in extrema spirituali, ac temporali necessitate proximo adiumento est.

Et augetur ab necessitate operũ quę exhibẽtur extreme indigentib.

68 Etiam si nostri Hospitia frequentent, vel intus ea domilium contineant: sciendum tamen est, inibi nullam rerum Hospitalis administrationem in temporalibus, seu iurisdictionem aliquam exercere, nec habere modo aliquo posse: cũ omnino virtute rescripti Pontifici interdicatur: sed tantũ in eo opera obeunt pietatis, sub certis, & determinatis horis, ne spiritus feruor tepescat, vel quodamodo languescat, & absorbeatur à nimia distractione, ac defatigatione.

Interdicti nostris temporalis cur. Hospitaliũ.

Et cum finis Religionum sit charitas, vt idem Sanctus Doctor locis iam alle-

gatis nos erudit; ergo vbi potior est charitas, ibi clarius Religionis præcellentia eleuatur; per os enim veritatis insinuatur: neminem maiori præeminere charitate, quam ille, qui pro fratribus suis animam dat, animam .i. vitam intellige, vt Sancti Ecclesiæ Doctores testificantur; at Religio nostra voto subiacet, seruiendi etiam tempore pestilentiæ infirmis, animam pro ipsis largiendo, ergo eius institutum summopere nobilitatur, quocirca maiorem erga proximos dilectionem nequit ostendere: & sicut Magnus Greg. ait, quod probatio amoris est operis exhibitio, ergo Religio exhibendo maximum beneficentiæ opus proximis, arguitur plane maximam in sui instituto Dei dilectionem includere; sic enim summa eruditione Beatissimus Leo Papa asseuerat; Dilectio proximi, dilectio Dei est.

Io. 15.

Comprobatur ex fine huius Religionis præcellentia.

Serm. 9. de ieiu. 7. Mensis.

69 In Martyrologio Romano prid. Kal. Martij refertur Alexandriæ à fidelibus pia veneratione Sanctorum memoriam quamplurium coli, qui tempore Valentiniani Cæsaris grassante nimium pestilentia, ægris magna alacritate ministrarunt; quibus inseruiendo morti lætanter occubuere, adeo reueretur eorum charitas, vt ceterorum martyrũ; hi glorioso quodã Martyrij genere pro Domino cui famulati sunt in ægris, sæuam pestilentiæ Tyrannidẽ sustinentes in Domino quieuere, & sempiternos triumphos deportarunt; Fortis est vt mors dilectio (ait sapiens) isti quidem præclari agonistæ pro fratrum beneficentia cum morte dimicantes, ac decedentes victores euaserunt, palmasque, & immortalitatis coronas nacti sunt. Si deposcis in his fortissimis militibus causam lethi, en Dei charitas, propter quem ægris peste correptis famulati sunt; si Tyrannum, en ipsamet pestis omni diro Tyranno immanior; si lethum exquiris iam libenter occubuere in ipso pestilẽtiæ feruore; si testimonium, hac via siquidem eximie de immortalitate testantes, sponte tamquam oues pro suis fratribus gladio pestilentiæ se obtulere, gladio item similis est pestis, quem vidit Dauid ab Angelo in Area Areuna vibrari, & D. Greg. supra molem Adriani. Demum cuncta temporalia, & vitam ipsam posthabentes, vt Christom Dominum lucrifacerent; quod maius testimonium eorum fidelitatis concupiscis in opere tantæ virtutis, & præcelsę charitatis? Iure igitur optimo inter honores inuictorum Martyrum eorum memorię describuntur à fidelibus in terris, quos sicut Martyres colunt: quare inclyta Martyrij dignitate coronatos creditur in Cælestibus rutilare.

Martyrio æqualis, memoria habita in peste

70 Eodemmet infirmitatis rigore, nimirum pestilentia, ex Patribus nostris quãplurimi prostrati sunt varijs interpositis occasionibus, ac tempestatibus. In Alma siquidem Vrbe Roma plusquam semel, perque totam Italiam, & non tantũ vbi fixum habent domicilium, verum alio vocati ministrantes vna cum ægrotantium decessu, & ipsi vita spoliati cecidere, vt suis distinctè in locis infra calamus narrare audebit, vt sapit. Prætermitto illorum Patrum felicem è vita demigrationem ab Hospitiorum, carcerumque fœtoribus subillatam; & eorum qui in bellis, & aliorum qui extra proprias domos pro ministrandis infirmis mortem oppetiuere, quorum itidem pia memoria alibi latius aliquanto mihi recolẽda est, quantum tamen datum erit.

Notatur cõplures ex nostris peste interceptis occubuisse.

71 Huic operi maximæ charitatis superaddito voto sollemne, superadditur etiã maius meritum, & laurea ita D. Tho. qui sup. ad 5. nam virtuti charitatis additur quoque alia virtus nempè Religionis, seu latriæ ratione voti. Quandoquidem non tantum in voto opus offertur Domino, sed insuper operator. Idem enim exhibens laicus fructus tantum donat, sed sibi totam arborem retinet, nostri vero voto obnoxij à se remouent, posse, & velle hoc ministerium ægris lue

Augetur dignitas Instituti à voti obligatione.

deten-

detentis non exhibere; quod longè maioris eſt meriti, quam abſque eo operari. Qui enim vouet (ita idem Angelicus Doctor ad 6.) implet duo cõſilia, & vouendo, & faciendo; quemadmodum, qui obſtinata mente peccat, deterius delinquit; ita qui ſe per votum obligat, non aliter operati, virtuoſius operatur, magis, magiſque meretur, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum; Quis igitur denegabit, Religionem noſtram, quæ nexum voti tam eximiæ charitatis operi adiungit, in ſua operatione haud rutilare? pluſquam alter qui libet ab omni vinculo voti idem præſtat.

72 Sed indiſcriminatim de cunctis miſericordiæ viris, qui pro fratribus morti occubuere non trepidanter, Deuotiſſimi Bernardini Senenſis ſententia, & factũ audiatur; ipſe enim non tantum ſcriptis eorum acta illuſtrauit, ſed opere maius teſtimonium reddidit; etenim anno 1400. ſæuiter depopulante in Italia peſtilentia, Senæ in Noſocomio ægrotornm peſte correptorum ſe occluſit; vbi quatuor menſium ſpatio mira ſolertia, dilectione, ac vigilantia eis miniſtrauit, ceſſante vero peſtilentia ipſe ad mortem vſque infirmatus, à Domino ſanitati reſtituitur: ab eo enim miniſterio exiens tamquam à cella vinaria, vel ſicut vnus ex tribus pueris à fornace Diuinæ, & proximi dilectione prodijt; tantaque patrauit miranda, quanta eius vita, ſcripta, conciones, Religionis ſui Ordinis reformatio, amor Sanctiſſimi Nominis IESV, quod iugiter in pectore, & in manibus geſtabat, comprobarunt. Ipſe enim ita ait in 6. Panegirico tom. 3. c. 3. a. 3. hæc profectò maxima miſericordia, ſupra quam nulla reperitur maior, teſte Domino, maiorem charitatem nemo habet &c. Huic profectò maximæ miſericordiæ, maxima quoque miſericordiæ gloria condonatur, quia moriens ſtatim in Paradiſum euolat, & ſecundum maximam miſericordiam pręmiatur; proinde de miſericordia, & præmio eius Luc. 6. Dominus ait, date ſcilicet hanc miſericordiam, & miſericordias antedictas, & dabitur vobis menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinũ veſtrum, in quibus omnibus plenitudo, & ſuperabundantia remunerationis miſericordiæ in gloria denotatur &c. quæ ſententia ſatis luculenta, & conſideratione digna, atque conſolatione referta eſt, non interpetre eget, cum de ſe plane loquatur: ſed finem præpoſitæ enuntiationi quæſo concedamus, cum authoritate Doctiſſimi Patris Valentiæ diſput. 8. q. 2. puncto primo, vbi ſic admodum pie, & eruditè docuit, Martyrium non eſt qualecumq; teſtimonium, ſed teſtimonium, quo morte ipſa pro Deo obita teſtificatur quis aliquam fidei veritatem, vel in ſeipſa, vel in aliquo pio virtutis opere relucentem &c. Nonne qui à peſtilentia interimitur in Dei dilectione, & proximi charitate perſeuerans, teſtimoniũ refert euidens perfectæ Fidei, & Catholicæ profeſſionis, ac perfectionis; cum ſponte ſe morti obiciat, & inter peſtis ſæuitiam conijciat, ac decumbat.

Probatur authoritate D. Bernardini meritũ piorum hominum.

Manifeſtatur etiã ſententia P. Valentiæ.

73 Verumtamen, quæ memoriæ hucuſque a me prodita ſunt, vel in futurum fortaſſe edita, apparebunt: omnino Orthodoxæ fidei ſubiecta, cenſuræ ſubiaceant; cui ſiquidem me, meaque omnia eſſe obnoxia, palam, ac libere fateor; ita ut nec in minimo apice diſcedere, vel tantiſper me ſeiungere eb ea audeam; at ſi in aliquod minus ſanum, vel integre dictum mens mea ignauiter defluxerit, obeliſco delendum ſubdatur, & penitus aboleatur: cũ illud amem, & illud exoptem, vt hæc ſcripta ad ædificationem piorum fidelium, potiſſimum vero noſtræ Congregationis, atque emolumentum ſpirituale, ac temporale pauperum ægrotorum, nominatim illorum, qui in terminũ ſunt moriendi coniecti, exeant. & hi qui tantæ munificentiæ lucem ægris præſtiterint: ſiue mentis ad Deum eleua-

Auctor humiliter cenſuræ Eccleſiæ ſubdit ſua ſcripta.

tione

tione, ſiue ſermone, ſiue viſitatione, ſeu munere aliquo alio, vel labore in horæ momento ſui tranſitus munificentiſſimam habeant Virginis prolem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, ipſamque Virginem Parentem, quæ Mater eſt pietatis, vniuerſamque Cælorum Cohortem propitiam experiantur. Interim ad rerum ſeriem enarrandam feſtinet, ac fatiget oratio. Lectorem quoque hortor, ac deprecor; ſi quid minusſapiens, vel eruditum, ſiue non ordinatum, iuxta Tulij, vel Donati præcepta inter hæc ſcripta offenderit, ignoſcat ſua benignitate, ac modeſtia; quandoque bonus (ſic Venuſinus in ſua Poetica cecinit) dormitat Homerus. Colligantur ſolum, quæ agnoſcuntur pietatis poma; hæc probè ſunt, quæ virum exornant, clarificantque, & demum animum beant.

D· O· M· B· M· V· O· SS·

ANNALES
RELIGIONIS CLERICORVM REGVLARIVM IMFIRMIS MINISTRANTIVM.

Anno Domini 1550. De Patria, Parentibus, ac Ortu Camilli.

1 IN Italia, celeberrimi Regni Neapolis in Prouincia Aprutij, cuius Populi Samnites antiquitus dicebantur, quorum Terra ferax, gens tamen ferox, & in bellis strenuissima, quæ diu aduersus Romanos vario marte certauit, Ciuitas à fortissimo condita Achille residet, hinc ab eiusdem genitrice, nomine Tete, denomiuationem accepit, Teatina: Cæli aspectu, aeris clementia, locorum amenitate, Soli fœcunditate, Adriatici sinus vicinitate, vbertateque, atque Ciuium nobilitate, ac magnitudine animi, corporisque inter præcipuas Italiæ Vrbes præclare erumpit; quæ Marrucinorum caput extat populorum, Samnij potissimum incolentium partem: ex ea nobilis, ac generosa prodijt de Lellis, seu Lelijs Familia, prout promiscue vsurpatam inuenio; à vetustissimis Romanis editam huc aduentasse fertur. Hæc armis, litteris, & cōsilijs, atq; Colonorum amplo dominatu, Ecclesiasticis quoque, ac temporaneis dignitatibus iugiter resplenduit; Memorata Ciuitas amenum supra collem sita conspicitur, habet ipsa in prospectu occasum versus pariter supra alterum virentem cliuum consistens oppidum ad tria vsque milliaria distans ab ea, quod Bucchianicum appellatur; in eo sui natalis exordia suscepisse Camillum certo scimus: licet modo eius Patria sit immensum Cœlum Empyreum, sic eius præclara facinora, & pietas, pie nos fateri suadent. Pleriq; laudantur à patria, eo quia vel ingenia perillustria, vel in armis, seu virtute aliqua viros famosos produxerit, nō tamen laudibus puto extollendum esse Camillum à patria, tametsi non infimæ laudis præconia mereatur locus ille, qui tanti viri germen edidit, sed potius ob

Sex milliaribus abest.

In Epist vol. Rutilij Benincasæ.

Vide in Descriptionib. Regni Neapolis f. 307.

1550.

Patriæ Camilli laus.

eius ortum ipsius patria vndique fama percurrit,& in dies vbique locorum cum gloria expāditur. At prętereo,quandoquidē ipsū quoq; lętū multorum coruscat parens filiorū,qui litterarum ornamentis, ac virtute bellica omni ætate floruere.

2

Venerabatur tunc temporis fidelium congregatio Iubilæi annum (quem vocamus Sāctū) & primus interfluebat summi Pontificatus Iulij Tertij, imperante,& in vtraque Sicilia regnante Inuictissimo Carolo Quinto, millesimo quingentesimo supra quinquagesimum viij.Kal.Iun. Inclyto Martyri dicata die Sancto,sūmoq; Pōtifici Vrbano loci ipsius Tutelari, quæ ab omnibus Terræ illius incolis maxima colitur celebritate,vbi Martyris reliquię magno populi pręeunte,ac subsequente concursu processionaliter per oppidi plateas circūductæ honorantur; insuper tota gens illa per mensem vacat honestis animorum relaxationibus, alij enim tripudijs, nonnulli vero palestræ, atque cæteri circumagunt triumphales currus, choros ducentes; ea temporum hilaritate in lucem hanc prodijt Camillus,exordia pręseferēs lætitiæ, quam erat illis montibus allaturus, prout legimus (si fas dicere concedit) de Sanctissimo Domini *Pręcursore*, cuius ortui in montanis congratulabantur cognati, & vicini.

Sollemne festum,& lætitia cōis cōingens in ortu Camilli.

Eius Parentes in eadem Prouincia ex catholicis orti genitoribus, non autem loco,originem habuere;pater enim Bucchlanici morabatur,vbi magna pars hæreditatis paternæ extabat, nomenque habuit Ioannem de Lellis, Genitrix vero Camilla Compelli in Terra Laureti, distantis à Bucchlanico milliarla circiter sexdecim, quæ virum sequens posthac indesinenter in sui viri cōmoratione resedit; Bonis fortunæ, quemadmodum etiā nobilitate sanguinis inter præcipuos eorumdem locorum viros claruere; attamen virtute,& honestate mulier virum superauit, qui militiā spatio annorum quadraginta duorum iugiter sequutus est, prælians sub auspicijs, & exercitibus potentissimi Imperatoris Caroli V. & Hispaniarum Regis Philippi II. omnibusque interfuit armorum factis, quæ suorum temporum reuolutione in Italia se se obiecere, semper strenue dimicans; Quapropter centurionis, seu pedestrium militum Capitanei,& aliarum maioris ponderis dignitatum honore decoratus effulsit;quas sigillatim recolere breuitas,& materia voluminis non patitur; sic pariter Honofrius, & Honofrij parens Lelius Ioannis auus eadem militum pręfectura decorati claruere; qua etiam splenduit Alexander de Lellis germanus frater Ioannis; ex quo eduxere originem Honofrius,& ex Honofrio Donatus,& ex Donato Carolus de Lellis, hi ambo nempe pater, & natus Iuris prudentiæ peritia micant nostræ Domus Neapoli patrocinantes in causis,itaq; progenitam nobilitatem litteris, & prudentia cumularūt. Ad Ioannem recurrens oratio,in illa enim lacrymabili Romanæ Vrbis depopulatione Commilito extitit,atq; etiam oppugnator aduersus Vrbem Duce Carolo Borbonio,quæ accidit anno *1527.* dirigente totius militantis Ecclesiæ Gubernacula Clemente Septimo; hoc enim anno militiæ adscriptus est Ioannes; dehinc etiam pugnauit sequens Hispanorum stipendia cōtra aciem Pauli IV.& in quibuslibet armorum congressionibus,quæ eo bello se se opposuere, ipse belli gerauit,longum esset intexere, & superuacaneum singula,quæ clare gessit in armis, verum vtilius, ad propositum redire, est.

3

Parentū Camilli cōmēdatio.

Camilla initij matrimonij habuit ex Ioanne filium, cui nomen dedere Iosephum, qui adhuc infantulus migrauit ad Cælum, inde omnino desijt à conceptu prolis,& iam ad annos senectutis decurrerat, vltra quinquagesimum quintū, & prope ad sexagesimum festinabat, rugata fronte, ac dealbata coma, itaque cuncti ad concipiendum ineptā opinabātur;complacuit tamen Altissimo ex ste-

4

Camilla iam sterilis parens Camilli



VERA EFFIGIES P. CAMILLI DE LELLIS FVND. R.C.R.M.I.OBIIT. 1614 ÆTAT.65.ROMÆ



[illegible]

ili terra, vtpote Camilla iam annu florem dare pulcherrimum, Camillum scilicet, qui eximiæ caritatis odore compleret Ecclesiam vniuersam, & ex patre, qui tandiu contra Dei Ecclesiam dimicauerat, prolem surgere, vt damna, quæ intulerat parens maiori cum fœnore natus resarciret.

Dum enim Camilla in vtero Camillum gestaret, visa est in somnis, fœtum habere ducentem Crucis characterem in pectore, quem magna puerorum turba eodem insignita vexillo sequebatur, somnium, mulier in deterius, motu quodam fœmineo verti formidabat, ast rei euentus plane aliud indicauit, denotans Crucem, quam ipse, suique Religiosi perpetuo erant laturi; neque in domus suæ, ac familiæ exitium, vastationemque somnium vocari, natum quippe fore latronum caput, id enim totum mulier, consternata mente reuoluebat; quamuis a vero nimium non recederet; etenim Camillus vna cum suis patribus, atque Alumnis proculdubio caput latronum, & ductor, sed quidem spiritualis euasit, qui permultas à tartareis prædonibus animas abstulit, & à mortis truculenta falce corpora non pauca, illis opitulando, incolumitati restituit.

Somniū matris Camilli.

Cum dies vero partus Camillæ instaret, anceps parientibus, Ecclesiam adijt, ne tanto die festo Missæ sacrum omitteret; Cumque prope Altare Missæ Sacrificio intenderet, repente intra viscera sibi commoueri sensit infantem; voluissetque quodammodo Camillus in Templo à maternis visceribus exire, ibique fortasse ortus esset, ni festina mater domum redijsset, itaque illinc ædem suam repetens, in solario supra sellam se composuit, vt fœtum emitteret; attamen ea in sessione, neq; peperit, neq; quieuit, quinimmo vehementissimis partus doloribus excruciabatur, ac propterea inde velut excors resilijt, & à cęnaculo pręter omnium expectationem descendit in stabulum, vbi, quasi partus sui proprius locus extemplo quieuit, & in eo diuersorio, vbi animalia parere consuerant ibi Camillum faciliter, & feliciter enixa est. Exortus est Camillus tēpore Iubilei, quo Ecclesia Orthodoxa cunctis fidelibus thesaurum aperit indulgentiarum, & spiritualium munerum plurima impartit priuilegia, eademmet tēpestate bonorum omnium largitor Deus, ipsam insigni etiam dono decorauit, Camillum veluti amoris sui eximium donarium concedens. Cui congrue suo modo accōmodatur illud Beatissimi Præcursoris Dñi quid putas puer iste erit?

Parēs enixa est Camillū in stabulo.

Secunda tādem die ab eius ortu aqua baptismali lustratus est à Doctore Domino Francisco Corrado in Ecclesia Sancti Michaelis Archangeli, vbi Archipresbyreratus honore eminebat. Tenuerunt Camillum in baptismatis fonte Gentilis Barone à Turicella, & Simona de Vngnes eius Coniux, personæ satis claræ illius oppidi, & sanguine, & moribus. Puerulo Camilli nomen inditum est. quod profecto nomen luce laudis haud est vacuum, etenim Mercurius Camillum Deorum ministrum adsignificare contendit; infirmi enim Christi personam exprimunt, de quibus plane loquens veritas docet, Infirmus fui, & visitastis me, ergo Camillus, qui tot ægrotorum minister extit accuratissimus, vocari merito potest Deorum minister. Matrem vero dehinc Elisabetham appellarunt, propterea quod iam anus pepererat; & inter Ioannem, & Camillam solus inerat Camillus.

Aqua baptismali lustratur.

1557
sq; ad
1570

Anno Domini 1557. vsque ad 1570. Quibus in leuitatibus ineuntes ætatis suæ annos Camillus consumpsit.

LVX ista, vtpote Camillus, à Montibus Samnij exorta, visa est aliquandiu nubes inter subobscuras delituisse. quippe parentes, quamuis a pueritia sub præceptorum disciplina eum flectere studuerint, ipse vero vix grammaticæ imbutus rudimentis, spreta litterarum eruditione, & sub magistri custodia educari renuens, secutus est morem paternũ: cum æqualibus erat cōtēdens puerulis; ex litterarumque ad alearum ludum se tota mente conuertit, magnam diei partem in eo absumens. Insuper etiam in alijs ætatis illius puerilibus nugis se implicuit; quandoque etiam in pastoralibus eglogis partes recitando suscepit, qui optime eo in munere persona, gestis, ac voce populo gratus fuit; ex his propensionibus in puero, & initijs peioris mali argumenta inferebantur, quapropter maternum pectus (nam pater bellis vacabat) grauiter comprimebant; præsertim propter ea, quæ de filio fuerat somniata Crucem deferente, ac proinde tristis non parum mœrebat. & lacrymarum non exiguam emittebat copiam, inter hæc initia ætatis Camilli eius mater defuncta est. 1

n quo Ca-
illus pri-
ios annos æ-
itis suæ cō-
impsit.

Dignum quoque est de hac bona, honestaque muliere (ita occasio possit) aliquid inserere. Licet enim viro esset desponsata bellicoso, & raro domi confidenti; ipsa tamen viri absentiam, quasi coniuge deserta, intra ædium suarum parietes clausa suæ desertionis solitudinem sine quærelis ferebat; sedula domũ gubernans, familiam prouide regens, non propterea suæ immemor facta est salutis, sed intēsius ei consuluit; erat equidem in Ecclesia pro sui viri incolumitate Dominum deprecans, & in pœnitentiæ, Augustissimoque Eucharstię Sacramēto sumendo, non segnis, sed deuota, ac frequens, aliò tamen nusquam vaga; sero familia quiescente ipsa vigil orabat; Officium Sacratissimæ Virginis persoluens, aliasque ad Dominum preces effundens, itaq; oppidi mulieribus exemplar erat cunctis; cum enim quælibet illarum mundi huius vanitati vale decreuisset dicere, hisce vtebatur verbis sequar in reliquo vitæ meæ decursu Dominæ Camillæ vestigia, itaque in optimum prouerbium eius nomen vulgabatur, ex ea veluti bona, ac frugifera arbore (vt Dominus docuit) fructus bonus, idest Camillus prolatus est, quam vitæ integram, & commendabilem conuersationem melior secuta est mors; decessit enim quampluribus annis, ac virtutibus cumulata, munita tamen prius Ecclesiæ Sacramentis, ac præclara ęternæ prædestinationis inditia, linquens. 2

Mater Ca-
milli cōmē-
atur.

Orbatus Matre Camillus, Patrem quærere instituit eo consilio arma capiēdi, bellaque vna cum eo sectandi, decurrebat tunc annus ætatis suæ decimus nonus, quamobrem duos alios patria, sanguine, & ætate, ac propensione deuinctos sibi asciuit socios, inuento demum patre secum iuit, viamq; vna Anchonam versus arripuere, vt in eius Vrbis portu nauim conscenderent, Venetorum 3

Rem-

1557 vſq, ad 1570

Rempublicam cauſa petendi, ac ſumendi ab illis clariſſimis Dominis ſtipendia propter bella, quæ Turcę inferre parabant; ſed Dominus aliter diſpoſuit, etenim Anconæ ardens Ioannem cepit febris, quæ illum à mente præliandi auocauit, qua in Ciuitate aliquandiu commorati ſunt; vbi aliquantum refecto Ioanne inde Aprutij viam vna carpſere, & cum in Diui Lupidij Caſtrum deueniſſent, nō procul patens ab Sanctiſſimæ Viginis Lauretanę ęde, ibi iterum Ioannes recidit in febrim (de qua omnino non conualuerat) vbi in domicilium cuiuſdam centurionis ſui familiaris curatu admiſſus eſt; Camillus vero ſolers genitori ſuo cūcta animæ, corporiſque ſaluti opportuna, ac neceſſaria ſuppeditauit; Demum quia nouiſſima illius hora inſtabat, obijt. Dominus autem ſuæ immenſæ bonitatis theſaoros Ioanni adaperuit, qui tamdiu fuerat contra Eccleſiam Orthodoxam partes ſecutus, in extremo tamen vitæ ipſum Eccleſiæ participem Sacramentorum miſericorditer effecit; eius deniq; corpus in ſepulchro Templi S. Franciſci eiuſdemmet Oppidi conditum eſt, abſolutis antea à Camillo honorifice iuxta morem funeribus,

Obit Ioānes pater Camilli.

Non ſine graui cordis mœrore, ac planctu lethum patris Camillus ſuſcepit, ſe vndique adoleſcentem, parentibus, ac bonis orbatum animo aduertens, quandoquidem præter arma militibus communia nihil Ioannes, quod filio linquerer, tū poſſedit; Diuina ſic diſpenſante ſapientia in eos milites, qui aduerſus Eccleſiam ſuam arma mouerant; in has inſuper ærumnarum vndas, nouæ ſubintrarunt tempeſtates, occaſione ſubillata ex quodam vlcere, quod in leuam tibiā ſupra pedis iuncturam irruperat, de quo tamen breui Camillus conualauit; ſed paolo poſt acriori, ac maiori morſu eundem in locum, at in dextram tibiā vlcus inſiluit; quo renaſcente męſtiſſime eius ictum retulit Camillus, tamquam ſuis conatibus aduerſante, & militiam, cui adſcribi nitebatur, præpediente, veruntamen ex eo, pleraque bona, tanquam ex medicamine ſano pullularunt; nā ipſo mediante vlcere Dominus Camillum à temporali militia ſegregauit (vt indicabimus) ad meliorem frugem illum reuocando, didicitque agnoſcere, compati, & opitulari potiſſimum pauperum ægrotorum neceſſitatibus, quam porro plagā veluti ſponſam indiſſociabilem perpetuo ſecum habuit: Id quidem vlcus in eum irrupiſſe non aliam ob cauſam, quā ad Dei ſummi gloriam fateri cogimur, à quo tot ingentia, & pene innumera bona prouenerunt, vt latius ſuo loco dicendum reponitur.

Initium vlceris Camilli.

5

Itaque cæptum iter in ſamnium proſecutus eſt, peruenitque Camillus Firmium, vbi cum ab vlcere, lentaq; febri modicum perturbaretur, ibi per aliquod ſed breue tempus commoratus eſt; erat enim die quadam ea in Vrbe præ tædio morbi quieſcens in media platea; quando ecce ante oculos ſaluberrima ſe præſtitit occaſio, quæ mirifice, ac lepide animum Camilli, tepidamque mentem expergeſecit (ſæpe enim numero magis commouent, quæ oculis obijciuntur, quam ea, quæ per aurem demittuntur) vidit enim inde prætereuntes Seraphici Ordinis D. Franciſci duos de Obſeruantia Fratres, qui mira oculorum compoſitione, vultuq; demiſſo, & graui totius corporis modeſtia incedebant, ſatis enim, ſuperque ab externis, honeſtiſque faciei occurſibus mentis compoſitionem pręſe ferentes; adeo valuit in Camillo huiuſmodi obtutus; vt totus à ſemetipſo mutatus (ſic Domino eum excitante) & quaſi in corde vulneratus votum eam Religionem ingrediendi emiſerit; quod extemplo opere compleſſet, ſi tum exequendi modus ſe ſe obuius feciſſet, quinimmo Amiternum verſus iter arripuit.

Emittit votū Religionis S. Franciſci Camillus.

6

Ad quemdam eiuſdem Ordinis ſuum Auunculum tunc temporis eadem in

1157 sq; ad 1570

entat Camillus indui religionis Francisci habitu

Vrbe guardianum in Conuentu S.Bernardini nuncupatum Fr.Paulum Lauretanum sua tempestate Religiosum, virtute, ac doctrina satis spectatum, contendit; qui in Hispaniarum Regnis munere Commissarij Generalis sui Ordinis perfunctus fuerat; ad eum cum accessisset Camillus suam adoperuit intentionem, votumque, ac propterea humili sermone instanter ab eo poposcit in eius Religionem admitti; Auunculus vero Camilli praue affectas vires contuens (nondum enim satis ab infirmitate valuerat) fuisseque hactenus ab hoc proposito longè remotum, quamobrem arbitratus eam non esse de Cælo immissam vocationem, ac proinde illi habitum denegauit, vel forte dedit ei repulsam, vt euidentius periculum faceret, an spiritus ex Deo esset, quo in Religionem ducebatur; sed illi primo spiritualium armorum congressui terga vertit Camillus ; nondum autem eius tempus aduersus infestissimum hostem præliandi, & Dominica sectandi vestigia maturauerat, quapropter se aliorsum conuertit.

7 Excogitauit enim ab vlcere conualescere, & dehinc militiam amplecti (dedecere penes se dicebat militem claudicare) post vero moram aliquot dierum habitam Aquilæ, instituit se Romã cõferre, vbi chyrurgos magni nominis adesse audierat, quorum opera quamcito liberum ab omni plagæ molestia euasurum putauit; Cum eò peruenisset Nosocomiũ Diui Iacobi Incurabilium adijt, ibiq; præter sui vlcerijs curationẽ, ministerio quoq; infirmorum aliquãdiu se addixit, quo in Nosocomio paulo amplius mense perdurauit (quomodo enim in ferendis putoribus, & ægrotorum impatientijs, poterat esse Camillus sufferens ? qui miles feroci, & indomita monte feruebat?) vnde Hospitalis valetudinario renuẽs obsequi ab eo extra dimissus est; præsertim cum oporteret, ægris, propiæq; curationi incumbere, ipse aleis inuigilabat, & plerumque cum cæteris Nosocomij famulis rixabatur; idcirco quamuis ab vlcere adhuc torqueretur, coactus tamen fuit nouam sibi quęrere viuendi rationem ; sed quam aliam nisi paternam, quæ iuxta sui propositi normam extitit? nomen quippe militiæ dando.

Vlceris curationi, infirmorũ quoq; ministerio incumbit.

8 Itaq; anno Domini 1569. sub Pontificatu Sanctissimi Patris, ac Pastoris vniuersalis Pij Papę V.Catholico Rege in vtraque Sicilia dominante Philippo Secundo, primitus Romæ bello Camillus adscribitur, quamuis propter vlcus male sanus, ardens tamen desiderium, & indita quodammodo à natura propẽsio vim, & audaciam præliandi suppeditarunt ; non tamen aduersus Dei Ecclesiam, vt olim eius parens ausus fuerat, sed pro Orthodoxæ fidei defensione, ad bellum itaque se accinxit contra Turcarum aciem Regis Solymi, nitentis uiolenter, & absque ullo iustitię colore Venetorum Rempublicam Regni Cypri dominio abdicare; tum Camillus miles stipendiarius decursu annorum trium per dominiũ ipsius potentissimæ Reipublicæ uagatus est; munima, & acies illius custodiendo a millesimo quippe quingentesimo septuagesimo, usque ad 1573. quo tempore secuta pace ambæ inter se dissidentes partes ab armis destiterunt, cum amissione tamen Regni, & non sine maximis utrinque, & sanguinolentis prælijs, id totũ sic Deo permittente, ut quemadmodum alia Grecię Regna, istud item Turcarũ dominatui subderetur, ob gentis illius fortasse funesta facinora, nec usq; adhuc eius recuperatio tentata est, putantes Venetorum patres semel amissam Insulã asperrimum fore posse ab illius ferocissimæ belluæ faucibus, utpote Turcarum Rege, diuellere; ast eorum Tyrãnis tripudiabit, donec sentient iustum Dei vindicem gladium prorsus ipsorum audaciam uastatum ire ; sed facta digressione ad terminos unde exiuimus redeamus ; quæ in his certaminibus Camillo se obiecere sequentis anni relatione dicetur.

Camillus in militum albo scribitur.

Annus

1570 vſq; ad 1575

Anno Domini 1570. vſque ad 1575. & ætatis Camilli 20. per totum 24. quo annorum interſtitio militiam profeſſus eſt, quæ illi inter has temporum acerbitates obuiam veniſſent, narrabit pagina.

HOC penè luſtro, & inter hanc bellorum ſæuam procellam, magna fuere, & aſperrima, quæ pertranſijt Camilus, ac perpeſſus eſt incommoda, pelago, terraque, in præſidijs præſertim Iaderæ, quo fuerat immiſſus, Illyrici perfrigida Vrbe; in perpetuis enim ibi mortis terroribus, vna cum alijs Commillitonibus conſiſtebat ob inceſſantes hoſtium incurſiones, quæ magno cum Venetorum detrimento, locorumq; deuaſtatione ſequiebant. Hic autem Camillus aliud vitæ diſcrimen incurrit cauſa ludi; Dum enim ipſiuſmet Vrbis præſidijs incumberet, ad ſingulare vocatus eſt certamen ab alio Commilitone, ſeu potius ipſe monomachiam excitauerit, incertum habeo; planum eſt vna ad locum duello præſcriptum contendiſſe, & iam ſtricto enſe eorũ lites præcidere parauerant; ſed ſubita voce militiæ Ducis perterriti, ne vlterius procederent, ſtetere; hincinde actutum diſſolutum eſt iurgium.

Camillus cauſa ludi vitæ diſcrimẽ incurrit.

Quæſitum eſt, num excommunicationis ſententiam contraxerint, aduerſus monomachiam committentes indictam; in propatulo eſt, non illam Greg. XIII. incurriſſe, quandoquidem anno Domini 1582. fulminata eſt, neque Clementis VIII. qui longe poſtea ſucceſſit; Camillus vero id certamen iniuit 1571. nec quidem cenſuram nemini reſeruatam Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. quod incipit, deteſtabilis duellorum vſus; vbi cautum eſt exigi pugnæ executionem, per ea verba, (qui pugnam commiſerint,) ſed in caſu noſtro nulla ſecuta eſt pugna, idcirco nulla contracta eſt cenſura, quia ſolumodo ad monomachiæ locum conuenerant.

Illinc anno 1571. miſſus eſt Commilito in præſidium Phęacis Inſulæ (quam vocamus Corphu) ad oſtium maris Adriatici conſiſtentis, vbi hyemauit, hic præter alia, quæ pertulit aduerſa duræ famis, acris frigoris, habitationis in tugurio ex leuibus ſarmentis more animantium confecto, ardentiſſima febre correptus eſt; cui morbo ſuperaddita eſt diſſinteria; vnde mortem imminentem in dies ſingulos, quinimmo per momenta opperiebatur, deſtitutus medicorum, ac medicaminum adiumento, reliquiſque ad vitam ſubleuandam ſpectantibus alimentis, quapropter proximum lethum præſentiens Confeſſarium ad ſe iuſſit accerſiri, cui integre, ac in vniuerſum ſuorum peccatorum turpitudines magna cordis compunctione, & lacrymarum profuſione adaperuit, quid poſthac exortum eſt? Ipſum Camillum teſtãtẽ audiuimus, impenſa ſibi à Sacerdote Sacramentali abſolutione priſtinas adeptum fuiſſe vires, quod Sacramenti Pœnitentiæ virtuti merito adſcripſit; noluit .n. illi Deus vitam adimere, ſed à ſom-

Euadit mortis periculũ ob diſſinteriam.

1570 vsq; ad 1575

no potius anteactæ professionis excitare, quem ad multorum asseruabat salutem.

3

Ex hac præpeditus ægritudine eodem instante anno 1571. Nauali bello a Christianis fœderatis Principibus parte ex vna, ex altera vero à Rege Turcarum inito, Camillus interesse nequiuit; quando nimirum Christiani nominis propugnatores excelsa cum gloria de inimicis triumpharunt nonis Octobris in mari Ionico prope Insulas, seu scopulos Echinadum, vel (vt dicunt) Cruzzolaros; Dei placito propitia flante Christicolis aura fumum in oculos inimicorũ impellente, qui vltra ducentum, & quinquaginta de Turcarum ratibus triumpharunt; Christianam Classem tum dirigente felicissimo Principe, ac Duce Generalissimo Ioanne de Austria, in quo conflictu per quinque iugiter horas à 17. ad vsque 22. præliati sunt, sed reuertamur vnde exiuimus. Quamuis enim ægritudo Camillum ineptum reddiderit, non tantum ad præliandum in his congressionibus, verum etiam ad nauigandum; nihilominus postero anno, recuperatis viribus, & refectis ratibus ab eisdẽ confœderationis Principibus, præliaq; resumentibus, ac victoriæ fortunã sperantibus interfuit Camillus, at vero hostiũ Triremes euerti; iterumque in seruitutem redigi trepidantes, simul cum nostris congredi deuitarunt, quinimmo die quodam cum se hinc inde opposuissent nauigia, & pugna propior esset. Turcæ conuersis puppibus, remisque insistentes, sensim se elongarunt, fœdaq; fuga bellum declinarunt, interim nox vmbrarum amica superuenit, quæ prælij timores omnino dimouit, nostræque Triremes in Messanæ nobilem portum se collegere, quẽ circumornat, & illustrat, quasi præstans monile magnificarum ædium nouissime erectarum corona, vnde ambiguum est, num à palatijs portus nobilitetur, an ipse potius illa decoret, verum ad ornatum ambo pulchre concurrunt & amice.

Supernaualem classem conscendit.

4

Camillus verò in commemoratæ Reipublicæ Venetorum stipẽdijs perstitit, maria illa discurrens sub prouisore Blasio Soranzo, qui vna cum triginta nauibus in Dalmatiam transmeauit ad Varbaguensẽ Arcem expugnandam à Turcis erectam propter obsidendam Cattari Ciuitatem. In ea nauigatione plura se obiarunt mortis discrimina, à quibus ereptus est Camillus prope Diuino miraculo; etenim cum noctu sub Castro nouo, Turcarum tutissimo munime, nauigia consisterent, aduersus ea sæpius instrumenta bellica insonuere, immissique sunt globbi complures contra triremem, vbi inerat Camillus, nullam tamen sensit læsionem. Ceterum diu aduersus dictam Arcem Varbaguensem dimicarunt; multoque tempore mare, terraque osibdione cincta est, demum nostri illam post laboris, ac certaminis longam moram superarunt, funditusque euerterunt; in his armorum conflictibus, & toto eo tempore obsidionis Camillus interfuit, strenueque pugnauit.

[..]e obsidioni [..]rcis Varbaguẽsis interuit.

5

In quo cõflictu quidam humanitatis singularis radius effulsit in Camillo, etenim impellente, & cogente famæ nostrorum exercitus carnibus Turcarum vescebatur, & frixis epatibus pro edulio vtebatur, id vero inhumanum, & abominabile semper Camillo visum est, atque adeo abstinuit (vt quondam illi Sanctissimi Machabæi Suinam carnem comedere dedignanti sunt) potius ali deligens more pecudum herbis, vel equina carne, quam illa esca humana se contaminare; sustinere quidem vix eos poterat, quasi in demortuos hostes sæuientes. Expugnata tandem Arce, compositisque Venetorum controuersijs cum Rege Turcarum Solymo, sequenti anno nimirum 1574. Neapoli denuo in militum Albo descriptus est; itaque in Hispanorum Catholici Regis classem pertransijt,

[..]ãsit ad [..]ndia Hi[..]anorum.

indeque

1570 vfq; ad 1575

indeque triremes Vrbis eiufdem confcendit, qua in nauigatione prope fauces Infulæ Caprearum, (hæc enim parua Infula, fiue magnus, & prominens fcopulus, à Ciuitate Neapolis milliaribus triginta diftat, & à proximiori continenti quatuor millia paffus) adeo ventorum vis, marifque impetus, & aquarum cumulus, cælique afpectus æneus imbribus, ac fulminibus redundans fæuijt; vt proculdubio fummergi expectarent ni vehementiffimus flatus in triremis malũ impeteret, & vna cum Carbafo fractũ in pelagus tranfueheret, hac itaq; via naufragium euaferunt; omnium enim Gubernator Deus fibi complacuit, illos feruare incolumes, ne feruus fuus (vt arbitramur) Camillus, qui multa ob eius dilectionem in pauperum emolumenta erat patraturus, obrueretur in vndis.

Hinc profecuti funt nauigationem in Africam Tunetem verfus, qua Hifpaniarum fortiffimus Dux Ioannes de Auftria paulo ante potitus fuerat; & has deftinauerat ituras triremes, vt quatuor eo traducerent centurias ad Vrbis illius præfidium. Cumque nauigia Tunetem oppuliffent, à ducibus, qui Vrbis cuftodiæ præerant, nefcio quibus de caufis, prorfus repulfa funt; indeque remeantibus infelix vrbis eiufdem auditus eft cafus Synam vtpote Baffan nauitigiorum, & militum ingentem apparatum Tunetem tranfuexiffe; quo & vrbem expugnauit, & arcem euertit, opera iam ipfius Domini Ioannis de Auftria constructam, cum eorum omnium internitione, qui Regias partes tutati fuerant, in quo cruento conflictu ingens Turcarum multitudo moriens præceps ruit ad orcum. Nauigia porro quę Neapoli difcefferant, vbi adnauigabat Camillus Panormi in portum contenderunt; ibique militibus exonerata funt. Hinc in ludis fuo de more tempus obfumebat Camillus, & quidquid habuit, iftic perdidit, ludẽdo, fequens eum aduerfa fortuna, nõ enim animaduertebat à Deo fibi immitti, vt omnino ex ea praua ludendi confuetudine fe abalienaret; & quemadmodum à litterarum ludo adhuc puer ad alearum ludum deuolauerat, fic pariter nũc ab eo ad nobiliffimum virtutis ftudium, fpiritualemque militiam fe conuerteret; attamen difficile inueterata in malo mens humana mutatur.

Nauigat Tunatẽ verfus.

Aleis operã dat Panormi.

Idcirco in deterius verfus famofiores alearum lufores quęrere deftinauit; quapropter propriam linquens centuriam, in aliam cuiufdam Fabij Ducis, feu Capitanei migrauit; illic enim fama erat perditiffimos in ludis verfare milites, qui à Camillo vndequaque perquirebantur, & inuentos confectabatur. Quamuis autem adeo fuerit in ludo Camillus implicitus, & addictus, non fine tamen occulto Dei permiffu id contigiffe credere æqum eft, quandoquidem eiufmodi occupatio tametfi alioqui non commendabilis, à plerifque fiquidem turpitudinibus plerũq; auertit, quibus huiufmodi militaris gens otiofa confuefcit cõmaculari.

Panormo decedens Neapolim regreffus eft, nauigans fupra eafdemmet triremes, in hac item nauigatione alteram paffus diram tempeftatẽ tres dies, atq; noctes, quapropter Camillus ingenti timore perculfus, quod iam femel emiferat Religionis S. Francifci votum confirmauit; fluebat enim adhuc annus 1574. 5. Kal. Nou. qui tandem Cælefti gratia freti illud terribile, atque immane maris periculũ euafere, illæfiq; Neapolim adiere oẽs, quo properabant; vbi Camillus eft ab onere militiæ abfolutus; in hac item Vrbe forrunã denuo tentare in ludo cõtendit; fi forte, quam aduerfam Panormi expertus fuerat, iftic fecundaret, fed magis, magifque fibi oppofitam agnouit per integrum menfem. Cum enim femel fub militiæ vexillo eadem in Vrbe Neapolis in via Diui Bartholomæi ludens, omnia perdidiffet, nec haberet quod ludendo amitteret, interula, quæ illi remanferat, fe expoliauit, ludo expofuit, quam etiã perdidit; ipfe fua vecordia, &

Subucula fe expoliauit, eamque lufit. Nec in ludis blafphemus fuit.

his

1570 vsq; ad 1575

his modis, quasi verberibus, satis, efficaciterq; à sęculi huius amaritudine expergiscebatur; sic contemptus, & mundi improperiā sustinens, ac extremā pauperiē, vt Dominum quæreret, & ad pœnitentiæ lauacrum recurreret, vocabatur: quandoquidem vexatio dat intellectum. Habent siquidem lusores, & peccatores comitem Camillum, habeat Camillus diuinæ legis præuaricatores, & alearum lusores in pœnitentia, & charitate collegas, & si secuti sunt errantem Camillum, (vt D Ambrosius annuit in correptione Teodosij Cæsaris) sequantur etiam pœnitentem.

8 Citra dubium est omni Camilli vitam agnoscenti; maximopere illum in aliarum ludos fuisse propensum, & in eis integros interdum dies cum noctibus coniunxisse, & quod durius est, quamuis in ludo aduersam quasi iugiter expertus sit fortunam, non ab eo tamen destitit, nisi deficiente Crumena, vel alia ludendi materia; attamen quod dignum est consideratione, nusquam propter ludum ex ore ipsius verbum exijt blasphemiæ, execrationis, seu maledicentiæ; nec aduersus Cœlum, nec contra mundi huius creaturas oblocutus est, quod non tantum obseruatum à Camilli sodalibus percepimus, verum ipse quoque suo ore fassus est. Quando enim subaudis famosissimum fuisse lusorem Camillum, ne decipiaris quæso, vsum fraude in ludo fuisse, vel à quopiam aliquid, furatum esse, vt luderet; quinimmo maluit subucula se expoliare, eamque in ludo amittere, quam aliunde minus honeste ludi materiam sibi congerere.

9 Cæterum erubescens (vt ad propositum redeamus) amplius in Vrbe Neapolis commorari, & coram notis, suisque necessarijs fractis vestibus ambulare, assumpto sibi comite, & commilitone Tiberio Senense nomine, in Apuliam iter direxit, deuenitq; Manfredoniam (ardebat adhuc in eo bellandi cupido) vt sumpto iterum stipendio in Dalmatiam migraret, vel potius in Africam, aut alio vbicumque bella ingruerent aduersus Christiani nominis hostes; sed sua spes ipsum fefellit, quandoquidem inibi in albo milites non admittebantur; hæc res non exiguam Camillo attulit animi depressionem, potissimum quia arte, pecunijsq; carebat; cum itaque illi modus, quo vitam transigeret, non suppeditaretur, necessitate coactus, eleemosynis fidelium alimenta sibi comparare decreuit magis, quam indignum aliquid rapiendo, vel furando patrare; itaque pridie Kal. Decembris, quo die Sanctissimi Apostoli Andreæ festum recurrit, præfati iam anni, in limine portæ Templi eiusdem in Vrbe Manfredoniæ, quando sacra Missæ peraguntur, aperto capite ab introeunte, & discedente populo submisso vultu præ verecundia stipem languida voce flagitauit, vbi non mediocri suffusus erubescentia emēdicauit, aliorum quoq; grauiter sensit irrisionē, ipsum spectantium militem statura procerum, & ætate floridum, mendicantem. Dominus vero in ea importunarum cogitationum turbine, & contemptu, omnino Camillū non deseruit; quinimmo opportuno ipsum solamine contutatus est, virum illi obijciendo, qui præter impensam stipem, rationē insuper viuendi ipsi præscripsit. Adhuc enim laicus pręparari incipiebat ad varia mortificationum genera, quibus Religiosus erat se subiturus: sic Sapientia æterna, quæ cuncta suauiter disponit, moderante.

Emendicat.

10 Erat enim in ea Vrbe vir quidam nobilis virtute, & sanguine conspicuus, ætateque prouectus, nomine Antonius de Nicastris, qui inde transiens, intuensque Camillum adeo despicabilem, laceris que vestibus sic stantem, ac mendicantem, cōmiseratione exitus, post exhibitam eleemosynam, ipsum euocauit, petiuitq;, si forte vellet laborando vitam traducere, opportunam illi offerri occasionem,

Linquit socium, & Manfredoniam petit.

inser-

1570 vſq; ad 1575

inſeruiendi quippe ibidem operibus fabricæ Cappuccinorum Fratrum,cui ſubdidit Camillus ſe poſtero die reſponſa daturum,poſtquam verba cum ſuo ſodali feciſſet, qui comperto ſocij contrario voto, ex ea Vrbe ire decreuit, cauſa perueniendi Barolum, atqui vix ad Ciuitatis portas commeauerant, cum repente Camillus ex ſenis verbis, quaſi tot ſtimulis exagitatus, ferme vlterius progredi nequibat; propterea quod iam ſibi oblatum fabricæ miniſterium contemplerat; à Domino forte ſibi paratum, illumque ſenem cælitus meditabatur ſibi immiſſum; quapropter nedum confectis milliaribus duodecim, nec renuere Diuinæ vocationi audens,nec pene valens plus itineris conficere,petita à ſocio venia, Manfredoniam remeauit, poſtea voce prodidit,ſpatium illud itineris breuiſſimo interuallo peregiſſe, & minime ambulaſſe, ſed potius peruolaſſe,viſus eſt.

Fabricę operi inſeruit, vna cũ duobus aſellis.

Ad Senem ſe conutlit, ab eoque inſtanter petijt in fabricæ opera intrudi, libenter vero, grateque Camillum Senex excepit; Cœnobij Guardiano qui nomen Fratris Franciſci à Modica acceperat, obtulit; in opere itaque ædificij cũ eſſet applicitus, duos illi cuſtodiendos aſellos tradiderunt, vna cum ipſis,vt inſeruiret, neceſſaria fabricæ, lapides nempe, ſtabulum,aquam, & quidquid amplius opus foret,vehendo; nouũ quidẽ,& rarũ erat Camillũ intueri, qui ad ſonũ feri Martis,ferox miles excitabatur,pigrorum iam factus eſt animantium excitator, & aſſecla; & qui cum hoſte audax contenderat, modo viliſſima poſt bruta currit. Quibus in exercitijs, ac laboribus Camillo non defuere perurgentia dæmonis tentamenta; ſemper honeſtis ſe opponentis initijs, & quidem defeciſſet; ni peculiari à Domino protectus fuiſſet auxilio; quandoquidem pueri ipſum ſignis, riſuq; aſpernabãtur geſtare contuentes balteum, laceraſque veſtes, irridebãt;ſic diuino factum eſt volitu,vt dum à cæteris contẽneretur humilitatis iaceret fundamentum in anima, ad æquanimiter ferenda aduerſa, quæ poſtmodum ad meliorem frugem conuerſus erat laturus.

Illuditur à pueris.

Neque enim hoc ſolo ictu eum perculiſſe, Tentator quieuit; profecto ſæuioris inſidię ſuſtinuit bellum,nimirum Tiberius Camillo perfamiliaris, eiq; ob aſſiduum Contubernium admodum charus, ad eum diuertit, ſecum in edificijs miniſterio commiſcens,vbi aliquandiù vna laborarunt;ſed Tiberius breui defecit, cæpitque operum fabricæ tædere, prauamque, qua erat affectus, voluntatẽ in Camillum nixus eſt transfundere; præteritamque militandi rationem, libertatemque illi inſerere, auebat: parum enim abfuit, quominus Tiberio Camillus adhæreret, & illinc ſimul abirent; ſuggerebat enim illi difficultates; ærumnaſque præſentis exercitij, ac vilitatem,econtra vero in militia libertatem, priſtinos cum ſodalibus ludos, & cauponas,familiariumq; contubernia,& alia pleraque militum oblectamenta: hoc mollium vn[illegible]rum impulſu Camilli mens agitata eſt, ſed diuino fretus peæſidio in naufragium præceps nequamq; ruit; quinimmo libere Tiberio reſpondit; ſe omnino velle in eo ædificiorum miniſterio permanere,inibiq; hyemare; ac proinde ſolus Tiberius abſceſſit, quamuis adeo mœrens, quia ſecum non traxerat Camillum;qui Cœleſti gratia munitus,optimiſque Patrum Conſilijs Capuccinorum,ſanctiſque cohortationibus,per totam inſtantis hyemis intercapedinem illic laborando perſeuerauit. Inde certe propriæ ſalutis exordia erant emanatura,quãuis interim parum,vel nil de voto cogitaret, cui erat obnoxius, ſed tantum vere properante,bella repetere;attamen in diuinis,& inexcrutabilibus decretis aliter erat cautum,noluit enim Dominus eam defluxiſſe hyemem, quin Camillus ſua crimina lacrymarum pluuia lueret; vt venientis anni materia pandet.

Graues inſidias ſuſtinet, linquendi onera fabricæ.

1575

Anno Domini 1575. Anno Sancto, Anno ætatis Camilli 25. Hic suæ Conuersionis ad pœnitentiam exordia memorantur.

1 IN præcedenti Iubilei anno in hanc lucem exiens à maternis visceribus Camillus lætos effecerat parentes, in hoc autem corrigens sua mala facinora, plantu, cælestibus gaudio est cohortibus, terrorique dæmonibus; quemadmodum hoc euenit, sicut sapit mens mea gracilis explicabit.

2 Interea Camillus in hisce fabricæ laboribus cum detineretur, Fratribus Cappuccinis præ se obtulit occasio, Asellum mittendi ad quamdam vini eleemosynã deferendam ab Arce Sancti Ioannis, non procul seiuncta à Manfredonia; ac propterea Camillum destinarunt, vt illinc eam adiumento Aselli duceret; qui obsequens eo ad Capuccinorum Conuentum deuenit; vbi mero animal erat onerandum, sed quoniam Sol ad occasum iam properauerat, vsque denuo oriretur ibi demoratus est; mane Camillus tempore antelucano expergefactus dimitti attendebat, dum verò expeditioni extrahendi vinum à Cado Fratres incumberent; Guardianus Cõuentus Sancti Ioannis, Camillo appropinquans, alia, sed celsiori ipsum imbuit caritate, spiritali quippe cohortatione; inter alia de mundi contemptu disseruit, atque subdidit, parui esse veternosi serpentis tentamenta pendenda; potissimum quando sordidis, inhonestisque cogitationibus (vt assolet) mentem fœdare conatur, tunc esse in eius vultum expuendum, afferebat; quæ verba salutis non veluti semen in viam, seu inter spinas iactum verè; sed in pingui terra, vt pote in corde Camilli fœcundo contectum est, & non secus atque ab Angelo lucis effusum sermonem in ventre memoriç, seruauit (erat enim Patri Guardiano nomen Angelus) qui perinde ac Cælestis Angelus Camillum his verbis illuminauit; onerato demum Asello mero ipse super insedit (poterat enim vtrũque commode animal ferre). Manfredoniam versus contendit, quæ illinc tantum aberat duodecim milliaribus inter autem agendum iter, sermonis Patris Guardiani meminerat, secũq; ea Camillus ruminans, tanta superuentus est mœstitia, ac præteritorum criminum pœnitudine, cordisq; compunctione, vt quasi cœlesti gladio transfossus, vel lumine tactus in terram decidit, non valens se amplius super brutum animal gubernare.

Præ nimio merore suo rũ delictorũ à bruto animali in terrã decidit.

3 Et quasi aliter Saulus, in paulum mutatus, quærebat in quo Dei placitũ adimpleret, sentiebat enim sibi cor in minutissimas partes præcidi, mediaq; in via, vbi cecidit ex oculis lacrymæ, sicut riui fluebant, humumque rigabant, sed animam tergebant, saniemq; criminum radebant, & genuflexus supra lapidem, qui casu ibi aderat, suspiria, ac lamenta quamplurima dabat, atque singultus, lapideum eius pectus emollientia, multaque doloris, ac timoris promiscua verba interseruit, quasi Euangelicus publicanus pectus contundens, lumina ad Cœlnm tollere nequam ausus fuit, sed plorans in verba irrupit eiusmodi; heu me miserum,

Media in via deplorat sua crimina.

& in

& infelicem, quid antea non te agnoui mi Domine? quo ad vsq; contra me irasceris? vsquequo aures meæ, te non audient vocantem? tuis paternis verberibus, cur nō expergiscar? hem quid maiestatē tuam toties temere, me ipsum deturpando, ac dilaniando, læsi? Satius mihi fuisset huius lucis beneficio caruisse, quam dignissimo tuæ bonitatis, & gratiæ lumine indignum me constituere; interim latus exibat à corde ploratus per genas in terram defluens, precor tandem, ait, vt me post te attrahas; & hunc funestū peccatorem conuertas, tuoque amore benigniter gelidum hoc pectus incalescat, aperi mihi quæso tuæ dilectionis immensum suauitatis fontem. Hæc, & alia eiusmodi verba inculcauit, firmissimo animi decreto eam vitæ formam commutandi in melius, sectandique enixe virtutem, donec alitus in artubus corporis foret superstes, quod indesinenter, & viriliter posthac asseruauit.

Demum ab humo surrexit, & cæptum prosecutus est iter; sic denique innouatus, ac Cycno candidior effectus, quam sæpissimè, suauiterque ora in hæc verba relaxabat, nil mihi, & mundo, mundum penitus abhorreo; Manfredoniam interim in Fratrum Cœnobium deuenit; in posterum vero tamquam sæuissimum hostem, vel venenatam belluam mundi blandimenta vitauit, eademque hora iterum firmo animo constabiliuit deinceps nulla se commaculaturum culpa perquāuis leuissima, quod procul dubio totis conatibus, prout dictū est adimplere contendit sicut eius vitæ series, & integerrima conuersatio comprobauit; votum Religionis iterum cōfirmauit; Desiderio autē vestiendi habitu adeo ex tunc exarsit, vt affirmaret, si ille obuius iuisset dū Manfradoniā pergeret, eo protinus se induisset; gratasque incessanter Deo innumeras pro accepto conuersionis dono referebat, qui ipsum ab imminentibus mundi huius periculosis, ac procellosis flagitiorum Scyllis segregauerat, spatiaque concesserat pœnitentiæ, atq; pro culpis elapsis tempus satisfaciendi idoneum. Decurrebat autem tum annus sanctus 1575. & Summi Pontificatus Greg. 13. Tertius, at Camilli 25. dies vero IV. Non. Febr. celeberrimę Festiuitati Purificationis Sanctissimæ, semperq; Virginis Mariæ, dicata; hoc enim die merito Camillus renascitur, quo Festo Sacratiss. V. Purificatio incidit, vt in eo quippe maxima lacrymarum pluuia se purificaret, meritis, & interuentione eiusdem Purissimæ Matris, sub cuius auspiciis spiritualiter erat præliaturus (abiecto militari clypeo) quam profecto sollemnitatem summopere posthac veneratus est.

Obseruatur tempus conuersionis Camilli.

Cum denique (vt ad propositionem meam reuertar) exonerasset vino asellum, consuetisq; in locis merum reposuisset, illico genuflexus terram deosculatus est, iteratas Deo Summo Benefattori grates persoluens, non sine noua lacrymarū emanatione, petiuitq; à Patre Conuentus illius Guardiano suæ Religionis habitum, & singula (adstantibus, atque admirantibus cæteris Fratribus) quæ illi per iter euenerant sigillatim enarrauit; ob subitam Camilli mutationem vna Fratres gauisi sunt; quandoquidem eius pristinam ab illo instituto diuersam agnouerant conuersationem; propterea Deo O. M. bonorum omnium largitori gratias simul exhibuere, illumue præ lætitia complexati sunt, & insuper Pater Guardianus pollicitus est, se omnem impensurum operam, vt ad habitum à Patre Mōte Flore admitteretur, cuia Nouitiorum receptio intererat, tum absente, attamen eius regressus propior instabat.

Petit habitu indui Capucinorum.

Interim Camilli ratio viuendi, penes omnes tum Religiosos, cum etiam fabricæ operarios admiranda, & conspicua excelluit, etenim præter assiduos labores in subministrando structioribus cœmenta; sponte sustinuit etiam plura Cō-

uen-

1575

Noua viuẽdi forma Camilli.

uentus illius onera, quippe cum vel sero, vel interdiù vacaret ab opere, Monasterij exercitijs intendebat, atria, seu domum, vel Fratrum Ecclesiam verrendo, patinas, atque etiam alia popinæ vasa tergendo; quandoque in horto fodiebat; hæc, vel similia, vt exequeretur, sæpenumero ab oculis sibi necessariũ somnum ademit: neque fuit excors, in his, quæ spiritualia exercitia nuncupãtur, quandoquidem mens eius in his exterioribus etiam occupationibus eleuabatur: namq; verrendo, seu fodiendo excogitabat, quo pacto posset ab animo reluctantes prauorum affectuum euellere plantas, fœcundasq; inserere, omniq; labe cor emũdare; assiduus item erat, ac sollicitus in expiandas per pœnitẽtiæ Sacramentum à conscientia perquamleuissimas peccati maculas, ac præteritis habitibus in euertendis; vescebatur etiam sæpius, admodumque deuote cœlesti cibo, Augustissimo vt pote Eucharistiæ Sacramento; orationibus instabat, cum Fratribus noctu ad matitutinas horas, quando insurgunt, sæpe intererat, dignas Deo corde, & ore laudes decantans, seque cum ipsis itidem disciplina corpus flagellans; demum, dum cessaret ab opere fabricæ non otio vacauit, sed vna cum PP. in aliquo pio exercitio intẽtus occupabatur. In seruandis enim Dei præceptis, & Ecclesiæ Solertissimus fuit; ieiunia inter tot mortificationis, & ærumnarum conflictationes, nusquam prætermisit. Quinimmo Reuerendo Patri loci Guardiano ipsum hortanti, vt paulo minus secum ageret, proprioque corpori aliquod lenimen concederet, & aliquantum ieiuniorũ asperitatẽ, & assiduitatem attẽperaret, præsertim Quadragesimalium; his dictis satisfaciebat Camillus, leuia esse, & nullius momenti, quæ ab ipso fiebant, duriora pro suis delictis patrare oportere, ac sustinere, vt denique sibi commeritam euaderet indignationem; insuper addidit, ipsi cum essent Religiosi celsi meriti, ac perfectionis, æuoq; maturi; assiduis nihilominus corporis castigationibus, cilicijs, obedientia, ieiunijs, vigilijs, orationibus, nonnullisque alijs pœnalibus exercitijs cur incumberent? & de consuetis ad animam, corpusque spectantibus mortificationibus cur non remitterent? igitur eo magis ipsum, qui viribus, & ætate pollebat, ac toties Dei legem violauerat, dedecere, sensui frena laxare; immo potius decere spiritui carnem per pœnitentiæ lamenta subigere, & his, alijsque flagellis opus esse asseuerabat eam comprimere, ne aduersus Diuina mandata, rectamque rationem insolescens calcitraret, hisque rationibus, & efficacibus, sanctisque responsis non tantum minime obstabant venerandi hi Religiosi; verum nouum, & spiritalem Christi agonistam contẽplantes, feruentius in Dei famulatũ se trahi sentiebant.

Maximis corporis laboribus addit ieiunia, & orationes non exigua.

In eisdem fabricæ operibus, laboribusque iam enumerantis totam hyemem Camillus perseuerauit, magis, magisque veluti feracissima arbos suauissimos bonarum operationum fructus maturescens; interim quem ardenter expectabat, Admodum Reuerendus Pater Mons Flos Manfredoniam in Conuentum properauit; cuius vestium, manusque post deosculationem, Camillus de suscipiendo Religionis habitu suam illi adaperuit intentionem, deque vinculo, quo tenebatur voti cum eo egit. Adiuuantibus itaque cæteris fratribus, ac potissimum Patre Guardiano, atque enarrantibus honestissimam Camilli viuendi formam, cum ingenti totius Cœnobij gaudio à supra iam dicto P. Mõteflore receptus est, & in numero Clericorum adscriptus; Truentumque ad peragendum Tyrocinium dimissus; statim atque Camillus receptionis Epistolam obtinuit, hilariter, ac festinanter inde digressus est, dum enim ad Truenti oppidum iter moliretur, quoddam magni momenti se obuiam fecit periculum, ã quo ereptus est Cœlitus, vt mox planius calamus exarabit.

7

Recipitur inter Fratres Cappucc.

Dum

1575

Dum enim ad probationis locum contenderet medio in itinere quodam ſe obiecit flumen, erat enim dies ad noctem incumbens, & iam veſper aderat; Camillus nihilominus deſiderio geſtiens Truentum quantotius deueniendi, protinus flumen ingreſſus eſt, non enim excogitauit de periculo, nec illud magni fecit, ſed obedientiam perficere quamcitiſſime auebat, itaque tuto greſſu amnem intrauit, ſed non pro ul aberat à ripa, quando ex propinqui montis iugo vocem ipsũ compellantem, audiuit, teq; clamantem in hæc verba, ne trans fluuium migres, ne vltra procedas, humũ repeda; ſecus in aquis obrueris, quibus dictis tremefactus obſtupuit, ſtetitque, regreſſus eſt; O nimia Dei bonitas; etiam ſi vocem clamantis perceperit, vnde tamen omnino inſonuerit, vel à quo prolata non intellexit, quæ Camillum, quaſi tonitruum de Cœlo pulſans, conterruit: proinde ſic madefactus repente in aridam proſiluit, totamque noctem quædam ſubter arbuſta duxit, vbi pro linteis aquam habuit, qua madebat, & ꝓ mollibus culcitris duram, nudamque tellurem; ſurgente tandem diei luce, viæ ducem quæritabat.

Euadit imminens periculum ſubmerſionis.

Porro cum anceps fluctuaret, & anxius à longe obuiam binos Ordinis Cappuccinorum fratres venire animaduertit, quos veluti duos ſibi à Domino Cœlitus demiſſos Angelos ingenti cum gaudio ſuſcepit; etenim ipſi quoque Truentum petebant; ſed agnito quid Camillo euenerat proxima delapſa nocte in fluminis traiectu, vehementer commoti, de periculo Camillum admonuere, inferentes, nonnullos, qui illud audacter tranare præſumpſerant, ibi naufragos interijſſe, quod proculdubio ipſimet contigiſſet, ni ad tellurem feſtino pede remeaſſet; illum vero, qui ab alta montis ſpecula vocem dederat, Angelum ſui Cuſtodem fuiſſe proculdubio arbitrabãtur; Ceterum Camillus poſt relatas Deo ſuper hoc beneficio ſummas grates, vna cum patribus ad memoratum oppidum iter carpſit; hinc diuertentes, vnaque directum tenentes tramitem, breui Truẽtum deuenere (Fratres autem illo properabant ad Capitulum peragendum) quo appulſi Camillus epiſtolarum virtute, atque eorumdem teſtimonio Fratrum, illico admiſſus eſt ad habitum, qui humilem ſibi deligens viuendi ſtatum, ac formam, ceteris potius inſeruiendi cupidus, quam ad Ordinum dignitates aſſumi, Clericatui abrenuntiauit, interque laicos maluit computari, Fratres vero humilem, atque feruentem Camilli animum animaduertentes ipſius ſententiæ annuerũt; in Tyrocinio quidẽ ceu fœcundiſſimus ager ſanctæ conuerſationis, & exempli redolentes flores referebat, ac poma, nominatim humilitatis, quibuslibet in rebus loca nouiſſima complectẽs; nil .n. pro Dei famulatu illi reddebatur difficile; nil aliquando neglexit, vel prætermiſit, quod ei fuerat demandatum; & quod factu honeſtum æſtimauit opere compleuit, abſque præceptione; ac proinde humilis Fratris nomen ſuſcepit, appellantes eum Fratrem humilem, attamen cum ab ipſo aliud Dominus expoſceret; vlcus quod principio receptionis habitus, vel modiciſſimum fuerat, vel pene non apparuerat, ex percuſſione, aſſiduoque tactu, & corroſione aſperę lanæ deſuper pedis iuncturã, cæpit indignari, extendique, & demum nõ modicam tibiæ partem occupare, ac grauiter lędere, vnde Camillum claudum ambulare coegit: quapropter veluti miles ad hoc bellum ineptus, & non idoneus ad hæc arma ferenda eius Religionis habitum deponere coarctatur; ſiquidem nõ ſine maximo ſui mœrore, ceterorumq; Fratrũ diſplicentia.

Induit habitũ Cappuccinorum.

Cauſa vlceris linquit habitũ Cappuccinorũ.

10

Fuit autem à Fratre Ioanne à Thuſa Apuliæ Prouinciali Tormaiori vbi Camillus tum Tyrocinij tempus agebat, dimiſſus; contuens enim dictus Admodum

1575

R. Pater Prouincialis, profundum in quo iacebat Camillus mœstitiæ dolorem, vt aliquantiſper eius pœnam releuaret, ſpopondit ſe rurſus illum recepturum, ſi ab vlcere confirmaretur; id reſponſum non mediocriter Camilli cor liniuit,& in ſpem ad habitum reſumendum euexit,profecto magna ex parte priſtini timoris,atque angoris vulnera medicatus eſt; hæc enim ei contingebant, propterea quod maiora Dominus ab eo poſtulabat, & ad ſublimiora illum ſenſim prouehebat. Hinc itaque diſcedens Romam ſecundo peruenit, vbi alias ab eodemmet vlcere pene conualuerat, & idem Diui Iacobi Incurabilium Noſocomium adijt,eodem cum onere ægris famulandi,ibique diutius quam antea demoratus eſt, & alia mente toto Cœlo diſtante ab ea anni 1569. tunc enim ob mentis duritiem ab Hoſpitali dimiſſus abierat. Modo autem in ſublimiorem loci eiuſdem gradum ob eius virtutum ſpecimen gradatim euectus eſt. Erat enim adhuc interfluens annus 1575.& in ſpecula militantis Eccleſiæ Greg. Papa XIII. inſidebat. Mores quidem Camillus in eo Xenodochio Cœleſtes magis, quam terrenos coluit, ſumma enim vigilantia,ac igne caritatis, diu, noctuque pauperibus ægris obſequebatur, in omni quidem pietatis opere mirifice proficiens, eiſque quælibet pia miniſteria exhibens. Inſuper hac tempeſtate in via Chriſtianæ perfectionis virum virtute præclarum quæſiuit; Cui confiteri, & propriæ conſcientiæ difficultates patefacere libere potuiſſet; quem profecto è veſtigio adinuenit.

Secũdo Hoſpitale S Iacobi Incurabilium Romæ adijt.

II

Percreuerat autem vndique Romæ Sancti Philippi Netij Fundatoris Patrum Congregationis Oratorij fama,hunc ſibi Camillus à confeſſionibus Patrem delegit,& in Dei via, ſuarumque difficilium actionum directorem, ac magiſtrum; ſingulis quidem Dominicis diebus, feſtiſque ſollemnibus ei propria crimina Sacramentaliter pandebat, non ſine tamen lacrymarum copia, Sanctiſſimum quoque perdeuote in Templo Diui Hieronymi ab ipſomet Patre Euchariſtiæ Sacramentum ſumebat; & cum adeo laudabilem, ac piam in eo Xenodochio immorans vitam duceret, & veluti accenſa fax ceteros optimæ conuerſationis lumine illuſtraret,& quaſi incenderet, atq; ad bonum exemplo ſuo, ſanctiſque verbis impelleret,Hoſpitalis Domini Gubernatores illum honore maximo loci eiuſdem affecere, vt annuimus,& paulo latius infra dicetur. Eſt enim id Hoſpitale S. Iacobi Incurabilium ex magnificis, ac locupletibus vnum, quæ intra Romanæ Vrbis mœnia continentur, & in exhibendo vlceroſis ægris miſericordiæ opera ſingulare profugium, ibi enim non pluribus abhinc annis Eminentiſſimi Domini Cardinalis Saluiati, olim noſtri Protectoris piæ recordationis ſumptibus à fundamentis cõſtructum eſt nobile Templum, dum ſiquidem vitam viueret, vbi hodie circum parietes conſpicuè eius inſignia ſpectantur. Itidem nuper ibidem à Patribus noſtris introductam eſſe illuſtrium virorũ quamdam Congregationem accepi,qui nedum propria perſona ægris peramanter miniſtrant; verũ eiſdem pluries deſtinatis tẽporibus ſuo ære menſas opipare ſuggerunt. Mulieribus infirmis, nonnullæ piæ quoque perilluſtres Romanæ Matronæ largas eleemoſynas, & cibos item ſuppeditant; quos forte proprijs manibus (ſic earum pietas credere ſuadet) coquunt, & amanter componunt, ac ſuis digitis intra ęgrotantium mulierum os ingerunt;hoc olim Sanctiſſimas Paulam, & Euſtochium eiuſdem Vrbis Illuſtriſſimas Dominas, legimus effeciſſe; quarum præconia elegantiſſimè deſcribit Beatiſſimus Hieronymus.

Delegit ſibi Confeſſariũ S. Philippũ Nerium.

Annus

Annus Domini 1576. per totum 1578. agitur de nonnullis memoratu dignis euentis, quæ præſenti Olympiade Camillo Dei famulatui iam addicto, ſe ſe obiecere: deque habitu RR. Fratrum Cappuccinorum, quem iterum induit.

ASpectus decurrentis luſtri non eſt vnus, ſed varius, propter diuerſa, quæ ſectatus eſt Camillus, in quærendo Diuinam voluntatem, vt adimpleret. Anno enim 1576. altioris perfectionis igne ſuccenſus, pendenſque ſe voto obnoxium eſſe Religionis, pariterque ab vlcere incolumem, quod ſpatio ſeptem menſium nullo liuore tibiam affecerat, iterum tentauit Cappuccinorum Ordinem ingredi, id ſuæ voluntatis decretũ Sancto Philippo Nerio eius Confeſſario adaperuit, qui ipſum dehortatus eſt, ne eam intraret Religionem, nec vlterius periculum faceret, quando ſemel expertus fuerat perſeuerantiæ donum in ea fuiſſe ſibi à Domino denegatum; futurũ enim, ait S. Philippus, vt vlcus recrudeſcat, & ab Religione abeas; nihilominus ardẽs ipſe Cœleſti flãma viuendi ſub ſtrictæ obedientiæ iugo, arctaque pœnitentia, & à ſæculi huius perturbationibus ſe omnino expedire, eumdem Patrem Fratrem Ioannem a Thuſa, qui ipſum primitus ab Ordine excluſerat, adijt. tum enim Romæ munus Procuratoris Generalis ſui Ordinis, ſeu (vt dicunt) à Curia obibat; Qui intuens Camillum penitus ulceris immunem, recteq; ualentem, rurſum admiſit in Ordinem; non quidem priſtinæ ſponſionis immemor, quando ipſum propter plagę impedimentum ab Ordine ſemouerat (ut antea uiſum eſt.) Itaq; Pinnam Aprutij in Conuentum (q̃ dicitur Lacus Fucini) tranſmiſit, ueſtiendum; inibi enim Camillus ſuæ probationis annum peragebat, ubi interuallum quatuor menſium pertranſijt, eius uita, ac mores inter hoc quadrimeſtre tempus, maximæ erãt Fratribus ceteris admirationi, nõ tm̃ coęqualibus, atq; tyronibus, uerum quoq; ſenibus Conuentus illius, qui ad altum conuolauerant perfectionis gradum; propterea ſtricto ab omnibus complexabatur amore, atq; obſeruantia; apprime quidẽ in humilitate, obedientia, ac pœnitentia, & in quibuslibet ferendis in ordine laboribus enituit (ut ipſimet Fratres poſtmodum teſtificati ſunt) hac altera uice datum eſt illi nomen Fratris Chriſtophari, fortaſſe mentis oculos dirigẽtes ad ipſius proceram corporis ſtaturam, ſiue ad ingentes labores, quos ferebat, uel utrumq; maluerunt denotare; ac proinde illum Fratrem Chriſtopharum appellarunt: at ſummus omnium gubernaror Deus, cuius æternum decretum, ſicut incõmutabile, ita inexcrutabile eſt, noluit adimpleri, quod Camillus nitebatur aſſequi, ſed aliud ab eo (prout dictum eſt) maius poſtulabat; nimirum ut non modo ſibimet, ſed alijs etiam beneficus fieret: ac aliorum idoneus miniſter in opere ſalutis ſpiritualis, ac temporalis euaderet, nominatim pauperum ægrotorum; itaque cæpit in eius dextera tibia, iterum ulcus pullulare, & uſque eo exa-

Lib. 1. c. 8. vita P. Camilli.

Secundo fit Cappuccinus.

Iterum cogitur linquere habitũ Fratrum Cappuccinorũ.

1576 ꝑ totū 1578.

cerbari, vt in pristinum sæuiret, ob eamdem rudis lanæ habitus reuerberationem supra eumdem pedis deflexum, quapropter non sine maximis animæ angoribus denuo arctatur abscedere ab Religione, & illud sanctum tot Religiosorum linquere sodalitium,

2

Ne perturberis, si Diui Philippi consultationibus hac vice, ne Cappuccinorum quippe Fratrum resumeret habitum, non extemplo adhęsit Camillus; quādoquidem possunt Dei famuli, diuersis ducti, sed honestis rationibus, varia, ac diuersa rationabilia sectari, sed quid mirum? quandoquidem in ipsis etiam Cœlestibus, & Angelicis spiritibus altercatio voluntatis legitur, quoadusque se Diuinum interposuerit decretum, illisque notum; itaque si Camillus semel, & iterum amictus fuerit Sacri Ordinis Cappuccinorum habitu, vna, & altera vice etiam exturbante ægritudine ipsum dimiserit, ne mireris, eiusq; superuacaneam ingressionem ne putes, aut leuitati ne adscribas; etenim cum ipse recens in Dei Ecclesia esset formaturus institutum, alijsque iura daturus, consentaneum fuit, prius discere, quanti obedientiæ onus referat, pariterque ibi apprehendere veram Regularis obseruantiæ formam, atque etiam vt inibi spiritus saporem, & suauitatem assiduis orationibus, meditationibus, lectionibus, ac Cęlestibus contemplationibus prælibaret, & tandem aliquando, vt inde quasi generosus miles effectus prodiens, posset de vniuersis, quæ illi in posterum dęmonis arte erant obstitura, triumphare; prætercurro voti ligamen, quo astringebatur, & tot vicibus ab se innouatum in tot mortis discriminibus, à quibus Cœlitus fuerat incolumis seruatus.

[N]on frustra ea Camil. [i]ngressio ad [O]rd. Cappuccinorū.

3

Quocirca veluti amnis, cui, si occluditur pristinum fluendi ostium, postmodum facto impetu nouum sibi, ruptis arginibus, aditum inuenit, maiorique adhibita vi ruit; ita pariter Camillus perseuerantiæ donum in Religione Patrum Cappuccinorum, quia inhibitum est; pristinum ardentiori promptitudine inseruiendi infirmis institutum arripuit (ad illud enim à Domino trahebatur) & ab ea exiens Religione maius opus mouit, quippe vt vires, & vitam prodigeret, veluti eius annorum series insinuabit, pauperibus in adiuuandis, atq; exemplo suo alios ita facere, vt doceret: Demum in famulatum iterum præfati Hospitalis Sancti Iacobi se adegit, qui magno dominorum loci illius cum gaudio exceptus est, optime pręnoscentiū, quid pauperes amiserant; quando illinc discesserat, & modo quid ex Camilli regressu fuerant nacti. Præter ceteros Dominos Gubernatores vnus nomine Virgilius de Crescentijs patritius Romanus intererat, cui nominatim Camilli mores erant pernoti, hic vero reliquos sibi socios fecit de Camilli vita admonitos, de illius nempe beneficentia erga infirmos, ac puritate morum, cui fidem adhibuerunt, itaque cum Camillus aliquandiu per alia Hospitalis munera præcurreret, eiusdem Nosocomij Rectores totius Domus Aeconomum delegerunt; & quem primitus ceu ineptum lapidē, & exprobratum eiecerant, modo in Caput euectus est anguli. Tanta enim humanitate, humilitate, sedulitate, vigilantia, ac zelo id munus, ꝙ est supremum Domi illius obijt, vt breui temporis intercapedine, Aedem illam, quasi reformatorum Religiosorum in Cœnobium redegerit, non tantum enim ægrotantium curam, & directionem suscepit, verumetiam & famulorum, quos, vt saltem mensibus singulis propria crimina per pœnitentiæ lauacrum expiarent in confessione, & Augustissimæ Eucharistiæ cibum sumerent, disposuit, effecitque: ex ea quidem Sacramentorum frequentia quamplura bona, veluti ab integra radice erga nimirum propriam salutem, curamque Domus, & ægrotantium administrationem

[S]uscipit iterum ministerium infirmorum in eodē Hosp. S. Iacobi.

[E]ligitur in eodē Hosp. Domi Magister.

[S]uo exēplo, [e]t cohortatione Hospitalis familiā [re]format.

ema-

1576 p totū 1578

emanatura, Camillus non ignorabat; ipſe vero ſingulis, quibuſq; Dominicis, ac feſtis diebus perdeuote idem frequentabat; Omnes, quemadmodum reliquos miniſtros, ita pariter ægros exemplo magis, & manſuetudine, quam duris verbis, aut improperijs, vel flagellis ad meliorem frugem reuocabat, & ſpiritalem ignem, qui in ſuo pectore ardebat, in vniuerſam domum refundere ſtuduit.

Ordinatè diſponit miniſteria infirmorum.

Miniſteria autem infirmorum ita diſtributa ordinauit; recepti enim à Chyrurgo ægroti (eo enim in Noſocomio ægritudines ad Chyrurgiæ artem ſpectātes admittuntur) ſtatim atque proprijs veſtibus à famulo ad hoc deſtinato nudabantur, parata pelui tepenti aqua pedes ab alio lauabantur, & abſtergebantur, tum demum in cubilibus poſiti ad Sacramenta pie ſuſcipienda ab altero conſeruo cohortabantur, mundataque virtute pœnitentiæ Sacramenti anima, poſtera die mane ſub auroram, Sanctiſſimo viatico reficiebantur; qua in ſumptione Camillus ſpiritualem immiſcere conſueuit ſermonēm, ad excitandam infirmorum deuotionem, qua nempe deberent cautione, ac veneratione, animique munditiæ tantum hoſpitari in corde Dominum. Præterea veluti ardens rogus vndique lambit perquirens pabulum, ita Camillus in his nequaquam pijs exercitijs, ac miniſterijs conquieſcens, noua ſemper adinueſtigauit, vt bene ægris faceret.

Principalior Camilli cura in ſpiritualibus erga infirmos claruit.

Hora ſiquidem prandij, ac infirmorum cœnę, dum materialibus refocillarētur edulijs, lectionem interſeruit ſpiritualem, ne anima, quæ maximi faciēda eſt, ſuo fraudaretur obſonio: & quamuis vtriſque animæ, quippe, & corpori intenderet, ceu beneuolentiſſimus pater, ac paſtor, non tamen ambobus æque principaliter; intenſius enim, & accuratius animæ ſaluti vacauit, corporalia ſiquidem opera tamquam vehicula ad dirigendam erga viam ſalutis, animam, adhibuit, ipſa eſt veluti caput, & fons, cui præcipua à nobis cura impendi debet; non propterea negligenda eſt vigilantia, & attentio corporeæ ſalutis, ſed nobilioris, hoc eſt, ſpiritus decet enixius ſatagere.

Maiori pauperum indigentiæ occurrit.

Proprijs enim ſępenumero manibus putidiores, ac magis nauſeoſos infirmos lepra, vel ſimili affectos morbo contrectabat, abluebat, linteoq; tergebat, quandoque etiam collectos vna famulos pio ſermone erudiuit, ad mundi contemptum, eiuſque fallacia blandimenta euitanda ipſos dirigens, intentoſq; ac ſedulos futuros in Dei, ſuorumque pauperum miniſteria, hortabatur; verū hoc non ornato, ſed ardenti ſermone aperiebat. Et quāuis acerrimus in proprios defectus eſſet vindex, nulli mortificationis generi parcens, quin experiretur, ac ſuſtineret; erga tamen reliquos vrbane, ac benigne ſe præſtitit; quando lætis, vaniſque diebus ludibrijs dicatis, prout ſunt baccanalia, ceteri famuli intus, extraque domum ludis vacarent, ac nęnijs intenderent, Camillus vero ab his omnibus, quamuis licitis eo tēpore animi relaxationibus, quaſi perfectæ mortificationis vir ſe elongabat, intra Noſocomium ſe abdens, in aliquo pietatis munere diem abſumendo, vel in proprio includendo ſe cubiculo ſacris lectionibus, ac orationibus inuigilabat, & plerumque ab eius oculis calidæ nonnullæ decurrerunt lacrymæ, illorum crimina deflendo, qui his diebus varijs ſe coinquinant culpis, at ſi forte per viam eiuſdem Hoſpitalis, vel iuxta fores, ſubtuſq; feneſtras tripudia, ſeu laruæ, vel quid nugarum pertraſiret (quandoquidem Sancti Iacobi Xenodochium frequenti in via collocatum conſpicitur, & prope harum nęniarum curſum) tunc enim omnes famuli coaceruatim intuitum ibant, Camillus vero nulla curioſitate captus intus ſe recipiebat Hoſpitale; quinimmo, ſi in ianuæ valuis ob aliquod pertractandum negotium caſu conſiſteret, ne illas contueretur ridiculas leuitates, relicto negotio quamuis imperfecto intra Noſocomium ſe retra-

Nænias euitat.

1576 p totũ 1578.

hebat, alias peragendum, quod fuerat prudenter interpellatum.

erum in... imerum... iorum spiritualium S. Phi. Nerij ...dit.

Iam tum pro spirituali à confessionibus Patre Sanctum Philippum Nerium habebat, & quamuis dissuasisset Camillũ ne in Ordinem iterum intraret Fratrũ Cappuccinorum (vt supra notaui) ipse vero eius dictis etiam si non acquieuerit, attamen Sanctus rectam Camilli prænoscens intentionem, ac rationes; illiusque ingressum, egressumque non absque immensa Dei prouidentia contigisse, idcirco æquo, ac benigno quo prius animo Camillũ complexus est, recepitque filiũ spiritualem. 6

Rursus Cap uccinorũ abitum umere tenat.

Rursus vlceris impedimento cessante, & redactus ad pristinam, bonamque valetudinem, non putauit Camillus omnino se esse à voti vinculo absolutum, iuxta vulgatum axioma, cessante causa, effectus inde consequens desinit, vnde vt se ab omni molestia, ac timore qualemcumque incurrendi culpam eximeret, quamuis leuissimam, etiamsi bis periculum fecerit, recenter tamen Fratrum Cappuccinorum habitum induere conatus est, vel saltem Fratrum de Obseruãtia; horum enim ingredi Ordinem primo loco Deo spoponderat. Itaque ad præfatum Patrem Ioannem Mariam à Thusa concessit, suumque de resumendo habitu desiderium, & obligationem significauit, asserens ab vlcere se bene valere, quem dictus Pater protinus exclusit, subinferens aliud ab eo Dominum poscere; quemadmodum semel, atque iterum receptus ad ordinem, inde etiam bis coactus secesit; attamen pro suæ conscientiæ tutamine sequenti fide ipsum constabiliuit. 7

Fides, per quam excluditur ab resumptione habitus præmissorũ Fratrum.

Ego Pater Frater Io. Maria à Thusa Procurator à Curia Cappuccinorum Fratrũ, virtute præsentis, fidem facio, quatenus Camillus de Lellis ex Bucchianici oppido ob incurabilem ægritudinem, quam in tibia gestat, ad nostrum redditur institutum ineptus, cum nostræ præcipiant Cõstitutiones, huiusmodi viros ad habitũ nõ admittendos, & ob tutiorẽ de ipsius morbo certitudinem: non tantum ex eius ore accepimus, sed vna, & altera vice experti sumus, quandoquidem bis Nouitius nostrum induit habitum, & eamdem ob causam sæculum semel, & iterum etiam adire compulsus est. Quapropter præsens scriptum fieri mandauimus, propriaque manu munitum dedimus sub XII. Kal. Decẽb. 1580. Romæ in nostro Conuentu. 8

Obtempta Superiori Fratrum Cappuccinorum fide, se penitus immunem ab onere voti intrandi eorum Religionem sensit, sed denuo in Ordinem recipi Fratrum de Obseruantia S. Francisci tentauit, siquidem à principio ipsorum habitũ induere voto se obstrinxerat (vt antea indicaui) itaque vt penitus eius sedaretur conscientia, liberq; euaderet ab omni, non tantum malo, sed ab omni etiam suspicione mali. A.R.P. Procuratorem Generalem illius Ordinis adijt, qui, perspectis, quę contingerãt cũ Patribus Cappuccinis, ob vlceris impedimentũ, pari modo eũ dimisit, vt mox subdetur. Si aliquot annos non memoratos, vacuosq; inspexeris; occasionem vacuitatis eorum puta ex defectu materiei momentaneę ortam. Non enim tempus scriptionis causa est, sed sane res in eo interfluentes. 9

An-

Annus Domini 1581. & 1582. prima, ac Diuina Camilli inspiratio refertur aggregandi pro ægrotorum emolumento socios, quos item vna collegit.

SEquenti enim anno vtpote 1581. XIV. Kal. Ian. vt quantute procederet Camillus, & absque vlla conscientiæ (vt dictum est) perturbatione, & negligentiæ vmbra viueret, ne videlicet sibi, non adhibuisse omnimodam diligentiã imputaretur circa voti implementum: Ad Reuerendum Patrem Fratrem Danielem Soledunam Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum de Obseruantia in Conuentu S. Mariæ Aræ Cœli Romæ, concessit: qui eadem ab ipso, qua à Patribus Cappuccinis vallatus est fide, sub rescripto diei, & anni iam memorati; itaq; Camillus harum perillustrium Religionum testimonio præmunitus, omnino posthac firmiterque quieuit, pristinum Deo famulandi repetens morem, perfici quippe in ægrotantium ministerio; id solum machinando intentus erat, quomodo nempe, aut qua via eorum posset animæ, corporisque leuare languores, vna cum ceteris iam sibi subiectis in memorato Sancti Iacobi Hospitali famulis. Integris enim noctibus in mortis agone positis pro iuuandis ægris, sæpenumero excubabat; illos ad feliciter, beatæque ex hac vita migrandum confortans, atq; roborans; & si forte somnus surreperet, caput super ægrotorum cubile declinauit; intensissimo stabat oculo, ne quis eorum absq; Ecclesiæ Sacramentis, vel Sacerdotis assistentia decederet, non proprerea segnior corporeis in ministerijs procedebat, sed cordatissimus ea cunctis ægris suppeditauit, vt hinc facilius facti beneuoli ad futurorum amorem, desideriumque pertraherentur. Non aliqua ægritudine, vel perurgenti impedimento præpeditus, intempesta nocte surgebat, lento gressu procedens, mediosque inter lectos se se occultans, ea mente, vt si vocati ab ægris serui, illico requisita non subministrarent, cuncta ipse suppeditaret, eos tamen obiurgans, (infirmorum autem ministerium satis eius animum vrgebat) mane vero prãdij partem eis adimebat; si quis vero replicatis vicibus à sui muneris ordinationibus deficeret, domo expulsus, alium solertiorem in eius locum subrogabat.

Liber euadit p aliud rescriptum ab onere sumendi PP. de Obs. habitum.

Nimium satagit erga moribũdos.

His tamen sollicitudinibus, ac vigilantissimis curis non satis pauperum indigentijs, nec suo ardenti desiderio mederi Camillus animaduertebat (feruentius enim in ægrotorum beneficentiam trahebatur) assiduus autem erat, & accuratus in peruestigando nouum alium, ac faciliorem, & efficaciorem modum opitulãdi infirmis (hoc equidem ardenter amantium est, noua semper inquirere, quos diligunt, vt gratificentur) experimento ei innotescebat huiusmodi obsequia famulis mercede detentis præstita, non ea fieri, qua oporteret solertia, quandoquidem huius sortis gens penè timore ducitur, & propterea nec firmum, nec perfectum, nec diutius talem mercenariorum famulatum permãsurum; præterea ex eo, quia maximas complectitur difficultates, diurnas puta, nocturnasque in Hospitalium putoribus, locisque pene infectis vigilias, assiduasq; ærumnas, Hæc

Mercenariorum famulatus in hospitijs, quamdefectiuus.

1581. & 1582.

proculdubio non mediocriter Camilli pectus angebant; quibus igitur modis tot incommodis occurreret, & idonea remedia, ad ægros subleuandos, subinferret, impense moliebatur.

3

Diues .n. Deus in misericordia præsentaneū his incomodis applicuit medicamen; tempus enim maturauerat, quo summa ipsius bonitas tot dignatus est languoribus adhibere medelam; & multorum pauperum audire clamores, tum intra, quam extra degentium Hospitalia, multa mala, tam in anima, quam in carne sustinentium. Mense Augusti dies vero instabat prope festum Gloriosissimæ Virginis ad Cœlos assumptæ anni 1582. & X. summi Pontificatus Greg. XIII. Camillus vero iuxta sui instituti consuetum pauperibus ægris ministrando per Hospitale iam dictum Sancti Iacobi Incurabilium incedebat. Interim in eum profunda quædam incessit excogitatio, seu mentis eleuatio, aut excessus se posse satis suo desiderio facere, ægris nempe præsto esse, vt cupiebat, & propterea ab animi mœrore desisteret; erigendo siquidem piorum hominum nouam Congregationem sub uno militantem Capite, qui omni mercede seclusa solum pietatis ergo, & miserationis zelo ægris inseruirent; Cum ab eo cessasset cogitatio, & in sese redijsset illo sidere, hoc est illa roboratus, & illustratus mentis propositione, cæpit vlterius, ac profundius adinuestigare, maiusque pelagus penetrare, tota siquidem mente per dies, noctesque moliri, quo pacto, quoue itinere, qua industria, quo labore ad tutum littus cymbam sui desiderij traduceret, & executioni demandaret, quod Dominus illi in animum dignatus fuerat ingerere. Terrebatur admodum se nullam tenuisse præter militiam exercitationem, & extra militiã ferme iugiter mansisse intra quatuor Sancti Iacobi Nosocomij parietes: Itaque magni in eum inundabant difficultatum fluctus, at Dominus à quo optima quæque emanant, confortans erat interius Camillum, ne animo caderet; sed audentior, viriliterque, datis bonis desiderij carbasis auræ Sancti Spiritus sibi flantis, secundaret.

Prima Camilli inspiratio socios aggregandi.

4

Profecto Camillus semen bonum à se semel susceptum nequaquam, aut negotij magnitudine, aut suarum virium imbecillitate, aut militiæ anteactæ professione suffocauit, neque spiritus scintillam, quæ in magnum incendium erat se expãsura vnquam extinxit. Et demum ob suę humilis personæ considerationem fœtum Religionis, quod Deo duce Camillus conceperat, nullum propter occurrens, & obstans impedimentum deiecisset, neque suffocasset, quandoquidem his vtitur Deus mundi infirmis hominibus, vt fortia quæque confundat; principem enim Apostolorum Petrum ab arte piscatoria, ad culmen Apostolatus euexit, & vniuersalem suæ militantis Ecclesiæ Caput, & Pastorem constituit. Vnde Deus summus sua sapientia prætermissis huius sæculi sapientibus, potentibus, ac diuitibus, Camillum humilem, pauperem, in humili loco diuersantem in Nosocomij quippe putoribus, sed caritate, optimisque desiderijs prædiuitem ad hoc munus celeberrimum fundandi Religionem elegit; sicut legitur effecisse olim cum Moysi extorre, impeditæque linguæ pecora non sua custodiente, quem totius Hæbraici populi directorem, Deumq; Faraonis designauit, confirmauitq; ne mortaliũ puta leuis, inanisque gloria se erigat, & iactabunda effutiat, manus nostra fecit hæc omnia. Proinde cum Dominus, cuius voluntati resisti nequit, ad Religionis negotium Camillum vocauerit, ab eo retrahi à quopiam haudquaquam poterat; si enim suscepta munera non sua, & causa non agebatur propria, sed Domini quomodo ob sui paruitatem deficere, vel desistere aliquando potuisse credimus? omnia enim opera bona in seruis suis Deus operatur, & Iacobus

Camillo auctore vsus est Deus ad opus erigendi Religionem.

Apo-

Apoſtolus in ſua Canonica ſcribit, omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Cum ergo Camillo à Domino datum ſit inuenire, & perueſtigare nouum inſeruiendi infirmis modum, erigendo ad hunc finem tandem aliquando recens inſtitutum, ac Religionem in Dei Eccleſia; ergo alterum ſe immiſcere dedecet in hoc præcelſo cogitatu, & opere (vt in præludijs à me latius dictum apparet) præter Deum primum, ac ſupremum Auctorem; Camillum vero, vt inſtrumentum, ſeu idoneum miniſtrum ab eodemmet ſummo bonorum omnium parente ſelectum, ſed redeamus ad ipſum vnde exiuimus narrationis campum.

Cognito demum Diuino placito totis viſceribus Camillus, eius obſequi voluntati obnixus eſt, animum intendit ſocios in aggregandos, præterea vt à reliquis Clericis, ac Religioſis diſtinguerentur, propoſuit ſe, ſuoſq; ſigno Crucis palmaris quantitatis munire, ex panno nempe caſtanei coloris formato, ſuperque pallium, ac tunicam conſuto, ex parte dextra in pectore deferendo; ſicut poſtea factum probauit; hæc enim primitus, ipſi de Cœlo (vt credimus) immiſſa, accepit; quaſi quædam eorum omnium prima delineatio, quæ per eum à miſericordiarum Patre erant trahenda ad abſolutam perfectionem, hoc eſt ad opus Religionis peragẽdum: non equidem tunc temporis Religionem inſtituere meditatus eſt, neque huiuſmodi cogitatio in eius animum iam tum incidit, ſed ſola mens illi fuit, colligere ſocios, vt vna infirmis inſeruirent, quamuis in ea prima inſpiratione Religionis effectus virtualiter cõtineretur; ſic enim in ſemine edendæ ſegetes, virtute continentur. Senſim enim Dominus ad vlteriora, & altiora Camillum prouehebat. Idem prorſus quandoque Imperatores faciendum ſuis ducibus imperant; primo ſiquidem latiora, ac faciliora mandant quoadusque ad actum, & diem conflictus concurrant. Dominus enim ex hac faciliori congregatione piorum hominũ laicorum ad ſtrictius, certamẽ Camillum erat attracturus, vt ſe, ſuoſque nimirum quatuor ſollemnibus votis obſtringeret; ac inde adiutores, & propugnatores exponerentur, animas in extremo dimicantes conflictu aduerſus infernales dracones muniendo, & contutando.

Prima Camilli mens fuit aggregare pios homines laicos ægris vt inſeruirent.

Statim enim, ac huiuſmodi propoſitum, ſocios vtpote inueniendi, & in vnum colligendi, in corde Camilli aditum inuenit, non equidem otioſam in eo ſedem reperit; quandoquidem vbique locorum, ac temporum, intente eam executioni mandare quamcitiſſime ſtuduit (ſicut iã innuimus) nec in aliud animo vacabat, quam ad perfectum trahere, quæ Cœlitus ſuſceperat, & quoquomodo huiuſmodi poſſet viros deſiderio adiuuandi infirmos colligere; ac proinde ingenti lacrymarum emanatione indeſinenter id à Domino efflagitabat; vt qui velle miſericorditer conceſſerat, & perficere ſimul conſueta benignitate largiretur, longas, ac feruentes deprecationes Deo offerens; integris etiam aliquando noctibus flexis genibus ſupra nudã tellurem orando firmus ſtetit, lacrymas precibus addens non exiguas, his etiam adiungebat aſperrima pœnitentiæ exercitia, carnem enim non vulgari, ſed nimium duro, rigidoque cilicio ex æquinis ſetis compacto cõflictabat, fęmora perſępe ſemipedali lamina ænea foraminata ſibi præcinxit, ac perſtrinxit, acumina huius generis cilicij, ſeu potius tormenti permagnum in eius corpus ſatis laboribus confractum inducebant excruciatũ, quapropter Camillus aſſerere conſueuerat, Religionis plantam plurimis lacrymis, ac pœnitentiarum aculeis à Domino obtinuiſſe, & profecto non modo plantum, (vt audiſtis) effluxit, tum etiam ſanguinis plurimum emiſit.

Pœnitentię exercitia, q exhibuit, vt ſocios adinueniret.

Tandem aliquando, ne diutius, ſibi creditum talentum, otioſum teneret, aut

1581. & 1582.

Quinq; primitus vnit sodales ad opus Congregationis.

ſub humo abderet; in Dei nomine ſodales conuocare, ſe applicuit, nonnullos quippe iam dicti Noſocomij Sancti Iacobi viros perdeuotos, ac præſtantes caritate colligere, paratos ad omnem (vt dici ſolet) fortunam ſiue aduerſam, ſiue ſecundam, ſecumque etiam ſi oportuerit commori. Horum primus, ac præcipuus Bernardinus Norcinus à Matrice vir alioqui heroicis decoratus virtutibus extitit, de quo paulo poſt memorando, nonnulla narrabuntur. Secundus Curtius Lodi ex Aprutio Aquilanus, vir etiā laude, ac recordatione dignus. Tertius vero Pater Franciſcus Propheta Siculus à Rādazzo, vitæ integritate conſpicuus, cuius meminerimus infra. Quarto loco annumeratus eſt Ludouicus Aldobellus, poſtremus in horum omnium numerum ceſſit quidam cui nomē erat Benignus; cum quibus porrò fortiſſimis quinque Commilitonibus dæmoni bellum indixit Camillus, ac profligauit, non ſecus, ac alter fortiſſimus adoleſcens, & Sanctus Daiud, qui limpidiſſimis quinque lapidibus à torrente ſelectis, temerarium, ac nefandum caput Gigantis, atq; ſuperbi Philiſtei contriuit, præciditque. Hi vero quinque Chriſti fortiſſimi milites, non aduerſus (vt Apoſtolicis vtar verbis) carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus rectorē tenebrarum harum, ſpiritualia arma cingentes, dimicarunt, quamplurimas à teterrimi hoſtis faucibus ægrotantium animas, orationibus, ſanctiſq; cohortationibus euellere conantes.

8

Sic denique aggregati idoneum ſibi locum intus idem Hoſpitale peruestigarunt, ac delegerunt, vbi vna conuenirent, ibiq; ſpiritualia colloquia, preces, lectiones, piaſq; meditationes haberent; quo circa eiuſdē loci idoneum quoddā cubiculum, ad modum Oratorij efformarunt; hic ligneum altare erigentes, deſuper Domini Saluatoris Cruci affixi ſimulacrum collocarūt, altitudine pene palmorum octo vna cum lignea Cruce, quod Pater Camillus ſemper ſecum duxit, vbique locorum foret, & in eo veluti in tutiſſima, ac munitiſſima arce ſpei ſuæ culmen locauit; hodie vero idem Sanctiſſimus Crucifixus Romæ Domi noſtræ in quodam ſacello reuerenter locatus conſpicitur (vt infra aliquanto latius dicendo noſcetur) in eo itaque ſacello recenter erecto non ſecus, ac in æquabiliſſimo maris ſinu poſt variarum occupationum vndas claudebantur, & poſt tēporalia exercitia pauperibus ægris exhibita eo conueniebant, bis, terque die quolibet, ibique poſt orationes, & de Cœleſtibus poſthabitas collocutiones, atque de modo adiuuandi infirmos poſt mixtos ſermones, duris flagellis, ſeu diſciplinis defatigata membra diuerberabant; ex illo cubiculo, vel potius ab ignita Diuinæ dilectionis fornace, tamquā leones ignem caritatis ſpirantes, vt Chryſ. docet, ad Xenodochium infirmis miniſtrandi cauſa redibant, & ceu Cœleſtes Seraphini illos omni pietatis munere proſequebantur; non enim ea membra debilia, ægra, ac marcida, ſed dominatorem omnium in lectis iacentem contēplabantur. Hanc enim verborum formam perſæpe Camillus ſuis inculcabat, vt ardentius erga infirmos operarentur, ne hominem quippe in cubili iacentem, & putridum corpus intuerentur, ſed bonorum omnium remuneratorē, cuius amore ſingula peragebant, totque incommoda ſuſtinebant, qua proculdubio intentione, & ductu mirifice in Dei, ac proximi dilectione creſcebant.

Oratorium ipse cū ſuis intra Hoſpitale format, ad ſpiritualia peragenda exercitia

9

Supra iam dictam viuendi formam, ac morem, aliquandiu hoc eſt per biennium tenuerunt, nulla facta veſtium mutatione, vt laici incedentes; ſed formidans ſatanas præſens non tantum damnum, ſed maius poſthac ſibi ſuperuēturū ex præfata piorum hominum vnanimi in Diuino, ac proximi famulatu collectione, ſua retia extendere cæpit, & conſuetas, callidaſq; adhibere machinationes, vt funditus, quod fuerat à Camillo præmeditatum, & contextum euerteret, vel ſi

1581. & 1582

aſſequi id non poſſet, impediret ſaltem ne vlterius, aut felicius proſperaretur; bonis itaque his initijs controuerſari conatus eſt, ſed quamuis audaciſſimus, & teterrimus ſit hoſtis; quomodo tamen diuinæ poterat obſiſtere ordinationi? Propterea in quemdam Xenodochij famulum ſuum transfudit virulentum liuorem, vt Dominis Noſocomij Gubernatoribus commenta nonnulla, ac falſa à ſemetipſo fabricata contra Camillum, eiuſque ſocios referret; indignationis occaſio talis fertur; quia ab eorum Contubernio ipſum excluſerant, & non ab re, quandoquidem eius conuerſatio tali ſe indigna reddebat ſodalitio, mentitus itaq; eſt Camillum, ipſiuſque ſequaces nouarum eſſe rerum inuentores, paciſq; perturbatores in graue loci eiuſdem præiudicium, ac detrimentum; & plerumq; conuenire ſimul clam in quoddam Hoſpitalis Cubiculum ſe ſeque inibi occludere, ac perlongos habere ſermones, illoſque de rebus ad Noſocomij Regimen ſpectantibus, quapropter (aiebat) admodum vobis Dominis ab eis cauendum eſt, ne forte contra Hoſpitalis dominatum aliquid machinentur; grauiter enim perturbatos hæc verba Gubernatorum animos reddidere; metuentes nominatim ne tractu temporis præiudicium aliquod contra loci illius immunitatem molirentur; itaq; ne de penſo ſui muneris quidpiam præterirent, e veſtigio alijs famulis, & præſertim proditori præceperunt, vt illico irent dirutum quæcumque ab eis fuerant in cubiculo compacta, quamcitiſſimè perfecta eſt mandati executio; quidmirum, cum in malefactis interſit Dæmonis opitulatio; neque mirandum, ſi vix oriente Congregatione hanc paſſi ſint grauem calumniam, eueniſſe penſandum eſt, vt poſtmodum clareret, non hominum eſſe, ſed Dei opus, quod perficere nitebantur; omnia itaque in Oratorio inuenta more bellico demoliti ſunt Altare, Imagines, ſeſſiones, libros, & ſi quid aliud ibi repertum eſt. Camillum itidem grauiter obiurgarunt, præterea comminati ſunt tamquā horum omnium auctorem, & inuentorem, atque vt omnino deſiſteret graui ſub interminatione præceperunt, qui ab illis Dominis humiliter expetita venia abſceſſit, hilariter ſuſtinens cuncta, quoad vſque ſcrutator cordium Deus ſuæ conſcientiæ integritatem illis Dominis defluxu temporis panderet.

Acres patiuntur perſecutiones.

Proculdubio in altum meſtitiæ, pelagus decidit Camillus ſimulac ingreſſus cubiculum, ſeu ſacellum omnia euerſa, & ceu ab hoſte deuaſtata circumſpexit, alia poſtponens Sanctiſſimum Cruci pēdentem Dominum quærere ſe applicuit, quem paulo poſt in angulo retro ianuæ valuas eiectum adinuenit, ſed quæ vox, & quale pectus ſatis idoneum æſtimabitur poſſe Camilli dolorem aperire, ſtatimatq; prædilectiſſimi ſui Domini Imaginem paruipenſam contemplatus eſt; è veſtigio illam reuerenter eleuauit. Parum profecto abfuit, quin relicta illius Xenodochij adminiſtratione alio migraret, alijque miniſtraret Noſocomio, id quidem ſummopere truculenta Tartari Bellua expectabat; ſed Camillus intelligens totum id ex eius verſutia deriuare, illius voluntati annuere prorſus recuſauit, vniuerſaque æquanimiter tulit, eaque à Domino ſibi permiſſa ſuſcepit, ferebant tunc temporis Hoſpitalis onus, rectoreſque præſidebant Admodum Reuerēdus Dominus Cuſanus, qui poſtmodum ad purpuratā Cardinalatus aſcendit dignitatem, item Alexander de Grandis, Ciantres de Leone, ac Tarquinius Lipari,

Grauē ſentiunt dolorē ob euerſum Oratorium.

Hāc enim tribulationis inundationem Cælo permittente irruiſſe contra Camillum, ſocioſque arbitror, ne profecto Religionis planta intra Hoſpitale radices figeret, vbi non poterat diu conſeruari, ſed latius, ac celſius extra Xenodochia brachia, & propagines dilataret, maioraque incrementa ſuſciperet, quam in

angulis

1581 & 1582

angulis Hospitiorũ. Camillus porro, vt suarum cogitationum præcidi fila vidit nil nisi intestinus ei animi mæror remansit; iamque illas quinque oues, quas sudore comparauerat sanguineo (vt dicitur) simul atque aggregauerat, dispersas, exterritasque intuitus est, & iam vlterius consuetas fieri sessiones, à Dominis Nosocomij Gubernatoribus vetitum fuerat; Dæmonis itaque sola petulca inuidia triumphabat, nec quo se verteret, quidue Camillus Consilij apprehenderet reliqum erat, ad vniuersale, suumque perculiare profugium, nimirum ad orationem se tota mente conuertit, in ea siquidem plures diei, noctisque horas absumens.

12

Sero enim eiusdem diei post primam vigiliam, hoc est elapsa tertia noctis hora; per id totum temporis spatium cum instanter orasset, & coram sui dilectissimi Domini Cruci pendentis Imaginem cernuus lacrymans perseuerasset, necessitates, ac persecutiones sibi imminentes aperuisset, remediaque ab eo, qui suis poterat mederi langoribus, expostulasset, demum fatigatus ab oratione surrexit, supraque grabatum, leuandi causa animi pœnam, magis quam, vt quietem corpori daret, se composuit, dormiuitque; at Dominus Seruo suo Camillo inferendo auxilio non dormitabat, sed peruigil astabat. Cum igitur prima quies in eum irrepsisset, ecce illi apparuit in somnis Dominus sub forma Sãctissimi Crucifixi, quem in sacello supra Altare locauerat, capitis motione, suæ beneuolentię manifestum indicium ostendentis, qui benigna ipsum voce huiuscemodi cõsolatus est, ne time pusillanimis, incæptum prosequere opus, tecum enim propugnator ero, quandoquidem non tuum, sed meum est opus (ò terque felix Camillus, qui Dominum exercituum meruit sentire sibi protegentem) hic sermo omnem mœstitiæ caliginem à Camilli pectore fugauit, non secus ac oriens Titans caligines leues ab aere propellit.

[...] actis eius [...]tæ lib. 1. [...]p. 10. & ex [...]ocess. fol. [...] 16.

[...]pparẽt in [...]mnis ima[...] [...] Sanctiss. [...]rucifixi [...]amillũ cõ[...]ttans.

13

Diluculo è cubili, resumptis viribus, ac spiritu, qui aliquanto languerat, prosilijt, itaque validus à Domino effectus est, paratusque se obuiam ire contra vniuersas Tartari legiones, viriliterque aduersus eas in posterum dimicare; seclusa mora suos iam timore deterritos, ac dispersos Comillitones, quos antea aggregauerat, iterum collegit, confirmauitque; & veluti alter fortissimus Iudas Machabeus cum suis selectis militibus paratus potius vitam finire, quam inferre ignominiam gloriæ suæ hostibus terga vertendo: proinde Camillus, & socij generoso animo obiere spirituale certamen, firmoque corde destinarunt, aduersus mundum quippe, dæmonem, & carnem viriliter se opponere, quæque in somnis illi ostendere Dominus placuerat, eis explicuit; vnde repente toti à semetipsis mutati, magnanimi, ac fortissimi euaserunt, ad ferenda inposterum cuiusque generis incommoda, ipsamque etiam mortem, quæ formidatur ab omnibus; ac strenue quod ab eis fuerat ob timorem interpellatum absq; mora resumptum est, animaduertentes Diuino se munitos fauore; pristinas vniones, & exercitia spiritualia renouarunt, quamuis non palam, ne nouus suboriretur tumultus, nec eodem in cubili, vt antea, sed alibi, nempe in ipsamet Diui Iacobi Ecclesia Hospitali cohærente, cuius claues penes iam dictum Patrem Franciscum Prophætam eiusdem sacellanum seruabantur.

[...]erum re[...]mun: spi[...]tualia exer[...]tia in Ec[...]esia S. Ia[...]obi.

14

Interim in amore diuinorũ crescebant, atq; ardebant non absque per magno ægrotorum, & Nosocomij emolumento, attamen in dies iteratę iugiter operãte dęmone insectãtiũ calũniæ inualescebãt, qui loci Gubernatoribus, mala semper seminantes, ac somniantes falsa referebant; non propterea Camilli pectus vnquam decidit, tametsi suorum pertimesceret casum, hac causa magno timore

corri-

corripiebatur, ne rursus quod bis in Domino fuerat inchoatum, dissolueretur; Saluator verò inter procellas harum grandinum seruo suo compatiens, iterum non in somnis, vt priori vice, sed vigili oculo, dum genuflexus coram ipsamet Sanctissimi Cruci pendentis Imagine vehementius deprecaretur, apparuit, locutusq; est veluti ad amicum amicus (habebat enim Dulcissimus Dominus ambas manus à Cruce enodatas, dum secum sermocinaretur) ipsum sub eodem verborum tenore animans ad non desistendum ab opere incæpto, quandoquidem ipsummet Dominum habiturum propitium, vt ab eiusdem Sanctissimo ore iterum senserat. Apparuit ei secundo Dominus, ne forte putaretur primam dubiam fuisse reuelationem, & insomnia vana, abstulit è Cruce manus, quasi illam sibi, suisque alumnis pro vexillo daturus, vel maluit per eam indicare instituti difficultates famulandi infirmis grassante nominatim pestilentia: uisus est etiam Redemptor in Cruce, vt sibi persuaderet Camillus, & sui Religiosi, non nisi in Cruce quatuor sollemnium votorum obseruatione ipsummet Dominum quærere oportere, ac inuenire, ferentes quippe iugiter tribulationum Crucem, persecutionum, ægritudinum, Hospitalium, commendationis animæ, vigiliarum, & reliquarum pondera ærumnarum, quæ secum instituti difficultas fert, patiturq;.

1581. & 1582

Secundo apparuit Cam. vigili Ss. Crucifixus extra clauos habēs manus. Habetur loco sup. cit.

Iam tum in eisdem operibus, & caritatis exercitijs, quæ pariter nouo modo, miroque zelo resumpserant, perseuerabant, ægris opitulando, post vero Nosocomij labores, & Marthæ occupationes, se iterum in Templum Diui Iacobi colligebant; & inibi veluti Cœlestes Athletæ in Diuinis, pijsque meditationibus exercebantur, vt viriliter contra teterrimos hostes, suaque membra patientia duce contenderent, ac vincerent, fortiusque labores diurnos, atque nocturnos sustinerent; omnes enim in via Domini currere nitebantur, quis nempe humilior, seu feruentior in Dei, & ægrotorum famulatu deambularet, socijsque magis, atque magis in virtutibus anteiret: in hoc quidem æmulabantur, singulis momentis noua excogitando, ac peruestigādo itinera amplius Deo, ac pauperibus in obsequendo; præ omnibus tamen, & veluti reliquorum exemplar, & tamquam strenuissimus dux ceteros Camillus antecellebat, non auctoritatem, & superioritatem ostentando, sed præ reliquis humiliter operando, post omnes dormitum ibat, ante omnes expergiscebatur, & surgebat; denique si defatigatis membris aliquantulum indulgeret, postremus omnium corpori suo veniam concedebat, qui profectò, ceu ænea columna, nec laboribus frangebatur, nec persecutionibus flectebatur, nec propter inediam, vel vigilias torpuit. Verumenimuero non tantum propter difficultates, & calumnias, quæ in dies insurgebant, sed potissimum angebatur, quia difficillimum esse pro certo habuit posse (vt est in cōfessò penes omnes) in alieno solo ædificare, intra Hospitale siquidē Congregationem instituere. namq; Dominus extra illud erigendam, vt factum est, decreuerat, quapropter Camillus grauiter mente sollicitabatur, quomodo eam posset formare, ac perpetuo stabilire. Quandoquidem enim Diuina voluntas non omnia immediate à seruis suis facienda, influit, sed sensim alijs temporū spatijs, alijsue nonnumquam interpositis personis mauult nonnulla eis communicare, vt se homines esse pensarent, & longis indigere orationibus, aliorumque adminiculo; sic enim Moysi cum Raguel contigit in deserto, ita Paulus missus est, vt erudiretur, fidemque reciperet ab Anania in Damasco, ita quodammodo euenit Camillo dum rationem de instituenda Congregatione exquireret intus, seu extra Xenodochia.

Difficultas, uum intra Hospitale instituēda Cōgregatio.

Quidam autem vir nomine Marcus Antonius Cortesselli prudens, vitæque

1581 & 1582

Bonum Antonij Cortefelli consiliũ

integritate, ac misericordia clarus, & vnus de spiritualibus filijs Sancti Philippi Nerei, iste pietatis ergo persæpe Diui Iacobi in Nosocomio visebat infirmos, ac ministrabat, quos etiam quibusdam donarijs refocillabat; hic familiaritate Camillo obstringebatur, cui sua adaperuit Camillus desideria, pręsertim de instituẽda Congregatione, aliquid ab eo sperans boni consilij, in quo quidem non sefefellit; proinde agnita P. nostri deliberatione, rem laudabilissimam esse respondit, opusque futurum egregium, gratissimumque Deo, & proximis peculiariter in articulo mortis constitutis vtilissimum; modus vero ei perdifficilis videbatur, vtpote si hasce piorum hominum collectiones, & cõgregationes, quas intendebat, in Hospitalibus fieri conaretur, intra quæ arduum esse erigendas, erectasq; facile corruere, cũ omnia à Nosocomii Gubernatorũ nutu penderẽt, qui singulis annis permutantur, & sicut tempore, & persona, ita proposito variantur; operæ tamen prętium esse, aiebat, extra Nosocomia eas subsistere, ibiq; posse perpetuo firmari; huius viri accurata responsio, quãuis non aliena à Camilli cogitatu, ipsum magis, magisque firmauit in eo ipso, quod decreuerat, & tamquam Cœlitus missam in corde contexit.

17 Ceterum Camillus feruentius se totus applicuit quomodo executioni id cõmitteret, quandoquidem plura illi obstabant, namque si Hospitalis curam à se abieciffet, multis incommodis grauaretur; victum nempe quomodo sibi. & aliis vendicaret, Domumque locaret, cum esset præsertim iners, & inops, ignorabat; propterea non parum molestiæ sentiebat. Postera autem die idem, qui supra Dominus Cortesélli occasione consuetũ exequẽdi munus Hospitalitatis, ad Camillum regressus est; secumque locutus super pristino negotio, qui verba fecisse hac de re vna cum Patre Francisco Maria Tarugi Congregationis Patrum Oratorij, postmodum amplissimo, ac dignissimo Cardinale, indicauit, ab eoque responsum acceperat, summopere Camilli propositum esse commendabile, qui tamquam egregium extulerat, & huiusmodi institutum potissimum deuastante fera pestilentia maximo emolumento Christianæ Reipublicæ futurum: idque veluti semen à Cœlo immissum, item in Camilli pectore abditum est, suo tempore germinaturum, quamuis neque hoc alienum erat ab eius mente, quandoquidem ipsius prima inspiratio fuit aggregandi socios, vt infirmis in omni ægritudinum genere inseruirent; quoue maiori, ac periculosiori morbo deuastarentur, eo maiori affectu, ac feruentiori caritate prosequerentur.

Propositum amplexandi ministerium tempore pestis.

18 Sed aliud nõ inferioris momenti Camillo superincidit, Deo auctore, consilium, quo facilius, quæ cupiebat, executioni mandaret, quippe vt laicali demisso habitu, ad Sacerdotalem per gradus ascenderet dignitatem; secus enim non haberet sequentem se, & in præstando infirmis, spiritualibus ministerrijs absque Sacerdotio penes ineptus redderetur tum potissimum in sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis conferendis, cum etiam ægrotos in mortis agone adiuando, quod munus multo nobilius, & efficacius à Sacerdotali insignitis charactere exhibetur, quam ab alio quopiam: ac tandem facta deliberatione omnium factori negotium istud commendauit, in eo nimium fidens singula obstantia, & quantalibet impedimenta se complanaturum, habendi vtpote patrimonium, & litteras addiscendi latinas; vtrumq; difficillimum superatu, habito ad Camilli personam respectu, qui omni pecuniarum subsidio nudabatur, & multos prætererat annos ætatis suę, hinc illi arduum erat, & verecundum pręsertim Grammaticæ operam dare, super etiam adiectis Nosocomij oneribus, assiduisque occupationibus; attamen fortissimũ Camilli pectus hæc omnia flocci faciebat, sed

Intentio Camilli ascendendi ad Sacerdotium.

solum

1581. & 1582.

solum etat in Deo spem locans; quomodo enim poterat vilescere cui Dominus ore proprio suam præstiturus opem, secumque futurus spoponderat? (vt supra notatum est) Itaque se induit Clericali habitu, & cum pene nihil sciret, quodq; in pueritia litterarum apprehenderat, longum tempus, & desuetudo ferme deleuerat; demum cuncta supergrediens, primis Grammaticæ principijs erudiendus se tradidit præceptori Antonio Biskaino Sacerdoti Diui Iacobi Hospitalis; hic non post multum temporis vita vacauit: at Dominus Camillum alio prouidit præceptore sibi commodiore, ac vtiliore, quemadmodum eius necessitas expostulabat, nomine Bartholomæus pariter à Biskaglia eiusdē Nosocomij Presbytero; iste Camilli desiderio nouum superaddidit stimulum, nempe illi suggerens, vt in studijs quamintensissime inuigilaret, ac proficeret; sæpius in die ejus exēplaria corrigens, nouasque compositiones dictans, & præcepta Grammaticæ tradens; multum enim his initijs magistrum auscultando, animum studiis Camillus intendit, ac progressus est, sæpe quidem numero per Hospitale deambulando memoriæ ludi magistri lectiones commēdauit, seu dictata quomodo formaret mente versabatur, hinc breui temporis interuallo non mediocre in litteris latinis augumentum acquisiuit. Verumtamen, seu ardentiori voluntate proficiendi in Grammaticæ præceptis ductus, seu in mortificationis via haud scio, fortasse ob vtrumque, ad Collegium Romanum Reuerendorum Patrum Societatis Iesu transiuit; qui à Patre studiorum Præfecto in puerorum, & incipientium Classem admissus est; inter pueros vna Camillus addiscebat; & cum ætate, ac statura corporis valde promineret, illum subridebant, ac subsannabant pueri, intuentes secum corrigere dictata, memoriterq; commendata promere, & singula scholæ exercitia cum ipsis peragere; quandoque etiam improperarunt sero venisse, Pater vero Gymnasij Præceptor, eos acriter obiurgauit, prædixitq; quamuis Camillus tarde venisse videretur, breui tamen se expediturus, ac magnopere profecturus, in Deique Ecclesia perillustre aliquod facinus patraturus; id enim quasi diuinans præsagiuit, miro quidem amore Camillum prosequebātur ij Patres, cuius modestiam in omnibus, ac patientiam spectabant, & solertiam in discendo; quē ipsi præcipua cura instruebant, potissimum Sancti Iacobi Hospitalis illum scientes esse præpositum: tandiu enim sub horum Patrum disciplina perseuerauit; quoadvsque ab ipsismet iudicatum sit, adeo in humanis litteris claruisse, vt satis, superque idoneus esse iudicaretur Sacerdotali posse insigniri charactere, præceptores autē quos habuit in scholis hi fuere, Pater Paulus Cornelius Calaber, & Pater Philippus Baldassini à Senegallia.

Latinæ linguæ operam nauat.

In Collegio PP Iesuitarum Romæ Cam. adiscit latinam linguam.

Et quamuis enixe eruditioni humanarum litterarum Camillus operam nauaret, qui breui adeo profecit, vt satis idoneus sit repertus Romæ examini Sacrorum Ordinum se posse exhibere. Non propterea consuetæ pietatis ministeria, aut propriæ mortificationis exercitia parte ex aliqua relaxauit, at in eis vna cum suis sodalibus, vt antea, quamaccuratè inuigilabat; quandoquidem si tempus studendi deerat, illud supplebat, sibi de necessarijs somni horis demens; Demū linguam latinam callens; Diuinoque fretus auxilio hanc exsuperasse difficultatem contuens, animum in ordinum susceptionem intendit: Itaque subijt examen, fuitque à Reuerendo Patre Stephano Tuccio approbatus circa minores Ordines; Ceterum die quodam Dominico cum interesset vna cum Patre Francisco Propheta in Diui Ioannis Lateranensis Basilica, vt prima initiaretur Tonsura, strictius perquisitę, ac examinatę sūt eius dimissoriales litterę à Domino Iacobo Butio à secretis, repertumque est in eis, quid deesse necessarium; qua

In Ordinum susceptione exuperat impedimētum miro modo.

propter

1581. & 1582.

propter ab Ordinum susceptione desistere oportuit, indeque, vt accesserat, non initiatus abire; aliquantulum perturbationis eo ex impedimento Camilli animus sensit; potissimum cum opus foret in patriam se conferre, illud superatum, quod arduum fuisset; aut illuc nuntium destinare, quod item graue redderetur ob temporis,& expensarum iacturam; æstimauit porro Camillus, hæc omnia ab hoste excitata communi, eius desideria obnitentente funditus euertere; etenim si in exordijs seruum Dei Camillum vicisset inimicus humani generis, sibi posthac promisisset omnimodam victoriam; Cum itaque simul cum Patre Francisco iam dicto à memorato Templo Sancti Ioannis digressus fuisset,& in Amphitheatrum, quod vocamus, Coliseum, appulisset, se quodam lætitiæ sensu interius illustratum agnouit, simulatque firma quadam spe roboratum illam non delapsuram diem, quominus omnes difficultatum ambages dissoluerentur; idq; tanta cum animi firmitate complectebatur, vt nullus in eo ambigendi locus reliquus esset; protinus Patri Francisco præfato hanc suam in Domino fidentiam adsignificauit, eamque priusquam Sol occubuisset complanandam esse obiectionem dixit.

Demum ad destinatum Sancti Iacobi domicilium peruenere; Camillus, vero iuxta morem flexis poplitibus propè Altare Sanctissimi Crucifixi in medio valetudinarij locatum orabat; dum enim assurgere vellet, se vertens adesse virum sibi agnitum eiusdē patriæ animaduertit; quem lætanter complexus est,& tamquam à Domino immissum suscepit, quo mediante poterat omnes soluere in se coniectas difficultates, post aliquantam mutuam confabulationem, ipsum de omni, quod eodem die super litteras dimissoriales euenerat, impedimento fecit certiorem, ille vero protinus subdidit omnia, quæ à Camillo expetebantur, tāquam sibi nota, posse optime testari; Itidem reperiri Romæ Presbyterum Teatinensis Ciuitatis subintulit, qui idipsum deponere facile poterat, cum satis superque essent ei noti Camilli parentes, ac familia, hic siquidem vir nulla posita tarditatis segnitie illinc, expetita venia, discessit, inuenitque Sacerdotem, cui singula, quæ à Camillo audierat, enarrauit, eiusq; pio intellecto, & cōmendato opere, vna ad ipsum peruenire, qui simul cum eo coram Secretario Butio se constituere, atque die eodem, vt prædixerat Camillus dimissoriarum litterarum defectui suppleuere; cæterum præ ingenti cordis lætitia, quas dignas misericordiarum Patri grates haberet Camillus ignorabat, attamen illas, qua valuit voce, menteque persoluit, à quo tam cito ab omni impedimenti grauedine fuerat absolutus.

20

Annus

1583.

Anno Domini 1583. Camillus incipit ordinibus initiari, & nonnullas eluctatur difficultates. De Firmo Caluo aliqua promuntur.

ANte narrationis contextum opere pretium eſſe duco quoddam interponere maximum emolumentum, cuidã ęgroto ob orationem P. Camilli his temporibus collatum, dum ſcilicet œconomi magiſterium in domo Hotalis iam dicti obiret.

Nuſquam enim deſijt per ſeruum ſuum Camillum diuina clementia ſigna mirabilia oſtendere, etiam dum vitam laicalem ageret; quamuis ab eo ſemper ſub humilitatis velo tecta fuiſſent; procedebat autem die quodam per Vrbem Romã, quidam vero annoſus vir, ex habitu aurigæ miniſterium exercere indicans, magnis vocibus, congeminatiſque poſt Camillum clamabat viue, en viue Pater Camille, & quamuis Pater greſſus ſollicitaret, ne ab circumſtantibus, & auſcultantibus dignoſceretur, eo magis ille, & voces extollebat, & Patris veſtigia ſequebatur, demũ Camillus ſeni illi appropinquauit, rogauitq; vt quęſò reticeret, nec propterea quieſcebat, & requiſitus, quid per ea verba vellet adſignificare, reſpondit, nõ meminit R.V. ſuis orationibus me ad ſanitatẽ redijſſe; cui placidis verbis, vt Deo ſummo grates referret dixit, & demum, vt ſileret iterum obſecrauit, libenter ſenex adimpleuit. Ad ſocium inde Camillus cõuerſus oportet, ait, Frater nunquam in bene factis ſegniter ſe præſtare, quandoquidem, nec Deus, nec homines boni operis obliuiſcuntur; ſub ſenis iſtius cubile abhinc circiter triginta annis, ob oſſis confractionem in Coxa, ferramenta parata iacebãt, vt illuceſcente die illam Medici ſecarent: Dominus vero omnino ipſum reddidit incolumem, & ferrum prorſus eius carnem non tetigit, quandoquidem mane integre ſanus apparauit, Dei bonitate, illi ſanitatem mirabiliter reſtituente.

In Vita P. Camilli lib. 3. c. 13. erga finem.

Per eius orationes ægro redditur ſalus.

Tandem aliquando (vt illuc vnde abij redeam) IV. Non. Febr. 1583. in ſpecula militantis Eccleſiæ præſidente Greg. 13. dies equidem memoranda recurrebat, qua Manfredoniæ anteactam vitam nimio dolore, & profuſis lacrymis Camillus permutauerat, ac prorſus deteſtatus fuerat, nunc vero abiecto omnino mundi clypeo tranſitum ad Eccleſiaſticos ordines facit, ſpirituale, ac nobilius certamen aggrediens: nimirum die integerrimæ Purificationis illibatę Virginis Mariæ Sacro prima Tonſura initiatus eſt: exinde alijs ſuccedentibus immediate tribus Dominicis diebus vſque ad Diui Matthiæ Apoſtoli celebritatem quatuor minoribus ordinibus in Sacrario Sancti Silueſtri montis Quirinalis ſuffultus eſt ab Illuſtriſsimo Domino Thoma Coldouello Eccleſiæ Aſſafenſis Anglicanæ Epiſcopo, & Eminentiſſimi Cardinalis Sauelli ſuffragneo, tum etiam Greg. XIII. In Vrbe vicem Gerente: feſtinabat interea ad maiores ordines tranſeundi tempus, & quomodo ſe ab hoc inuolucro ſe expediret, ſeu ab hac difficultate inueniendi patrimonium, ſe diſſolueret, admodum inſudabat; qui ſtricta pauperie

Initiatur minoribus Ordinibus.

1583. detinebatur, neque viri alicuius familiaritate vtebatur, qui patrimonium sufficiens ei substitueret; non penitus se destitutum arbitratus est, quandoquidem Deum sibi præsto affuturum credidit. Et quamuis etiam nec paternis bonis potiretur; Pater enim eius pene quæcumq; possederat, militando consumpserat, attamen in Thesauris summę sapientiæ repositum, ac seruatum Camilli patrimonium stabat, qui immensa sua liberalitate quodcumque necesse habuit continuo suppeditauit.

Mense denique Decembri anni iam supranotati die quadam Camillus super hoc negotio Deo se commendans per atrium dicti Hospitalis Sancti Iacobi deambulabat, quando casu accidit illuc properasse Firmũ Caluũ ciuem Romanum, honesto loco natum, huius memoria cum laude non longe inferius clare patebit; qui Camillo adhæsit, vnaque secum alloquutus est, & quamuis inter eos nulla necessitudo præcessisset; verum cum illius Fratre Camillus familiaritate vinciebatur, quapropter animum adiecit suam patrimonij necessitatem eidē Firmo adaperire, indicauitque præterea cuncta, quæ de instituenda Congregatione destinarat, ac proinde ad Sacerdotalem ascendere dignitatem decreuerat, attamen ei patrimonium deesse subdidit. Intellecto itaque à Firmo Caluo sublimi excogitato Camilli interius se commoueri persensit, nil tamen spopondit, nec respondit; sed subsilentio, rem, & responsa velauit, indeque secedens Camillo subintulit; vt firmiter in Dei bonitate spem suam locaret, qui nũquam in se fidentes deseruit. Et quamuis domum petijsset Firmus quadam tamen ceu lima interius corrodi videbatur, iugiter in mente Camilli verba, quasi clamantia aduersus semetipsum fixa tenens, illumque exprobrantia, tantæ proximorũ vtilitati non occurrisse (aperuerat .n. ei Camillus se velle pro ægrotorũ beneficētia, vt dictũ est, Cōgregationē instituere) hæc ꝑfecto præfatus Caluus excogitando, non quietem, nec cibum capere sinebant. Itaque mane facto posteri diei iterum Firmus in Xenodochium memoratum perrexit, & cum nihil de ipso amplius Camillus excogitaret, eumdem intuens ad se properantem benigniter complexus est; Firmus vero inter colloquendum, Dei seruum Camillum lepide consolatus est, ęquo animo fore, quandoquidem Dominus de patrimonio ipsum prouiderat necessario, & simulac pro eo substituendo obtulit aureorum summam quingentorum; quantum hilaritatis, & gaudij; id sentiēdo, Camillo superuenerit, dictu perdifficilè sanè est, quasque Deo O.M. ac Firmo Calui grates rependerit satis enarrare calamus non scit, nedum etiam capere mens sufficit. Super hoc Camillus pręfatum Notarium Butium fecit certiorem, vt facilis ad sacrorum ordinum susceptionem ei pręberetur aditus: verum constituta pecunia, veluti ad patrimonium integrum non sufficiēs ab eodem à secretis Butio repulsa est, exigente alios centum in supplementum. Aliquantulum pertimuit Camillus ad eumdem rursus Firmum contendere, verecundebaturq; vlterius molestia eum afficere, attamen quo se vertere, vel quid agere ignorabat; propterea ad ipsummet se se contulit, ex quo multum receperat, illud etiam non esse sibi denegaturum persuasit, exposuitque ei peractam à Secretario oppositionē, qui eadem, qua prius liberalitate reliqua centum, quæ deerant contulit; itaque vniuersam pecuniam in tot montis (vt Romæ vocant) loca designauit: ex ea Camillus patrimonium sibi comparauit anno quolibet aureos triginta supra sex deducens, quibus frueretur, donec ejus vita esset superstes.

Suppeditatur a Fermo Calui patrimonium.

4

Siquidem Camillus Firmi beneficij non immemor, sed erecta postmodum in Religionem Congregatione illud operatus est repēdere alio, sed maiori emo-

5

lu-

1583.

Agitur de Firmo Caluo.

umento, luculentius eius occurrens liberalitati; persuasit itaque, Firmum domi nostræ Romæ simul cum Patribus commorari; ingenti cum gaudio extemplo Firmus assentitus est; cui tria satis commoda illi cubicula designauit Camillus. Vbi vna cum famulo, qui ei ministraret diuersatus est, quoad vitam vixit, per decursum quippe viginti annorum circiter comedens, ac bibens quidquid Patribus apponebatur, habito tamen ad eius maturum æuum aliquo respectu: his temporum interuallis Firmus, nec otiosus extitit in Religione; quandoquidem nostrorum Ecclesiam Diuæ Mariæ Magdalenæ decorauit quamplurimis, vtpote argenteis vasibus, præsertim octo satis pulchris, & magnificis ex eadem materia conflatis Candelabris; pariterque Turibulum, & Calicem, atque altam, decorámque Crucem, simulque sphęram valde conspicuam eiusdem metalli ob Sanctissimum Christi corpus cum fidelibus palam exponitur asseruãdum, elargitus est; cuius deuotione, ac dilectione mirifice tenebatur. Quæ singula argentea vasa præter alia, quæ breuitatis ergo prætereo summam constituunt supra mille, & quingentos aureos: non omnia inquam, recenseo; nam plurimas, & quotidianas oblationes ab eo tam Ecclesiæ nostræ, quam domi, ipsiusque Superioribus præstitas silentio tego. Oleum enim, quod in conspectu Sacratissimæ Eucharistiæ ardebat; item ipse ex suo ære singulo quoque anno quammundissimum prę parabat. Demum cum hanc temporis intercapedinem omni morum honestate transigisset, frequens in Sanctissimis Sacramentis, & tamquam Religiosus, & habitu exteriori, & conuersatione, atque animi puritate dies portaxisset, annis deniq; bonis, & multis obsitus attingens vsq; ad ottuagesimum quintum, & meritis clarus in ædibus nostris Romæ, facta prius suorum dispositione bonorum, Religionem vniuersalem instituens hæredem, æditis etiam nonnullarum Ecclesiarum in emolumentum legatis, communitusq; omnibus, quæ mortis tempore conferri solitum est Sacramtis è corporis excessit ergastulo anno 1612. ætatis suæ 84. Non sine tñ Patrum omnium mętore, ac notanter P. nostri Camilli ob amissionem adeo singularis, atque amabilis Benefactoris, eius cineres conditi iacent in templo D. Mariæ Magdalenæ, & in Sepulchro nostrorum; vt qui mensa Patrum participauerat, & eorum vitæ vestigia secutus fuerat, vna cum eis, in se Sepulcro dormiret corpus eius, donec vocatum in extremo iudicio foras veniet.

Annus

Annus Domini 1584. Et primus Congregationis: Camillus Romæ ordine Sacerdotali ſuſcepto in Eccleſia Diuæ Mariæ Miraculorum, ſuæ Congregationi firma initia dat.

Camill. primum ſacrũ peragit Miſſæ.

1 DE his omnibus iam memoratis ſexcentum aureis rogatum eſt publicum inſtrumentum per acta Notarij Euangeliſtæ Ciccarelli, anno ſalutis 1584. XVII. Cal. Feb. Enodatis itaque, & profligatis diuina bonitate cunctis ſuper hoc facto difficultatibus, cæpit tandem Camillus Sacris initiari ordinibus, præuio examine, ſubdiaconatu quippe quatuor temporibus poſt Cineres, Diaconatu vero ante Dominicam ſitientes, Sacerdotali tandem charactere celeberrimo die Pentecoſtes inſignitus eſt; obtenta prius interſtitiorum diſpenſatione, quos ordines à ſupra iam dicto Epiſcopo ſuſcepit in Baſilica Sancti Apoſtoli, & Euangeliſtę Io. Lateran. Die vero Dñico, quę incidit VI. id Iun. anni pręfati. Primum Sacroſanctum ſuper Altare Sacrificium Deo Patri immaculatum, & incruentum obtulit in ſacello B. Mariæ Virginis, quod ſitum eſt in templo Sancti Iacobi, cuius in Noſocomio domi Magiſtri adhuc munere fungebatur; interfuere in eo Sacro complures Camilli familiares, ac noti; piæque perſonæ non uulgari cum lætitia, præ reliquis iam præfatus Firmus Calui; quorũ plurimi ab ipſius manibus, non abſque oculorum, præ deuotione, humectatione, venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſere.

Firmus cõplures miſſæ paramenta Camillo largitur.

2 At Firmus magno honore Camillum affecit, præbens ei pulchrum argenteũ Calicem vna cum patena, & miſſale Romanum, ſimulque varijs coloribus elaboratas tres planetas, ſecundum Eccleſiaſticum ritum; præterea, & alia plura ad Sanctum Miſſæ peragendum Sacrificium requiſita ornamenta elargitus eſt. Poſt ſuſceptum à Camillo Sacerdotalem ordinem, omnes tam ipſius conatus, quam ſociorum dirigebantur, quomodo extra Noſocomium domicilium ſtabilirent; Congregationemque firmarent; vbi liberius, & immobilius Deo ſummo famularentur, & ægris, & pauperibus opitularentur. Verũtamen ex eorum diſceſſu à Noſocomio magna sfore, vt emergerent incommoda, indubitanter coijciebant; non modo ob Camilli abſentiam, quam grauiter eius loci Domini eſſent laturi, verum etiam propter Sodales, qui omnes ob vitæ integritatem ibi plurimi fiebant, peculiariter vero Bernardinus, qui mirificè à cunctis, & ſanis, atq; ægris, & ſpeciatim à Dominis ſtrictim diligebatur ob eius fidele miniſterium, ac ſinceram, gratamque conuerſationem. Deus enim, à quo omnis eorum conatus, rectuſque cogitatus proſperabantur, ſenſim cuncta de medio abſtulit impedimenta. Ipſi enimmet Noſocomij Rectores mentis oculo proſpicientes accuratam Camilli erga infirmos vigilantiam, eſſeq; de pauperibus, totaque domo benemeritum, modo vero Sacerdotali honore clarum, vt illi gratificarentur, cuiuſdam Eccleſiæ titulo Diuę Marię Miraculorum Sacellanum deſignarunt,

1584

runt; vbi ad pręſens pauci quidam incolunt Diui Francisci à Gallia Fratres ex obſeruantia.

Id templum viſum eſt Camillo his exordijs ſatis idoneum ſuæ Congregationi principia dandi, at quoniam Dei ſeruitutem rationabilem eſſe conſentaneum eſt; idcirco non repente, & ex abrupto Hoſpitalis curam deſeruere, ſed huiuſmodi viciſſim iniere conſilium; vt Camillus occaſione arrepta, & Curtius eundi in Aprutium, veniam à Gubernatoribus obtinerent, illucque pergerent, poſt vero regreſſum in pręmemorata Eccleſia morã facerent, quibus illico Bernardinus aſſociaretur; Pater autem Franciſcus Propheta poſtmodum abſolutis aliquibus proprijs, ac vrgentibus negotijs, propter quæ Romæ detinebatur vna ſecum iungeretur: reliqui autem duo ſocij, vtpote Ludouicus, & Benignus Xenodochio abierant, hic ad obeundum munus Prioris in Hoſpitali Sancti Ioannis, alter vero alijs de cauſis illinc diſceſſerat: itaque qui prius quinque fuerant congregati, tres tantummodo, ſed non abſque myſterio, permanſerunt; iuxta Salomonis ſententiã; funiculus triplex difficilè rumpitur, veluti magis igne probati, & inuenti digniores; quam peractam conſultationẽ, factamque deliberationem executioni mandarunt; Samnium verſus iuerunt, expetita, & habita à Dominis Gubernatoribus Noſocomij diſcedendi prius facultate; præterea poſtulauit Camillus antequam egrederetur, ab eiſdem Dominis; vt ſibi de alio æconomo prouiderent, ſubinferens ſe quando rediturum, ignorare.

Diſcedendi cauſa ab Hoſpitali vna coeunt.

Poſt aliquot Menſium interuallum Romam repetiuere, iuxtaque condictum ad Eccleſiam Deiparæ Miraculorum ſe contulere Pater Camillus nempe, & Curtius, ad quos Bernardinus illico accurrit, qui tres in nomine Sanctiſſimæ, ac viuificæ Trinitatis ſe aggregarunt dimidio Menſis Settembris anno noſtræ Redemptionis 1584. poſtremo vero Summi Pontificatus Greg. XIII. die quippe octaua lætiſſimæ Natiuitatis Intemeratæ Virginis: hac .n. memoranda luce ſuę exordium Congregationi nunquam abrumpendum Camillus præſcripſit, nec aliquando poſthac interruptum eſt. Iam nunc primitus demiſſo habitu Laicali ſe, hos quoque ſibi ſodalitio coniunctos duos Clericali habitu circumamicuit, vtpote talari veſte, ſeu tunica nigri coloris, & pariter pallio, quibus ſuperinductis adhuc vtitur Religio. Qui tres numero pauci, non equidem operatione, optimaque voluntate: hi facinora profecto excelſa, ac ſi quamplures eſſent in Domini vinea operatores, cum omnium ſtupore, manu, & ore exegere.

In Eccleſia D. Mariæ Miraculorũ primitus ſe aggregant.

Induunt ſe veſte Clericali.

Cæperunt itaque his initijs ſibi conſtituere nonnullas à Patre Camillo confectas regulas, ſeu ordinationes, quibus dirigebantur, penituſque obſeruabant, tum in rebus ad bonum Domi regimen ſpectantibus, tum etiã in his, quæ ægrotorum famulatum attingunt. Mane itaque ante prandium, ac poſt meridiem ꝑ aliquot horas ante cœnam (habitis antea Domi ſpiritualibus, ac temporalibus exercitijs fieri conſuetis) S. Spiritus magnum Noſocomium adibant; ſingula in eo pietatis, ac miſericordiæ munia exhibentes; & vbi maior neceſſitas vrgebat, maiorque putor exalabat; vt proximis prodeſſent, ac proprium ſenſum deprimerent, ibi frequentius, & alacrius ſtare, ac miniſtrare geſtiebant. Nullum ſiquidem genus perſonarum, nec ægritudinum illis erat horribile, aut infeſtum, nulla pericula formidoloſa vitabant, parati ſi oportuerit vitam pro fratribus ſuis; Quin immo pro Chriſto Domino, cui famulabantur in ægris, profundere: mente tamen ſemper fuerunt intenti animas ad Deum dirigere; cuncta enim, quæ patrabant temporalia, ad hoc nobiliſſimum creaturarum omnium centrum, nempe Deum ordinantes; Infirmos Chriſtianam doctrinam docebant, ſæpius de homi-

Exercitia ex hibita à Patribus illis ini tiis.

1584.

num nouissimis cum eis sermonem habebant, de peccatorum item turpitudine, deque Diuinæ gratiæ pulchritudine quandoque, ac similibus materijs verba seminarunt, moribundis item animam ardenti prece Deo commendabant, quo adusque corporeis absoluerentur vinculis; quibus denique visitationibus emolumenti non parum, tum ægris, cum etiam circumadiacentibus personis afferebant. Sic itaque admirabiles hi tres feruentissimi caritate viri, veluti tria magna luminaria supra candelabrum lucentia opere, verbo, exemplo illis initijs præfulsere; in nomine, & ob dilectionem summæ, ac indiuiduæ Trinitatis proprios labores expendentes, & vitam pariter (vt asserui) dum casus expostulasset. Interim eorum fama, ac pietatis odor per vrbem diuulgatus circumibat.

6

Sed libeat priusquam ad alia transeamus, quamdam Camilli perdeuotam actionem subnectere. Reliquerat enim in sui cubiculo, dum in Nosocomio Diui Iacobi moraretur, sanctissimi Crucipendentis simulacrum, à quo tot fuerat refectus consolationibus, admodum enim erat illi arduum, absque eo posse vitam transigere, atque progredi ad ea, quæ instituerat. Quapropter festinus Xenodochium adijt, indeq; à cubiculo Saluatoris imaginem euulsit, & quamuis esset vna cum trabea Cruce vltra palmorum octo altitudinis, nec mediocris ponderis, nihilominus ipsam proprijs vlnis strictim complexus est, quam nimia animi dilectione pectori hærentem continebat; ac inde nimirum à Sancti Iacobi Xenodochio, cum ea aperto capite exijt, ore pedes Dominicos deosculans iugiter, & lacrymis abundanter irrigans; tendebat enim inde ad Diuæ Mariæ Miraculorum Templum, vbi cum suis diuersabatur, illuc eam ducens; erat autem tēpus submeridianum, & iter per quod incedebat nimis publicum, viaque occursu, & defluxu multorum hominum, ac mulierum, freqnens, qui promiscue id contēplantes vna procumbebant, venerandamque imaginem reuerebantur, ac præ deuotione tanti, ac recentis spectaculi, vix poterant oculos à planctu cohibere: omnes enim se mutuo per fenestras vocabant, & admirantes pij facti sūt spectatores, non secus, atque cum in hebdomada Dominicæ Passionis sub vesperum sollemnes circumeunt processiones; præter cæteros, hoc spectaculum admirantem iam supradictum Firmum Calui habuit, Camillo perdeuotum, ac beneficum, qui id cernere sine fletu nequiuit, & si vsque adhuc ipsum magno fuerat amore prosequutus, strictiori tum complexus est beneuolentia. Cum denique ad ædem Sanctissimæ Virginis supradictæ Miraculorum ipsam perduxisset, ibi reuerenter locauit; proculdubio sub eo triumphali militās vexillo sperabat omnium contrariarum potestatum fore, vt adipisceretur tutam victoriam, & sub vmbra ipsius viuifici ligni quiescens, ab eis non perturbatum iri confidebat: porro à singulis ærumnarum, ac persecutionum procellis fore, vt euaderet incolumis, quæ postmodum sæue contra ipsum, suosq; collegas efferbuere; quarum nonnullas subiciam.

Admodum deuntè refert Sanctissimam Crucem ab Hospitale in tēplū D. Mariæ Miraculorum.

7

Prima enim, & non ex minimis à Domino Cusano eiusdem Nosocomij Rectore exorta est, qui fugerente tererrimo hoste arbitratus est, se fuisse à Patre Camillo delusum; propterea quod ab Xenodochio simulacrum Sanctissimi Crucifixi alio exportauerat, locandum: hinc enim argumentabatur, nusquam Camillum ad Hospitale rediturum, potissimum quia solertiores, & optimos quosq; famulos, ac ministros inde secum extraxerat. Hic enim Camillum in atrio præfati Nosocomij adinueniens acriter obiurgauit, ac si aliquod graue, indignumq; facinus perpetrasset, contra ipsummet, locique immunitatem, vel quietem; ac proinde Camillum duriter comminatus est, vt ni ab inceptis desisteret, secum

age-

1584.

ageret; vt poſthac ſummopere pęnituiſſet, & certo experiretur, quantum detrimenti hæ nouitates, ſeu leuitates (ſic eas appellans) ſibi forent allaturæ; neq; enim hoc ſatis illi fuit, verum etiam Camilli Confeſſarium adijt, pluraque detulit, ſibi relata, atque commenta indigna factu, in Hoſpitalis perniciem; ipſum quippe perturbaſſe, totumque commouiſſe, meliores, atque optimos ſeducendo famulos, alio tranſuehendo, ex eo quia in quempiam deprauatum inciderat humorem, erigendo quippe nugarum quamdam Congregationem (hoc ei nomen tribuerat) idcirco Sanctum Philippum deprecabatur, cum eo ita velle peragere, vt quamvelociter ab illa mente, ac propoſito remoueretur, & ad priſtinum ſui muneris penſum regrederetur, ſecus ægrotos vna cum tota Domo, incommodum nō leue in futurū percepturos, & in dies grauiora detrimenta paſſuros; Cui Diuus Philippus quadam animi promptitudine, ac ſolita benignitate ſe omnem impenſurum operam ſpopondit, ne Camillus pauperum ægrotantium famulatum deſereret, ſed eo quo prius modo obſequeretur.

Quædā Camilli grauis tribulatio.

8 Cum porro ad Sanctum, vt Sacramenti pœnitentiæ beneficium reciperet, Camillus de more peruenisset, ſuper hoc negotio ipſum eſt alloquutus, enixeq; laborauit ab ea Camillum deuocare opinione, & quo magis Sanctus Philippus in dehortando inſiſteret, Camillus eo amplius interius ſe confirmatum in ſua ſententia experiebatur, Sanctoque reſpondit, ita ſe ad hoc opus interius rapi videri, quod ſecus agere quodammodo nequibat, quibus reſponſis à Diuo Philippo perceptis, ac prudentiæ, & ſpiritus trutina libratis, talem peperere effectū, vt in poſterum Camillum à ſuo animi inſtituto non deterreret, arbitrans ipſum ad hoc à Diuina pertrahi voluntate; verumenimuero huiuſmodi non exigua pēſanda eſt vexatio, ac non exigui ponderis animi depreſſio, cum primo aſpectū appareat Camillum tantę auctoritatis habuiſſe Sanctum ſibi aduerſantem, quādoquidem ipſius conſilia maximi faciebat, modo ſiquidem tanti viri, ac Patris à confeſſionibus conſultationes quodammodo confutare videretur, & profecto ni à Domino (in cuius manibus ſunt corda hominum) fuiſſet illuſtratus, & ad altiorem perfectionis gradum ab eo promotus, vt non ſibi tantum, ſed alijs etiā prodeſſet, proculdubio opere ab incepto Camillus deſtitiſſet. Sanctus itidem Philippus ad euidentiorem ſpiritus Camilli ſi ex Deo eſſet comprobationem, atq; experimentum aliud præter verba facere meditatus eſt; ipſum quippe à ſuis ſpiritualibus filijs ſegregans, & quidē niſi opus Congregationis (vt antea, & ſæpe ſignificaui) Dominus ratum habuiſſet rerum omnium moderator, citra vllam dubitationem tum corruiſſet ob Camilli obſeruantiam erga Sancti auctoritatem, atque ad priſtinum Noſocomij miniſterium Camillus redijſſet; quibuslibet tamen oppugnantibus controuerſijs, adimplenda ſunt proculdubio Diuina decreta, Camillum nihilominus Reuerendo Patri Antonio Talpæ ſui Oratorij Sacerdoti à confeſſionibus præfatus Sanctus auſcultandum in pœnitentiæ Sacramēto traddidit, viro eruditione, prudentia, ac morum excellentia admodū ornato, à quo mirifica dilectione in numero ſuorum ſpiritualium filiorum adſcriptus eſt.

Sāctus Philippus ſuadet Camillo ad Hoſpitale regreſſū.

9 Sed vſque adhuc mare fluctuabat, & inſuper noua tribulationis addicta eſt tēpeſtas: parum abfuit, quominus Camillum, & ſocios letho mergeret, ex occaſione, quia locus Eccleſiæ deuotiſſimæ Virginis Miraculorum, cum ſit ſupra Tyberis ripam collocatus prope portam Diuæ Mariæ Populi, ab aduerſo infeſtatur aere; eſt enim ibi terra admodum cœnoſa, vbi etiam quamplures diuerſantur bubuli, quamdam formantes ceu paludem, adiecto item quod noſtri ſæpenume-

1854.

ro Patres pertrahebant noctes, ac dies insomnes, super ægrotorum decessu excubantes, itaque præter domicilij inimicum aerem, & vigilias ab alijs cruciabantur sæuioribus pœnarum aculeis, ab iugi inquam commercio inter Hospitalia, & inter affectos ægros varijs langoribus, ac putoribus, & sæpe inter pene mortuorum cadauera, proinde periculose Camillus, & Curtius, grauiterq; ægrotarunt; vnde vtrisque vnicum reliqum erat remedium, ac salutis spes; commutãdo quippe illud in alterum salubrioris auræ domicilium, hinc impellente necessitate, ex eo Diuæ Mariæ Miraculorũ aliò postea migrarunt (vt subnectam.) Interea sæuiente morbo Camillus ad pristinum Sancti Iacobi Hospitale, vt conualesceret diuertit, qui ab omnibus loci illius Ministris, præsertim verò à Dominis Gubernatoribus lætanter visus, & complexus est, sibi promittẽtibus si conualuisset ibi perpetuo mansurus: Curtius vero ad alterum ductus est Sancti Ioannis Xenodochium, qui pari etiam caritate susceptus est; ibi enim adinuenit Ludouicum sui peruetustum, & notabilẽ amicum, qui ipsum in proprio cubiculo curandum locauit, non vulgaribus remedijs, ac vigilantia, sed intensissime eius saluti incubuit; quo .n. pacto viris adeo eximiæ caritatis erga infirmos poterat, ipsis ægrotantibus, non impendi ampla caritas? & destitui in suis infirmitatibus, qui ægrotantium neminem præterierunt, quin opitularentur? Cum Dominus per Psalmistę verba spondeat, His misericordiæ personis se opem allaturum suam, superque eorum lectum doloris, ipsorum stratum versaturum, sic .n. concinit Psalmus: Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Periculosè incidunt in morbum P. Camillus, et Curtius.

10 Non tantum ob aeris infestationem, & Hospitalium putores ardentissima febris in eos irrepsit: siquidem ad hæc incommoda alia calamitatum genera se ingesserunt, præter enim assiduos labores, ac vigilias, à corpore etiam nutrimentum subtrahebant necessarium (inedia namque non parum defatigata membra vrget) etenim à Nosocomio sancti Spiritus Domum reuersi, vbi mane quolibet, ac sero (vt dictum est iam supra) pauperum necessitatibus operam nauabant, sũptis nonnullis panum fragmentis, quæ domi seruata manebant, sola aqua coctis, veluti prędelicato obsonio vescebantur, & plerumque tanto Xenodochium repetendi desiderio flagrabant; vt neque ferrẽt in coquendo, modicum illud temporis consumere, altioris edulij fame detenti, famulandi vtpote pauperibus, sed pani tantum aliquot siccas, & præminutas passas addebant; hæc enim erant illorum temporum exquisita conuiuia, & paratæ opipare mensæ, his enim initijs, ac fundamentis operępretium erat ęrigi postmodum Religionem. Admodum sane accurate hi tres Patres propriam, atque ægrotorum salutem operabantur. Nocturna præterea quies, quando Domi cubabant, paucarũ erat horarum quinque, scilicet, vel sex, & cum essent numero tantum tres, non plures, rigente frigore possidebant, quibus tegerentur inter dormiendum, quam duos centones, quos illis caritatis ergo iam dictus Firmus Calui præbuerat; vnum itaque eorũ opus erat in lecto absque tegumento iacere; sed tantum operiri proprijs vestibus, si tamen lecti nomine dignus est locus, vbi membra sternebant, qui non aliud profecto esse videbatur, quam simplices quædam storeæ; itaq; vndequaq; mirum in modum, acriterque à frigore, à duritie Tori, & ab inedia post labores diurnos sub noctem, exciti tenebantur. Siquidem, qui hoc modo quiescunt non stertũt, sed potius nocturnas horas ducunt insomnes. Ad eorum ægritudines tempus poscit, vt reuertamur.

Esca, & cubilia, quibus vtebantur.

11 Quamuis Camillus, & Curtius perardenti febre iactarentur, attamen à Do-

mino

1584.

mino seruatus in eorum solatium fuit Bernardinus incolumis, qui tametsi non minus quam ceteri duo in laboribus, & caritatis exercitijs inuigilasset, attamen illæsus inter tot incommoda (Domino eum protegente) euasit, qui iugiter Marthæ officio solers fūgebatur, Modo P. Camillum, nunc Curtium visens consolabatur, opitulabatur, ministrabat. Tandem aliquando Dei bonitas, quę ad meliorem seruos suos, & ad nobiliorem coronam reuocabat, conualescere decreuit. Ita tamen vt non omnino vires resumerent; quandoquidem etiamsi animo non tepescerent in diuino, atque egenorum famulatu, sed potius in dies magis, magisque crescerent: verum nequaquam poterant omnem ægritudinis molestiam ab se discutere, ac proinde vires incendio se ęquare voluntatis nequibant, propterea quod occasio qua ęgrotauerant adhuc instabat; coacti denique sunt illinc domicilium aliò transferre, secus vita spoliati decidissent: plus autem formidabant, ne immatura morte intercepti, à misericordię officijs exercendis priuarentur, quam salutis, vitęq; proprię iacturam facere. Mente itaque intendit P. Camillus illam Domum in aliam permutare, vbi aer apertior, & secundior faueret; quocirca opportunam adinuenit in via quam appellant Romæ Officinas obscuras, attamen pro soluenda locationis medietate pretij, pecuuia carebat, non quidem Camilli in Domino fidens pectus succubuit, à quo tot vicibus senserat eius auxilium sibi præsentaneum, quoties implorauerat: hac enim in Domino fidentia ductus, quendam sui familiarem nomine Pompeum Barattellum Insubrem offendit in via, suamque patefecit mentem, ac necessitatem, qui non minori liberalitate, ac pietate, quam præmemoratus Firmus Caluus, in medio platee iam vna stantibus, & colloquentibus à crumena triginta aureos extraxit, numerauitque Camillo, vt semestre conductionis pretium exsolueret (locabatur enim Domus quotannis aureis quinquaginta) illud maiori in hoc præstanti pietatis viro commendatione dignum est: quandoquidem gratis spopondit in posterum se integram Domus locationem soluturum; quamobrem iam dictus Pōpeus magno fuit his initijs Camillo, totique Congregationi adiumento, quem inueniens Camillus thesaurum effodisse pro certo credidit; præterea sæpenumero illos in noua, quam conduxerant æde; visebat; Cumque illinc recederet, modo denos, vicenos modo aureos eis liberaliter erogauit; neque tamen ipse sibi per has eleemosynas satisfecisse opinabatur; cuidam etiam mandauit pistori, vt quam panis quantitate PP. indigerent, libenter, & absque timore subministraret, quam sibi soluēda notaret. Adeo erga Camillum, & socios erat Pōpeus humaniter, ac misericorditer affectus, vt interdum alloquens Bernardinum consuesceret affirmare, etiamsi omni pecunia, & bonis destitueretur pro eis opitulandis, paratum esse quoque in seruitutem se redigere, seu ligna cædere intra nemora, quibus autem diuenditis ex eorum pretio ipsis necessaria comparare. Maius legimus olim effecisse Beatum Paulinum Nolanum Antistitem pro redimendo vnico viduæ pauperis filio bello capto: Pompeus vero licet non opere, affectū tamē habuit, quem si casus occurrisset, executioni mandasset, vt opinor, tantum erga Dei famulos in eorum subleuāda pauperie dilectione creuerat. Ex eo nimirum illius pietatis affectus exorsus est, propterea quod eximiam in pauperes ægros, assiduamque caritatem temporibus illis nascentis Congregationis à Patribus exhibitā intuitus fuerat. Deus enim O.M. hilariter exhibentibus misericordiam, præter ventura, & æterna præmia, gaudet etiam affluenter illis rependere in hoc sæculo. Statim atque Camillus pecuniæ eleemosynam excepit ex ea repente conductionis semestre persoluit.

Bernardinus seruator incolumis.

Adinuenit auxiliū pro soluendo p̄tium locationis Domus.

Celebratur Pompei Barattelli caritas.

Annus Domini 1585. Congregationis ſecundus. Migrant noſtri in ædes Obſcurarum officinarum. Nouiter nonnulli in Cōgregationem admittuntur. Aliquid interſeritur ſuper vita F. Horatij Porgiani. Notanter F. Bernardini Norcini geſta memorantur.

1 PRincipio Ianuarij 1585. in ædem Obſcurarū officinarum vna cum ſocijs commigrauit Camillus; nondum enim eorum ternarius numerus creuerat; ſolummodo in æde Sanctiſſimæ Virginis Miraculorum, quemdam ad habitum nomine Palamedem admiſerat Camillus, illorum Patrum viuendi inſtitutum, vt præſagiuit, difficultatibus, & laboribus confertum, tamquam miles delicatus ſtrenuos euitauit, ſæculum conſectans. Interea noſtri recuperatis iam viribus, ardentius, circa conſuetas viſitationes in ſancti Spiritus Noſocomio perſeuerabant; nullatenus intermittentes propria mortificationis exercitia, vtramque enim vitam actuoſam nempe, & contemplatricem amplexati, vbi ſumma perfectionis ſita eſt, quam Redemptor ſua innocentiſſima conuerſatione nos docuit, diù prædicans, ægroſque confortans, ſananſque, noctibus vero iugiter orationibus vacans, hunc ipſum morem æmulari, quodammodo nitebantur hi noſtri primi Patres opitulando nimirum ægris, orationibuſque inſtando, quem nobis addiſcendum reliquere; Domi enim cum morarētur precibus, ac ſpiritualibus collocutionibus operam dabant, interdiu vero tempus in opere terebant miſericordiæ pauperibus languidis auxilia præſtando, & ſæpenumero integras noctes orando coram agonizantibus tranſibant, diuinum pro eis præſidium implorando.

Trāſeunt in ædes obſcurarum officinarum.

Forma viuēdi illorum Patrum.

2 Et cum eſſet ea Domus Obſcurarum officinarum propinquior Reuerendis Patribus Societatis Ieſu, Camillus vero nondum Confeſſarium, nec vſque adeo Sacerdotem in Congregationem receperat; propterea ſibi vna cum ſuis à confeſſionibus Patrem Octauianum Cappellum virum integerrimum eiuſdem Reuerendæ Societatis Sacerdotem delegit, quos mira beneuolentia inter ſuos numerauit filios ſpirituales, nec mirum ſi noſtri (relicto P. Antonio Talpa) eumdē Patrem Octauianum ſibi confeſſarium adſciuere, quandoquidem memoratus Pater iam Roma diſceſſerat.

Noſtros auſcultat in confeſſione P. Octauianus Capellus.

3 Cum itaque ſe in illo ardenti caritatis rogo inuoluerent, cuiuſcumque generis, ac fortunæ infirmas perſonas, ac pauperes totis viſceribus, viuiſq; operibus ſubleuando; cæperunt plures eorum profeſſionem admirari, eorumque inſtitutum velle imitari: quapropter ipſorum habitus à multis expetitus eſt, ingreſſuſq; in Congregationem; confluebant autem ad Patrem Camillum quamplures tū laici, tum Clerici, cum etiam Sacerdotes, quos habitui Congregationis donabat; non equidem admodum ſcrutabatur in illis recipiendis, niſi ſola quantum

Nouiter nō nulli in Cōgregationē admittūtur.

expo-

1585.

expostulasset necessitas, neque illis quisquam se aggregare audebat, quin corporis,& spiritus fortitudine polleret;at si receptus tepesceret in opere caritatis, ipsummet institutum ceu mare mundum ad sęculi aridam euomebat ; alij, qui perseuerantes in his caritatis ministerijs perdurabant inter feruorem, & initia adeo præcelsæ occupationis vitam,seu potius hanc miseram, mortalemque sortem finiuere : qui demum superstites euasissent ; siquidem poterant Psalmi versiculum decantare, Transiuimus per ignem, & aquam; horum enim perillustriū virorum,& Patrum æterna laude dignam memoriam, temporum vetustas deleuit. Nemo sane illis initijs orientis Congregationis scriptioni se dedit,vt eorum nobis relinqueret notata gesta;non autem in hoc elaborarunt,verum in eo operam impenderunt, quo magis viuis misericordiæ operibus se immortalitati cōmendarent , & in hoc se inuicem æmulati sunt ; non profecto mentem varijs, ac sæcularibus studijs,& curiositatibus aggrauare conati sunt;sed cordi altas caritatis radices infigere , & manus ad massam pastæ operum pietatis admouere; iuxta Canticorum germanum proloquium de militātis Ecclesiæ operarijs modulans : Manus tuæ distillauerunt myrram primam , &c. vtpote optima,& laboriosa beneficentiæ opera.

Magis operi pietatis nostri intēdūt, quam scriptioni.

4 Sed non adeo nobis est funditus extincta eorum omnium fratrum,ac Patrum memoria, quin aliquorum, qui superuixerunt, paucas susceperimus actionum reliquias,& horum gesta vtcumque poterimus in vnum,ceu in fasciculum alligabimus; quemadmodum olim Ruth spicas,quæ manus metentium fugerant, colligebat;quibus gaudebat, & alebatur . Præter multos , qui aliquandiu in Congregatione mansere superstites frater Horatius Porgianus,Stephanus à Modina, & frater Ioānes Baudinch fuere, omnes in Cōgregatione adscripti anno 1585. De fratre Horatio aliqua nunc breuiter memoriæ tradere dignum duxi;de reliquis autem duobus inferius aliquanto loculentius sermo narrabit.

In lib. Ruth.

De Fratre Horatio de Sanctis.

5 HOratius de Sanctis alias Porgianus,ex Prouincia Aprutij, Amiterni natus, cuius professionis,vel in quibus versatus fuerit laicus exercitijs,seu qualibus ortus natalitijs non traditum,nec scriptum accepi,quorū non subtilis scrutator inueniri cupio,dummodo adsit virtus verè laudis parens;pro certo habetur fuisse à Patre Camillo in Cōgregationem, dum in Obscuris officinis Romæ nostri incolerent receptum XII. Kal. Maij 1585.professionem tamen emisit Neapoli anno Domini 1592. mense eodem in Ecclesia Diuæ Mariæ Portæ Cœli, vna cum reliquis Patribus , qui inibi primitus professi sunt: admodum eidem Patri nostro ob sui puritatem, & quamdam pene innatam simplicitatem amabilis: sæpenumero eo vsus est in suis itineribus socio . Cum simul Bucchlanici diuersarentur anno *1612.* illis quippe temporibus , cum in vinum aqua à Patre nostro permutata visa est (vt suis locis referetur) equitabat tum Horatius, ceciditq; subtus equum, cui insidebat, Pater vero Camillus,qui aderat pro ipso deprecatus est, vnde ereptus à pondere deprimentis bestiæ,nil detrimenti fuisse perpessum,vel doloris fassus est;arbitror ob vtrorumq; meritum sospitē euasisse, quique astabant,& ipsum ad erigēdum adiuuerant , famuli erant quondam Honofrij Patruelis nostri Patris Camilli ; omnes obstupuere senem multis grauatū annis, magnaque corporis mole illęsum surrexisse: ijdemmet famuli in ea aquę conuersione in vinum,tum etiam interfuerant, nunc exclamantes dixerunt,vnū,

De F. Horatio Porgiano.

In vita P. Cam. lib. 2. c. 16.

1585.

& duo: per vnum ſubintelligentes fratris Horatij à periculo beſtiæ incolumitatem, per alterum vero loco immiſſæ aquæ intra vrceolos, vinum perfectum ebibiſſe; vixit in Religione ab habitus quippe receptione tres, & quadraginta annos, eamdem virtutum integritatem, quam principio amplexus eſt, ad obitum, vſque illibatam coluit, caritatem præſertim erga pauperes ægros, quos ſemper dilexit, vt filios, & ſeruiuit, vt Dominis, perpetuo ſeruauit. Cum perueniſſet ad decrepitam, oculis captus eſt, quam infirmitatem ſpatio annorum decem tolerauit, admiranda cum animi moderatione, vt olim ſanctus Tobias, duobus tamē ſupremis annis eiuſdem ægritudinis, & vitæ ſuæ, in lecto decubuit membrorum motionis expers, & quemadmodum omnino aliorum adiumento indigebat, ita oportebat plura pati, cuncta ferens hilari mente; iacens in cubile, quaſi nouus Sanctiſſimi Patriarchæ Iſaac æmulator enituit, iugiter de Deo, quem in pectore geſtabat, alloquens non ſine lacrymarum emanatione, nominatim ſi de Patre noſtro Camillo ab eo, vel ab aliquo alio ſermo fieret, tunc penitus non poterat oculos à plantu cohibere, optima quibuſcumque eum viſentibus conſilia dans. Cum ad nonageſimum ſupra quintum annum decurriſſet omnium virtutum maximè miræ ſufferentiæ linquens exemplum, certum ſuæ probitatis teſtimoniū. Neapoli in ædibus noſtris Diuæ Mariæ Portæ Cœli Eccleſiæ, Sacroſanctis ſuffultus Sacramentis, vita vacauit; in cuius Templo eius oſſa ſepulta quieſcunt.

6 Sed non prætereundum eſt, quod ſubditur; nam duo illi aduerſa dum in ſæculo moraretur euenerunt. Primum contigit, dum per Aquilæ plateas deambularet (ſtupens enim ipſe referebat) ſe abſque vlla ratione plicuiſſe aliquando ceruicem humerum verſus, & repente ſclopum à tergo intonuiſſe perſenſit, indeq; plumbeum globum ſibilantem effluxiſſe adeo capiti proximum ex aduerſa parte quo inclinauerat ceruicem, vt auriculę extremitatem pene tetigerit, atque veſtigium quodammodo in ea aduſtionis impreſſerit, abſque vlla tamen Horatij lęſione, exiſtimauit ſe fuiſſe ab Angelo ſuę cuſtodię præmunitum, vt ipſe affirmabat, cuius erat perdeuotus, & profecto, ni caput in alteram partem admouiſſet, excerebratus, ac functus ibi decidiſſet, iſtud non permiſit Dominus: ipſum enim ad Religionē erat pertracturus, vbi Horatius diù laborauit Chriſti Domini egētibus ęgris amanter miniſtrando.

Liberatur ab ictu Sclopi.

7 Secundus euentus maioris ſiquidem momenti fuit. Cum pertranſiret quēdam Aprutij Montem, caſu accidit; multitudinem ſaxorum à Mōtis vertice prę cipitem ruere: dum tanto in vitę diſcrimine conſiſteret, Dominum deprecabatur, vt eum eriperet, ipſe vero ſe omni via, & quo poterat modo meliori ſaxorū caſum, ſua damna deuitauit, ſed quomodo ſaxorum in tanta illuuione ſe poterat contutari? quæ adinſtar pluuię deſcendebant, quorſum fugere, vel ſe abdere inter latebras non inueniebat, nec loci aſperitas permiſit; Cum vna permagna demum cautes à qua liberare nequiuit aduerſus eum præcipiti curſu laberetur, (poſitus enim erat Horatius in radice Montis) ad Deum eleuauit preces, vt a tanto, tamque vrgenti ipſum incolumem redderet periculo; protinus procubuit in faciem, ne auctorem ſuę interemptionis intueretur, ſed (ò miranda Dei virtus, atque pietas) exaudiuit Dominus Horatij poſtulationem, cautes corpori cum appropinquaſſet ſuo, quaſi mentis compos tranſilijt, vel quaſi auis tranſuolauit, linquens illęſum ſpatium vbi Horatij membra proſternebantur expectātis cautem ſibi daturam inibi ſepulcrum, verumenimvero nequicquam damni pertulit, cautes vero cum per aerem vacuum, veluti à vento duceretur in alteram partem, ibi immobilis ſtetit; & quemadmodum ille ignis Babylonicus virtutem

Euadit caſū lapidum.

vrendi

vrendi tres innocentiſſimos pueros perdidit; ita Deo obediens cautes quodammodo leuis euaſit tranſiliendo, ne præmeret Horatij corpus, quod non tetigit prorſus;aliqua enim in eo principalis virtus,ignota nobis forte inerat:ſerui enim Creatoris virtutes, quoad poſſunt enixe contegunt.

8 Nondum enim Congregatio(vt narrationis tenorem proſequar) vſum habebat oſtiatim panis, ſeu pecuniarum eleemoſynas efflagitandi; aſt veluti lacte his infantiæ exordijs alebatur largitionibus Pompei iam præfati, qui per aliquod non breue tempus in hoc pietatis munere erga Cõgregationem ſe ſe implicuit: exinde ſuperuenientibus, & ita grauibus poſcentibus cauſis Roma ſeceſſit; non tamen Diuina prouidentia à Congregatione ſe elongauit; quæ de alio non minoris caritatis viro prouidit. Aegrotauit porro quidam Summi Pontificis Clauator, nomine Mauritius,Bernardino neceſſitudine deuinctus,qui inſtanter eum rogauit, vt à Patre Camillo poſtularet, ſe velle inter ipſos admitti ab ſuis curatu ęgritudinibus:optime quidem noſcebat,quãta cum pietate infirmis obſequerentur; quod à Bernardino expoſitum fuit, facile à Camillo obtemptum eſt. Hinc Domum delatus, quæ fuerit, quantaque cum ſollicitudine,impenſa cura, quaue dilectione, effectus comprobauit, nã paulo poſt quatuor Patri noſtro Camillo montis loca conceſſit, quibus diuẽditis pretium quingentorum aureorum reportauit,abundeque inſtantibus prouidit neceſſitatibus;indeque ingraueſcente morbo receptis Eccleſiæ Sacramentis laudabiliter mortuus eſt, optimi, & pij Chriſtiani exempla relinquens, qui vniuerſalem hæredem ſuper omnia ſua bona Congregationem inſtituit, hæc hæreditas ad multa aſcendit aureorum centenaria, clauamque argenteam Bernardino legauit in oſtenſionem excelſæ caritatis, qua illum in ægritudine fuerat proſequutus; ſiquidẽ his exordijs huiuſmodi hæreditas per magni retulit, vt aliquantulum Congregatio reſpiraret, ac extolleret caput, alaſque magnifice in receptione Nouitiorum expanderet. Et noſtri, quibus antea ob pauperiem,vbi inniterẽtur adminiculum nullum(humanum dico) aderat modo argentea, atque nitida Claua potiuntur, ac decorantur.

Præſtans Mauritij caritas erga Congreg.

9 Fuit ſiquidem iugis intentio Camilli, & fames inexplebilis Diuinam perueſtigare voluntatem,ſcilicet,in quo ei potiſſimum famularetur. Quapropter tot mortificationum modis ſemetipſum ab exordio ſuæ conuerſionis ad Dominum, excruciauerat, aſſiduisq; perſeuerauerat orationibus, magna cum eis intermixta lacrymarum effuſione, ſemel atque iterum Patrum Cappuccinorum induit habitum,illinc itidem bis coactus eſt abſcedere, ita cogente in tibia vlcere,ſeu potius Dei beneplacito, proinde ab eodem vlcere, vt ſanaretur, diu inter pauperes conuerſari adactus eſt, quidue Hoſpitale ſit ſapere, ſimulque ægrotantiũ compati neceſſitatibus, cum,& ipſe,vt ceteri eum compaterentur,maxime indiguerit; itaq; experiri coactus eſt,quod nuſquã animo reuoluerat; inter ea quippe loca verſari,quæ à cunctis horrebantur; quamobrem adeo in Camillo ægrotorum commiſeratio creuit, vt præter id, nempe quomodo eis opitularetur,nil aliud machinabatur:ſic enim Dominus,ſuauiter, qui omnia diſponit, Camillum traxit ad ſuæ voluntatis agnitionem; in miniſterium, vtpote Infirmorum; hoc itaque vlcere mediante ad multorum medenda,curandaqũe mentis,corporiſq; vulnera vocatus eſt.Cum enim pro certo habuit hoc eſſe Dei volitum,nimirum non ſolum ſibi ipſi, vt inuigilaret, verum etiam alijs prodeſſet, Diuina Gratia comite; in hoc miniſterio ſocios copulauit. Vnde quaſi tanto pondere pauidus per vnam, alteramque vicem à Sanctiſſimo Cruci affixo Domino admo-

Senſim diſponitur ad Infirmorum Miniſteriũ.

V nitus,

1585. nitus, amanterque confirmatus eſt (prout pluſquam ſemel dictum eſt) vt omni abiecta formidine, quod inſtituerat, proſequeretur, quandoquidem ipſum ſeruatorem ei propitium affore. Itaque ſic diuina fretus aura ad perfectam operis metam incunctanter deuenire, non ſine graui ſudore, ac mœrore, feſtinauit, ſed ad alia decurrat ſermo.

Interea Camillus ſimul, & ſui in aſſuetis Noſocomij miniſterijs Sācti Spiritus (vt præmiſſum ſupra eſt) erant perſeuerantes, omnē operam, ſtudiumq; ac ſedulitatem in pauperibus ęgris adiuuandis adhibentes, nihilque de his prætermittendo, in quibus poſſent eis opem afferre; verum illud potiſſimum intendebant, animabus amplius prodeſſe, quam corporibus (quod ſæpe notatum legiſti.) Et quamuis commendationis animæ opera eſſet ſui inſtituti principale munus, & onus, adhuc tamen extra Noſocomium non ſe extenderat, ſed multa cū vigilantia in eo per integras noctes, dieſque exercebatur; erat enim huiuſmodi occupatio, quaſi Euangelica Margarita cæno obducta, quæ ſtatimatque coruſcare cæpit, à Populis vehementer concupita eſt propter ſui nimiam honeſtatē, venuſtatem, atque neceſſitatatem: itaque quamplurimi ad noſtrarum ędium fores confluebant, Patres pene vi extrahentes, vt parentes, propinquos, notoſque iam animam agitātes orationibus, ſpiritualibus hortamentis, ac lectionibus pijs aſſociarent, quoaduſque à corporeis compagibus abſolutus ſpiritus ad conuexa Cœlorum euolaret. Priuſquam Camillus hanc vaſtam Prouinciam commendationis animæ (quam mare magnum appellauit) ingrederetur, ſeque per Vrbē, nimirum per domos priuatas diffunderet cū ſuis; omnes domi Patres, Fratreſq; conuocauit, vt quilibet ſuper hoc negotio libere ſuam interponeret ſententiam, ac ſenſum (hæc enim methodus in deliberando de grauibus, ſeu difficioliorибus negotijs ſeruata eſt) qui omnes, abſque vllo vocum ſtrepitu, aut voluntatum diſcrepantia concorditer aſſentiti ſunt; & quod ab eo propoſitum fuerat, veluti optimum complexati, præponderantes potiſſimum Eccleſiaſtici verba ſummopere commendantis, & quodāmodo præcipientis hoc nobile, piumque exercitium commendationis animæ, his notis, conſolare illum (videlicet moribundum) in exitu ſpiritus ſui; quapropter in poſterum ad hoc opus viriliter ſe accinxere, in quo permagna Populi cum admiratione, animarumq; adiumento, atque vniuerſali ædificatione inuigilabant. Vnde cęperunt, vt tot operibus, laboribuſque ſupplerent numero multiplicari, ac proinde ſucceſſiue nouas ordinationes adiungere, ſeu inſtituere operæ pretium fuit. Itaque denuo congregatis omnibus de mandato eiuſdem P. Camilli ſuper imponēdum nomen Congregationi, perquiſitum eſt, quid de eo ſentirent, hactenus enim Patris Camilli Congregatio fuerat appellata; ipſe vero renuit à ſe, ſuoque nomine Congregationem accipere vocabulum, propterea aliter nuncupari præcepit; & licet non pauci voluiſſent, nihil innouari, attamen maluerunt demum obſequi, quam Camilli humilitati obſiſtere; & præmeditato eorum miniſterio, ſtatutum eſt per vnanimem conſenſum, Congregationem deberi poſthac euulgari ſub nomine Miniſtrantiū Infirmis, eiuſque profeſſores Miniſtros Infirmorum, hactenus hoc nomen retinetur, perque Bullas Sanctiſſimorum Pontificum confirmatum eſt, ſub hoc ſcilicet titulo Religio Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis. Tametſi Populi alijs vocabulis nos denominent, quas denominationes eorum deuotio finxit, ſed alienas dico ab eo, quod initio, & per Bullas ſuſcepimus, & quamuis arduum primo aſpectu appareat ingeri poſſe (abolitis iam introductis vocabulis) nos eſſe Miniſtros Infirmorum vocandos; attamen puto parumper inſiſtendum

Introducitur per Vrbem Miniſterium cō mēdationis animę.

Nomen adſcribitur cō gregationi.

eſſe

1585.

eſſe,publice etiam,perque roſtra, ac priuatim proprio nos demominandos eſſe nomine PP. quippe Miniſtros Infirmorum; per hanc enim nominis originalem impoſitionem, penes omnes Religionis noſtræ inſtitutum, & virtus innoteſcet. Interea decurrebat annus 1585. & Supremus Summi Pontificatus Greg. XIII. quo tempore principium nimirum Aprilis migrauit ad Cœlos, in cuius locum aſcendit die nempe XIII. Kal. Maj, anni ſupra iam dicti prouidentiſſimus Paſtor, ac Pater vniuerſalis militantis Eccleſiæ Sixtus V. quo tempore notabilis extincta eſt lux in Congregatione ob amiſſionem Fratris Bernardini Norcini.

De Fratre Bernardino Norcino.

11 PRimus, qui Camillum ſequutus eſt ex ſocijs in erigenda pro ægrotantium adiumento Congregatione extitit Bernardinus Norcinus à Matrice; nunquam poſt vocationem ſe à Camillo diſiungens, & quemadmodum principaliorem locum tempore obtinuit; ita reliquos Camilli collegas virtute, meritis, vitæ puritate, ac ſimplicitate illis initijs ſuperauit, & quaſi lilium conuallium inter reliquos flores, ſic feliciter germinauit.

Vita F. Bernardini Norcini.

12 Humili enim ex ſanguine natalitia duxiſſe creditur,per ea, quæ de illius vita colligi potuere: cum adhuc adoleſcentia floreret,veluti alter Abraham à Patria abſtractus eſt,cauſa Romam adeundi. Contigit autem die quadam dum aliquãtulum anceps fluctuaret mente, quam vitæ, formam eſſet amplexurus,quaſi alloquentem ſibi interius ſenſiſſe aliquem viſum eſt,& huiuſmodi verba promentem, exi de domo tua,qui ſtatim,atque inde abire, & Romam petere decreuit; attamen iter aggredi pertimeſcebat, ex eo, quod pecunia ad viaticum neceſſaria carebat,præterea,quia nulla experientia adoleſcens rectum iter capere ignorabat; dum ergo iterum dubius ſuſpenderetur, ſecundam ſibi intonuiſse, vt prius, vocem interius agnouit pene dicentem, procede vltra paululùm,& inuenies aurum, obſequens interno ſermoni, itineri ſe accinxit, nec procul ſeceſſit, quando ſplendidam auream intuitus eſt monetam, media in via patentem,quo adiumento audentior factus totum viæ curſum peregit, Romamque appulit, vbi cum ignotus maneret, & alienigena victum potius ſibi comparare proprijs laboribus inſtituit,quam quidpiam minus dignum committere,vel in aliquam periculoſam ſe ingerere exercitationem, flocci pendens, ſi humile, & hominum oculis vile eſſet miniſterium, quod ab eo exercendũ fuiſſet arreptum; ſatis enim curauit,ſi illo mediante ſine Creatoris offenſa poſſet vitã protrahere;fuit autem in hac humili exercitatione detentus, nẽpe crate ligna baiulare ex loco (quem dicũt Ripam) in domos priuatas per Vrbem,Dominus enim,qui illum ad altiorem vitæ formam vocauerat, noluit ipſum labi in ea crimina,quibus talium perſonarum cõditio coinquinari conſueſcit: immo potius per ea licet mundo ima exercitia ad altiſſimam ſui dilectionem euexit; & complures eiuſdem inſtituti perſonas à ſæculi ſordibus ſegregauit, Bernardini quippe opera vtendo.

Mirabilis modus, quo Patriã reliqt.

13 Peracto labore hora nempe prandij, ſeu alias cum vacaret, ſe à ſocijs elongando remotum locum petebat;ibique moderate,honeſte,ac ſobrie comedẽs, bibenſque. Turpe enim quid dictum,ſeu factum non tantum ex eius ore, vel geſtis minime exibat, verum etiã perſonis in quibus huiuſmodi ſpectauit ſcurrilia,ſeu flagitia penitus euitauit; diebus enim feſtis ſuæ conditionis gentem ſimul vniebat,quo etiam concurrere mos fuit alium promiſcue populũ,ipſe vero ſupra ſcamnum, aut editum aliquem in locum aſcendens ſermocinabatur, non

Forma reficiendi corpus.

acuta,

1585.

acuta,& alta ferens de Philosophorum scholis deprompta; eo quod litteras nõ didicerat,sed Diuino illustratus spiritu,ac feruens,Symbolum Apostolorum, & Dominicalem Orationem socios edocebat,vel de vitijs,tamquam Diuinæ gratiæ maximopere aduersantibus,seu virtutibus, quibus comparatur, & augetur, simplicem sermonem immiscebat:non equidem modice in horum hominum pectoribus eius verba profecerunt,animaduertentes ipsius integerrimę vitæ seriem : inter autem loquendũ persæpe palmis pectus compressit , spiritus cœlestem ardorem cõtendens abdere; singulis quibusque diebus Dominicis,festisq; sollemnibus post ablutam Sacramento pœnitentiæ conscientiam Augustissimæ Eucharistiæ pabulo reficiebatur , in quo permagno spiritualis dulcedinis delectamento complebatur.

Miro affectu concionatur.

14 Sero post labores,cum reliqui mortalium quietem, quam tota die concupiuerant, capiunt, ipse vero, qui maiori præ alijs somni refocillatione indigebat, postea quam integro die membra assiduis laboribus contorserat,loco somni, & quietis vice in sui paruo cubiculo genuflexus orabat , à prima nimirum noctis hora ad sonitum vsquę matutini Fratrum Diui Francisci de Obseruantia Ecclesiæ Diuæ Mariæ Aræ Cœli, qui incunctanter dimidia nocte surgunt, hucvsque orationibus Bernardinus vacabat, Deo dignas laudes corde,& ore referens; cũ vero properassent Fratres ad matutinas persoluendas horas, ipse quasi loco cedens per quatuor,aut quinque horarum spatium in sui humile stratum dormitũ ibat,donec alia Diui Rochi campana sub aurorã insonaret,indicans Sanctissimæ Virginis Angelicam Salutationem; quandoque à prima noctis vigilia visus est, vsque ad diei alborem sic genuflexus perseuerasse, totam noctis medietatem orationibus insistendo , reliquum vero tempus, vsquequo albesceret dies correptus à somno, propter nimiam lassitudinem, insumpsisse creditur, vel forte continuasse orationem.

Vsq; ad mediam noctẽ erat orationibus insistens.

15 Dum semel cratem vna cum lignis gestaret simul cum sodale , forte accidit inter vehendum, in famulum quemdam impegisse, qui vehementer se læsum arbitratus, indignatusque contorsit gradum,grauemque alapam Bernardino inflixit, indeque illum improperando abscessit; Bernardinus quidem reposita super tellurem lignorum strue,relictoque socio, percussorem assecutus est,omnes enim circumastantes se vendicatum ire expectabant, quis vero id non sibi persuasisset? ipse vero in conspectu offensoris cum adesset,quid dixit? quid effecit? aut quo se conuertit? forte ropercussit ? vel retulit improperium? nequaquam, sed genua flectens veniam ab eo petijt,efflagitauitq; à famulo, vt aliam in ipsum illideret alapam, porrigens ei protinus partem non verberatam ; subiungens, si vt tibi satisfaceres vnica me impetisti in faciem percussione,modo,mihi vt gratificeris, aliam congemina; famulus vero magno perfusus rubore, serui Dei humilitatem contemplans,silensque excessit: Admiror equidem celsam viri constantiam, & omnimodam consiliorum Euangelicam obseruantiam ; non minus etiam stupeo animi moderantiam:nam etiam si alioqui rudis vir,indoctusq;esset Bernardinus, summa tamen sapientia se ornatum, ac illustratum ostendit, qui nec motibus primo primis, vt dici solet, exturbatus inspectus est; quadam sane humana stultitia factus est sapiens . Plures vero mundi sapientes stulti euadunt, cum nec verbum patienter sibi aduersum sustinere conentur . Consideremus tantisper quæso huius euentus circumstantias : iniuriam passus in publica Ciuitatis platea, permagna constipata populi frequentia, sub diei feruore, coram etiam suis æqualibus, ac socijs, à persona læsus,parui nominis,& nullius aucto-

Publice sustinet percussionem nõ alapæ ab quodam famulo,

ritatis,& quem ruborem percutiens ſenſerat, ipſe vero nullum paſſus eſt, immo potius gaudens eam ſuſcepit contumeliam, quam ad imitationem Saluatoris ſuſtinuit: & quando alij in pecuniariam vadunt ſatisfactionem, vel vendicando, ſibi iniuriam reſarciri contendunt; Bernardinus autem pro æquali compenſatione de dãno ipſi, & iniuria illata, repeti colaphũ,& repercuti ab eodẽmet percutiente in faciem obſecrauit: inde procedere certum habe, ex eo, quod ceteri ignominioſam putant eſſe læſionem, ipſe vero perfectus Euangelicus vir honorificam arbitratus eſt. Demum efflagitabit quis non ne famæ ſaltem perpeſſus eſt Bernardinus iacturam? nullam ſiquidem reſpondet Chryſoſtomus, & oſtendit luculenter, ſapienterque in tractatu, qui inſcribitur neminem ab alio lædi, niſi prius lædatur à ſemetipſo, his verbis, quibus libenter vtor, quæ viri Chriſtiani perfectionem redolent, nulli alij (inquit Sanctus) nocet noxa, quam inferunt ceteri, niſi illis ipſis, qui inferunt. Quin potius Bernardino adaucta eſt ad gloriam corona: verberanti quidem in confuſionem, & ignonimiam caput deturpatum eſt.

16 Aliquandiu grauem ſuſtinuit cõmunis inſidiatoris tentationem erga Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium in Filij quippe generatione, quomodo ab ęterno generatur à Patre, ideſt quomodo Deus Pater intelligendo ſeipſum producat verbum, ſeu vitalem imaginem ſui ipſius, nempe filium, qui eſt imago Dei inuiſibilis. Miror hominem indoctum, ac rudem in tam altiſſima, ac profundiſſima quęſtione animo agitari, forte vt reuelaretur illi, ꝙ multis,& grauiſſimis Theologis non plane notũ eſt, iuxta Euãgelicum dogma, Abſcondiſti hæc à ſapientibus,& prudẽtibus,& reuelaſti ea paruulis. Vt libere ex hac mentis perturbatione euaderet, ſupra conſuetas orationes, lacrymas non modicas, & aſperas pœnitentias addidit; Dominus vero, qui facit cum tentatione prouentum; tandem aliquando hoc manifeſto illum in ſomnis ab ea dæmonis infeſtatione eripuit; ſibi adeſſe viſus eſt quemdam ſenem mirificentiſſimæ pulchritudinis, cuius ex ore puer prodibat eiuſdem venuſtatis, ſupra quam mens humana præcellentiorem, ſeu æqualem non poteſt excogitare: ex quo intellexit ſomnio, quodammodo æternam Filij à Patre generationẽ, vnde expergefactus ſe immunem ab omni huius diabolicæ fraudis moleſtia cognouit, nuſquam poſthac aduerſarius illum ſuper hoc inceſſere, auſus eſt.

Tentatur in Myſterio SS Sanctiſſimę Trinitatis.

Extant hæc. & quæ deſcribũtur de Bernardino in To. actorum P. Camilli lib. 1. cap. 7.

17 Dignus itidem à Domino effectus eſt, interdum in venarabili Miſſæ Sacrificio, in eleuatione quippe Sacratiſſimæ Hoſtię conſpicere loco accidentium Panis Ieſum Dominum infantem, vt à viſceribus prodierat Virginis Intemeratæ, ex qua viſione ſummopere eius anima conſolationibus repleta ſupernis geſtiebat, ac validior ſurgebat, animoſior, vt poſtea in tot laboribus, ac vigilijs ſiſteret, quæ iugiter tulit.

In Sacratiſſima Altaris Hoſtia videt infantẽ Ieſũ

18 Demum cũm ad annos perueniſſet ſenectutis, corpuſque quampluribus fractum ærumnis, ac pœnitentijs geſtaſſet; nequaquam illam viuendi conſuetudinẽ valens amplius ſufferre, vel forte ab eo id peractum eſt, vt feruentius Cœleſti Sponſo copularetur, Noſocomio Sancti Iacobi Romę incurabilium ſe addixit, vt ægris famularetur, quæ omnia Cœlitus diſpoſita crediderim eueniſſe; vt tantus virtute præclarus homo comes Camillo inſeparabilis foret. Per aliquot annorum curricula in eo Xenodochio Cuſtodis ſuppellectilis munus ſatis fideliter, ac ſolerter ſuſtinuit: mira ſiquidem pauperes dilectione proſequebatur, & obſequebatur; tantaque ex eius conuerſatione, vultuque ſerenitas, verbiſq; ſuauitas emanauit; vt ſola ſui præſentia mirando quodam modo ægros recrearet; ac

Se implicat Infirmorum miniſterijs.

1585.

lætificaret; hinc facile quidquid optasset, vel consequi ab aliquo voluisset protinus adeptus est; quando enim de diuinis rebus sermonem faciebat cum Infirmis, alijsque personis, tamquam mel ex ore illius verba profluxerunt, ac proinde singulari vi in auscultantium animis impreßa figebantur, mirificè eorum corda ad bonum excitando.

19

Cum vero Camillus socios instituit aggregare primitus, ad quem oculos direxit fuit Bernardinus; à Domino illuc immissus, & ad hunc seruatus effectum, in quo apprime virtutes omnes, & nominatim pietas emicare inspiciebantur, quē Camillus sibi socium nunquam seiungendum copulauit, adeo vt illis initijs participem in omnibus calamitatum turbinibus habuerit. Quando enim Camillus, & Curtius in templo Sanctissimæ Virginis Miraculorum ægrotarunt, Bernardinus singulari beneuolentia, caritatisque affectu vtrumque est prosecutus (vt supra iam significaui)

'rimus Camilli socius.

20

Neque spiritu prophetiæ caruit; quotiens enim per Ecclesiam Diuæ Mariæ Magdalenæ transitum faciebat, illico eam ingressus perdeuote orabat, quod si fortasse clausam adinueniret ante fores, vel media in via flexis plopitibus, eleuatisque oculis in Cœlum ad Dominum, eamque sanctam preces fundebat, id ipsum faciendum, socium commonebat, indubitanter eam Ecclesiam nostrę Cōgregationis fore affirmans, huius prædictionis veritatem rei euentus comprobauit, euenitque proculdubio sequenti anno, quod Bernardinus prænuntiauerat. Insuper cum Pater Ridolphus Acquauiua Societatis Iesu ab Reuerendissimo Euerardo Mercuriano eius Generale ob Martyrij ardorem, ad Indias transeundi obedientiam expostularet, quamuis enim pluries ab eo repulsam accepisset, omnemque spem illuc peruadendi amisisset; Bernardini tamen orationibus se commendans habuit ab eo responsum, æquo, hilarique animo esse, quoniam quod optaret, quamtotius fore, vt assequeretur; idque ineuitabiliter obtinuit, vnde breui illo ire concessum est, cumq; aliquandiù inter eas barbaras nationes Dei verbum concionādo disseminasset, Christi Saluatoris Inuictus Martyr euasit in insulis Sulcitanis, id totum à Patre Marcello Palauicino persamiliari Patris Camilli, nostris relatum est.

[M]ulta prænuntiat.

21

Itaq; ad sexagesimum ætatis suę annum deueniens, & per quadraginta annorum decursum Sacramenta frequentans, magnoque cum rigore dies vitæ suæ traducēs, ægrotauit, & quamuis confirmatam videre Congregationem ab Apostolica sede peroptasset, non placuit tamen Altissimo; etiamsi in procuranda Congregationis confirmatione per Apostolicum rescriptum multum laboris, & non paucas calumniantium insidias simul cum Patre Camillo pertulisset; eò tamen, idest in Regnum viuentium fructus dulcissimos suorum bonorum operum, à fonte, vnde emanāt, ad degustandos translatum credimus, grassante in eum febre, quæ paulatim vires carpendo per aliquot dies, ipsum ad extremos halitus traxit, adq; exitium, commonitum antea Sacramentis XVII. Kal. Septembris, quæ dies 2. est infra Octauam Assumptionis Gloriosissimæ Virginis ad Cœlos tum Bernardini spiritum, Dei bonitate, & Virginis intercessione, transuolasse speramus anno nostræ salutis 1585. Omnes amaro animo eius felicem obitum deplorarunt; præter cæteros, qui singulari mœstitia tanti, tamque fidelis socij ob amissionem fleuit, Camillus visus est; deq; Bernardino verba proferens, illud prodere consueuerat, ad Purgatorium ignem non descendisse, sed statim, atque resolutis corporeis vinculis, ad celsa Cœlorum migrasse, in transitu Camillus ei munus commendationis animę exhibuit; in cuius manibus etiam suo

[O]bdormitio eius commendabilis.

Crea-

1585.

Creatori reddidit spiritum; iacet sepultus in sacello Diuæ Mariæ Angelorum Romę in templo Venerandorum Patrum Societatis Iesu,& in sepultura eorumdem Patrum, ex eo, quia in officinis obscuris, vbi tum temporis Patres nostri incolebāt, Ecclesia caruerūt: primus memoratur, quem habuit sui instituti Camillus socium, & primus vita vacauit & primus ex nostris (quod eius mira probitas suadet) qui æternis potitus est bonis, quem exorare pro nobis indesinenter etiam credimus.

22 Interea seruus Dei Camillus vna cum suis, ob incommoda domus præfatæ,& defectum Ecclesiæ, vbi neque spes inerat posse formari nouiter ædes pro sufficienti familiæ habitatione, nec erigi templum propter loci,& plateæ angustias, non leuiter exturbatur: quocirca, vt vtrumque redduceret ad perfectum, sicut propediem est assecutus, instanter Diuinum imploratur auxilium. Et licet Bernardinus, neutrum horum viderit adeptum, nempe Ecclesiæ D.Mariæ Magdalenæ concessionem, & illuc nostrorum accessum, neue Apostolicam Congregationis approbationem: attamen in obtinendis ambobus plurimum, dum vitam hic gestauit, elaborauit; postea vero quam ad alteram hinc transitum fecit, maius attulisse iuuamen, nobiliusque patrocinium arbitrati sumus;eo quoniam eius secuta ad feliciores mansiones demigratione; & locum D.Mariæ Magdalenæ,quem ipse priusquam fungeretur, voce nostram esse præsignauerat,obtinuit, & approbationem Congregationis adeptus est P. Camillus.

23 Quocirca non vulgari,sed singulari obligationis glutino obstringitur nostrorū familia,huius Fratris nō obliuisci memoriam, quæ vera, ac fidelis,primaq; serui Dei Camilli extitit proles, multumque laborando in cultura huius plantæ, maximeque iuuit, posteris autem celeberrima patientię, obedientię, iugis orationis,& signanter eximiæ caritatis peribuit exempla.Qua via,quibusue modis,quę narraui, fuerint obtenta decursus proximi, ac venientis anni lectori declarabit.Vsque modo ratiocinatus sum tamquam de infante, cui neruorum, & ossium firmamentum deerat: in præsentia sane res decurret solidior, ac firmior; cum nostri in futurum ob Pontificias litteras validius, ac tutius in via deambulauerint virtutis, seque per multas propagauerint Regna, Vrbes, & Loca; quemadmodum citò patebit.

1586.

Annus Domini 1586.& Congregationis post concessionem Apostolicam primus. Duo obtinentur Pontificia diplomata. Vnum erectionis in Congregationem. Deferendæ Crucis alterum. Nostri migrant in ædes S. Mariæ Magdalenæ.

1

IN dies numerus sociorum,& filiorum in Congregatione Camillo adaugebatur, qui noctu, diuque per Hospitalia, perque domos priuatas, operibus misericordiæ, corporalibus, & animarum commendationi omni studio incumbebant, maxima cum populi admiratione, ædificatione, animarum, & corporum vtilitate, nihil sanè prætermittentes ex constitutis ordinibus per regulas à Patre Camillo confectas; iuxta quorum tenorem dirigebantur, nil inquam omittentes ex orationibus, ieiunijs, disciplinis, alijsque mortificationis generibus in eis constitutionibus iniunctis; quæ pœnitentiæ genera domi fiebant, non propterea tepescentes in rebus ad ministeria Infirmorum pertinentibus languebant. Et cum adeo multiplicati creuissent; vt impossibile foret regi, vel sic diù perdurare, absque sedis Apostolicæ auctoritate, illam consequi excogitarunt, & operati sunt.

Illis initijs admodũ familiæ numerus adaugetur.

2

Per id tẽpus, quo Camillus Romæ cõuersatus est, præter Deum, quẽ vehemẽter amabat,& pauperes ægros, nullius alterius iure strictę beneuolẽtię seruituti se addixit, nullamque ex consequenti, cũ aliquo ex Eminentiss. Card. necessitudinem, seu famulatũ contraxerat, ne dum aliquẽ eorũ familiariter agnoscebat. Summus enim Deus,& clemens, sub cuius tutamine, atque vexillo Congregatio militabat, idoneo Camillum prouidit patrono, atque efficacissimo medio ad id, quod peroptabat, nanciscendum.

Camil. nullius Principis necessitudini, vel famulatui addictus.

3

Quodam porro die sub meridianum per palatium Illustrissimi Ducis Muti. Cum transiret Camillus, casu euenit, seu potius Diuina Prouidentia occurrit media in ianua Eminentissimum Cardinalem Montis Regalis extare. qui eousq; honoris causa, alium Eminẽtissimũ Cardinalem comitãdo (vt mos est inter eos) deuenerat, quem intuens Camillus, quamuis de eo nullam antea notionem habuisset; animo tamen se erexit, illum alloqui, suumque adaperire mentis conceptum, vt effecit. Arbitratus est enim ipsum esse magna clementia Principem ex faciei occursu, quem præseferebat hilarem quadam cum serenitate, ac grauitate; itaque se attrahi videbatur ad eum alloquendũ, postquam enim humili salutatione ipsum prosecutus est, propriorque factus, benigniter ab eo susceptus est, vnde animosior Camillus euadens, qua potuit breuitate illi suam exposuit intentionem, eiusq; optare patrocinia significauit: quippe vt penes Sanctissimum Pontificem ei faueret, ad consequendum diploma confirmationis suę Cõgregationis; vnde prudentissimus Dominus Cardinalis subintulit, si virum Romæ notæ auctoritatis haberet, qui de eius vita, ac moribus testimonium redde-

Card. Mons Regalis spõdet suam operam ad effectum Cõgregationis

ret

1586.

ret certum; cui Camillus affirmanter respondit, se esse perIllustri Domino Virgilio Crescentio, atque Patritio Patritijs pernotum, satis esse asseruit Amplissimus Cardinalis, simulatq; admiratus est Camillum, tam ingenti animo eleuari, nouam in Ecclesia Dei Congregationem, ad instituendam; hos ambos patritios viros de his, quæ iam cum præfato Domino Cardinale occurrerant Camillus commonefecit, qui simul magna cum animi promptitudine Dominum Cardinalem adiere, & de Camilli moribus, conuersatione, ac de totius Congregationis inclyta caritate plenã, & egregium exhibuere fidem, optimumque testimonium, ac demum celsis laudibus Camillum cum socijs extulere.

4 Hinc paucis interceptis diebus idem Eminentissimus Card. Montis Regalis Summum Pontificem, qui tum militanis Ecclesiæ gubernacula dirigebat, Sixtum V. est allocutus. De Camillo, suisque alumnis, quæ retulit Amplissimus Cardinalis magnæ laudis fuere; præsertim eorum narrauit erga pauperes ægros beneficentiam, ac pietatem, potissimum cum illis in mortis agone constitutis; vnde Sanctissimus Pater, ac Pontifex altam Camilli mentem contemplans, & instituti honestatem, atque in totam Rempublicam Christianam emolumenta, quę ex eo posthac redumdare poterant admiratus est, simulatque eiusdem instituti operarios irrepræhensibilis esse vitæ, mirificæque caritatis dignoscens commendauit. Primo igitur omnium motore, sub cuius nutu sita sunt corda hominum, sic disponente; qui suauiter suis spatijs, ac temporibus vniuersa ordinando dispensat, euestigio mentem Summi Pontificis flexa est, vt protinus dictis Eminentiss. Cardinalis annueret: quare supplicaticationem recepit, remisitque negotium Sacræ Regularium Congregationi; & facto ab illorum Patrum, & Eminentiss. Cardinalium stricto examine conclusa est approbatio Congregationis, non absque tñ aliqua difficultate paucorum asserentium nequaquã in Ecclesia Dei nouiter multiplicandas esse Cogregationes, cum tot existerent, quę satis esse videbantur, horum enim auctoritas, & sententia non præualuit, verum pene omnes firmum, ratumq; habuere Camilli institutum tamquam in Ecclesia Dei, maxime vtilitatis, ædificationis, pietatis, ac demum necessitatis: itaque obtentum est Apostolicum diploma super Congregationis Confirmationem, sub dato V. Kal. April. anni 1586. & primi Summi Pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini Sixti V. vt patet per eiusdem tenorem, qui mox subditur.

Obtinetur ꝑ Apostolicũ Breue Congr g. confirmatio.

1586.

Approbatio, & Confirmatio Apostolica Societatis ministrantium Infirmis, nouiter Romæ erectæ.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Finis instituti salus animarum.

EX omnibus Christianæ charitatis officijs, quibus æterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Iesu Christo, vel maxime placere credimus, per quæ pauperes Christi Infirmi, & in Hospitalibus existentes; in necessitatibus suis spiritualibus, & corporalibus adiuuantur. Quod genus officij dilectus filius Camillus de Lellis, Presbyter Theatin. diœc. & alij eius socij, quam Deo gratũ, & saluti animarum necessarium esse intelligẽtes, hisce diebus erga pauperes Christi, in Hospitalibus Vrbis nostræ existentes non minori affectu, quam mater erga quem vnice educauit filium demonstrarunt, & quotidie hos modo cum omni, qua decet mansuetudine, & charitate ad patientiam, alios ad Sacramentorum Ecclesiasticorum susceptionem commonendo, alios in articulo mortis constitutos consolando, & denique ad bene moriendum, diu noctuque hortando demonstrare non cessant Idemq; præstare intendunt, tempore, etiam (quod absit) pestilentiæ. Hi itaque Camillus, & socij insimul, & in communi sub paupertate, castitate, & obedientia, ita tamen, vt voto astricti nõ sint viuere, & altissimo, ac eius pauperibus famulari proponentes, vnam inter se Societatem, seu Congregationem, sub vocabulo, seu nomine Ministrantium Infirmis, cuius principale institutum est, speciali quodam caritatis feruore Infirmiis prædictis inseruire, sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito inierunt, sperantes ex hoc multis incommodis, & periculis, in quæ sæpenumero dicti Infirmi ob defectum talium Ministrorum inciderunt, obuiam iri, ac salutem animæ, & corporis, multaque Christifidelibus commoda parari. Nos eorum supplicationibus inclinati, ac de huiusmodi pio proposito, & viuendi modo, quo ipsi intendunt vti, plene, etiam ex relatione dilectorum filiorum nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultatione, & causis Episcoporum, ac Regularium, ac visitatione Apostolica deputatorum informati, ex certa nostra scientia, Congregationem sub vocabulo, seu nomine Societatis Ministãtium Infirmis per vnum maiorem Ministrum, seu Superiorem (qui Presbyter esse, ac per eandem Congregationem de triennio in triennium per maiorem partem suffragiorum eligi debeat) regendam, & gubernandam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, supplentes omnes, & singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui interuenerint in eisdem. Et quia dicta Congregatio proprietate rerum temporalium carere instituit. Nos pariter Camillo, & præfatis, ac pro tempore existentibus ipsius Congregationis socijs, & alijs ab eis deputatis, & deputãdis,

5

quod

1586.

quod eleemosynas, vbicunque præterquam intra Eccleſias, Monaſteria, & loca pia colligere; ac in dictæ Congregationis communes vſus conuertere, Vicarij Vrbis, ſeu cuiuſuis alterius licentia deſuper minime requiſita, dictaque pietatis opera erga quoſcunque Infirmos, in quibuſcunque Hoſpitalibus, ſeu alijs dictæ Vrbis locis à dictorum Hoſpitalium, ſeu locorum præfectis, vel adminiſtratoribus vocati, ſeu de eorum licentia, vel conſenſu exercere, ipſeque ſuperior, vel maior miniſter, qui(vt præfertur)Presbyter eſſe debet, & alij eiuſdem Congregationis Presbyteri, dummodo alias ſint idonei, & ab Vrbis Vicario approbati Infirmorum, & ægrotantium in dictis Hoſpitalibus,& locis exiſtentium confeſſiones audire ſine præiuditio, eorumdem Hoſpitalium,aut locorom: vel eorum officialium, ſeu adminiſtratorum libere, & licite valeant, tenore præſentium facultatem concedimus, & indulgemus. Ita tamen, vt tam ſuperior, quam alij dictæ Congregationis inſtituta, & ordinationes iam factas, & pro tempore faciẽdas(dummodo illa, quamdiu ab Apoſtolica Sede approbata non fuerint per ipſius Congregationis protectorem reuiſa, & approbata ſint)in communi ex dictis piorum eleemoſynis viuant. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationbus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Dat.Romæ,apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xviij.Martij 1586.Pontificatus noſtri anno primo.

Superior, & alij Sacerdotes cõfeſſiones Infirmorũ audiant.

Io; Baptiſta Canobius.

6 PAuliſper in quibuſdam dicti iam breuis Apoſtolici verbis mente ſiſtamus, & ea,quæ maioris cõſiderationis digna ſunt,ponderemus in exordio:enim præfati reſcripti, præſtantia inſtituti conſpicaris per ea verba memoratu digna. Ex omnibus Chriſtianæ caritatis officijs, quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro Ieſu Chriſto,vel maxime(quod idem ſonat perinde, ac ſi valde maxime) placere credimus,per quę pauperes Chriſti Infirmi, & in Hoſpitalibus exiſtentes in neceſſitatibus ſuis ſpiritualibus, & corporalibus adiuuantur &c.& non tantum de Infirmis in Hoſpitalibus degentibus mẽtio fit in dicto breui, verum etiam de alijs extra Noſocomia, vt ſequentia verba indicant; erga (ſic aſſeritur) quoſcumque Infirmos in quibuſcumque Hoſpitalibus, ſeu alijs dictæ Vrbis locis,&c.clare etiam manifeſtatur Congregationis intentio,ſeu ſcopus etiam illis primis alboribus, qui fuerit, quammaxime quippe in anima, corporeque iuuare pauperes ægros intus, & extra Noſocomia; quæ opera pietatis inter maxima collocantur, vel maximum eſſe chriſtianæ caritatis officium, quo æterna ſalus, & temporanea intenditur erga Infirmos, perq; Dei gratiam compararur; itaque vnica medela (vt ſic loquar) duæ reparantur ægritudines mentis, vtpote, & corporis,vt totus homo,gratia Spiritus Sancti operante, ſanus fiat,

Notãtur nõ nulla circa ſupradictũ diploma.

7 Cautum etiam eſt in eo approbationis libello noſtrum munus eſſe pauperes ægros ad patientiam cum omni manſuetudine, & ad Sacramentorum ſuſceptionem cohortari, & quod de patientia tamquam per exemplum exprimitur,de alijs intelligendum eſt virtutibus, deque vitijs oppoſitis, cum contrariorum(vt Philoſophus indicat) eadem ſit diſciplina. Noſtri ergo, vt ſuo munere perfungantur, ſtudijs ſacrarum litterarum debent coruſcare. Secus enim in eorum inſtituto tepeſcent.Et quomodo ſacroſancta Eccleſię Sacramenta digne,ac ſcite ſunt adminiſtraturi, ſermonemque de eis habituri, ac de virtutibus, vitijſque

elo-

1586.

eloquturi? si eorum virtutem, causas, materiam, effectus, differentias, valorem, & alia ignorauerint, nequaquam super his profectò instruere alios poterunt. Citra omnem dubitationem si ipsi in ignorantiæ tenebris inuoluti iacuerint, alios nequibunt cum deficiat scientiæ splendor, vitæque candor, illuminare; harum proculdubio rerum peritiam, absque Theologica notitia haberi neutiquam posse liquet, quod etiam iam in præludijs indicatur à me distinctius, perque partes.

8 Mirificè enim commendatur illorum Patrum præeminens caritas non quidē vulgari, sed satis celebri proportione materni quippe affectus; cum subinferatur. Dilectus Filius Camillus de Lellis Teatinensis diocœsis, & alij eius socij hisce diebus erga pauperes Christi hoc genus officij (idest caritatis) demonstrarūt non minori affectu, quam mater, erga quem vnice educauit filium. Demum clare patet principaliorem Summi Pontificis Scopum in confirmanda Congragatione fuisse, quia illorū Patrum mens fuit intensior (vt Congregationis mos est) pauperes ægros ad æternam dirigere salutem; dum per idem diploma exprimitur de ipso singulariter loquens; quam Deo gratum (ait) & saluti animarum necessarium &c. non excludendo tamen, immo addendo temporale ministeriū tamquam partem nostri instituti; licet minus principalem; quod sane ad spirituale Infirmorum bonū ordinatur: quando vero in præfato diplomate asseuerāter dicitur in necessitatibus suis (nimirum Infirmi) spiritualibus, & corporalibus adiuuantur; tum vtrunque ministerium Apostolicum rescriptum comprǽhendit, & sane modo, & ordine, quo supra signatum apparet.

Scopus principalior instituti.

9 Obtenta itaque iam Congregationis per Apostolicum breue confirmatione cum facultate in eo expressa communiter viuendi sub paupertatis, castitatis, & obedientiæ vinculo, absque tamen vllo voti ligamine, & sub vno degendi Superiore per triennium eligendo: suffragantibus cunctis Patribus, ac Fratribus (de more) acclamatus, electusq; fuit P. Camillus, & si hucusque permagna vigilantia, & caritate irreprǽhensibilis in Congregatione vixisset; ad pręsens vero multiplicatis pœnitentijs, ac vitæ asperitate erga propriam personam, benignitate vero, māsuetudineq; ac dilectione erga alios vtens, sui muneris pensum satis laudabiliter exercuit. Impense omnibus, tū Congregationis institutionibus, & exercitijs, cum etiam operibus pietatis, & ministerijs Infirmorum, præ cæteris Congregationis subditis se subiecit, & obsecutus est. Cumque obtinuisset virtute præfati diplomatis facultatē ostiatim per domos Vrbis peculiares, eleemosynas efflagitandi, sibi peram primus supra scapulas imposuit, panem lustrādo Ciuitatem, domorumque pulsando fores, quærens, sociumque quemdam Sacerdotem nomine Rogerium Anglum sibi asciscens. Prima quidem vice, quamuis diu per Vrbem diuertissent, & deambulando per magnam diei partē consumpsissent, quantum sanè eleemosynæ reportasse putatis? vnum solummodo panem, & paucissima minuta quædam alia fragmenta; multum tamen obiurgationis, & mortificationis, ac meriti domum retulere; quandoquidem à pluribus aspernabantur, tamquam vagi homines, & otiosi repellebantur, qui ne laborarent, vitam delegerant otiosam, & vagabundorum; quare, vt molesti toti Vrbi obiurgabantur; hoc demum mortificationis genere onusta pera, lætabundi, perinde, ac si ingentia nacti essent munera, domum repetiuere. Siquidē non diutius hoc paruipensionis grauamen sensere: perspecta enim Camilli, suorumque contubernalium integerrimæ vitæ conuersatione, & misericordia in pauperes, ac vtile, quod ex eorum instituto redundabat in omnes, per magnis

Eligitur virtute Breuis Apost. Camillus omnium Superior per secreta suffragia.

Quærunt ostiatim panem.

post

poſtmodum eleemosynis illos ſunt proſecuti;eademmet ipſa tempeſtate ampliſſimum,ac meritiſſimum de tota Congregatione Cardinalem Montis Regalis nō tātum in protectorem,verum etiam in peculiarem Patronum, ac Dominum delegerunt noſtri, atque adeo,vt talem perpetuo ſunt reueriti; ipſe vero verſa vice ſummæ beneficentiæ Princeps à nobis licet pauperibus,ac humilibus ſic haberi, extimari,tractariq; non eſt dedignatus;ſed gratanter non ſecus ac Amantiſſimus Pater ſuſcepit noſtrorum protectionem,tutelamque.

1586.

10 Quando vero (vt præcedentia cum his connectam) relatio Summi Pontifici ab Eminentiſſimo Cardinali Sans,qui prę reliquis eiuſdem Congregationis caput extabat, de his, quæ fuerant decreta, facta eſt, ſimulatque nonnulla de Camilli virtutibus,& caritate cōnnexa ſunt,nōnulla breuiter de Congregationis ſtatu, & quam magna poſthac eſſet Chriſtianæ Reipublicæ allatura emolumenta prodita quoque ſunt,maxime(quod Deus auertat)tempore peſtilentiæ;iam tum in Sanctiſſimum Pontificem voluntas inceſſit videndi Camillum,& alloquendi, quod Eminentiſſimo Cardinali Sans adſignificauit Summus Pontifex,id ab alio Eminentiſſimo Cardinale nimirum Cuſano relatum accepit Camillus;quapropter nil moræ interponens,in Vaticanum Palatium ſe contulit;& procidens Beatiſſimi Patris deoſculatus eſt pedes, grateſque rependit ſuper Breuis conceſſione:perpetuoque aſſeruit ſe, ſuamque Congregationem pro incolumitate, ſummaque felicitate ſuæ Beatituditudinis futuram apud Dominum Oratricem; ipſe vero Summi Dei, ſuęque Sanctitatis inutilem,indignumq; famulum eſſe, addidit,quem Dominus dignatus fuerat, ad nouam inſtituendam pro pauperum ægrotorum ope Congregationem, vocare, ſub auſpicijs tamen, & tutela Suæ Sanctitatis,à qua ſine vllo dubitationis metu affirmabat,felicem omnem habituram euentum, quandoquidem ab ipſo adeo fauſta ſuſceperat initia; huiuſmodi ſermo Sanctiſſimo viſus eſt Pontifici non minus humilis, quam prudens, aſpectumque etiam intuitus Camilli venerabilem, ac proinde ipſum, totamque Congregationem de ſua poſthac commoneſecit gratia, ſimul, & protectione. Oblata itaque ex hoc gratiſſimo Summi Pontificis ſermone Camillo congrua occaſione animoſior redditus, ſuppliciter expoſuit, vt ſibi, ſuiſque alumnis in poſterum ſupra veſtem,ac pallium dextera ex parte fului coloris paruam Crucem liceret geſtare ad aliorum Regularium, & Congregatorum differentiam, ſeu diſcretionem. Afferri ſupplicationem ſubdidit Beatiſſimus Pontifex,quidue efflagitaret in ea exponeret;quandoquidem eius piæ, ac iuſtæ non denegatum iri petioni; ac proinde peracto memoriali Camillus ſuæ obtulit Sāctitati,quod itidem Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationi, ſuper ſtatū Regularium commiſit;locata tamen intus idem memoriale parua in charta,Crucis formula magnitudine palmari; iuxta qualitatem, & eo modo, quo paſſim a noſtris defertur,caſtanei,ſeu fului coloris,qui vulgo,tane,ſeu lionato nūcupatur.

Colloquitur Camill. Sūmum Pōtificem.

11 Interea noſtri in obſcuris officinis morabantur admodum proprię, & proximorum ſaluti inuigilantes, multi enim à Patre Camillo habitu Congregationis induti modicum intra tempus defuncti ſunt,quorū egregia facinora, & celeberrima pietatis facta vna cum vita obliuioni tradita ſunt. Operibus ſiquidem viuis (vt iam diximus)miſericordiæ maluere Congregationem, ac Religionem inſtituere, & honeſtis actionibus, atque laboribus à Domino potius dignoſci, & approbari,quam ab hominibus dictando volumina;Euangelicum ſecuti conſilium, & Dominicum morem, qui cepit prius facere, triginta nimirum annorum curriculo, ſub ſilentio operans, dum nobiſcum conuerſatus eſt; tribus tantum vitæ

Nactus eſt nouum breue deferēdi Crucem.

586.

ſuæ ſupremis annis docendi exempla reliquit. Paucis itaque interiectis diebus poſt ſuæ datam Sanctitati ſupplicationem exijt cõceſſionis reſcriptum ſuper his, quæ à Patre Camillo expoſita, & expetita fuere; hoc eſt deferendi Crucem ſub modulo, & forma, vt ſupra intra memoriale fuerat inſerta. In eo namque Apoſtolico Breue ratio aſſignatur conceſſionis, quæ talis eſt; vt omnino inſtitutum noſtræ Religionis ab aliarum tum Religionum; cum etiam Congregationum, Collegiorum, ac Societatum diſcriminetur, & cum ſit diſtinctũ, & independens ab omni alio ſæculari, vel regulari inſtituto operæpretiũ eſſe adiudicatum eſt a Summis Pontificibus, peculiari viuificæ Crucis vexillo muniri noſtros, & decorari; quemadmodum planius per infraſcripta diplomatis verba legenti apparebit; quod ſubnectitur.

Facultas Apoſtolica deferendi Crucem conceſſa Congregationi Miniſtrantium Infirmis.

SIXTVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

reuis forma, & tenor.

12

CVM nos nuper Societatem, ſeu Congregationem ſub vocabulo, ſeu nomine Miniſtrantium Infirmis per dilectos filios Camillum de Lellis Præsbyterum Theatinen. Dioc. & alios eius ſocios ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito initam Apoſtolica authoritate approbauerimus, & confirmauerimus, prout in noſtris die xviij. Martij proximè præteriti deſuper in forma breuis confectis literis plenius continetur: ipſique Camillus, & ſocij pro feliciori dictæ Societatis, ſeu Cõgregationis directione piè deſiderent, ſicut i eorum inſtitutum ab alijs diſtinctum eſt, ita eorum habitum ab alijs diſtingui. Nos tenores dictarum literarum præſentibus pro expreſſis habentes, de conſilio dilectorum filiorũ noſtrorũ S. R. E. Cardinalium ſuper ſtatu Regularium dicta auctoritate deputatorum Camillo, & alijs prædictis, ac pro tempore exiſtentibus, Superiori, & perſonis dictæ Cõgregationis Crucem ex craſſiori panno fului coloris, qui vulgo Tanè appellatur ſuper eorum veſtibus à latere dextero perpetuò deferendi licẽtiam, & facultatem authoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxvj Iunij 1586. Pontificatus Noſtri anno Secundo.

Tho. Thom. Gualterutius.

Poſt

1586.

13 POst Breuis Apostolici adeptionem, concessionemque deferendi Crucem; transacto biduo sollemnitas Festi Sanctissimorum Apostolorum Petri, & Pauli contigit, ad eorum Templum vna cum suis Camillus accurrit; vt Principis Apostolorum, & Beatissimi Pauli sanctissimas reliquias coleret, ac eisdem grates ageret pro tot ingentium beneficiorum collatione, & quemadmodum vnus ense, & alter Cruce triumphauit, sic pariter ipsi sub eo viuificę Crucis vexillo, qui gladius est, & baculus, contra teterrimos hostes dimicantes uictoriæ lauream reportarent, illosque cum suis uersutijs, præsertim à morientium conspectu, funditus excluderent, ab eorumq; faucibus animas euellerent, ad Cœlestes dirigendo sedes: sic eos rogitabant gloriosissimos Principes; ut his nimirum bonis secundarent desiderijs; hæc.n. Basilica illo die pre nimia occurrentiũ personarum, & illuc concurrentium multitudine fere completur. Populus uero intuitus nouam habitus formam non in unam ferebantur sētētiā, nonnulli, Presbyteros esse ab Indiarum Regionibus, causaq; visendi Romam venisse, affirmabāt, alij eos esse ex Patribus Societatis IESV ab Hierosolymis à Venerādo, Sanctissimoque Domini Sepulchro ad Vrbem regressos, colloquebantur, plerique in alia ducebantur, potius insomnia, quam vera proloquia; Camillus vero antiqum matris somnium meditabatur; quādo nempe visa est in aluo circumcingere fœtum Crucis vexillum gerentem: pignori vero plurima infantium cohors eodem munita signo comes facta circum erat; quare sui oppidi incolis, ac senibus idem somnium reuocare Camillus consueuerat in mentem; ita asseuerans, en ea Crux, de qua mea olim perturbata mærebat Genitrix, & arbitrabatur in mei, totiusque familiæ versuram exterminium, modo in plurimorum euasit Deo auctore æternam salutem; at quoniam hac tempestate res memoratu digna se obtulit, idcirco nequaquam silentio eam tegendam opinor.

Admirantur omnes eam formã habitus Crucis.

14 Ex Iberia principio Apostolicæ approbationis nostræ Congregationis, quidā Religiosi viri habitu amictus, vitæque probitate perspicuus, ac prudentia Romā adijt nomine Ioannes Adamus Hispanus, ad cuiusdam Congregationis (quam dicunt) Braconis Apostolicam approbationem consequendam; hoc opera, & patrocinio Oratoris apud Summum Pontificem Catholici Regis vtebatur; attamē expositũ hoc negotiũ, & per Romanam Curiam examinatũ ab Eminentissimis Cardinalibus sensit repulsam, asserendo, paulo ante ab Sanctitate Sixti Quinti fuisse approbatam, & confirmatam recenter quandam Congregationem Ministrantium Infirmis; cuius institutũ erga pauperes ægros adiuuandos in Nosocomijs, & extra versabatur; idcirco renuebat Summus Pontifex, & Sacra Cardinalium Congregatio alteram statuere desuper hoc Ministerio Congregationem quod si ipse desiderio teneretur caritatis munera erga pauperes exercendi; Camillo, eiusque socijs adhęreret, ad quorum petitionem Congregatio denuo erecta, & approbata fuerat. Ferebat enim Ioannes iam memoratus in pectore, hoc est infra vestes ligneam Crucem albi coloris, illamque cum vellet casu extrahere (res miranda profecto) mutata albedine adinuenit fuluam, nimirum similem in colore, vt nostræ sunt, quas communiter ferimus; hoc propter euentum pene exterrefactus Ioannes coram Camilli genibus se proiecit, suæ Congregationis habitum instanter expostulans; quo viso portēto nil deinceps noui super hoc intentare ausus est, sed factus vnus ex nostris vitæ suæ curriculum in Congregatione finiuit; at quoniam se præbet occasio, dignum est, vt aliquid de eo commemoremus, qui digne satis, ac laudabiliter in Congregatione vitam protaxit, atque consumpsit.

In vita P. Camilli lib. 1. c. 19.

Crux alba vertitur in castaneũ colorem.

De P. Ioanne Adamo.

FVit enim Ioannes Adamus Patria Hispanus ex eo morum ipsius probitas quamfacile depræhendi potest; quia ab remotis Hispaniarum Regionibus itinerando pedestris Romam appulit; vt com probationem à Sede Apostolica nouæ cuiusdam Congregationis assequeretur, pro subministranda ope Infirmis degentibus in Noscomijs; & ni diuinitus tantopere commonefactus ob repentinam coloris in Cruce, quam secum habebat, commutationem, proculdubio à proposito non destitisset, donec, vel approbatione Congregationis, propter quã tot itineris spatia confecerat, potitus fuisset, vel mortem in Vrbe oppetijsset; maxime cum esset senio confectus, non tamen in laborando, quandoquidem in Congregatione adolescentum sustinuit onera, ac pœnitentias, & opera pietatis, id profecto euenisse arbitror ob virtutum habitum, quem secum in Congregationem traxerat, vbi per quinquenniũ vixit: admissus est añt in eã à P. Camillo 1587. VIII. Kal. Ianua. In Vrbe Romæ cum defatigasset purimum in Hospitalibus, ac in restauranda vna cum constructoribus noua D. M. Magdalenę habitatione, & in animarum commendatione, in qua admodumpopulo placuit; Neapolim ob nouæ domus ibi erigendæ fundationem à P. Camillo dimissus est vnus ex primis Fundatoribus. 15

In ea fundatione multa passus est incommoda, quæ singula admiranda cum tolerantia sustulit: fuit vnus ex quinq; de nostris, qui infectione Puteolis in milites grossante ægris cum omni mansuetudine, ac solertia ministrauit, quæ ibi effecerit, quantaque pertulerit, quaue carirate obsecutus sit pauperibus, liceat videre inferius, anno 1591. Extollũt ipsius beneficẽtiã ingrauescẽs eiusdẽ ætas, assidui labores, ac putores, nocturnæ, diurnæq; excubiæ, quæ ptulit, maxime cũ Ministeria militibus natura audacibus, & ad satisfaciendum difficilibus, exhiberentur; insuper cum inibi munere Superioris reliquorum Fratum fungeretur; quandoquidem opus erat suorum PP. & ægrotantium occurrere necessitatibus; propter hæc, aliaque incommoda quamplura mortem subijsse naturaliter oportebat; potissimum cum reliqui eius socij viribus, & ætate floridi morti succubuerint; ipse vero seruatus est, vt in Vrbe, in qua susceperat habitum, & quo adeo laboriosa peregrinatione deuenerat, ibi quoque ab omni defatigationis onere quiescerer, humi reddendo corpus, animam vero omnium Creatori; translacta itaque militum Puteolis contagione, reuocatus à P. Camillo Romam iterum est. Vbi paucos intra menses graui morbo corripitur, cui superincidit dissinteria, quam ægritudinem mira æquanimitate, ac lætitia sustinuit per aliquot dies; ante obitũ prædixit quantotius Congregationem in Religionem esse erigendam, huiusmodi prædictionẽ paulo post effectus comprobauit; tandem viribus destitutus cum vixisset satis exemplariter in Congregatione quinquennio (vt dixi) morbo consũptũ ẽ corpus, at spiritus ad sydera (vt credimus) scãdit anno 1591. dies quidẽ ignoratur, ac mẽsis; certũ est obijsse paucis elapsis mẽsibus post eius reditũ Romam: cuius cineres seruantur in templo Diuæ Mariæ Magdalenæ, & in consueto nostrorum Sepulchro; munitus tamen prius fuit Ecclesiæ Sacramentis. 16

Visũ est P. Camillo, statimatq; Sedis Apostolicæ per facultatẽ Congregationis approbationem obtinuerat non posse in domibus officinarum obscuratum perpetuò domicilium constituere, vbi adhuc satis incommode commorabantur, ob ædium angustias, & Ecclesiæ defectum, cuius erant penitus expertes; Sacerdo- 17

tibus

1586.

tibus vero, qui in dies Congregationis habitum assumpserant, templum, in quo missæ Sacrificium peragerent, deerat; & Augustissimo Dominico Corpore, vbi Fratres nostri reficerentur, loco carebant, sed vsque ad hoc tempus eadem exercitia in templo Reuerendorum Patrum Societatis IESV, vt iam dictum est, fiebant; & à Patre hactenus Ottauiano Capello eiusdem Societatis amãter eorum Sacramentales Confessiones auscultabantur: itaque ob præfata, atque alia non minoris ponderis incommoda Camillus necessitate compulsus alibi nouam adinuenit habitationem; dignatus est Altissimus, non incassum reddi Fratris Bernardini prædictionem; quando socijs fassus fuerat Diuæ Mariæ Magdalenæ transiens per Ecclesiam futuram eam nostrorum.

18 In vigilia memoratæ Sanctæ Camillus prope ipsius Ecclesiam progrediens, ad Indulgentiarum beneficium assequendum eam introiuit, dumque oraret in eius incessit mentem, illam suæ Congregationi idoneam Ecclesiam fore, vt euaderet, pariterque domos adiacentes opportunas: idque negotium diuinæ commendauit bonitati, Cœlorumque Reginæ, eidemque Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quam ex eo instanti sibi, totiq; Congregationi patronam perpetuam asciuit; inde Camillus exijt, cępitque id negotium cum Dominis Societatis Confallonis Rectoribus pertractare, sub quorum Dominatu, ac Regimine eadem Ecclesia tunc temporis extabat, qui post dierum aliquot decursum, impositis nonnullis conditionibus, annuisque grauaminibus, ipsam Camillo nomine Congregationis partes agẽti concessere, cum aliquot ædibus ipsimet Templo cohęrentibus, domorum tamen locationis pretium soluendo. Onera vero, quibus Ecclesiam Diuæ Mariæ Magdalenę concessam nostri suscepere, infrascripta notantur, vt quolibet quinquennio argẽteus Calix, vna cum Patena pretio decem aureorum a Patribus solueretur, & pariter singulis annis in sollemnitate memoratæ Sanctæ, Cereus eisdem Confraternitati ponderis librarum quinque præberetur, & quod grauius omni onere arbitrabatur, seruitus iudicatur, quam sibi seruauerant Gubernatores; vt nimirum die Festiuitatis Sanctæ, quo sacra Missæ sollemniter celebrãtur, Thus Rectoribus, qui in cornu Euangelij auctoritatiue insidentes præsidebant, offerretur; etiam in fronte ianuæ maioris, eiusdem Ecclesiæ, arma, seu insignia ipsiusmet Confallonis insculpta patebant, quæ intus Ecclesiam euidentius ab introeuntibus non tantum intuebantur, verum cum inscriptione legẽda exarata in marmore adiacebant. Quæ singula anno 1622. pœnitus deleta fuere; facta prius pecuniaria solutione aureorum (more Romano) mille, & quingentorum, Sanctissimo Patre Greg. 15. admodum in hoc protegẽte Religionem, interueniẽte etiam Eminentissimorum Cardinalium Hipoliti Altobrandini, atque Sacrati auctoritate, qui Patri Cæsari de Simonio nostræ Religionis Sacerdote, ac ꝓfesso, adhuc superstiti in Sacramentali Confessione se subijcere dignati sunt. Et quidem ni horum Principum, & præsertim Summi Pontificis tutela se interposuisset, nunquam illæ conditiones, ac seruitutes obliterata apparuissent; quãdoquidem omnino nolebant se illo iure priuari per quamlibet pecuniarum summam sicuti prorsus, & pluries asseuerauerant.

Obtinet Ecclesiã D. M. Magdalenę.

Onera addicta concessioni Ecclesiæ.

Soluitur Religio ab oneribus iam dictis.

19 Sed ne longius euagetur oratio obtenta Ecclesia cum iam dictis clausulis, pactisque, & conditionibus Senatus, Populusque Romanus consueta, ac Patria pietate, atque liberalitate Congregationi elargitus est trigentorum aureorum summam, qua cohærentes Ecclesiæ Camillus domos nonnullas conduxit, illasque restaurauit, & in formam, modumque redegit Conuentus, claustrum in eis adaptans, formansque aliquot dormitoria, maioribus vero cubiculis pro communi-

1587. bus Monasterij officinis vtens. Ipse vero, & socij Cæmentarijs tamquam discipuli in ædificando aquam, calcem, ac lapides proprio labore, ac manibus subministrabant, facta itaque est ab Obscuris officinis ad Diuæ Marię Magdalenę ędes transmigratio principio mensis Decembris 1586. extitere omnes, qui illo commigrarunt ex nostris duodecim; hi profecto quemadmodum Apostolicum numero Collegium imitatione secuti sunt, sic pariter eorum labores, humilitatem, ac sufferentiam, animarumq; salutem emulari conati sunt; celeberrimo die Natalis Dominici anni præmissi amictus est habitu Congregationis à Patre Camillo in Tēplo Diuæ Mariæ Magdalenæ Pater Blasius Opertis ex Trinacria Syracusanus, cuius virtutis extiterit, & quomodo illustrauerit Religionem cum ad annos ipsius obitus deuenerit oratio, narrabit.

[margin: ...igrant in ...es S. M... ...agdalenę.]

Annus Domini 1587. Congregationis secundus. Affertur prisca illorum Patrum viuendi forma. Agitur de P. Francisco Propheta, alijsque Patribus.

1 CVm autem nostri in ædes Sanctæ Mariæ Magdalenæ domicilium permutauissent, Pater Camillus quælibet spiritualia exercitia in eo Templo haberi instituit, mandauitque; itaque inibi & missæ peragebantur, & spiritualia frequenter habita sunt colloquia, vbi etiam nostri fratres Sanctissimum Christi Corpus posthac sumpserunt, eisq; à Sacerdotibus inibi, cum iam admissi nonnulli tunc adessent, Sacramentum pœnitentiæ conferebatur; nec deinceps extra eamdem Ecclesiam hæc ipsa agere exercitia permissum habuere: vbi item nostri Confessarij laicorum peccata auscultabant, quapropter duo intra ipsarummet Diuæ Mariæ Magdalenæ Ecclesiam Camillus posuit confessionaria, vt mos est, lignea: in quorum vno P. Franciscus Propheta Sacramentales fidelium sæcularium audiebat confessiones, de hoc viro liceat aliqua meminisse, priusquam ad vlteriora transeat narratio, in reliquo P. Paulus Corneta, sicut infra annotabit oratio.

[margin: ...xhibet spi... ...tualia exer... ...itia in eadē ...cclesia.]

De P. Francisco Propheta.

2 PAter Franciscus Propheta Siculus à Ciuitate Randatij, Sacerdos, & Sacellanus in Templo Hospitalis Diui Iacobi Incurabilium Romæ, vnus ex quinque socijs in præfato Nosocomio à Patre Camillo aggregatis, connumeratus est; & cum de mandato Dominorum eiusdem Hospitalis Gubernatorum versum, & denudatum est eorum Oratorium, quod in cubiculo quodam Xenodochij ad habenda spiritualia exercitia P. Camillus, & socij efformauerant (vt antea significatum est) ipse Pater Franciscus in Ecclesia Diui Iacobi, cuius claues penes se repositæ asseruabantur, vt vnirentur commoditatem, liberamque facultatem tribuit, non sine permagno metu inde expelli, propter præceptionis Dominorum Nosocomij controuentionem, qui penitus interdixerant huiusmodi vniones sub graui interminatione ne fierent; sed ipse magis Deum formidans;

[margin: Acta P. Pro...phetæ.]

quam

1587.

quam homines cuncta flocci pendit. Non enim caruit eruditione quandoquidem Iuris Pontificij peritia Doctor excelluit, & quod maximi faciendum eſt, miræ bonitatis vir, & integerrimæ conuerſationis claruit; cui congruit patientiſſimi Iob ſermo, Vir ſimplex, rectus, ac timen Deum. Non tranſijt cum Patre Camillo ad Eccleſiam Diuæ Mariæ Miraculorum, propterea quod à nonnullis vrgentibus cauſis præpediebatur, à quibus ſolutus anno 1586. Menſe Februarij in Templum Diuæ Mariæ Magdalenæ ſe contulit, habitumque à P. Camillo Congregationis recepit, duobus elapſis Menſibus poſt noſtrorum illuc ingreſſum. Primus à P. Camillo in Templo eiuſdem Sanctæ ad audiendas fidelium confeſſiones eſt expoſitus, plurimum illis initijs laborauit, & perpeſſus eſt, tum in Congregatione, cum etiam in aſſequendas Religionis litteras Pontificias; Generalem Patris Fundatoris confeſſionem Anno Sancto 1600. auſcultauit. Admodum adiuuit bonis, prudentibus, ſanctiſque conſilijs, Patrem noſtrum Camillum in his fundationibus. Arbitri (vt moris eſt apud nos appellari) Conſultæ Generalis dignitate, in ſecundo Capitulo Generali merito decoratus eſt, ob eius prudentiam, ac fidelitatem, qui honos poſt P. Generalem, & quatuor Conſultores, primus habetur inter omnes noſtræ Religionis Dignitates, quid ſit eius officium, quidue referat, ſuo loco dictum apparebit; munere Vicepræfecti Romæ, & Præfecti Neapolis functus eſt, quod mira prudentia, ac patientia rexit. Cum perueniſſet tandem ad annos bonæ, & laudabilis ſenectutis Romæ in ædibus noſtris ægrotauit, labente anno noſtræ ſalutis 1601. quinto Martij die autem memorabili, Iouis Sancti, refectus Sacratiſſima Euchariſtia expirauit. Primus in manibus Patris noſtri Camilli Romæ primam emiſerat profeſſionem ſollemnem, & ab eodemmet cum eſſet in extremis redactus vitæ pium commendationis animæ officium exhibitum eſt; interque ipſius, ac reliquorum Patrum manus ſpiritum feliciter exalauit; ſed occurrit tum res digna notatu. Feria quarta maioris hebdomadæ cũ ſe adeo male haberet, vt ipſius timeretur eodem die interitus; illum itaque Oleo Sancto ungere Patres decreuerant, id præſentiens P. Franciſcus, quo potuit modo verba formauit, ac expectandum ſequentem in Cœna Domini diem dixit, ex eo quia non antea ſe viſurum mortem, quin recenti Oleo Sancto liniretur, ita contigit, vt prædixit, ac proinde nouo Oleo benedicto vnctus, eadem luce qua recolitur ſuprema Domini cum Diſcipulis Cœna ex hac ærumnarum plena, ad eam ſupernam, nobiliſſimamque æternæ lucis Cœnam migraſſe, pio corde putamus, ipſius cineres in Templo S. Mariæ Magdalenæ humati requieſcunt.

3 Interim nullo voti vinculo Congregatio coarctabatur, ſed quilibet (vt iam indicatum eſt) ſub nonnullis, à Patre Camillo emanatis regulis proprias actiones moderabatur, præter reliqua paupertas ſtricto iure colebatur, etenim cum aliquis laudabiliter per aliquod temporis ſpatium vltra anni circulum in Congregatione perſeueraſſet, exempla humilitatis, aliarumque virtutum, ac maximè caritatis erga infirmos oſtendiſſet; tum enim ſi propria poſſidebat bona, cuiuſque generis ſtabilia, aut mobilia; procurator, ſeu diſpenſator ſuper his conſtituebatur fidelis, ac ſpectata virtute; vt, illius patris, ſeu fratris ad quem bona pertinebãt, cum conſenſu alijs indigentibus perſonis, lociſque pijs res illa erogaret, ita tamẽ vt totum, ſeu pars, prout neceſſitas expoſtulauiſſet, ſanguine coniunctis ipſius Congregationis patris, ſeu fratris impertiretur. Præterea licebat alicuius portionis eiuſdem eleemoſynæ Congregationem, tamquam pauperem participem efficere: diſpenſator vero, ſeu procurator, præter exhibitæ largitionis, & ero

gata-

1587.

gatarum eleemosynarum chyrographum, quod deferebat Patri, cuius fuerant bona, vlli alij non erat obnoxius obligationi: bonis itaque temporalibus cum esset absolutus, omnique vinculo mundanarum rerum sublato: tunc aliquod sollemne festum Domini, vel Beatissimæ Virg. siue Apostolorum intercedens, prout Pater Camillus totius Congregationis Fundator, ac Superior præfiniuerat, strictiori nexu Congregationi se conglutinabat: in vigilia autem illius festiuitatis orationibus, meditationibus, ac spiritualibus incumbebat lectionibus, & Sacramentali peccatorum omnium se abstergebat confessione;mane vero refectus Cœlesti Angelorum esca, Augustissima nimirum Eucharistia,clausis ianuis, coram venerabilissimo Altaris Sacramento, quibuslibet Congregationis Patribus, ac fratribus astantibus, huiusmodi emittebat propositi formam,absque vlla voti obligatione, hæc, & similia verba promens.

Omnipotens Deus,mei Creator, & misericordia mea, ac Domini mei Iesu Christi Pater tibi innumeras refero grates; quoniam immensa tua bonitate dignatus es, me ad tuum trahere famulatum, ego autem tanto præuentus beneficio,sic coram vestra Maiestate, Sanctissimaque Intemerata Virgine Maria, omnibusque Cœlicolis, totis præcordijs,cunctisque animæ viribus firmiter propono in posterum seruare illibatam castitatem,paupertatem,& obedientiam,atque pauperibus Infirmis, qui tui sunt filij, & mihi fratres, famulari, & id quoad superuixero, cum ea nimirum maiori caritate, quam, ego vestra fretus benignitate,prçstare potero; teque rogo Summe Pater,per illam immensam dilectionem, qua vnigenitum filium tuum in hunc misisti mundum,vt perpetuo te adiutore, quæ proposui,firmiter, ac illibatè seruem.Qua absoluta propositi declaratione proprio ore;illico ei Missale Romanum afferebatur,quo aperto iurabat per Sancta Euãgelia;ꝙ si forte diabolicç succubuisset sugestioni abdicãdi habitum ab se Congregationis, vt priusquam discesserit nonnullorum dierum intercapedine intus aliquam nostræ domus Cellam commorari deberet, & orando à Domino expetiturum, vt ei suum adaperiat beneplacitum; exacto itaque iuramento nonnullas perlegebat, seu memoriter commendatas prodibat orationes; vt illam Sancti Spiritus, & similes iuxta vniuersalis Ecclesiæ ritum,vna cum aliquibus antiphonis,Versiculis,ac Responsorijs, Superior demum singula hac conclusione claudebat, quam videlicet voluntatem, seu propositum constans tibi Dominus Omnipotens impertiat, vniuersi alta voce respondentes canebant. Amen.

4

Peractis denique his omnibus, ei, qui tali pacto suum indicauerat propositũ, significabatur,vt eã voluntatis formulam tenaciter memoriæ figeret,quamue sç penumero iteraret,potissimum sumpto Sanctissimç Eucharistiæ Sacramento, tẽporibusq; sanctioribus, prout quemque propria deuotio excitauerit,& cum ea propositi iteratione pariter innouaretur spiritus vigor, sicut primitus se seruaturum ingrediens Congregationem proposuerat; sic temporalium curis abiectis Deo,ac pauperibus çgris famulari studebant;& sane spectasses solum sub hac forma propositi degentes, Angelicam potius, quam humanam ducere conuersationem. Fertur enim tanta oculorum mortificatione, & capitis inclinatioue incessisse per Vrbem,vt corrigi indigerent;propterea quod occurrentes sibi viros perillustriores, & Congregationis beneficos,ac prælatos,& quandoque Eminẽtissimos Cardinales,illis quia non attendebent,nec quemquam transeuntem aspiciebant,absque vllis salutationibus,vel obseruantiæ signo pertransibant. Facile, & cunctis leue est ab optima consuetudine in deprauatam dilabi, sed à corrupta in bonam reuocari perarduum est, & opus diuinum; congruit, quod ele-

5

Post expressam voluntatem,fiebat quædam admonitio.

Cõpositio, quã per viã seruabãt incedendo.

gauter

ganter cecinit Mantuanus; facilis discensus Auerni; sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras, hoc opus, hic labor est. Et o vtinam ille perantiquus vsus, & perfectionis amor in multis vigeret, qui tum fulgebat in omnibus.

De Patre Rogerio Britano.

6 EX Sacerdotibus, qui primus in Congregatione vitam cum morte, seu potius mortem cum vita commutauit, Pater Rogerius Britanus extitit, de eo relatum accepi fuisse admodum in Congregatione Regularis disciplinæ tenacem executorem, in Dei dilectione, & ægrotorum famulatu sollicitum, ac feruentem. Nostrum habitũ induit Romæ XIII. Kal. Aug. 1585. Corporea demum veste spoliatus est, vt illa felici, ac superna vestiretur Prid. Kal. Martij 1587. munitus antea Sacramentis in sepulchro Ecclesiæ Diuæ Mariæ Magdalenæ eius tegitur corpus, & quia Sacerdotali decore, ac probitate morum primus tumulum moriens exornauit, in quo primus omnium nostrorum Sacerdotum locatus est; idcirco dignum esse arbitratus sum de eo memorari debere, huius Patris, & aliorum præclara facinora exarata non inuenio, sed aliqua de ipsis leuiter notata: quandoquidem seruare maluerunt, quod Chryſ. prædicat dum ait in Io: Hom. 79. verbis enim philosophari facile est, re autem id ostendere generosi hominis est, & magni.

De F. Ioanne Romano.

7 FRater Ioannes Romanus xiij. Kal. Ian. in Congregationem Romæ receptus est 1586. fuit in sæculo coniugatus, filium habuit ex coniugio, cui persuasit, secum in Congregatione Deo famulando, vt suorum ageret pœnitentiam delictorum, ambo itaque in Congregatione anteactæ vitæ sordes pœnitentiæ, & caritatis operibus luebant: profecto maiora bona nunc genito contulit, quam illi esse tribuendo naturale; Ioannes vero postmodum, vt senior ob assiduos labores, graues, & insuitatos, quos in nouiter sumptæ Domus fabrica Romæ impendit, adiectis etiam operibus caritatis erga pauperes, morte consumptus est anno 1587. iv. Id. Martij. in Ecclesia Diuæ Mariæ Magdalenæ ipsius corpus sepulturæ donatum est; habuit Ecclesiæ Sacramenta, quæ satis deuote suscepit.

De Patre Ruberto Britano.

8 PAter Rubertus Britanus in domicilio Obscurarum officinarum per manus P. Camilli, sicut reliqui Patres, ac fratres illorum temporum habitum suscepit Idibus Martij 1585. quoad vixit in Congregatione vitam degit illibatã, cui pensum datum est à P. Camillo omnium nostrum Sacramentales auscultare confessiones, vnde plane colligitur primum fuisse, qui nostris Sacramentum pœnitentiæ impendit. Perpetuis, demum illis initijs, in egenorum, atque ægrotorum emolumẽta ab eo exhibitis defatigationibus, ex hac vita migrauit iv. Idus Maij 1587. sui maximam in omnium animis expectationem extinxit, quia prudentia, & honestate, ac beneficentia, atque regulari obseruantia præcellebat, maiora fieri ab eo in posterum, cuncti opperiebantur, sed ad meliora Dominus ipsum rapuit, corpus in Ecclesia, & in sepulchro iam memoratorum Patrum Romæ iacet; sumpsit veneranda Ecclesiæ Sacramenta.

1588.

Annus Domini 1588. & tertius Congregationis. Agitur de fundatione Domus Neapolitanæ, ac de nonnullis in ea euentis circa ministerium Infirmorum intra Incurabiliũ Hospitale vrbis eiusdem. ac de Congregationibus in eo aliqua, interloquendo, notanter signantur.

1

ROmæ restaurata nostrorum Domo, ac Templo Diuæ Mariæ Magdalenæ magno cum labore, ac manuum operatione Patrum, ipsamet Ecclesia ab Sacerdotum, & Prælatorum concursu cæpit honorari, in ea Sacrosanctam Immaculatam Hostiam, & Incruentum Iesum Christum super Altare Deo Patri immolando: proinde nostri instituti vtilitas, ac necessitas, magis, atque magis innotuit; præter reliquos, qui plerumque sacrum Missę in eo Templo peregit Doctor quidam nomine Mira Hispanus extitit, paulo post Sabiensis creatus Episcopus, vir equidem erga pauperes mira pietate affectus, qui Patrem Camillum apprime diligebat, strictamque cum eo contraxerat necessitudinem, sed propter aliqua vocatus negotia, Neapolim se contulit, qua in Vrbe de nostrę Congregationis forma, atque instituto cum Admodum Reuerendo P. Alexandro Burla ex Patribus Oratorij S. Philippi Nerij nonnullos habuit sermones: fulgebat enim hic Sacerdos magnis decoratus virtutibus, & ad omne pietatis opus propensus; qui nostra quantum Congregatio esset Infirmis necessaria; præsertim his, qui in extremo vitæ termino animam agitant dignoscens, & in Nosocomijs, quam multa, tum spiritualia, cum etiam temporalia misericordiæ opera pauperibus ægris impenderet, quantaque cum mansuetudine, ac pietatis zelo non secus atque amantissima parens erga proprios, quos diligit natos hæc exhiberet, vt etiam apparet in diplomate à Sixto P. V. nobis concesso: quare accensus est idem Pater Alexander desiderio hanc Neapolim introducendi Congregationem: hinc protinus ad Patrem Camillum feruentes epistolas Romam transmisit, vt inde Neapolim versus aliquot ex suis Patribus destinaret: nã cunctis Domi necessarijs superlectilibus, pretio locationis Domi cõsuluisset, & pro itinerãdo, expensas ipse exhibuisset, & quæcumque opus forent, liberaliter impertiret: habitis inter eos hac de re mutuo nonnullis epistolis v. Kal. Nouemb. Gloriosissimis Apostolis Simoni, & Iudæ dicato 1588. Pater Camillus vna cum alijs ex suis tresdecim Neapolim appulit, ornatamque adinuenit Domum, & cuncta quę supra relatus Pater Alexander spoponderat suis sumptibus parata. Habitatio enim quam primitus nostri cęperunt in colere fuit in via quam dicunt Diui Ioannis Carbonarij, quæ Domus habet in prospectu è contraria parte maioris, ac publicę vię Monasterium Monialium Domnæ (vt appellatur) Reginæ, & est prima Domus segregata post continuas, & cohærentes descendendo intra portam Diui Ianuarij versus viam eiusdem Sancti Ioannis Carbonarij, vbi parumper

Modus, quo Neap. introducitur Cõgregatio.

Zelus P. Alexand. Burla, & caritas.

quamuis commoarti ſint (vt dicam infra) nihilominus inibi plures,& celebres, qui poſtea fulſere Patres, recepti ſunt à P. Camillo.

2 Totius vrbis Neapolitanæ applauſu nominatim Illuſtriſs. Antiſtitis eiuſdem Ciuitatis Annibalis de Capua,à quo peramanter excepti ſunt Patres, ipſi vero protinus ad opera caritatis manus admouerunt,vnde repente per vniuersā Ciuitatē agniti ſunt, nempe in priuatis domibus animæ commendationem coram moribundis exercentes; longis vigilijs, integriſque noctibus præſtando auxilium orationibus inſtabant, lectionibus,ac ſpiritualibus hortamentis,donec anima enodaretur à corpore. Propter nullum ſiquidem infirmitatis genus, ſeu fœtorem, nec propriæ vitæ ob diſcrimen, aut quando languens eſſet contagione affectus, ſe ab opere pietatis vnquam diſſociarunt, vel tepuerunt,non domos pauperum, nec vilia tuguria, & immunda,nauſebant, ſed indiſcriminatim ſingulis cuiuslibet ſpeciei perſonis æquanimiter,& animo hilari miniſtrabant; omne pietatis munus exhibentes,vt ab ægrotorum anima,corporeque leuarent angores: itaque exercitia Marthæ in membrorum cura,& ſollicitudine, & Mariç pro illorum ſalute ad Dominum fundendo preces impertiebantur. Hyemis rigente frigore, & inter maximos calores vrente ſole ſub canicula, difficillimum profecto eſt,& pene intollerabile continuas ſub his pauperum domuſculis ducere noctes, hi fortiſſimi Chriſti Milites primi Patres(circa illos nunc ſermo verſatur)eas lætabundi pertrahebant, in frigore à Diuina flamma calefiebant, & in æſtu Cœleſtis auræ internus flatus ipſos refocillabat, vt patienter,perſeueranterque ægrotorum miſerijs comites eſſent, & in adeo periculoſo certamine præſtarent iuuamen.

Admittūtur noſtri gratāter ad Vrbē Neapolit.

3 Præter egregium facinus commēdationis animæ per priuatas domos, etiam in Hoſpitalibus, præſertim Incurabilium Neapolis pauperibus infirmis mane quolibet per duas, vel tres horas ante prandium, pariterque cœnæ tempore eiuſdē moræ p interuallū miniſtrabant; vnanimiter eis quælibet pietatis officiã, quamuis difficillima propter, vel morbi nauſeam, & ſpurcitiem, vel contagionis periculum,exhibentes; ægrotorum ſtrata reficiebant, cibos deferebant; & in eorum os ingerebant, aquam ſubmiſſo catino manibus fundebant, grauiorum linguas mundabant quodam argenteo inſtrumento huic operi idoneo, cauteria medebantur, capita etiam pectebant, vngues è manibus, pedibuſque prçcidebant; ſed fruſtra quid ſingula commemorare nitor, cum ipſi maiora,ac pluriora operarentur,quam lingua texere,vel calamus exarare audet,vel ſcit;& quemadmodum prudentiç actus, qui à recta ratione prodeunt ſunt pene innumeri,ita ipſorum opera caritatis recenſendo, non extinguitur fandi materia, ſemper enim noua, in quibus obſequi poſſent, ac famulari pauperibus moliebantur; aliquando viſi ſunt ab çgrotorum plagis vermiculos quoſdam extrahere, qui carnes, neruoſque eorum corrodebant dirum illis afferentes, & iugem excruciatum.

Plura in Hoſpitali exhibita miniſteria à noſtris.

4 Nec obliti ſpiritualis beneficentiæ,immo potius erga eam intenſi, celſa operabantur,illos chriſtiana erudiendo doctrina,ad meliorem frugem pertrahebant, ſæpe vero de peccatorum turpitudine, deq; valore,& efficacia Sacramenti pœnitentiæ, Deique præſentia in Venerabiliſſima Euchariſtia ſermonem formarūt. Quibus autem amara mors proxime inſtabat, conſolando; dolorem liniebant; ſi qui exterriti pauerent mortem oppetere, ſaluberrimis dictis, ac rationibus ipſorum an imum ita roborabant, & in Cœleſti ſpe fulciebant, vt omni formidine ſublata,mortem ſubire nullatenus formidarent, ſed potius gratabundi lethum complexarentur.

Neq; vecordes in præſtandis ſpiritualibus adiumentis.

Cum

1588.

Cum vero hi Patres, qui erant numero quatuor, aut sex, eo die munus operum misericordiæ pauperibus ægris persoluissent; alij vero sequenti luce, veluti, noui, ac strenui commilitones ad idem succedebant infirmorum ministeriũ, qui pariter relictis quodam in cubiculo Hospitalis pallijs (vbi hodie Nosocomij mulierum Ostiarius diuersatur) & præcincti præ fœmora linteis, similibus eis, quibus honestæ per domos vti assolent mulieres, ad omnia misericordiæ opera, vt præcedenti die Patres, se accingebant; sed libeat antequam ad alia deueniat oratio; quia huiusmodi Xenodochij mentio facta est, aliqua super eo notare, & quoniam egimus de operibus pietatis ibi à Patribus nostris impensis, placeat etiam bona exinde, tamquam à nitido fonte, quæ post nostrorum illuc frequentiam emanarunt, breuiter in hoc volumine expergere. 5

Multa exoriũtur bona ob frequentiam PP. ad Hospitalia.

Nosocomium Incurabilium Neapolis inter nobiliora, & magnificentiora vrbis illius opera computatur, propter multa, at in eo reliqua antecellit; propter varia nimirum, & eximia pietatis officia, quæ pauperibus miserandis, & ægris personis impertitur; quapropter non exiguum ei conferunt splendorem, e laudis famam, ac lauream: infirmitates enim, quas recipit, tot sunt; quot Diuus Ioannes Euangelista narrat, in probaticæ piscinæ porticibus iacuisse Infirmos varijs morbis pressos, ibi ait Cœlestis Euangelij Scriptor languentium multitudinem cæcorum, claudorum, aridorum decubuisse; morbos præterea cuiuscumq; vlceris admittit, magnaque diligentia curat non adest ibi piscina, immo adest, non quæ Angelico intercedente ministerio sanat corpora, sed perampla, quæ innumera mortuorum corpora dicti Hospitalis seruat, & omnium, quos pœna legalis iugulauit, & eorum item omnium semel, & iterum in anno, vtpote die omnium fidelium Defunctorum, & feria 2. maioris hebdomadæ excipit ossa, quorũ membra Iudicis sentẽtia fuere discerpta, asseruatis horum reliquijs ad cęterorũ terrorem in loco publico, dictis denũ diebus processionaliter in eamdem piscinã tumulanda feruntur, quam memoraui piscinam, vt compræhendere potestis, fouea est capacissima intra idem virorum Nosocomium constituta, sic ob eius mirabilem magnitudinem nuncupata. 6

Agitur de Nosocomio Incurabiliũ Neapolis.

De operib. charitatis dicti Hospitalis.

Alia se insinuat piscina, seu lacus medio in itinere inter Puteolos, & Neapolim magnis aquis redundans, quo statis anni temporibus Domini Nosocomij Gubernatores sumptibus Hospitalis nonnullos ægros curandos destinant, vt inibi (in tellure nimirum lacui proxima intra quasdam tabernas) per sudorem expulso morbo conualescant, & multi eo ducti vehiculis propter membrorum contractionem, seu morbo simili affecti ab ægritudine confirmati, illinc in proprias domus ambulantes, nulloque indigentes auxilio proficiscuntur, & hæc vocatur latine Acherusia, sed loci vocabulo lacus Agnani, tribus milliaribus ab Vrbe Neapolis dissitus. 7

Remedia, quæ confert in lacu Agnani.

Computationes Infirmorum iam dicti Nosocomij ascendunt, connumeratis etiam ægris mulieribus, ad numerum sexcenum, & quinquagenum, at vero tempore, quo medicamina, procurando morbo (vt appellant) Gallico applicantur, ad ottingenam quantitatem deueniunt; sunt enim alia personarum genera, quæ in illud excipiuntur Nosocomium laborantia magis spiritualibus, quam temporalibus ægritudinibus, huiusmodi sunt lymphatici, hoc est amentes, tam viri, quam mulieres, qui circiter centum connumerantur; ibi etiam pueri, ac puellæ admittuntur morbo capitis vexati, seu Alopecia, qui numero sunt septuaginta. Præterea duo Monialium sub regula Diui Francisci Serafici Ordinis degentium Monasteria complectitur, quæ a dicti Hospitalis redditibus, in his, quæ ad victum, 8

Genera personarũ, quæ ibi admittũtur.

ve-

veſtimentum, atque habitationem ſpectant, ſuſtentantur. Hęc Monaſteria inter ſe,& dictum quoque Hoſpitale continua ſunt, ſolis interiectis ſolidis parietibus, ad eorum diſtinctionem,& clauſuræ ſeparationem; præter hæc Monaſteria adeſt inſuper in dicto Hoſpitali Nouitiarum locus, à dictis iam Monaſterijs ſegregatus; qui cohęret valetudinario mulierum. Fœminæ autem ad habitum ſub certis conditionibus admittuntur, nempe vt fuerint publicæ meretrices, ſanæ, venuſtateque decoræ, quæ ſtatim, atq; nouitiatus annum percurrerint, exploratur earum voluntas, vbi ſe claudere malint, ſiue in Conuentualium Monaſterio (harum enim eſt amplior clauſura) ſiue in Reformatarum (quarũ eſt altera) & quod ſibi delegerint peracta profeſſione perpetuo ibi crimina malæ actæ vitæ deplorabunt, quamuis ſatis bene,& abunde ab Hoſpitale in omnibus alantur, ac prouideantur. Siquidem de medio iniquitatum ſæculi, huiuſmodi diabolica arma tollere, quibus mediantibus incautorum hominum æternaliter peribat numerus pene innumerus, profecto maximum beneficentiæ opus putandum, Deoque gratiſſimum aſſeuerandum. Hę autem Moniales in vniuerſum trecenæ ſunt.

Continẽtur in eo Noſocomio duo Monialium Monaſteria.

9 Domus enim Infirmorum bipartita diſtribuitur, quæ permagni ambitus eſt,& altitudinis, & quaſi ad inſtar arcis conſtructa intra tamen, ſed ſupra vrbis muros, ſolum .n. inter hanc Domum, & Ciuitatis muros interijcitur publica via. In ſuperna ſiquidem eiuſdem ædis parte mulieres ægræ, & reliqua muliebris familia continetur, in inferiori vero domus ordine ægroti homines iacent, vna cum reliquis Noſocomij Miniſtris, inde ſequntur recta linea à latere Hoſpitalis immediate mulierum Monaſteria; habet autem hoc Noſocomium atrium in medio ferme quadrangularis figurę ſatis amplum.

Deſcribitur forma Domus Hoſpitalis.

10 Priuſquam Patres huiuſmodi Hoſpitale frequẽtare cæpiſſent pene nemo erat qui eo vſque propinquaret, ſed fœtorem vlcerum, putorem, atque horrorem loci, quiſque formidabat, ne morbi alicuius periculum ſubiret. Quinimmo quamplurimi per atrium tranſitum facere, ne quid mali odoris haurirent, vitabant. Cũ vero Patres noſtri id pelagus adnauigare exorſi ſunt, quod principio irremeabile ſe oſtentauerat, paulo poſt placidiſſimus ſinus euaſit, vt infra legenti, & conſideranti patebit (eſt enim gens Neapolitana pietate decora, & facile pauperum commiſereſcit) exemplo quidem Patrum redditi ſunt pleriq; animoſiores, & Noſocomium adire, & caritatem vna cum Patribus exercere amabant, & ita bene philoſophantes plures concurrebant ad auxilia ægris conferenda; non tantum manuum operatione, verumetiam aliquot refrigeria, ſeu munuſcula, vt ſunt vuæ, mala punica, & ſimilia deferebant; adeo uſque hæc pietas creuit, vt inſtitui intus idem Hoſpitale Congregationes cæperint; & vſque modo ad numerum duodenum accedunt, diuidentes (ne ſuboriretur confuſio, ſeu inordinatio) ſibi dies, atque horas prandij, & cœnæ, alij enim mane, plerique ſero conueniunt: cæterum à viris harum Congregationum pietatis officia, quæ exhibentur ſunt quamplurima, & digna profecto Chriſtiani pectoris, ſed nonnulla receſſere non pigeat, ad ædificationem,& meritum multorum, qui adhærere huic miſerationis operi diligunt.

Exẽplo Patrum, multi Hoſpitale frequentãt.

Inſtituuntur intus Hoſpitale Congregationes

11 Statim enim ac Noſocomium adeunt intus eorum Oratorium (ſi poſſident) Deum adorant; ſecus in medio Hoſpitalis, vbi in Altari locatã vides Sanctiſſiam Domini Cruci pendentis imaginẽ, ibi venerẽtur genuflexi, poſt aliquãtiſper vna ſurgunt,& dimiſſo pallio, linteolo pendente à ceruice deorſum deſcendente à pectore, & gremio ad vſque genua ſe contegunt, ac præcingunt per latera, ea forma, ac ſimilitudine confecto, vt pueris in cœnis adhiberi conſuetum eſt, ne

Opera à cõgregatis exhibita infirmis.

coinquinentur; hinc se diuidunt, & singuli in ægrotorum lectos se inserunt colloquentes cum eis de Diuinis, aliquam misericordiæ tẽporalis operationem, interim illis ẽt exhibẽtes, seu lectum cõponentes, seu vngues à pedum, aut manuũ digitis resecantes, nonnumquam vlcera ligant, & à cauterijs saniem tergunt, ac medentur, cęsariem pectunt, & quandoque tondent; ista, pleraque alia iuxta congregati deuotionem lętis mẽtibus singillatim omni vana ostentatione semota ægris impertiunt, nec inde excedunt, quoadusq; omnimodę eorum obsecuti fuerunt voluntati, & quandoque in discessu aliquid eleemosynę condonant, hęc singuli congregati segregatim per se absoluunt, accedente autem hora prandij, vel cœnę nonnulli ab eorum Rectoribus, qui Religiosi, seu laici pręsunt, ad fundendam manibus aquam destinantur, alij porro eas linteo extergunt, postmodũ autem cibos, siue ab se, siue ab Hospitale paratos, ad infirmos ducunt, proprijsq; manibus in os ingerunt. Labor, & caritas in eo plerumque sita est; cum ęgri sint non appetentes esoss, & morbo maximopere extenuati, patientia ministrãtium exigitur, vt humaniter efficiant, quod non exasperetur ęgrotorum animus, ea in deglutiendo edulia, si quę nequeũt sorberi, liquentiora fiant, aut his mutatis alia faciliora, & exquisita pręstentur; itaut ab infirmo mandi, vel saltem per modium potus recipi queant,

12 Absoluto prandio, seu cœna, & demptis tabellis, supra quas exportauerant cibos, ac mappulis proprijs in locis compositis, nonnullos pro gratiarum actione Psalmos, & Orationes modulantur, dum patinas lauant; quemadmodum etiam à principio mensam benedixerant, & interdum musicum, dum comedunt Infirmi chorum adhibent; his peractis, denique bonis onusti operibus, veluti filij lucis, filij misericordiæ, inde modeste proficiscuntur. Etquod in genere enumeratum est, aliquanto distinctius, vt innotescat cunctis; in medium nonnulla nominatim Congregationum opera recenseo, ibi nobilius relucere videbitur pietas: exordiar à quadam nobilissima Societate, quæ omni sæculo, omnique personarum statui tamquam speculum digna est exhiberi.

Societas Mõtis Misericordiæ.

13 Cõfluxerũt ad hoc opus Hospitalitatis pręstandum nonnulli viri primates Vrbis Neapolitanæ, ac nobilissimi, qui inuicem conuenientes proprijs sumptibus qualibet sexta feria p refocillandis egenis nõnullos mercari mãdabãt fructus, ac bellaria, & alia id generis, quæ præstabant Infirmis, præter ministeria proprijs manibus impensa. Demum 1600. quandam inter se instituere Societatem, quæ Mons appellatur Misericordiæ, hic sensim adeo creuit, ac se extulit, vt etiam Eminentissimi Cardinales, & Excellentissimi Proreges Neapolis vna cum his illustrissimis viris ad obeunda similia pietatis munera in eo Nosocomio se associauerint.

14 Singulis enim sextis ferijs hora Cœnæ collectim in idem Nosocomium concurrunt (hi sunt omnes nobilissimi viri, alijs vero ex eis Principes, seu Duces, aut titulo alio decori, genere, seu natione Vrbis Neapolit. qui adscripti sunt in Societatis Codicibus numero sunt treceni; quorũ nonnulli vicissim, & per hebdomadas diuisim accedunt ad dictum Hospitale; verbi causa, alij pręsenti hebdomada intersunt Infirmorum ministerio, quidam vero sequenti &c. Hi pauperum ægrotorum lectos proprijs manibus reficiunt, culcitras vertentes, præmentes, vel permutantes, è quibus non parum putridæ qualitatis alitus emanat, eisdem lectis à marcidis ægrotorum membris impræssę; operimenta etiam tori extra ianuam deferentes ventilant ab infesta puluere illa excutientes, cibos ad Infirmorũ cubile vehunt, & proprijs manibus intra grauiorũ os ingerunt, quos su-

Beneficẽtia, quã exercẽt dicti Nobilissimi viri notabilis quidem est

1588.

ſceptos ab ægris ante ipſorum Dominorum ora aliquando vomendo aſpergerũt magna nauſea, ac ſpurcitie; & quamuis Domi ſuæ miniſteria ſibi præſtentur à famulis, quorum copiam habent numeroſam; modo vero gaudent proprios famulos otioſos ſtantes, ac ſpectatores videre, ipſos vero Dominos cum omni alacritate, ſolertia, ac pietate pauperibus ægris miniſtrare; ſi aliud profecto contẽplarentur in ægris, quam Chriſtum ſeruatorem, indubitanter tantæ auctoritatis, amplitudinis, & proſapiæ viri, in adeo infima, ac viliſſima non ſe intermitterent miniſteria, locaque immunda; nonnunquam etiam ex his Dominis nonnulli viſi ſunt flexis genibus ægros cibare, ad mei in die Iudicij exprobrationem; & aliquas ob deuotionem ex oculis obortas lacrymas fundere, & quamuis viuida opera caritatis erga pauperes grauiſſimis morbis affectos, ſeu potius infectos exerceant; quod maximum reputandum, illud quoque æſtimatur, habere quandoque ante oculos Infirmum, aut toto corpore lepra circundatum, quæ pelli, vt ſquamæ piſcibus adhæret, aut corroſum tota facie ob cancrum, huius conditionis ægris in hoc Noſocomio aliquando inſeruiunt. Non propterea Sanctiſſimi Tobiæ officia pietatis prætermittunt; fiunt etiam mortuorum corporum baiulatores feretrum proprijs ſcapulis geſtantes, nec permittentes (quamuis plerumq; pluſquam vnum in capulo ſuperpoſitum ſit cadauer) ſibi famulorum operam adhiberi, quæ onera deportant per aliquantum itineris ſpatium extra Noſocomium, ab Hoſpitali vtpote mulierum ad locum vſque ea deponendi prope foueam, vbi nonnullis decantatis Pſalmis, & Orationibus pro Defunctorum ſuffragio ab Eccleſia inſtitutis, feretrum deponunt, indeque quiſque diuertens, ſe ad alia implicat pietatis opera, in quibus per duas ferme horas, ſeu paulo amplius omnes ſimul perſeuerant.

15 Non parum admirationis talium perſonarum beneficentia inducit in ſpectantium animos, & multi fama permoti ad id etiam cõcurrunt intuendum quaſi ſpectaculũ; ipſiſmet ægris ſingulariter permagna inferunt cordis cõpunctionem, & obſtinatiores, ac impœnitentes, quandoq; ad cor conuerſi confeſſi ſunt cum lacrymis propria crimina, fatentes ſe ad pœnitentiæ lauacrum redactos ob intuitum profundæ humilitatis, & caritatis adeo nobiliſſimorum hominum, quorum magna pars ſunt Coloni. Et plures etiam infideles venerunt ad fidem, quandoquidem eo plurimi concurrunt ſerui alieni à fide miniſtrantes ſuis Dominis, & alij inibi quoque iacent Infirmi in lectis, qui tracti ſunt ad Chriſtianam Religionem ob idem motiuum intuendi ſuos Dominos adeo humilia exercentes pietatis officia. Neq; tantum eorum miſericordia in hoc conquieſcit, verum ad alia multa tranſit, ad omnia quippe ſeptem miſericordiæ corporalis opera ſe extendit, atque ſpiritualia (vt eorum inſtitutum loquitur) complectitur: auxilia item illis egenis ſubminiſtrat, quos emendicatam dedecet per plateas Ciuitatis, & domos vitam ducere, vel quia honeſtis parentibus orti ſunt, vel quia ob ſexum, & formæ præſtantiam nefas eſt per vicos victum quærere; in carceribus deuinctos etiam viſunt eleemoſynis, & cibis; multos inde liberant, ipſorum debita ſoluendo. Sed quia noſtri propoſiti tenor non eſt hæc, niſi perfunctorie intexere, alio trãnſeamus; at nondum tantorum virorum extra pietatem.

Quę bona naſcãtur ex opere ſinilium perſonarum.

Miſericordię mons ſingula corporalis beneficẽtię, ac ſpiritalia opera cõplectitur.

16 Et cum huiuſmodi Cõgregatio ſummam aureorum quadringentorum milliũ iuxta Regni Neapolis valorem poſſideat, ex piorum fidelium, & potiſſimum ipſorum congregatorum teſtamentis relictam, legatamque, ſeu alias eleemoſynæ, aut donationis titulo acquiſitam, huius ſiquidem facultatis vniuerſi reddi

tus

1588.

tus in pauperum (vt antea memoraui) grauibus ſemouendis egeſtatibus erogantur, nimirum in pupillis, viduis, cæteriſque perſonis miſerabilibus confouendis. Item quampluribus Sacerdotibus ſtipem ſoluit, qui in eiuſdem Congregationis Eccleſia (quam peruenuſtam habent maiori Vrbis Templo proximam) miniſtrant, ac Sanctum Miſſę celebrant, pro animabus omnium ipſius Societatis benefactorum, hi Sacerdotes numerantur trigintaquatuor: multiſque puellis, vt nubant, partem, ſeu integram dotem exſoluunt, aliquot item à captiuitate redimunt quotannis.

17 Inſuper plurimorum ducatorum (vt loci vocabulo vtar) ſummam in Hoſpitalis emolumenta effudit, curam enim montis huius Domini Gubernatores ſuſceperunt, quam plura cubilia, quæ aſcendunt ad quinquaginta in dicto iam Hoſpitali teneri. & in omnibus præfati montis ſumptibus prouideri; & renouari dum cōſumuntur: horum cubilium duodecim ſunt cum furamine in medio, vbi ægrotantes grauiſſimi iacent, propterea quod ſibi ipſis opem ferre nequeũt, in lectis idcirco ſternuntur foraminoſis, ac proinde ſæpius eorum cubilia permutari indigent; cum neceſſaria corporis in eis Infirmi peragant, & non tantum permutari, verũ & renouari, quamſæpiſſime oportet hos lectos. Inde mons, vt talium ægrotorum prouideat neceſſitatibus, in eodem Hoſpitali iugiter conſiſtentem Sacerdotem habet, cui ſtipendia menſtrua ſoluuntur, vt præſto ſit neceſſaria his lectis ſuggerere, ne pauperes ob dilationem quid detrimenti ſentiant, aut incomodi; hic Sacerdos nomine Franciſcus hiſce diebus elapſis mihi faſſus eſt, pro purgandis ægrototum linteis vndecim conſumpſiſſe aureos eo menſe, & cum interrogaſſem, ſi eadem ſemper pecunia abſumitur, inquit, potius ampliorem expendi, quam inferiorem ex hoc quodammodo reliqui ſumptus in præfato Noſocomio ab eiſdem Dominis exhibitis, poterunt comprehendi.

Expenſas cō ſumptas in lectis ſuſtentandi.s

18 Nouiſſime quamdam valetudinarij partem (vbi grauiſſime ægrotantes decũbunt) ſatis incommodam ęgris, & Miniſtris, marmoream, ſplendidam, & à nimio fœtore reddidere vacuam: præterea die veneris Infirmis grauioribus menſas parant ſumptibus Societatis, & ſiquidem opipare, qua quiuis licet prædelicatus æger, ſeu ſanus vir veſceretur libenter; ſed prius quam hinc proficiſcamur ſub ignorantiæ caligine quædam alia horum prouidentia Dominorum velanda non eſt; quandoquidem quatuor alia ſatis commoda cubilia quodã in loco dicti Noſocomij, ſed remotiori, & quietiori parata, opera, & ſumptibus ipſiuſmet Societatis cuſtodiuntur, vt quiſquis Sacerdos, ſeu proſapia honeſtus vir, honoris cauſa, eo curandus cum venerit, in eis locetur, & peruigili cura cuncta illi ſubminiſtrentur.

Sumptus in fabrica intus dictum valetudinarium.

19 Abſumit itidem memorata Societas pene mille, & quingentos aureos ſingulis annis pręſtando perſonis Religioſis, cęteriſque Laicis quędam peropportuna, & valde vtilia remedia, tempore veris, ſeu principio ęſtatis, illas in inſulam Pethecuſam, quam vulgariter appellant Iſcham, tranſmittens, non longe ab Vrbe Neapolis diſſitam, vt inibi à doloribus, à quibus affligebantur, alijſque ægritudinibus redderentur incolumes: vbi pręter Thermas, ſudatoria, & Arenæ, remedia; quę accurate ſuppeditantur, reliquorum inſuper omnium famulatuũ, victus nimirum, medicaminum, ſeruorum copię, & quidquid amplius opus eſt, ab eiuſdem Societatis Dominis, magnificus apparatus pręſtatur; hic Religioſis ſeorſim à Laicis miniſteria conferuntur, lauteque tractantur, & plurimi cum illuc afflicti doloribus varijs ducantur; inde lęti, & incolumes euadunt, in proprias ędes properantes.

Expenſæ in præſtādis remedijs in Inſula Pethecuſa.

Præter

1588.

Præter iam celebrem supranarratam, & dignam à quibuslibet Christianis Principibus imitandam Societatem; alia insuper Congregatio mirificè fulget; quę penè eadem pietatis exercitia exhibet, sed alio die, vtpote Martis sub Cœnam, à pluribus etiam viris primatibus, ac Vrbis Neapolis Regijs Consiliarijs, togatisque frequentata, quę sub custodia Reuerendorũ Patrum Societatis IESV degit, amplum itidem æs in pauperum ægrotorum supra dicti Nosocomij subsidia confert, nam lectos quamplures, qui ad numerum ascendunt tricenum proprijs sumptibus seruant, atque in omnibus prouident, suis manibus dicti congregati eodem die martis paulo ante Cœnam vna cum suis Patribus ea cubilia sternunt, ac perhumaniter reficiunt, quibus compositis, epulas ægris suo ære paratas, non tantum ad Infirmorum strata deportãt, verum etiam in ora debilium amanter ingerunt, aliaque peragunt pietatis officia, sed quia frigidum est eadem semper repetere, prætereo.

Cõgregatio nobiliũ diei Martis.

20 Superest autem, vt nonnulla de quadam alia mercatorum Congregatione recenseam, quæ viuis misericordiæ operibus æternitati se adscribit, huiusmodi enim Cõgregatio à Reuerendis Patribus Oratorij S.Philippi Nerij dirigitur, hęc præter cubilia, & cibos, quæ proprijs pecunijs distribuendos præstat, ipsi etiam met congregati Infirmos cibant, eorumque lectos reficiunt, vt numeratæ supra Congregationes, alia quoque beneficentię munia exequuntur; & quidem aliquot ab hinc annis quoddam huius Hospitalis diuersorium valde incommodum in optimam formam congregatorum sumptibus, ac eleemosynis redactum est, marmoreis vtpote colũnis, & fornicibus ornatum, lectos quoq; ibi numero quadraginta cum duobus (quos uocant tubros) cõstituere ferreis pedibus suffultos, qua prouidentia à pluribus infestis uermiculis ægros liberant, satis à plagis, doloribusque uexatos, ubi stabilius, atque mundius conquiescunt. Horum pietas congregatorum eodem in Nosocomio post cuiuslibet Dominici diei prandium incohat, & vna ferme hora ante Solis occubitum finit: profectò ponderare dignum est; cum hi Mercatores totis diebus per integram hebdomadam sint negotijs intentissimi, & in officinis assiduè perseuerantes, ea tamen dies cum relaxandi causa, & mentem, & corporis artus recurrerit, in his male olentibus locis expendant, idoneis prorsus ad augendum mœrorem, sed ea hilaritate consumunt ibi horas, vt arbitrentur maximam illas occupationes refectionem, & cordis dilationem, ac iubilum; dum vna cum suis Patribus Congregationis gaudentes, ac canentes in pauperum ægrotorum beneficentia tempus conterunt. Est item alia Congregatio honestissimorum hominum, quæ sub tutela eorumdem Patrum Oratorij stat, & hęc pene ipsa pietatis opera exhibet eadem die, & hora, vt prænotata Fraternitas Mercatorum; attamen alio in Cœnaculo Infirmorum, corsiam foris consistentem, vt appellant.

Cõgregatio Mercatorũ die Dominico post prandium.

21 Adest insuper Reuerendorum eiusdem Oratorij Patrum Congregatio, cuius Fratres mane quolibet hora prandij grauioribus ęgris opitulando edulia in os inserunt, plerumque ijdem Patres Oratorij ad id pietatis munus exequendum cum istis etiam congregatis associantur; & hęc non ex infimis putanda est Congregatio, neque verum, quę parum benignitatis exerceat, cum singulis diebus maturescat, & proferat caritatis fructus, & eo magis commendari laudabile est, quo plus continet difficultatis, etenim hi congregati cum doctoratus gradu sint insigniti, studijsque varijs appliciti, intermissis eorum lectionibus, ac negotijs, ad præfatum contendunt Hospitale, misericordiæ, vt exerceant munera, qui quanto pauciores in operando spectatores habent, eo amplius à Domino inspiciun-

Adolescẽtũ alia Fraternitas Reuerẽdorũ PP. Oratorij sub custodia.

1588.

tur, vt coronentur, quia exhibent illa tempore, quando ferme nemo in dictum Hospitale concurrit. Auget enim ipsorum pietatem, quandoquidem iuuentus cum potius delicijs sit addicta, quam rebus inclinata mœrorem inducentibus, tamen postposita omni naturali propensione, fortiter aduersus carnem reluctātes fœtidioribus subseruiūnt Infirmis. Sunt, & aliæ institutæ Congregationes, Societates, seu Confraternitates, aut Montes, qui singuli abiecto omni timore, & posthabito quolibet periculo etiam vitæ fidētes, & gratabundi Infirmis famulantur qualibet ægritudine captis, quamuis infestissima; & non exiguum absumunt ęs in ægrotorum munimen, cubilia, & mensas, pluraque alia opera generosi cordis digna præstando. Multa recensui; sed pluriora restant, quæ horum hominum benignitas dicenda desideraret, at satis inquam superque sint, quæ commemorata legistis.

22 Eò quoniam his temporibus, dum mane quolibet, & sero consuetis visitationibus id Hospitale nostri frequentarent, contigit res non parui pendenda, propterea in medium ducenda est. Animaduertere oportet, quod per decursum aliquot annorum (id nunc antiquatum est) carcerum Vicariç Neapolis Infirmi huc curatu deferebantur, & inibi quodam in diuersorio (vbi hodie ministrat nominatim Congregatio mercatorum die Dominico) sub custodia, & claue detenti curabantur, inter alios reus aderat, qui sicut omnium scelestior, ita obstinatior in pœnitendo suorum scelerum, triginta enim, & octo annis caput latronum, & grassator extiterat viarum; rogati sunt Patres ipsum velle ad suorum facinorum pœnitudinem disponere, & ad Sacramenti pœnitentiæ susceptionem (toto enim hoc spatio nunquam fuerat confessus) & verè languit triginta, & octo annis; vt ille Probaticę piscinæ languidus, sed ille in membris, hic potissimum in anima, & per quamgrauissime infirmabatur, quod deterius erat, cum de ipsius salute ageretur, subridebat, seque in desperationis baratrum ruisse, damnatumq; esse dicebat, duobus super eius conuersione diebus Patres elaborarunt, pro ipso auxilium à Domino implorando, hortamentis, & rationibus ipsum excitando: asserebant enim neminem etiam si nefarium, & indignissimum peccatorem, & omni scelerum turpitudine conmaculatum à Dei excludi misericordia, subinferendo quot, & qualia pro redimendo à diaboli tyrannide, peccatore Saluator noster sustinuerat opprobria, & demum immanissimam super Crucis tormentum mortem subierat, & cum Sanctissimam Animam Aeterno Patri redderet, eadem hora secum in Paradisi delicias confitentem latronem traxit; ita pariter ipse cōfidens eamdem assequeretur gratiam, & misericordiam, toto corde peccata detestans, cum idem sit Dominus diues in misericordia; credidit tandem æger, his dictis, miserente Domino, reddiditque ad cor, ceu bonus ille latro; & in plantū irrumpens præterita crimina detestatus est petiuitque confessarium, cui sua scelera pāderet. Pater Hieronymus Vccelli Neapolitanus nostræ Religionis Sacerdos, professusq;, vir in iure Canonico pereruditus, & pauperū dilectione à Deo ornatus, ipsum audiuit, qui iam artis Medicinæ Doctorum sententia à mortis falce eximi nequibat, cuius confessionem interpellatis vicibus dierum quatuor spatio auscultauit, beneficiumq; demum impendit absolutionis, pluraque signa interni doloris, dum propria manifestaret crimina latro exhibuit. Deus enim omnipotens vere bonus, & pius in hoc homine viscera suæ clementissimæ bonitatis patefecit, quandoquidem iugiter anteactam, immanissimamque vitam illi dedit deplorare, spemque nanciscendi æternam salutem; fatebatur enim ille æger, qui fuerat tot lustris viarum depopulator, si comes ei vita fuerit concessa,

[Margin: Exēplū cuiusdam conuersi latronis.]

se

1588.

ſe omnium ſuorum facinorum pœnitentiam vſque ad mortis limen patraturum: morbus interim ingraueſcẽs,adeo præualuit,vt illum ad ſupremum obitus diem perduxerit: dumque animam agitaret, repente, præſentibus, & officium commendationis animæ Patribus tũ exequentibus,toto corpore ſic extenſus,ad tres circiter palmos ſe erexit ſupra cubile, ſeu potius erigebatur, cum ipſe ægrotaret grauisſime in mortis articulo (vt dixi)conſtitutus, & ſtatim magno caſu deſuper idẽ ruebat, dirumque excruciatum, dum caderet,patiebatur, eodẽq; modo per quadrantis ſpatium affligebatur, & poſt aliquantiſper, dum immobilis ſiſteret, iterum torquendus eleuatus, ſic ter agitatus eſt, dabatque in ea colliſione validas voces,& lamenta, atque exprimebat infirmis notis dolore pleniſſimis ſe crudeliter perurgeri,ac flagellari ab immundiſſimis ſpiritibus;quolibet in conflictu vnius quadrantis ſpatio, vt annuimus, dire vapulauit, quibus elapſis repercuſſionibus,iterum poſtulauit confeſſionem, iterumque à memorato Patre beneficium recepit abſolutionis, faſſuſque eſt languide,vt potuit, malignos ſpiritus fœdiſſimos, atq; horrendos, proprijs oculis conſpexiſſe,ea deformitate pluſquã fari,vel credi poſſit, à quibus ita immaniter fuerat diuerberatus;demum illis aufugientibus, Diuina ſibi opitulante gratia, modeſte faciem corporis compoſuit, ſumpſitque Sanctiſſimam Redemptoris noſtri Cruci affixi imaginem,quam deoſculans, illique ſe commendans,placido vultu, quietis oculis,ore ferme ſubridente expirauit refectus Venerabiliſſima Euchariſtia, & Oleo Sancto, ſpiritumque reddidit omnium Creatori,qui neminem perire,ſed omnes mauult ſaluos eſſe ſemper, beateq; viuere. Cui benedictio, & gloria ſempiterna.

23 Sed ne tędeat de alio non minus celebre miſericordiæ opere narrationem intexere perquam breuem. Haud equidem minus elucet perilluſtrium matronarum pietas,ab eis in mulierum Hoſpitale Incurabilium Neapolis exercita,quam virorum ibique in hominum Noſocomio, immo tanto magis rutilat, quanto ſexus fragilior,& corporis firmitas,& mentis gracilior;poſtquam autem hæ deuotiſſimæ mulieres à Patribus noſtris,& exinde ab alijs viris optimatibus Hoſpitale frequentari, pleraque inibi pietatis munera exhiberi intellexerunt; vt bonæ æmulatrices eadem exequi inſtituerunt. Quolibet enim die martis, & feria ſexta, paulo ante cœnandi horam dictum adeunt Noſocomium, ibi quaſi alteræ pijſſimæ, ac ſanctiſſimæ Paulæ, vel Eliſabettæ Pannoniæ Reginæ, miranda erga miſerandas illas mulieres, & ægras operantur, earum ſordidos capillos,& pediculoſos pectunt, comuntque, vulnera ligant, lectos componunt, ſeu ſolerter reficiunt, ac ſi eorum Sponſi, vel nati eſſent ibi dormituri, cauteriata brachia, & tibias tergunt à pure, & medentur, menſas in cœna apparant;ciboſque deferunt, & in illarum ora porrigunt, placidiſque verbis nolentes, ſeu non valentes, hortantur,vt recipiant, ac deglutiant eſcam: etiam edulia domi ſuæ proprijs manibus exquiſita coqunt, inde ad Hoſpitale exportant, quaſi numquam illis pauperibus ſaturatæ benefaciendi; quibus profecto dapibus non parum debiliores ægræ refocillantur: vngues à pedibus, manibuſque præcidunt, & ne longius in pluriora prætercurram;quemadmodum ſedulæ aues ouis incumbunt; ita pariter ipſæ illis pauperibus mulierculis,ſe inclinant, vt proſint; quarum miſericordiam ſuperaffluenter Dominus in die proculdubio coronabit nouiſſimo;inter hæc,ſpiritualia non obliuiſcuntur ſalutis monita ſubinſerere, has ſiquidem deſolatas, ac mœrẽtes mulierculas conſolando; ad ferendam patienter pauperiem,infirmitatiſque miſerias,ad dolorem,atque horrorem præteritorum ſcelerum habendum diſponunt:quandoquidem, hæ fatuæ (liceat ſic eas appellare) mulieres in lectos

Illuſtriſſimę mulieres inſeruiunt Infirmis.

Opera miſericordiæ exhibita ægris, ab Illuſtriſs. matronis.

decide-

1588.

deciderunt, & ob eorum crimina, venerea puta sequendo, fœtidos morbos contraxere, quocirca merito acribus dolorum verberibus vapulant, atque maior harum pars meretricio adhæserat: itaque diligendum esse Deum super omnia eas docent hæ Dominę, cuius dilectio excidit nunquam, eiusque acerbissimam excogitandam, menteque ruminandam passionem. Caput huius operis, & veluti strenuissima Dux reliquarum perillustrium matronarum, Mirandæ Excellentissima Comitissa celebratur, per id enim tempus vices Reginæ supplens, eius viro existente Prorege: & posthac imitatæ sunt aliæ eiusdem nobilitatis, conditionis, & status celeberrimæ, ac pijssimæ Neapolitanæ mulieres, quæ plures lectos præter opera ab eis proprio labore exhibita, in eodem Nosocomio habent, quos in omnibus prouident ære suo, & consumptos restaurant.

24 Sed priusquã ad vlteriora procedam, vnico exemplo harum liceat matronarũ cõcludere pietatem; si terminis digna est concludi, eã virtutẽ, quę gloriosa viget, & viuit in multorum pectoribus, quaue perenne viuere datur; atque in memoria iugiter est Angelorum; imò magis in memoria omnium Auctoris, Propheta attestante misericordiæ recordaberis. Etsi per Isa. misericordiæ, sic enim ait, viri colliguntur: congruum sanè est, & laudabile nimis à nobis quoque colligi. Igitur præter reliquas, quæ amplius enituere in dicto Nosocomio beneficẽtiæ opera pręstando, soror Paula de Sancto Thoma emicuit, de qua ita referam verbum, prout in quodam folio scite scriptum, inueni, sequentia singillatim exprimens, quod immediatè subnectitur.

Abac. 3. Isa. 17.

Notabilis pietas, & humilitas sororis Paulæ de S. Thoma, & Sororis Petronillę de Vela.

25 At quantæ ædificationis, quantæq caritatis, ac mortificationis fuerit, quidue fecerit vna ex his prænominatis mulieribus erga infirmas sauciatas, ac fætidas in lectis decumbentes, quæso audiatur. Assolebat persæpe frequẽtare prædictum Nosocomium caritatis studio exercendæ Nobilis quædam Hispano genere mulier habitu S. Dominici induta Soror Paula de Sancto Thoma nuncupata, hæc fœtidiores mulierculas cęteris sanè nauseam mouentes, hilari vultu, caritate plena, dulcibus cibis melle, & saccharo conditis sinum deferens onustum, solabatur, ac recedentibus reliquis sui comitatus, ne conspicerent suæ mortificationis signa, seorsim cum eis, quas ad patientiam, ad præteritorum criminum pænitudinem, ad Iesu Christi amorem efficacissime hortabatur, relaxabat animũ: volebat sibi ab eis plagas aperiri, ostẽdiq; vt medelã aliquã illis impartiret; inter hæc (mirabile certo dictu, factuq;) plagas illas proprio ori admouebat, ac lingua saniem lambebat, imitari cupiens Sanctam sui Ordinis Catharinam Senensem, quæ marcidum, ac fœtidum humorem è languido cuiusdam Sororis pectore, vt mortificationem ebiberet, exhausit. Quam dulcia faucibus meis, aiebat Soror Paula, sapiunt isthæc, at si quid circa labia marcidi restabat humoris, lingua lambebat. Idipsum ab alia eiusdem tertij ordinis moniali Sorore Petronilla Vela erga infirmas huius generis, quibuscum vigilantissima diu, noctuq; fuit, caritatis viscera humanissimè exhibente præstitũ fuisse, liquet, nostraq; hæc narraret historia, nisi breuitati studeret.

Describitur habitatio Patrũ in Hospitali.

26 Cum diximus de misericordiæ operibus cõgregatorum, tam mulierum, quã virorum; porro superest nonnulla subdere, quæ à Patribus nostris eodem in Nosocomio subministrantur post continuam videlicet, in eo constitutam habitationem. Habent enim in ædibus Hospitalis, à quo satis honeste aluntur, segregatum ab eo Infirmorum habitaculum quodammodo ad instar Conuentus cum suo paruo atrio, in quo inest commodum, venerandumque sacellum, erectum, vt in eo locetur Augustissimum Sacramentum pro Infirmorum, atque Infirmarum

con-

1588.

conferendo Sanctiſſimo Viatico; ſingulis enim Patribus ſingulæ ſunt conſtitutæ Cællæ, interpoſitis etiam omnibus neceſſarijs,communibuſque officinis; vbi ſeiunctim ab reliquis Laicis,& ægris munia Religionis tum temporalia,cum etiam ſpiritualia perſoluũt,ac ſi in proprijs commorarentur Religionis domibus.Opera enim, quæ ægris impendunt infraſcripta ſunt, non equidem omnia me commemoraturum fateor, ſed communiora;alias coactus deberem ſingulorum Patrum ſingulas actiones in medium proferre,quod inenarrabile ſane foret;horũ proculdubio Patrum numerum, qui eſt quatuor, ac decem, diſtinctum eſſe,ſciendum eſt.

Exprimũtur munia PP. impendenda ægrotis.

27 Alij præter ſimplex Sacerdotium audiendi Sacramentales Infirmorum Confeſſiones, munus exhibent.Infirmi autem,ſtatimatq; à Medicis in Hoſpitalis albo notantur,vnus ex noſtris Patribus æditimus,ſeu,vt appellamus,Sacriſtam,illos ad Sacramentum pœnitentiæ digne ſuſcipiendum præparat, iſtruens neceſſarijs partibus,propter eius gratiam obtinendam; at ſi quamplures Infirmi recepti forent,pluſquam vnus, vel duo Patres ad eos ante Confeſſionem diſponendos deſtinantur à ſuo Superiore:paulo poſt habito diligenti, ac præuio peccatorum examine, vt puta,priuſquam in lectis decumbant, confitentur; cum vero beneficium illis Sacramentalis abſolutionis fuerit impenſum,ſtatimatque expoliantur,& in toris locantur;quod ſi aliqui præ Infirmitatis magnitudine,vel quia membris capti ſunt,agere neceſſaria corporis nequiuerint,à valetudinario in cubilibus locantur foraminoſis, quorum extant circa triginta, quod ſi maxime vrget morbus; in ſatis commodo, mundo, ac molli lecto, iam à Patribus compto deponitur æger,qui prædictorum cubilium quinq; ſingularem curam habent,vbi ægri animam agentes conſternuntur, ibique officium commendationis animæ aſſiduo peragunt(fertur)qui ſuum diem in vno ex his quinque lectis obierit, indulgentiam, ac omnium ſuorum facinorum aſſequetur remiſſionem.

Quõ ęgri & qua diſpoſitione ad pœnitentię Sacramẽtum accedunt.

28 Simplicium vero Sacerdotum penſum eſt reliqua miniſtrare Sacramenta, vt pote extremæ vnctionis, & Sanctiſſimi Viatici, quod mane quolibet dicuculo, vel rarius, ſeu frequentius diſtribuitur, prout ægrotorum popoſcerit neceſsitas: hoc nimirum ordine; ſero præcedente Sanctiſſimam Communionem Frater ex noſtris æditimus diſcurrit per lectos eorum,qui communicaturi ſunt, & quemlibet ſingillatim admonet, ne tranſacta noctis medietate quid cibi, vel potus ſumant,deuoteque permaneant, & ſimilia, ad tantum hoſpitem pie ſuſcipiendum ſpectantia edicit; vtque in memoriam reuocent,ſi quid Confeſſario dicturi ſint, ſignatoque numero tandem diei ſequentis gypſo ſupra pauimentum in calce cubilis ægri, diſcedit, indeque pariter per quoſlibet Auguſtiſsimam Euchariſtiam recepturos circum procedit, idipſum exequendo.ſi quis vero Infirmus nimium rudis eſt,ipſum dignitate tam Venerandi Sacramenti, ac reali ibi Chriſti Domini præſentia, quaue cordis munditia accedere teneatur,compendio quodam erudit; mane vero ſub auroram idem ad eoſdem regreditur ægrotos Sacrorum Cuſtos,illos expergiſcens, atque admonitos facit iterum de proxima Sanctiſsimi Sacramenti ſumptione, & de Patre Confeſſario mox venturo, vt ſi indigeat,ab ipſo in Confeſsione auſcultetur;paulo poſt per eorũ luſtrat Confeſſarius cubilia,qui opus habent reconcilians,atque inde ab Altare Sacerdos vna cum Auguſtiſsimo Sacramento exit, & præcedens æditimus linteolum ante pectus Infirmi ponit, ipſumque modeſte componit, excitatque rurſus illius mentem ad digne Corpus Chriſti mãducandum;interea aſsiduo Pater à Confeſsionibus aſsiſtens præſto eſt; vt ſi quid facinoris ab ægro in memoriam reuocatur,

Modus administrandi Sanctiſſimũ Viaticũ Infirmis intra Hoſpitia.

1588.

ei protinus absolutio conferatur, præit etiam puer paruam campanam pulsando, postea immediate quamplures ministri iam dicti Nosocomij, & Patres sequuntur, tenentes cereos accensos quamdam formantes processionem præeuntes, & circum comitantes Sacerdotem ferentem Venerabilissimum Sacramẽtum; statimatque peruentum fuerit ad ægri lectum absolutis consuetis orationibus, porrigitur Augustissima Eucharistia; cæterum nostri Fratres vas aquæ in vna, & lumen in sinistra palma portantes proxime succedunt; vt adiumento paruę aquę Sacramentum infixum non hęreat palato, sed extemplo diglutiatur; sæpe Pater Camillus his infirmorum Communionibus intererat sermocinans tãto feruore, vt omnes tam ægros, quam sanos ad deuotionem induceret, quamuis communibus verbis vteretur, Cœlestis tamen erant pleni ignis, vel atergo lento pede idem Pater gradiebatur obseruans si nouitij, nostrique Fratres purificationem dantes perattenti inuigilarent, vt Sacratissima Eucharistia degluteretur, at sin minus accuratè illud munus obibant, eos acriter arguebat, vt patienter animaduerterent, ibique perseuerarent, quoadusque ab ore intra viscera eam traicerent; & proculdubio ni solerter in hoc attendatur, multiplex facile suboritur inconueniens, quandoquidem ægri ob ignauiam, vel mẽtis perturbationẽ ab ægritudine obortam digitum in os interdum inferunt, tanguntque irreuerenter Sacramentum, vel excreant, vel minus curant deglutire, adiumento tamen illius modicæ aquę, & Patrum solertia illud transmittunt in guttura, indeque ad ventriculum; hæc etenim, & alia visa sunt nonnunquam deuenire incommoda, quæ Patrum vigilantia deuitãtur. Et mihi contigit adhuc existenti in tyrocinio, eodẽ in Hospitio, dum negligenter infirmo post sacræ Hostiæ sumptionẽ, intenderem, repente, ac inexpectato, a tergo audiui vocem P. Fundatoris me arguentem, quam vsq; nunc quasi inaures cum terrore meas insonare attendo. Conferunt ẽt in articulo mortis constitutis extremæ vnctionis Sacramentum, nonnulla cum eis de ipsius valore, effectibusque disserunt, quod si æger animam exalat, illis officium commendationis animæ exsoluunt, eosdemque in adeo laborioso, ac periculis pleno conflictu consolantur. Mortuorum cadauera quoque hinnis, atque Psalmis, & Orationibus ad locum vsque sepulturæ comitantur, aqua benedicta lustrando.

29 Alij vero Fratres non Sacerdotes, siuę Clerici, siue ad Sacerdotij gradum non destinati hoc modo ministerum suum erga Infirmos implent, atque diu, noctuque super illos inuigilando, hanc destributionem obseruant. Cum enim dies naturalis sit (vt patet) horarum viginti quatuor; horum Fratrum tres per vnicam, & integram noctem excubant, spatio vtpote horarum otto; primus enim primæ custodiæ tres horas in somnis ducit super ægros, secundus vero Frater duas cum dimidia, tertius demum per reliquas item duas, & semihoram suam excubiam absoluit; qui modus excubandi ordinationibus factis, ac faciendis à P. Generali, & Consultoribus subiacet, vt in apostolico libello nostræ Religionis à Clem. VIII. edito cautum est. Veruntamen hi tres, qui totam noctem vicissim euigilarunt per duas immediates sequentes noctes hoc onere vacant, non tamen à diurnis vigilijs, ac reliquis valetudinarij oneribus, atque laboribus, & ne longa partium enumeratione legentium animos fatigem, his paucis in communi enarratis contenti simus, pauca singillatim priusquam ad vlteriora procedamus liceat quoque recensere.

Excubię Fratrũ nostrorũ

30 Certum est enim, neque per horam, neque per momentum, siue die, vel noctu, absque custodia Patrum ægrotos nunquam destitui, opera enim, quæ modo peraguntur à Patribus, ac Fratribus sũmatim, & collectim infrascripta sunt; lectos

gra-

grauioribus ſternunt,ſeu reficiunt accurata vigilantia, & interdum vſq; ſunt ſtercore madentes,& vermibus ſcatentes, vt oporteat manibus,ac linteo non ſine magna ſtomachi conturbatione illos tergere ab immunditijs; hora cœnæ, ac prandij debilioribus, & qui ſibi opitulari nequeunt aſſiſtunt,atque vt comedant, blandis verbis, & opere prorſus efficiunt, in tempeſtis quoque temporibus, quando epularum horæ quibuſdam ob febris terminos permutantur, præſto ſunt,vt etiam his imbecillioribus cibos ſuggerant,qui plerumque tanta pręmuntur debilitate ventriculi,vt aſſumpto cibo(ſicut antea cõmemoraui)ſtatim coram ſubminiſtrante,& interdum ſupra veſtes euomunt:plura prætereo, quæ latius dũ ſermo de Hoſpitali Sanctiſſimæ Annunciatæ Neapolis habebitur,narrabuntur; & quamuis hæc præſtent temporalia; attamen iugiter inter porrigenda, & inferenda in os fercula ęgrotis,immo quẽlibet inter ſuggerendum obulum, verbum aliquod tanquam cibi condimentum ſuperaddunt ſalutare, quod ægri nutriat mentem; non ignari noſtri Patres,his cubilibus,& temporalibus adiumentis pauperes à Domino fuiſſe in Hoſpitalibus prouiſos, & deſtinatos,potiſſimum ne ipſorum animæ deperirent in æternum; cum huiuſmodi gens (maior videlicet pars)in omni vitiorum ſorde inuoluta iacuerit; quam bonitas Diuina medijs doloribus,pręſertim vero Sacramentis,euellendo ab ea perſonarum qualitatę peccandi materiam, his in locis veluti vaſa in fornace purgat illas.

Miniſteria temporalia, ac ſpiritualia noſtrorũ in Hoſpitali Incurabiliũ.

31 Demum Pater, qui excubiam peragit, per omnia ęgris complacere ſtudet, dummodo expreſſe medicorum ſtatutis non contrafaciat; præſtat autem non tantum poſtulata ab eis,verumetiam quęcumq; intellexerit,aut putauerit ęgrum neceſſe habere; iugiter tamen, & præſto eſt tanquam ſedula nutrix grauiores infirmos,ad bene ex hac vita migrandum,diſponere. Quando vero quis animam agitat, inde non proficiſcitur, quoadusque ipſam omnium Creatori reddiderit; at ſi forte interim alij ægroti indigebunt famulatu,alij Patrés,vel famuli Hoſpitalis ſupplent, nam ibi plurimi ſæculares Miniſtri ſtipendia ab Hoſpitale ſuſcipiunt, vt ægris inſeruiant, & onera Noſocomij communia,& magis laborioſa perferant; noſtri vero quamuis multa temporalia exhibeant miniſteria, ſpiritualibus tamen magis propriè incumbunt.Mihi videor multum dixiſſe, quamuis non ſatis de opere eximio Hoſpitalitatis in ſupra narrato Noſocomio exhibito, tum ab ipſomet Xenodochio,tum à congregatis, cum etiam à noſtris Patribus.

32 Verum curioſe quiſpiam poſtulabit;quantum ſanè in tanto beneficentiæ opere conſumat ægris relatum Hoſpitium, & quæ ex Congregationibus emolumẽta reportet.Quoad ſecũdũ maximum eſt,quod ipſimet congregati referunt vtilitatis,& meriti,quando eximiæ caritatis munus obeunt;propter quod à multis ſe abſtrahunt culparum præcipitijs, ſpectandoque humanarum miſeriarum in his locis ſentinam,atque quo poſt datas ſenſui habenas dilabatur mortalis ſuperbia, profecto pluſquam ſemel ab immunditijs animi ſe abalienant, & à mentis tumore: verum quoque eſt, non parum redundare iuuaminis temporalis in ægros, quod vergit in dictum valetudinarium;attamẽ multa, quæ legata eidem fuiſsẽt, & erogata bona, Confraternitates adipiſcũtur, quæ ſanè largitiones in idem pium Hoſpitalitatis opus confluunt: ſi certam auderem ponere huius eleemoſynæ ſummam, potius vane auſpicarer, quam certum quid proferrem, multa quidem ſunt aureorum milliaria quotannis,quæ in dicto Hoſpitio à memoratis Cõfraternitatibus deuaſtantur, in beneficientiam, dico, perquambene redundandantia pauperum.Ipſummet Noſocomium pro tot operum pietatis exhibitione, tam in ægrotorum emolumenta deriuantium, quam etiam reliquorum, & Mo-

Extant, quæ narrantur in volumine vitæ P. Camilli lib. 1. c. 20.

1588.

nialium, ac puerorum, atque dementium, & familiæ ministrantis,atq; Patrum, & Sororum tertij ordinis S.Francisci fœminis commendantium animam in mortis conflictu, ac nominatim Ecclesiæ in eiusdem Hospitij consistentis atrio, & pro Presbyterorum, & Clerrcorum sustentatione, qui complures sunt, hi enim Sacerdotes, & Confessiones Laicorum auscultant in Ecclesia, & Monialium, atq; infirmaũ, qui collectim in choro singulis quibusque diebus canonicas persoluũt horas, in his inquam, & alijs operibus summam quingenta millia erogat aureorum quolibet anno: maior prouenit pars ex redditibus eiusdem Nosocomij, reliqua, quæ deest ex eleemosynis succedit piarum personarum; si autem hæc nõ sufficiunt, debita contrahuntur potius, quam cesset ab assumptis misericordiæ operibus. Deus enim misericors,eiusque pia parens, à qua, & initia fausta suscepit hęc ædes, & templum, ab eadem enim, & contegitur, & protegitur,nec vnquam ipsam destitutam reliquit, sed maximis in necessitatibus pinguissimis cõtutata est eleemosynarum præsidijs. Administratio totius huius sanctæ domus,& reddituum, ac prouentuum penes est prudentissimos,ac Illustrissimos Dominos Vrbis eiusdem optimates,sed festinemus quæso ad nouum annũ. In Dei nomine.

De F. Ludouico Franco, & Iacobo Martinelli.

Extant, quæ narrantur in volumine vitæ P. Camilli lib. 1. c. 20.

33 INitio, quo nostri domicilium cohærens Diuę Mariæ Magdalenæ Templo cõstituere, Dñs in ea domo, quæ reliquarum Religionis ędium caput extat, & parens mirãda operatus est,quorum nõnulla, q̃ ad mei notitiam deuenere referam,& typis commendata cognoui,exhibeo. Aegrotauit quidam ex nostris Fratribus Ludouicus Francus nomine(initio siquidem Decembris anni 1587. in Congregationem admissus fuerat)morbo grassante ex hac molestiarum conferta vita, ad eam omni perturbatione remotam vocabatur, cumque in extremis ageret animam in has voces languida verba formauit,Sancte Andrea,cuius deuotione flagrabat,terque eamdem emisit, subdens, quis post me venturus est; fortasse Iacobus Martinelli? qui præsens astabat, ipsique Ludouico valetudinarij munus obibat, perturbatus aliquantulum Iacobus, Infirmum interrogauit, quid eiusmodi sermo adsignificasset, num cito,inquit,sum interitu te secuturus? qui protinus à socio tale recepit responsum, esto ò Iacobe paratus, quia paucis interiectis diebus, vnus,atque idem locus nos habebit,his absolutis iam uerbis, Ludouicus feliciter munitus Sacramentis animam exalauit: uiribus tum Martinellus ualidis pollebat, neque uestigium aliquod ęgritudinis ipsum exturbabat, qui statimatque suum à Confessionibus Patrem adijt, nuncupatum Paulum Cornettam Congregationis nostræ Sacerdotem, narrauitque singillatim, quæcumque ei cum Ludouico contigerãt, & uerba, quæ ex illius ore ultima suspiria dantis,audierat,si ueritati inniterentur,uel si illis præstanda esset certa fides,sciscitatus est, cui libere Pater Confessarius fecit satis, asserendo noua hæc,& inusitata non esse;quandoquidem in Diui Gregorij dialogis; quos ipse Iacobus sępe legendo,ac meditando uolutauerat, similia inuenire est exempla;ac proinde otis viribus, menteque ad proximum lethum se disponeret, quod illi cito uenturum arbitrabatur, & remota omni tarditate, orationibus, & pœnitentiarum exercitijs intenderet. Dignum est autem memoratu,quid inter hos adolescentes contigerit.

Mirabilis occurrit casus his duobus adolescentibus in Congregatione.

34 Erant enim ambo floridæ ętatis,bonæ indolis,admodum in sęculo necessitudine coniuncti, aduenæ, Romæ commorantes, Iacobus natione Lucẽsis,& Lu-

doui-

1588.

douicus patria Gallus, hic sæculum exosum habens, pessundatis omnibus, Congregationem ingressus est, relicto in mundi cœno comite Iacobo, qui patriam petens medio in itinere, inuasus ab latronibus etiam indumentis denudatus est, hinc Romam coactus iterum petiuit, vbi Dominum, cui famularetur, inter mundi vndas quærebat, vnde viuendi modus ei suppeditaretur, fuit enim à Ludouico inter deambulandum per Vrbem adinuentus, qui post mutuam congratulationem Iacobum sciscitatus est, quid ageret, aut quomodo vitam duceret, infauste respondit, herumq; desidero, nec inuenio (Deus autem illum sibi famulum destinarat) atque indicauit, quæ fuerat per iter passus ab latronibus damna, dum in patriam proficisceretur. Cui Ludouicus æquo animo esse tibi persuadeo, quādoquidem de optimo te prouidi Domino, & extemplo ad P. Camillum duxit, postulauitque tunc ab Iacobo Ludouicus, si illum Patrem (hoc est Camillum, quem digito ostendebat) pro parente habere sibi complaceret, & Congregationem loco matris, quo annuente, tum ad Patrem Camillum conuersus idem Ludouicus rogauit, vt, Iacobum, dignaretur in numerum suorum Fratrum, admittere, quem protinus Pater benigne respexit, recepit, vestiuitque habitu XVIII. Kal. Ian. 1587. principio habitationis nostrorum in ædibus Diuæ Mariæ Magdalenæ; simul hi adolescentes vnanimiter, ac feruentissimo desiderio Deo, pauperibusq; ægris famulabantur, & quēadmodū in vita non se inuicē segregarunt; ita pariter vnus in morte, alterū vltro cōpellauit; Iacobus demū post triduū ardētissima febre correptus, paulo post morte consumptus est: obijt vterq; Mense Aprilis 1588. Ecclesiæ Sacramentis munitus, vnus, & alter in templo Diuæ Mariæ Magdalenæ Sepulturæ donati sunt, vbi habitum susceperant.

35 Quod postea in Sepulchro contigit mirabilius, & memorabilius arbitror, fuerant enim ambo eadem in nostrorum Sepultura conditi, distantia loci non parū eodem in tumulo discreti; cumque aliquot post dies contigisset, alium ex nostris Fratribus è vita migrare, ibi solito in Sepulchro tumulandum, tunc descendit in foueam vnus ex nostris, vt videret si suis locis apte, ac decenter Patrum cadauera sita essent, & vt decenter emortuo corpori Sepulturæ gratia daretur; illud vero Ludouici reperit cadauer, & Iacobi non segregata, vt reposita, & constituta fuerant, sed copulata, & se se pene complectentia; & quia horum Fratrum anima erat indiuisa diuino in obsequio, & vnus alterum ad Dei famulatum, & ad illam, dum obiret æternitatis requiem vocauerat, vt pietas credere nos inuitat; ad horum omnium comprobationem (ò mirabilis Dei ostensio) vnum cadauer in mortuorum vrna locatum, alterius adhęsit corpori virtute miranda.

Vnius defuncti cadauer alteri appropinquauit.

1589.

Annus Domini 1589. & Congregationis quartus. Neapoli plures Nouitij admittuntur; & quid eorum nonnullis contigerit recensetur; ibidem pariter domicilium ex ædibus prope Diuum Ioannem ad Carbonaria, aliò transfertur.

1 PAter noster Camillus facta Neapoli fundatione Romam profectus est, illic Superiorem. P. Blasium Opertis destinans, qui peruigili cura propagationi domus, spirituali proximorum, ac nostrorum emolumento incumbebat; fundatio enim habita est postremis diebus Octobris (vt supra relatum est) principijs autem Februarij defluentis anni, Neapolim iterum regressus est, vbi plerosque adolescentes, satis honestate sanguinis, eruditione, ac virtute conspicuos reperit perseuerãtes, ac recipi in Congregationem instantes, quorum duodecim ab eo sunt admissi, Romamque secum habitui donandi, deducti. Præter reliquos vnus aderat, quem Pater Camillus habitu circumamicijt V. Non. Mart. præfati anni. De hoc viro hæc memoranda narrantur, quæ sequuntur.

De P. Cæsare de Augustino.

2 ERat ei Nomen Cæsar de Augustino Sacerdos, patria Neapolitanus, tanta morum probitate adhuc in sæculo degens fulgebat, vt Sacerdotalem ornare videretur vitæ honestate dignitatem, qui desiderio ardens maioris progressus in via perfectionis, & proximis etiã vt benefaceret, Congregationem nostram ingressus est; at postmodum suscepto Romæ habitu illum Dominus probauit (sicut igne examinatur argentum) morbo quodam, at infesto, vtpote Elephantico, cuius caro tota, ceu lepra operiebatur, de qua nec remedijs, nec stricta dieta potuit bene valere, neue quicquam ei prodesse, aduersus quam ægritudinem nusquam indignatus insiluit, nec propter eam aliquando turbatam ostendit frontem, sed admiranda cum tollerantia eius stimulos, & infestationes tolerauit, de illius ore alia verba non resonabant, nisi illa patientissimi Iob, Dominus dedit (subaudiens salutem) Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum, hæc aurea dicta eius dignissima lingua promebat; at immanissimus hostis tartareus impatiens tantam in eo Sacerdote tolerare patientiam, & cum Diuina voluntate vniformitatem, quodam inuidiæ liuore in Angelum lucis se transmutauit (vt assolet) habitu quippe, & aspectu, ac voce personam induit cuiusdam nostri Fratris nomine Stephani à Modina viri præcelsæ caritatis, & humilitatis.

In volumine vitæ P. Cam. lib. 1. cap 32.

Dæmon sub aspectu cuiusdã nostri Fratris se ostendit.

3 Hora itaque sub meridiano vertebatur, cum solus Pater Cæsar ægrotans maneret in cubili, ad eum ingressus est, postque salutationem, & aliquot præambu-

la,

la, hoc eſt mellea, at venenũ claudentia verba, demulcendi cauſa animũ (cũ non deſint truculentæ beſtiæ, vt decipiat, artes) Congregationis ſtatũ ab eius animo auellere conatus eſt falſis, ſed veri ſub velo rõnibus, fucatiſq; ſyllogiſmis, ab eoq; viuẽdi inſtituto ſemouere, enixus eſt, vt ad ſæculum rediret; inferebat enim malignus, velle in ea Congregatione permanere, Deum eſſe tentare, cũ aperte experiatur, ex quo Congregationem ingreſſus eſt, ſe iugiter infirmum decubuiſſe in lecto, nec aliqua via, aut medicamine potuiſſe talibus langoribus ſe ſoluere, cum ſit maxime modo in diſcrimine conſtitutus amittendi breui vitam; additis etiam diſpendijs ipſius Congregationis, quæ paupertate premitur, & non abſq; inſuper Patrum omnium, ac Fratrũ, cum ſit ægritudo incurabilis, aſſiduis perturbationibus, at ſi ſæculum repeteret, ſe breui conualiturum affirmabat, & in priſtina Sacerdotali conuerſatione Deo tãto rectius famulaturum, quanto amplius recuperata valetudine operibus pœnitentiæ, alijſque ſpiritualibus exercitijs vacare licebit, ad quæ poſt ſuſceptum Congregationis habitum ineptum ſe reddiderat, admodum enim præterita eius forma viuendi Deo placens erat, & in ea plura bona operabatur, ac proinde ſubdẽs concluſit nefarius, optimum eſſe ſuis adhærere conſilijs relicto Congregationis ſtatu, primũq; tenere Sacerdotis ſæcularis inſtitutum, ac rationem viuendi, & ita ſibi bene conſuleret, at ſi vellet pauperibus opitulari, non deerant Neapoli eius patria Hoſpitalia famoſiſſima; vbi officia pietatis pauperibus ſatis abunde impendere poterat, & ex ſuo etiam illis eleemoſynarum adiumenta impartire: cum hæc dixiſſet doloſo ore tartareus hoſtis exceſſit: at mentem, animumque Patris Cæſaris admodum exturbatum, & vndequaque agitatum reliquit, manſitque ſtupens, & quaſi cymba furentibus vndis iactata, ignorabat equidem, quid ſibi attigiſſet, neque ſolum his dictis conſtitit nefarius; ſed noua, prauaque ſuggerere argumenta in mentem non deſiſtebat, & igni ardenti (vt dicimus) ſubminiſtrare recentem comburendi materiam; illum proculdubio fuiſſe Fratrem Stephanum à Modina, ſibi à Patre Camillo immiſſum, vt ipſum à Congregatione auocaret, vel ſi inde libere proficiſci nollet, expulſus abiret, ne amplius ſuæ infirmitatis moleſtias, atq; expenſas ſuſtineret, hæc, & alia interius inſufflabat ſerpens tortuoſa verſutia. Inter hos prauarum cogitationum turbines,

4 Angelus quidem lucis vtili illum imbuit conſilio; valetudinarium ad ſe vocauit, orauitque, vt Pater Camillus ipſum adiret, qui præſto fuit (erat autem Camillus in auſcultandis Infirmorũ neceſſitatibus ſolertiſſimus) quæq; à Fratre (ſed mẽrito) Stephano perceperat, retulit; hinc idẽ P. Cæſar mirabatur, hæc ſubdens cum à Dño ita teneatur æger in cubili ob labores in pauperes ægros expẽſos, & cum reliquerit præterea propriam demum, patriam, propriaſq; commoditates; modo vero ipſam Congregationem profitentem nimiam caritatem, velle eum extra deicere; quod nullatenus pietatem redolet, valde indignum eſſe: hæc audiens Camillus obſtupuit, eiuſque ſteterunt comæ; ac repente manifeſtã diaboli fraudem perſenſit, operi Congregationis, & illius Patris maxime ſpirituali progreſſui, atq; ſaluti ſe enixe opponentis; eoque magis hoſtis tartarei dolus manifeſtabatur, quo Frater Stephanus longius aberat domo; vnde conatus eſt P. Camillus inſidiarum fuliginem ab eo propellere; illum quippe non fuiſſe, quamuis ſibi videretur, Fratrem Stephanum à Modina, ſed communem inſidiatorem, inuidiæ liuore ſe dilaniantem, ac deuorantem, atque exoſam habentem eius optimam voluntatem, & in ægritudine ſufferentiam, Stephanus vero domo abeſt, inquit Camillus (vt notum eſt) verũ in carceribus turris nonæ

ægris

1589.

ægris seruiendo diuersari abhinc multis diebus, vbi adhuc illis famulando perseuerat; adeo enim Patris Cæsaris mentem tentationis violentia absorbuerat; quod neque auctoritas P. Camilli, nec ratio præualuit, vt sedaretur; ac proinde iussit à carceribus Fratrem Stephanum domum extemplo redire, adduxitque coram ægroto, & quemadmodum diabolus sub ementita forma Stephani euertere optimam huius Sacerdotis mentem elaborauit, sic pariter ipsemet Stephanus efficaciter P. Cæsaris tentamenta ab eius pectore sui præsentia funditus eliminauit; cum vero præsens astaret, & illa ab ore eiusdem P. Stephani audiret, quæ contigerāt, incessanter se munire signo Crucis, & Venerandum, Sanctumq; Nomen I E S V inuocare non quieuit propter stuporem, quem conceperat ob tantæ rei nouitatem; firmiter asseuerauit eidemmet Patri ægrotanti spatio dierum octo in præmoratis iam carceribus ægris opitulando fuisse demoratum, nec inde aliquando quacumque causa fuisse digressum.

Quare P. Cæsar fraudulētis hostis versutias subintellexit, totusq; à semetipso mutatus, ac flens petiuit sibi porrigi vestes, quibus superindutus opem quæsiuit, ac portitorem, Patres vero, qui aderant ipsum adiuuere, ductusq; est in templum D. Mariæ Magdalenæ, & ante Altare coram Augustissimo Sacramento cernuus, alta, sed mœsta, qua potuit voce, nonnullis comitantibus, ab intimis obortis visceribus, lacrymis, tundensque pugno pectus expresse vouit, se nunquā quātalibet occasione, vera, vel sub colore veri fucata ratione, quo ad se spectaret, Cōgregationis habitum dimissurum; & cum aliquantisper perorasset illinc ijsdem Patribus opem ferentibus in suam restitutus est cellam, vel potius in commune valetudinarium, locatusque in lecto: denique postmodum maxime ab eadem extenuatus ægritudine, quæ sensim eius corporeas vires exesit, consumpsitque XVIII. Kal. Maij. 1589. in morte clausit oculos, ore illa iugiter replicans Cœlestia verba, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictū: recepit sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta; corpus habet tumulus nostrorum Romæ in templo Diuæ Mariæ Magdalenæ. Agnoscebat enim scelestus fœtum proxime emanaturum prospere, hoc est animam P. Cæsaris candidam paulo post sidereas sedes adepturam (vt confidimus) propterea à Dominico gregge illam abducere moliebatur; at miser delusus euasit, seque suo gladio iugulauit; quandoquidem in Dei seruorum consortio Pater memoratus Cæsar ad finem vsque legitime dimicans, perseuerauit: vnde coronam iustitię (quam spondet Apostolus) nactum esse pio affectu credimus.

5

De F. Ieremia Foresti.

6

EIsdem temporibus contigit oppetere Fratrem Ieremiam Foresti Florentinum, & quamuis hora vndecima Congregationem sit ingressus, hoc est, iā senio confectus; nihilominus plenam messem reportauit, iugiter pauperibus ęgris hilari vultu, & animo solerti, quasi Domino ministrans, pro quibus demum ęgrotauit, vitamque cum morte commutauit, breui siquidem expleuit tempora multa VI. Id. Martij Romę in Congregationē receptus est anno iam supra narrato, & intra eumdem anni decursū IV. Non. Maij. feliciter occubuit, præsferebat continuo, prę sertim in ęgrotorū ministerio, lętum faciei occursum, spiritalis, interniq; gaudij & integrę conscientię, indicem, cū illi, dum in mortis periculo sisteret, Sanctissimum Viaticum à Sacerdote subministraretur; etiamsi maximopere vexatus morbo confilictaretur, attamen sibi ipsi vim inferens surrexit

è lecto,

1589.

è lecto, genuaque flexit, ac manibus, totoque corpore compoſito lacrimantibus oculis Venerabile Sacramentum ſuſcepit admodum reuerēter; dum Laicalem vitam traduceret Didacum Stellam ex Hiſpanio Idomate in Eutruſcum tranſtulit: ſepultus Romæ tegitur in tumulo noſtrorum conſueto.

De quodam Nouitio, cui nomen Franciſcus.

7

INter Nouitiorum familiam à Patre Camillo Neapoli hoc tempore receptam adſcriptus eſt etiam quidam, cui nomen Franciſcus Neapolitanus, eius cognomen iuſtis de cauſis ſubticetur, iſtius exitus ſicut, & formidandus, ità non reticendus, erat quidem adoleſcens formoſus, non prauæ indolis, cuius ætas viderat tantum denos, & octo annos, à parentibus vehementer dilectus, quapropter eius abſentiam Pater ferre non valens, Deumque non timens; nec ipſius flagella, natum dum Romam iret, ad eius mentem peruertendam, eſt inſecutus, quem ab deceſſu poſtridie ſero prope Sinueſſam in caupona, vbi hoſpitabatur adinuenit, cumque illic offendiſſet, quampluribus lacrymis ante ipſius pedes emanatis rogabat, non vt vocationis donum magni faceret, & firmiter, ac perſeueranter in Dei famulatu deambularet (vt fas erat) ſed mutata voluntate paternam domum repeteret, multa ſpondens præmia, multaque pro eius amore patraturum promiſit, pluraque etiam minitando ni illi obſequeretur ſubintulit, non tamen ea vice paternæ lacrymæ, nec promiſſa puerum vicerunt, nec minæ; quinimmo arreptum iter proſequens Romam contendit, ibique V. Non. Martij, quemadmodum reliqui eius ſodales per manus P. Camilli amictus eſt habitu Congregationis, attamen in propoſito peruerſæ mentis Pater non defecit, nec aīo decidit, fidens ſe Romę maiorē habiturum, & opportuniorem aditum prolem alloquendi, illamque ad ſua pertrahendi deſideria; vbi adeo perſeuerauit, & tantum moleſtiæ filio intulit, totque precibus, ac planctu ſupplex inſtitit, vt demum flexerit: ſpopondit autem præter alia, ſe illi daturum quamdam adoleſcentulam venuſta facie in matrimonium, pro qua ducenda in coniugem, nimio amore in ſæculo arſerat Franciſcus; ſolent enim huiuſmodi ſponſiones adoleſcentum animos fœdare, ac peruertere, vt Mantuanus modulatur, improbe amor, quæ non mortalia pectora cogis. Præualuit tandem hic ſermo cunctis lamentis, paterniſque alijs ſponſionibus, ac minis. Non dum ſupra memoratus Franciſcus in Sanctiſſimi Crucifixi dilectionem firma iecerat fundamenta, & idcirco primo conflictui improbi amoris ſuccubuit. Non equidem ſeruus Dei Camillus munere ſuo fungi neglexit; contrarium omnino pluribus rationibus Nouitio ſuadere ſtuduit, enixuſque eſt, vt ipſum à lupi tartarei gutture diuelleret, in quod incaute impegerat; terreni Patris blandimenta aiebat ſeruus Dei, ac vana promiſſa laqueum eſſe dæmonis, quo ipsum aucupatur, vt in tartarum denique deſcendat; hiſque oblectamentis plures à Dei ſeruitute fuiſſe ſemotos, & poſtmodum infeliciter vixiſſe, ac demum æternaliter perijſſe, ſic inquam geminabat verba Camillus; aſt adoleſcens, velut aſpis ſurda, obtuſum Patris ſermoni præbuit auditum, & quemadmodum perſuaſus fuerat a parente; Neapolim paternam in domum velle regredi, obſtinato corde reſpondit. Pater vero noſter Camillus contuens Nouitij pertinax relinquendi Congregationem propoſitum, à placidis ad ſæua dilabitur verba, multaque tum genitori, cum etiam nato ſuperuentura damna prænuntiauit, quæ proculdubio incurrerunt; & conuerſus ad filium hæc protulit dicta: Franciſce tu, qui ſpreta

Multa damna ſuper vētura nouitio prædicit Camillus,

Lib. 1 c. 22. refertur in vita P. Camilli.

1589.

diuina vocatione, & seruorum Dei consortio, tuique Superioris sermone, tibi æternæ salutis semitam ostendentis, vecors sæculum adire contendis, non plures renouabuntur anni, quando graue patrans scelus in carcerem strictis vinculis conijcieris, vbi diutius loci squallore, & vinculorum pondere duriter vexaberis, post autem diuturnum excruciatum capite plecteris maximo cum tui, tuçque familiæ opprobrio, tum demum hæc verba recordaberis, cum tibi, rebusq; tuis consulere nequibis; & postmodũ ad Patrem direxit loquelam, & alia paulo minora interminatus est incommoda, tu qui tanto studio, ac labore, expensisque filium à diuino segregare ausus es famulatu, vt illi in carcerum acerbita e conie cto opituleris, domus tuæ vninersa bona dilapidabis, quibus prorsus consumptis ad miserandam pauperiem redactus proprijs oculis filium spectabis, quem adeo insane deperis, strictis, dirisque ligaminibus vinctum in medio satellitum ignominiose trahi per Vrbem Neapolis vniuerso spectante populo, & denique in eius famosissimo nundinarum foro sub meridianum tempus à Lictore magno opprobrio iugulari (pro dolor) vt prænuntiatũ fuerat à Patre Camillo sic proculdubio expertus est, & quam malorum tempestatem illis superuenturam prædixerat, citra dubium non longe post immanissimam sensere.

8 Etenim Neapolim vna appulsi Pater, & natus, qui filio, prout spoponderat, iniquam fidem seruauit, quæ malorum omnium causa fuit, puellam, quam vehementer ardebat illi in matrimonium dedit, quacum adolescens per aliquot annorũ fluxũ sine iurgio conuersatus est: cũ vero huiusmodi amor virtuti oppositus cito senescat, crudelisque euadit, breui decursu temporis Zelotipiæ, hoc est vanæ, seu veræ suspiciones, animum Francisci dementarunt; vxorem nempe torum violasse maritalem, & adeo eius mentem possederunt, vt suggerente dæmone, ipsam interimere decreuerit, quam demum, crescentibus de violato toro indicijs, & mentis perturbatione vna cum famula æuo matura, veluti delicti conscia, vel auctrice trucidauit; vt autem scelus occultaret, extracta tellure iuxta propriæ domus fundamenta, ibi ambas tumulauit: illud quoque miserandum fertur, vxorem tum gestasse in vtero prolem, cum qua diris modis ferro transfossa est; ipse vero Franciscus à satellitibus comprehenditur, & in artissimo carcere, ac vinculis custoditur, vt criminis magnitudo postulabat, constita tandem aliquando veritate, reusque conuictus capite damnatus est. Itaque passis antea truculentis cruciatibus (vt dictum est) & carcerum longis squalloribus, consuptaque vniuersa paterna facultate mense Martij 1598. in publico, ac magno Neapolis mercatu sub aspectu totius Vrbis per manum spiculatoris abscissa ceruice cecidit, eodem mense, & pene diebus quando dimisso Dei famulatu ad sæculum redierat.

Capite plectitur Nouitius, qui liquerat habitum Cõgregationis.

9 Cum autem nostri aliquando eum in carceribus visissent, vt spiritualis consolationis quid iuuaminis afferret, fassus est p̃fatus Franciscus non sine maximo cordis mœrore ea perpeti tormenta, ex eo quia Congregationem spreuerat, nulla ductus rationabili causa, nisi à sensus illecibris fascinatus, & quæ Pater Camillus illi fuerat interminatus suo magno rubore, & excruciatu experiri; insuper addidit, ex eo die, quo Neapolim fuerat regressus, ante mentis oculos insculpta iugiter verba, & minas Patris nostri ad illum vsque diem tulisse, quo finis omnium, quæ prænuntiauerat, complebatur. Huiusmodi euentus toti Cõgregationi ingentem incussit metum, ac terrorem; exprimẽto dum agnouit euenisse illi Nouitio flagella, quę spiritu quodam quasi prophetico cõminatus fuerat

rat Camillus. Poſthac maiori cum timore, ac obſeruantia ipſum reueriti ſunt, ne quid ſimile eorum alicui contingeret; quare firmiori propoſito in Congregatione, & in Dei ſeruitute permanere ſtatuere omnes.

10 At nō abſimilis hac tempeſtate alteri cuidam Fratri nomine Hieronymo occurrit caſus, qui cum in miniſterio culinæ a Superiore fuiſset deſtinatus, Dominico quodam die, cum de Sanctiſſimo Altaris Sacramento vna cum aliorum Fratrum ſodalitio participaſset, ſtatimatque ex ea Cœleſti Menſa, refectorium, ſeu menſam temporalem adijt, ibique tanti Sacramenti parua cum veneratione temporalibus cibis veſcebatur, loco gratiarum actionis de tāto ſibi collato beneficio, Dominicum nempe comediſse corpus; ſuperueniens Pater noſter Camillus eum edentem reperit, vt fas erat, obiurgauit de intemperantia, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ irreuerentia; qui quaſi dura ſilex repulit paternam correptionem, & non quaſi Dominus in eius animam, ſed intraſset ſatanas, vt olim Iudæ proditori, à Congregatione diſcedere velle pertinaciter protulit, ac protinus ſęculares veſtes petiuit. Quamuis Pater Camillus diabolicas, vt ab eo propelleret inſidias enixus fuiſset, ac ei placita cohortatione ſuaſiſset in Congregatione perſeuerantiam, præter alia hæc aſseueranter dixit. Quandoque incautos ſolere dæmonem Religioſos ſerico laqueo in furcam agere, & cum nihil lenitate profeciſset, tandem ad flagella, diuinamque vltionem ſermonem conuertit, nec propterea melior factus Hieronymus, in ſuo obdurato propoſito obſtinatior ſtare maluit, quare in ſęculū profectus eſt; ſed cū aduena eſset, vnde ei victus ſuppeteret, carebat; Dominum, cui famularetur per Vrbem quęſiuit (contigit enim iſte caſus Romæ) quemdam denique herum adinuenit de ſua peruicacia bene meritus; qui falſo ſtigmate pecunias imprimebat, quapropter comprecſus eſt eius Dn̄s tamquam delicti auctor, poſtque valida tormenta ſe fuiſse facinoris patratorem confeſſus eſt, vnde laqueo Romæ ſupra Pontem Sancti Angeli locum damnatorum ſuſpenſus animam emiſit; Hieronymus vero etiamſi criminis comparticeps non creditur extitiſſe, attamen propter famulatus ſuſpicionem, aliaque indicia grauiter tortus eſt, nec in tormentis ſe ſcire aliquid edidit; nihilominus merito per Vrbem circumductus, atque illuſus, Iudicis ſententia aſſiduis verberibus à carnifice vapulauit: hanc pergrauem pœnarum, & improperij permiſit illi Deus inundationem, quoniam Dei domum, id eſt ſuorum deſeruerat famulorum contubernium; poſt acerrimam flagellorū diuerberationem, cum perueniſſet ad locum, vbi ſui Domini exanimatum corpus ſuſpenſum à vento agitabatur, ſubter eius pedes ad palum alligatus per aliquot detentus eſt horas, inter hæc opprobria, & excruciatus Patris Camilli verborum recordatus eſt (ſed fruſtra) nominatim dum aſſeruit, interdum infernalem, & vafram belluam ſerico laqueo, quamplures à diuino famulatu abducendo in furcam ducere, in qua ipſe parum abſuit, quominus extinctus manſiſſet, proxime tamen acceſſit, & omnimode eam pœnam non euitauit; cum in patibulo per nonnullas horas, vt præfatum eſt, alligatus ſtetiſſet. His, alijſq; perſimilibus exemplis, qui vacillabant in Congregatione firmiter perſeuerabant, qui vero firmo veſtigio incedebant, Deo O. M. Grates perſoluentes, celeritus per viam perfectionis gradiebantur, at prontius currebant, ſeu volabant.

Sub furca luit pœnam Nouitius, q Camilli ſpreuit verba.

11 Supremis præſentis anni 1589. menſibus; Neapoli noſtri habitationem in via Diui Ioannis ad Carbonaria, vbi reſidebant, alio permutarunt, & hoc propter loci, domuſque anguſtias, & maxime, quia templo carebant, vbi ſacra pe-

ragerent,

1589.

Migrāt alio nostri in ædes quippe Diuę Marię Agnonis.

ragerēt, idcirco in alias ædes transire adhærētes Ecclesię Diuę Mariæ Agnonis, prope famosissimos carceres Vicariæ Neapolis, ibi enim, & templum cōcessum est eiusdem Deiparæ, & domos nonnullas conduxere, intra quarum ædium ambitum quædam aliquantum ampla conspicitur planities sub aperto Cœlo, quæ habitationem efformăt cōmodiorem, hic aliquanto amplius diuersati sunt, sed non perpetuo ob nonnulla incommoda, quæ referentur infra.

12

Interim quamuis Congregatio ministerium suū in Hospitalibus Incurabiliū, ac Sanctissimæ Annuntiatæ ardentius sequeretur, in munere tamen commendationis animæ nostri integras dies, noctesque peruigiles ducebant; proinde si in Nosocomijs Patrum nostrorum frequentatio plurimum emolumenti egenis contulerit, & ille locus, qui antea, vt dēsissima sylua horrida, atque impenetrabilis formidabatur, postmodum Cōgregationis nostræ visitationibus, non secus ac fœcundissimū pomarium euasit; vbi caritatis, cæterarumque virtutum suauissimos fructus colligere in dies cuicumq; fas est, & qui antehac ab infimę sortis hominibus etiam vitabatur; iam ad præsens, a præcipuis Neapolitanæ Vrbis, tum viris, cum etiam mulieribus nobilissimis, varijs ministerijs, ac largitionibus decoratur (vt antea satis, superq; indicatum est.)

Quasi ex arida tellure redactū est hospitiū in frugiferū pomarium.

13

Non tamen minora commoda ex diurnis, nocturnisque laboribus in animæ commendatione à nostris exhibitis exorta sunt, etenim huiusmodi egregium ministerium, & nunquam satis commendabile pene in desuetudinem abierat: quando ad depellendam corporis ægritudinem centum supra mille adhibentur artes, ac remedia, in assequenda vero animæ salute in extremo, & terribilissimo mortis transitu nullum ferme iuuamen, vel modicissimum excogitabatur. At modo eò vsq; incremētū cepit hoc pium exercitium, vt Sacerdotes, Parochi, alijque Religiosi, piæq; personæ integris noctibus, ne dicam hebdomadis prope moribundi lectos mira cum promptitudine, patiētia, ac pietate perseuerent; à morientis pectore quascumque exterminando diabolicas suggestiones, auscultando etiam sæpenumero ipsius Confessiones, & demum ab eo non discedunt, quoad vsque animam à corporis ergastulo proficiscens ad Cœlorum suprema, Deo miserente, conscenderit. Ex quo maximum in dies suscepturum augmentum hoc nobile assistendi coram moribundis ministerium, argumentor, prout passim obseruatur.

Comēdatio animę celebratur.

14

Et tandem aliquando abhinc nimirum tribus lustris Neapoli desuper hoc commendationis animæ munere erecta est Congregatio, seu Societas, vel Cōfraternitas, quæ appellatur agonizantium, cuius administratio, ac regimen penes Illustrissimos viros substat, pensum enim sibi adscripsere, ægris in extremo animæ conflictu dimicantibus opitulari, destinando quippe nonnullos Religiosos, ac Sacerdotes, certas illis assignando eleemosynas menstruas, vel annuatim, vt id muneris comitandi orationibus animas in extremis positas, quamattente exhibeant, potissimum vero id erga miserabiliores, ac derelictas personas, dieque, noctuq; persoluant. Præterea singulis quibusque sextis ferijs ab hora vigesima ad vsque vigesimam tertiam Sanctissimum, ac Venerabilissimum Sacramentum exponunt Populis, multis cereis accensis, multisq; instrumentis, vocibusq; Musicis comitatum, ac promiscue cōcurrētibus personis; vbi orationes, ac postulationes pro agonizantibus ad Dominū piè funduntur, sermo etiā ab aliquo erudito, Religiosoque viro super hanc morientium materiam perdeuotus publice profertur, tum plura, ibi sacra singulis diebus celebrātur pro iuuandis in liminæ huius vitæ constitutis animabus; quamplurimæ item collatæ

Opus institutum pro adiuuandis in morte certantibus.

su

1589.

ſunt indulgentiæ perſonis eo tempore ipſam Eccleſiam viſentibus, ac pro eiſdemmet moribundis deprecantibus conceſſis; vt ex earum reſcripto conſtat. Hæc Eccleſia, cuius titulus eſt Sancta Maria Ancillarum, alteri prope adiacet Eccleſiæ Monialium Monaſterij Domnæ Reginæ, iuxtaque minorem ianuam Cathedralis Eccleſiæ. Hodie tranſlatum eſt hoc opus in templum Sanctiſſimorum Apoſtolorum eadem in Vrbe à Venerandis Patribus Teatinis ſuſceptum, quorum eſt Eccleſia.

15 Interim Romæ pręter commune vulgus noſtros ad officium commendationis animæ conuocans; alij inſuper nobiliores viri, ac prælati, atque demũ Eminentiſſimi Cardinales extitere, qui præſentes PP. habere pro ſe apud Dominum Oratores in eo conflictu, ſuiſque aulicis, cæteraque familia curarunt mentis oculos dirigentes ad inſtituti excellentiam, neceſſitatemque, quantaque exerceretur à noſtris pietate, accurataque diligentia, illis quippe extremis vitæ temporibus, quæ inſudare herculeas frontes multoties effecere, nempe illas Sanctiſſimi Hilarionis, & ſimilium Heroum, quo in munere videtur peculiariter cum noſtris Dominum concurrere; ſæpius enim in palatio Eminentiſſimi Cardinalis Paleotti Antiſtitis Bononienſis, Deo ſummo animam ſuorũ famulorum commendantes noſtri vigiles pernoctarunt, nonnunquam ipſemet etiam interfuit Cardinalis ampliſsimus, Patrum caritatis feruorem obſeruans, & quo zelo animæ ſaluti intenderent; qua via, atque adiumento tute arbitrabatur ampliſſimus Princeps à tartarei hoſtis faucibus animas extrahi poſſe permultas, & patientiam eorum inſuper in perſeuerando, & lenitatem, ac modum verba ſalutis in porrigendo, admirabatur.

Noſtri deſiderantur, vt aſſiſtant in mortis agone coram & magnis Principibus.

16 Quapropter Patrem Camillum alloquutus eſt, petijtque ab eo inſtanter, vt aliquot Patres Bononiam tranſmitteret; vbi ipſe Archiepiſcopi gubernacula moderabatur, vt inibi domum Congregationis erigerent, nolebat enim tanto emolumento proprios carere ciues, oueſque ſuas, ipſe vero habitatione, & Eccleſia, reliquiſque domus ſupellectilibus ne carerent, abunde ſuggeſſiſſet: Pater vero Camillus id impoſſibile ad præſens eſſe reſpondit propter Sacerdotũ penuriam, non valentes congregatos ſub paupertatis titulo ad ordinem aſcendere Presbyteratus; neque ſufficiens ad hoc onus ferendum, ſeu munus præſtandum Sacerdotum numerus in Congregationem, recipi poterat, vt nouis quippe fundationum ſuppleretur ponderibus, hic dictis prudentiſſimus Cardinalis ſubintulit; hoc maxime dedecet, ac eſt inconueniens: & propterea oportere arbitrabatur Congregationem iſtam in Religionem promoueri, ne ægrotis, vbicumq; locorum, & animæ agonizantium hoc denegaretur ſubſidium; tanta erga noſtros, atque inſtitutum incenſus eſt beneuolentia, ac deſiderio Congregationẽ habendi in Ciuitate Bononienſi; vt his non obſtantibus impedimentis effecerit, quod illuc aliquot ex noſtris à Patre Camillo deſtinarentur ad effectum fundandi Domum.

Eminentiſs. Card. Paleotti cupit noſtros Bononiæ domum erigere.

17 Menſe itaque Octobris 1589. ipſemet P. Camillus vna cum duobus alijs Patribus, ac Fratre Curtio Lodi cò commigrauit, attamen propter eumdem defectum Sacerdotum nil tum ſtatuere valuere, ſed Romam poſt breuem moram regreſſi ſunt, moleſte tamen tulit idemmet Eminentiſſimus Cardinalis, eorumdem, abſque effectu regreſſum, Dominus autem omnium, qui decreuerat Congregationem eſſe formandam in Religionem, hæc omnia ſapienter diſpoſuerat; excitauit porro mentem eiuſdem prouidentiſſimi Cardinalis Paleotti, vt Eminentiſſimum Cardinalem Montis Realis Congregationis noſtræ protectorem,

P. Camillus Bonon petit, vna cum trib' ex ſuis ad effectum inibi conſtruendi domum.

1589.

Eminentiss. Paleott. suggerit protectori nostrã Congregationẽ in Religionẽ erigendam.

ac patronum super hac re commonefaceret, eique paulo post suggessit, tantæ necessitatis institutum non posse vndique propagari absurdum esse, indeque potissimum exoriri, propterea quod sub paupertatis vinculo, ac sollemni voto Congregatio non tenebatur, itaut crescente Sacerdotum multitudine per alia Regna Vrbes, & loca posset dilatari; ac proinde Eminẽtiam Suam, vt protectorem rogabat velle Sanctissimum Patrem, ac vniuersalem Pastorem supplicare in Religionem euehendam, huiusmodi sermo mirifice protectoris nostri animũ commouit non absque eiusdem gaudio, qui vehementer Congregationis exaltationem auebat, & subdidit, se libenter cum Beatissimo Patre Sixto V. super hac re verba facturum, eademmet orationem, quæ ab ore Eminentissimi Cardinalis Paleotti perceperat suæ retulit Sanctitati, quã non minori cum alacritate persensit; quandoquidem benigno, ac pio animo erga institutum, & Cõgregationem afficiebatur, cupiens quemadmodum Congregationem tot priuilegijs auctoritate Apostolica munierat, & ornauerat, ita pariter in Religionem eleuare amabat, præcepitque sibi obseruandorum formulam, seu libellum afferri, vbi instituti essentialia, atque alia principaliora ad totius Religionis spectantia regimen clauderentur, quare ab ipsomet Patre Camillo habita prius cum nonnullis suæ Congregationis Patribus consultatione, præsertim cum Patre Blasio Opertis, ac Patre Francisco Propheta, seruandorum memoriale efformatum est, institutique archetypus, quem Eminentissimo Cardinali protectori exhibuit, ipse vero Summo Pontifici; qui id negotium Dominis Cardinalibus sacrorum Rituum Congregationis demandauit. Hic nouæ Religionis status per Vrbem disseminari anno 1589. Mense Iulij cæpit, hinc vidisses perillustria ingenia in varias, sibique contrarias scindi sententias; nec mirum quandoquidem non sine procellarum repercussionibus, periculisque imminentibus amicum tenetur, tutumque lius, etenim præclara Dei facta post contrariorum potestatum fluctus gloriose demum coruscant; qui vero in contrarias partes vehebantur, his potissimum innitebantur rationibus. Quandoquidem noua hæc viuendi ratio pluribus est implicita distractionibus, & cum sæcularibus valde communicat per domos personarum cuiusque qualitatis, intusque Hospitalia, & carceres subsidet, non tantum interdiu, verum sub silentio noctis, & hi etiam professores suam operam omni personarum generi, ac loco impendunt; proinde diutius illibatam aiebant conseruari nequire, & propterea quamplurium indisciplinatorum hominum seminarium euasuram affirmabant, ni apertis ianuis huiusmodi inobedientes abicerentur; idque opportune fieret, non erigendo illam in Religionem, sed in eodemmet derelinquẽdo Congregationis statu; his, alijsque rationibus, atque inde deductis illationibus veritatis coloretenus demonstrare contenderunt tutius, ac honestius fore potius ita sistere Congregationem, quam institui in Religionem. Attamen penes diuinam, altamq; mentẽ, & ipsius inscrutabilia decreta aliter dispositum, ac decretum fuit. Siquidem ex altera, quæ est opposita pars, & opinio, atque communior, secus cautum fuit; propterea quod pluriores ex Eminẽtissimis eiusdem Congregationis sacrorum Rituum super Religiosorum statum Cardinalibus euehendam in gradum Religionis, sicut cæteræ in Dei Ecclesia, suffragati sunt. Aduersus ita allegantes: cũ perpetuo hi Patres in locis versentur pene infectis, & cũ personis putre consumptis, maxime tempore pestilentiæ, quod absit, hinc ni perenni sollemnis voti vinculo firmarentur, nimirum difficile inuentu esset, qui se se posthac in tot vitæ discrimina ingereret, ꝙ si fuerint Congregationem ingressi, perarduum esse

Cõmittitur negotium nostrę Religionis sacræ Congregat.

Variç sententiæ circa erectionem nostræ Religionis.

diu

diu poſſe in ea conſiſtere, adeo ærumnoſum uitæ genus ducẽdo: itaque, uel tractu temporis diſſolui oportere Congregationem, vel ab operẽ tantæ, tamque eximiæ caritatis abalienari, ſecuritate tamẽ uoti in quodcunq; irent periculum, non ignorantes ad mortis vſque diem in Religione perſeueraturos, & licet cum Laicis communicent, & in eorum domibus diuerſentur, attamen non tempore gaudij, ſed luctus, Hoſpitia uero animum non peruertunt, ſed peruerſum, ad bonam recipiunt frugem: quod uero ad proteruorum electionem ſpectat, non defuturum ſuis temporibus Domino ſubminiſtrare, atque oſtendere rationem Summis Pontificibus expurgandi zizaniam; unde ſi caſus popoſcerit, opportuna, ac ſalutaria adhibebunt remedia ad ſegregandum bonum à nocuis herbis frumentum; & demum ni in Religionis ſtatum tranſiret Congregatio, nunquam fore, ut propagetur ob neceſsariorum defectum Sacerdotum ad ſui inſtituti munus obeundum, potiſſimum ad officium commendationis animæ, & adminiſtrãdorum Eccleſiæ Sacramentorum; has, aliaſque non minus firmas, quam pias præallegatas rationes præualuiſse, concluſum eſt; huius ſententię acerrimus defenſor extitit, præter reliquos Cardinalis Eminentiſſimus Sfrondati, qui ad apicem poſtmodum Summi Pontificatus euectus eſt, cui nomen dedere Gregorij XIV. quem propugnatorem noſtri ſui inſtituti ſenſere. Peracta igitur Sacrorum Rituum Congregatione Cardinalium, ex conſenſu, & eiuſdem Congregationis aſſenſu decretum exijt, Miniſtrantium Infirmis Congregationem inter quatuor aggregandam eſse Religiones mẽdicantes, perinde, ac ſi una ex ipſis foret. Cardinalis uero Ampliſſimus Geſualdus, cui a hoc negotium Beatiſſimo Patri, Summoque Pontifici referre intererat, diem dum expectaret idoneum, interea uniuerſali cum mœſtitia, & non ſine luctu Summus Pontifex Sixtus V. hac uita uacauit, & ad illam tranſmigrauit perrennem anno Dñi 1590. 6. Kal Sept. Non exiguus Camilli animum, totamque Congregationem dolor tranſuerberauit, talem amiſiſſe Patrem, patronum, ac paſtorem beneficentiſſimum, à quo, non modica ſpe tenebatur, fore ut obtineret nõ mediocria præter ea, quę fuerat nacta, priuilegia, & Congregationem in Religionem promotam, non vulgaribus exornaturum gratijs, atque exemptionibus: grauiter itidem doluit, mœruitque idem Cardinalis Congregationis noſtræ protector Mons Realis, nequaquã potuiſſe. ſ. ſub Sixti V. Summi Pontificatu Religionis negotium ad perfectum trahi; dum igitur Diui Petri ſedes vacauit tanto Paſtore, intermitti oportuit cauſam proſequendi effectum Religionis, vſquequo Spiritus ſancti flamen in animum futuri Pontificis maximi inſereret, vt quę Sanctiſſimus PP. Sixtus V. exorſus fuerat, ad perfectum ducerentur, interea ad aliud nos conuocat ſermonis contextus.

Approbatur à S. Cõgreg. hoc inſtitutum Miniſtrãdi Infirmis euehi in Religionẽ.

Intermittitur Relig eſfectus ob lecthũ S. Pon. De Sãctiſs. Annunciatæ Neap. Noſocomio.

18 Neapoli non ſolum (vt ſæpe commemoraui) in Noſocomio iam ſupra enarrato Incurbilium Infirmis noſtri adminiſtrant, indeque quamplura bona in dies emergunt, quæ profecto diuinæ ſunt primitus adſcribenda bonitati, verum etiam tamquam à cauſa impulſiua, & ſecundaria à noſtrorum Patrum exemplo, atque labore excitata: proculdubio non minora etiam ſunt; quæ pauperibus ægris in Noſocomio Sãctiſſimæ Annũciatæ eiuſdem Vrbis obit noſtra Religio, at quoniam huc ſe tranſtulit calamus breui de hac ſanctiſſima æde dignum duxi aliquid recenſere, & de operibus caritatis in ea, & ab ipſa exhibitis audire animus nõ recuſet. Domus iſta, vna cum hoſpitio Sanctiſſimę Annunciatæ pręcipuum è multis vnum celebratur pijs operibus, quæ Neapoli commẽdantur; merito ẽt cum magnificentiſſimis æquatur, quæ intra fines totius Europę coru-

ſcant

1589.

Comendatio domus Sanctiss. Annunciatæ.

scant, tum propter omnibus in ægritudinæ pauperibus præstita auxilia; tum in erogandis etiam amplis eleemosynis nobilibus personis, alijsque viris, honesto genere natis, qui patrimonium decoxerant; atque etiam effulget hæc eadem sacra domus honoreficentissimi templi in cultu sub titulo, & veneratione Sanctissimæ Annunciatæ, ob quã magnificentiã nitet nimium in plurimis, ac ditissimis ornamentis sericis, argenteis, atque auro præstantibus eximia pulchritudine, decoratur quoque quampluribus venerandis Sacerdotibus, qui ad numerum cētesimum, & vigesimũ ascendunt, & Clericis numero quadraginta, alijsq; Ministris; at quoniam pensum non suscipio singillatim ista referre; idcirco perfunctorie transuolo, meæ, etenim partes exquirunt, de misericordiæ, quæ in Hospitali fiunt operibus, aliqua intexere.

Numerus PP. qui in hospitio SS. Annunciatę Neap. degit

Ad ea igitur festinando, asseuero, ibi assiduo duodecim ex nostris Patribus perpetuo commorari, qui diu, noctuque ægris excubias exhibent, & cum plura super his dixerim, quando de Hospitali Incurabilium factus est sermo, superuacaneum puto eadem in re nunc etiam tempus conterere; hac tamen interiecta differentia in his Nosocomijs; quemadmodum enim Incurabilium Hospitalis Infirmi sunt vlceribus affecti, ita isti febribus contabescunt, & sicut hic morbus periculosior, ita cura, tum animæ, tum vero corporis exquiritur, operosior, ac vigilantior; vnde aliquid addere dicendorum materia cogit, de qua nullibi, siue diminuta habita est sermocinatio. 19

Anno 1639. Mense Iulij PP. ab assidua intra id Hospit. cõmoratione decessere.

Iacent enim ibi in lectis tempore æstiuo Infirmi numero circa trecētum, hyeme vero succedente, experientia docet, vtplurimum decrescere, quos ægros mira prosequitur caritate, omnibus quidem selectę, ac prædelicatæ suppeditantur escæ, ac vina, tum etiam pretiosa medicamina, itaut præstantiora aptari cuilibet viro quamuis Illustri nequeant; continetur itidem intus idem Hospitale dormitorium, seu valetudinarium, at vero ab illo Infirmorum communi seiunctum, vbi ægri viri, scilicet nobiles, seu Sacerdotes, vel notabilis quisque ex populo, vel aduena honesto loco natus recumbunt, atq; curantur, quos omnes necessitas pauperiei adire Hospitale coegit, his enim aliquanto attentius necessaria subministrantur. Patres vero nostri (vt supra iam dictum est) ibi Sacramenta pœnitentiæ; Sanctissimæ Communionis, ac extremæ vnctionis administrant, & munus animæ commendationis, pluraque alia tum spiritualia, tum etiam temporalia non exigui momenti beneficia impertiunt. Illud profecto memorabilis cõmiserationis, ac pietatis refrigerium est, ꝙ exhibent. Quãdoquidem in extremis caloribus, cum hi omnes febrientes sint, & plurimi acutissimis febrium ignibus vexati, assiduo vociferantes clamant aquam, petunt sibi linguam, palatum, & guttura humectari, osque collui, & vere magnum tormentum in sustinenda siti patiuntur, quam neminem credere certum est, nisi qui similibus in euentis in semetipso expertus agnouit: equidem citra dubium asserendum, vnum esse ex vehementissimis Inferni doloribus (vt alibi adsignificaui) quandoquidem in sacro plane apparet Euangelio, diuitem illum immisericordem guttam aquæ expostulasse, cui denegata fuit, qui pauperi Lazari dari micam panis inhibuerat, ipse adhuc ore hiante guttam appetit limphę, quam nec lambit, nec per sæcula est adepturus: hos miserandos ægros nostri Patres recreãt quędam circumducentes ænea vasa repleta frigidis lymphis, pelui subiecta, passim eorum ora colluunt, & ex parte sitim extingunt: grauiorum vero linguam, ac palatum quadam argentea parua lamina in modum anuli circumducta cũ manubrio idoneam ad extrahendam bilem, seu pituitam, prauumque humorem 20

Pietas refrigenradi febriẽtes pura aquacõmendatur.

prorsus

prorſus os extergunt; Infirmis vero, quos aqua elementalis propter ægritudinis aduerſam qualitatem lędit, alijs liquentibus refrigerijs reficiunt, quæ à Medicis ordinata ſuggeruntur, idonea ad eorum extinguendum ſitis ardorem; hoc pietatis beneficium à Patribus exhibitum, non eſt flocci, ſed maximi profectò faciendum. Et ſi Dominus liberaliſſima manu Regiam Cœlorum propter modicam aquam ſuo nomine impenſam ſpondet (vt alias dictum eſt) illi vero, qui tot ęgrotos tantis excruciatos ardoribus, & ob ſitim vehementiſſimam ferme deficientes, refrigerant; num mercede huius caritatis eximiæ euacuabuntur? nequaquam, ſed eo cumulatiorem nanciſcentur, quo amplius eorum pietas in neceſſitatibus proximi ſe extulerit: poſt hæc collata refrigeria multi pauperes ęgroti manus, & lumina ad aſtra tollentes à Domino Cœlorum ſuperaffluentē benedictionem pro Patribus deprecari non deſiſtunt. Proinde Pater Camillus aſſerere illud conſueuerat, vtinam vna ex his ægrotorum benedictionibus ſidera penetret, deſcendatque ſuper me, plurimum in pauperum, & Infirmorum benedictionibus fidens, quibus profectò nimium benefaciebat, & idcirco pluriores ſuper eum deuenere benedictiones, prout vita ipſius, ac mors comprobauit, & mirabilia, quæ fecit: ſuperq; illos item deſcendent affluenter, qui ipſum ęmulantur. Sed paulo altius contemplemur hæc ipſa opera temporalia, quomodo nimirum ſunt plerumque ad animæ ſalutem vtilia, quandoque vero neceſſaria, quod euidenter probatur, & quamuis de hoc alias dixerimus, hic autem, quæ nunquam edita ſunt, interponuntur.

Benedictio infirmorum ſuis impēſa Benefactoribus.

22 Interdum ægri in Hoſpitale admittuntur, ſiue febre correpti, ſiue in capite vulnerati, qui phreneſi laborant, ſiue adeo ob ardētiam aduentitij caloris preſſi iacent, & perturbati ſenſibus; vt pœnitentiæ Sacramentum eis adminiſtrari nequeat, qui ſi ita deſtituerentur, & non magna cura eorum corporeę è ſaluti intenderetur, proculdubio in eo ſtatu impœnitentes decederent (& quamuis alibi dixerimus poſſe huiuſmodi Infirmos participes fieri Sacramenti Confeſſionis, attamen quandoque inepti ad eius virtutem nanciſcendam propter ipſorum prauam anteactam cōuerſationem redduntur, vt innoteſcet per id, quod infra ſubnectetur) aſt vigilantia Patrum, illis omni ſtudio miniſtrando, nempe iugiter cibis, ac medicaminibus refocillando, atque roborando ad ſe ſe plerumque reuertuntur, vnde ſui facti compotes propria flagitia deplorant, ac confitētur, & poſt Confeſſionem quandoque non expectata Sanctiſſimæ Euchariſtiæ refectione morte præoccupantur repente; quibus auxilijs, & accuratiſſimis medijs, atque remedijs impenſis à Patribus ſi caruiſſent ſemota omni dubitatione, abſque tam neceſſario, poſt lapſum, pœnitentiæ Sacramento interijſſent, vt ſequens factum probat.

Quomodo interdū neceſſaria ſit ſpirituali ſaluti cōmunicatio tēporalium.

In prælud ijs p. 8. n. 19.

23 In præfato Sanctiſſimæ Annunciatæ Noſocomio quidam æger, tribus, aut quatuor diebus manſit, in proſpectu habens, ideſt ante lectum, & viſum Sacratiſſimæ Virginis deuotiſſimam Imaginem pietatis cum accenſo lumine, vt mos eſt in Hoſpitalibus coram moribundis locari, cui pariter officium commendationis animæ ſoluebatur iugiter à Patribus, non propterea curam corporis illi exhibere negligebant, eſcam ſuis temporibus ſuggerendo; adeo valuit hæc miſericordiæ corporalis exhibitio, vt reſtaurato paulatim corporę per refectionem ſibi ſenſim ſubillatam cæperit oculos adaperire, ac ſenſuum vigorem recuperare; vnde reſumptis viribus conualuit, ac omnino ſanus euaſit, qui in peſtifero damnationis ſtatu perijſſet, propter mortiferum, & ſcādaloſum flagitium, in quo antea miſerabiliter, ceu dæmonum præda, alligatus præmebatur, ni Patrum ac-

Probatur prior doctr. exemplo.

1589.

curata diu.ocia sanitati restitutus esset: hinc agnosces quāti referat corpori misericordiam impendere. Qui casus his in locis frequentes, & quotidiani de facili occurrunt. Hic enim cum salute corporis mores commutauit in melius.

Multi ægri animo intēdētes ad misericord. opera Fatrū sibi exhibita scelera cōfitēdo aperuere.

Illud etiam maiori cum mentis ponderatione desiderat, obseruari, quandoquidem huiusmodi ægris,& similibus male affectis personis,quę talibus diuersisq; laborant morbis Patres inseruiēdo, plerumq; cessante phernesi ad suorum criminum pœnitudinem conuersæ venerunt: obduratissimi quoque peccatores flendo, & aperiendo in Confessione præterita facinora optimo fine vitam clauserunt, qui palā ante lethū manifestarunt .i.paulo antequā decederent ipsorum conuersionem à Patrum beneficentia processisse,dum ab eis tam humaniter seruitum est in corporis indigentia. Sit ergo pro exemplo.

Conualidatur præmissa doctrina quodā euētu.

24 In ipsomet Sanctissimæ ędis Annuntiatæ Xenodochio æger receptus est febri æstuans, quæ latenter eius vires carpserat, vnde ad extremum vsque redactus est;ita vt de olio sancto ei largiendo ageretur; quidam ex nostris Fratribus laterem ei calefacere consueuerat, vt illius pedes algentes refrigerio caloris confoueret. Huic ægroto idem Frater, se male habere, nuntiauit, & propterea vt se disponeret suadebat,ad recipiendum extremę vnctionis Sacramētū; tantā enim fiduciam & affectum erga eundem Fratrem sibi ministrātem ęger contraxerat, vt illico suam ipsi conscientiam patefecerit, asserens amaro animo lustrum præterijsse, ex quo nunquam ad Sacerdotis,vt confiteretur,pedes accesserat, quinimmo toto eo tempore graui excommunicationis cēsura innodatus fuerat,vnde euestigio eundem Fratrem rogauit,ad se vt accederet Cōfessarius, quo accersito lacrymabundus propria facinora Sacerdoti adaperuit, atque incessanter exclamabat, ex occasione illius nostri Fratris, qui illi tam amanter laterem calefaciebat, nactum esse animæ salutem, & ob cuius causam à pedibus mediante corporali igne frigus depulerat, nunc eodemmet Religioso adiutore in vitæ calcaneo gratiam à misericordiarum Domino, & Spiritus sancti ignem adeptus fuerat;qui paucis delapsis diebus,non vulgariter signa dans suæ salutis, mundoque linquens corporis spolia,spiritum ad suum Creatorem transmisit.

Nouo exemplo idem roboratur.

25 Et alter æger ad idem Hospitale maximis febrium caloribus ardens, accessit,qui admonefactus,vt in memoriam sua scelera reuocaret,etenim quantotius ad se venturum Confessarium; prompte respondit se in Cœnaculo meritorio, Sacramentum Confessionis suscepisse, & quia rei in hoc Sacramento pro se, & contra se credendi sunt, in suo testimonio derelictus est, interea ardentia febris eovsque in linguam præsertim inualuit, quoad eam tamquam squamosam,& ignitam retulerit, & veluti in illud membrum,quod propria flagitia pandere renuebat, grassaretur; Quidam ex nostris Fratribus quamsæpissime commiseratione motus eam colluebat, mundabatque, vnde ægro refrigeria continua impertiebat, ex ea commiseratione ortum est aliud animæ nempe optimū bonum; quandoquidem tanta beneficentia Infirmus se deuictum esse, persensit, vt eidem Fratri nostro (quod confessario denegauerat) gemebundus manifestauerit, se spatio nempe annorum trium non fuisse confessum, & quando ad Hospit. concessit falsum protulisse,aiētē se munitum esse Sacramento Confessionis, & propterea velle audiri postulabat à Sacerdote,hinc perdeuote hoc,& alia suscipiens Sacramenta functus est. Eximia siquidem fuit illa dispositio, refrigeriū nēpe,& exhibitio dulcis aquæ,per quam ab eius anima infestus humor, & pestiferū peccatorū virus mediante contritione,ac Sacramentali Cōfessione semotus est, successitque Diuina Gratia omni aqua mūdior refrigerans mentē.

Sunt

Sunt enim difficilia creditu (vt pauca ſubnectendo, quæ de eadem Sacra Annuntiatæ æde remanent dicenda, abſoluam) opera pietatis, quæ Sanctiſſima hæc domus exhibet, vnde ſuper his integra volumina emanarunt, quæ per manus doctiſſimorum hominum circumducuntur: & cum in ea nos iugiter diuerſemur, perpauca, ponere præter ea, quæ nuper protuli de ipſa, non moleſtũ puto. Forma .n. huius Sanctiſs. ædis adinſtar inſulæ figuratur, quæ pene quadrangulariter conſpicatur, & ab alijs omnino ædibus ſeiungitur, per interpoſitas vias publicas; ambitu excedit, ni fallor ſemimilliarium; intra ſe complectitur cellas, ſeu dormitorium Sacerdotum, & Clericorum, qui Eccleſiæ eiuſdem Hoſpitalis deſeruiunt, & horas canonicas perſoluunt, cum ſit ex præcipuis eiuſdem Vrbis Collegiatis, ſeu præcipua Baſilicarum Collegiatarum, viuunt enim hi Presbyteri, & Clerici, vt Religioſi in eodem incluſi Clauſtro, & ſua cuique tribuitur cella, quibus quolibet mane ab alijs Noſocomij Miniſtris ad victum ſuppeditantur neceſſaria. Prout quoque in templo Hoſpitij ſacræ ædis Incurabilium (de qua ſupra retuli) aſſeruatur.

De eleemoſynis á Ss. ædæ Nuntiatę Neap. exhibitis.

26 Præterea hæc eadem Sanctiſsima ædes quoddam ſatis amplum mulierum Monaſterium in ſe complectitur, vbi mille, & trecenę Moniales commorantur; huic Monaſterio ália adiacet habitatio puellarum expoſitarum, quæ ad numerum aſcendunt trecenum, & ſingulæ enumeratæ ex redditibus, atque eleemoſynis ſuſtentantur dicti Hoſpitalis. Cæterum ex eo quia infantes quamplurimi ſexus promiſcui, hoc eſt fœminei, ac virilis exponuntur Sanctiſsimę huic domui, propterea ad lactandos hoſce pueros, puellaſque menſtrua nutricibus ſtipendia ſoluuntur carolenorum nouem, aut ſeptem, ſeu paulominus iuxta infantium ætatem, atque nutricum laborem, induſtriamque; aſcendunt enim iſtæ nutrices ad quatuor millia; quæ principio cuiuslibet menſis, dũ illuc ſolutionẽ recipere concurrũt, quaſi copioſiſsimus Grex ouiũ agnis vbera extẽdentes, cernuntur. Plurimæ item piæ mulieres, etiam Illuſtres ſecluſa omni mercede, illos infantes proprijs mammis lactant, ac nutriunt, perinde atque ab ſuis viſceribus prodierint. Habet enim hoc magnum, ac magnificum Hoſpitale alia ſub ſe inferiora Noſocomia, vt vulneratorum, quod intra ſe includit, hoc eſt à latere ſiniſtro ingrediendo febrientium valetudinarium, ſed in alio quamuis coadiacente, ſegregato tamen Cœnaculo, hic enim vulnerati curatu locantur: præter hæc Sanctiſsima ædes conualeſcentium Noſocomium habet; vbi per aliquot dies Infirmi poſt tranſactam febrim refocillantur, quoaduſq; vires reſtaurentur, in hoc enim opere tria aureorum millia abſumit anno quolibet. Dat etiam Puteolis ob dolores, neruorumque contractiones, & ſimilia corporis vitia remedia principio æſtatis quãplura, hic pariter mille, ac tricenos aureos erogat, ex his riuolis facile eſt plus, minuſue deducere quã ingẽtem expenſarum ſummam quotidie eroget, abſumit enim quotannis in opere pietatis pluſquam centum aureorum millia: ſed gradum ad alia facere æqum eſt.

Expenſæ quas erogãt hęc ipſa ſacra domus invniuersũ

27 Circulus vertentis anni dum allaberetur Romæ ardentiſsima febri Pater Alexander Gallus natione Ligur corripiebatur, tum Nouitius, & adeo morbus vires carpſerat, vt ad extremum redactum arbitrarentur cuncti, ſubq; Veſperam eiuſdem diei mortis tenebras eſſe viſurum; vnde Fratres noſtri, qui ad Hoſpitale perrexerant, iam ſolita Congregationis ſuffragia itinerando perſoluebant, æſtimantes poſt domus regreſſum fore, vt illum inuenirent defunctum; Pater vero Camillus ipſum viſere properauit; vnde commiſeratione exitus, ab ægro poſtulauit, ſi in Dei, & Congregationis famulatu eſſet permanſurus, notis ſub-

Fr. Alexander ſanus fi

Ex vita [illegible] Cam. lib. 3 cap. 26. in proceſs. ai 141.

miſsis,

1590.

missis, seu potius nutibus æger affirmauit, illico Pater Fundator dexteram super Alexandri oculos posuit, eleuauitque ad Cœlum lumina, mentemque, & aliquantisper pro infirmo orauit, ad quem postea conuersus dixit, æquo animo esto Frater Alexander etenim conualesces; mane vero accedens medicinæ Doctor maximo cum sui stupore, quem opinabatur hac vita extinctum, extincta omnino febre incolumen adinuenit, cum vero dignouisset, quod à Patre nostro sanitatis gratiam obtinuisset, Diuinæ Clementiæ, atque eiusdem Patris Miraculo adscripsit physicus, & alij, qui febris malignitatem obseruauerant.

Annus Domini 1590. & Congregationis quintus. Romæ ægris in Monte Quirinali nostri præsto sunt. Mentio fit de P. Paulo Cornetta, atque alijs Fratribus. De Contagio Puteolis in milites incessente.

1

NON sine Dei dispensatione peractum est tunc temporis, vt obex se interponeret Congregationi ob lethum Summi Pontificis Sixti V. quominus in Religionem promoueretur; vt nimirum nostri instituti excellentia, vtilitas, ac necessitas penes totam Romanam Curiam innotesceret; etenim supremis illis temporibus ante obitum Sanctissimi Pontificis Sixti Quinti, dira exarsit in Monte Quirinali ægrotantium, ac mortuorum strages, ex occasione ob introductam Romæ Sericam artem; quandoquidem idem Pontifex Maximus totius Vrbis commodo, ac ornatu ex pluribus Italiæ partibus ab statu præsertim Liguriæ conuocauerat quammultos huius artis operarios; & in sui viridari terminis prope termas Diocletianas, vbi Nobilis Ecclesia Diuæ Mariæ Angelorum colitur, quamplures casulas construi fecerat, ad id munus sericæ artis fabricandum, idoneas; hic autem omnes operarij vna cum filijs, totaque familia incollebant; sed post aliquantulam ibi commorationem ob aeris permutationem, & potissimum, quia illic æstiuo tempore sæpe malignior læ[illegible], ægrotare cæperunt plurimi, & ad vitæ limites protrahi; quo Patres ad munus commendationis animæ obeundum, sunt vocati; verum in dies magis, atque magis, ægritudines, & mortuorum numerus adaugebatur; certior hac de re factus est Pater Camillus ab eisdemet Patribus, qui moribundis incumbebant; protinus v[illegible]entis illius miserandam sortem, atque luem intellexit, ceu Leonis catulus, caritatem vndique inspirans, eo peruenit, oculisque vidit tragicum spectaculum, plurimos nempe à fame, alios à morbo, nonnullos ob carentiam Ministrorum, atque opportuni, necessarijque auxilij ad mortem vsque dilabi, atque permultos diem obire.

Lues in Mõte Quirinali

2

Cum autem essent aduenæ, & pauperem vitam ducerent, ac extinctum eorum peculiarem patronum, Sanctitatem quippe Sixti Quinti contuerentur, qui

illos

illos Romam introduci mandauerat, viles animo redacti, in morbos eo magis prolapsi sunt, vnde ęgritudo multo crudelior se ingessit,& mors instabat immanior cunctis: pluribus vtique in domibus vir, & coniux, & filij simul eodem in lecto ægri deiecti iacebant, quare nec filij parentibus, nec parentes proli axilia,vel aliquod iuuamen præstare quibant;immo potius vnus alterius augebat mœrorem, & plantum, nec vicinia poterat adueniens iuuare,cum omnes adiutorio egerent, quapropter mutuo se inficiebant crudelioribus morbis, & alitus infensus vnius, ac malignus redundabat in alterum, ita ut pene in omnes pessimi morbi inuaderent;& sic quædam pululauit contagij species: in domo qualibet quasi languentium, ac mœrentium Hospitale sternebatur, nec quidquam præter lamenta, & singultus ad Cœlum volantia resonabant;multi enim obseratis ianuis tāquam exanimata corpora procumbebant, quasi sibi casulam pro sepulchro constituissent, vnde nonnulli hoc modo vita spoliati cecidere: fames itidem eis non pepercit, nequibant equidem, vt antea proprijs manibus sibi comparare victum, & eorum per Vrbem (miseranda res) sors infelix ignorabatur; denique cui condonabat morbus, malesuada fames cruciabat, & sæpe trucidauit.

Sequitur miserāda sors harum personarum.

3 His deplorandis personis Camilli caritas, & suorum, totis visceribus se accinxit consulere, eorumque animæ necessitatibus, & corporis medelam afferre: hinc per Vrbem horum hominum infelix status, & conditio cæpit diuulgari, & nominatim apud nonnullos Eminentiss. Cardinales; itaque inspecta adeo perurgenti necessitate collatę sunt non mediocres,sed largæ eleemnsynę, tum rerum, cum etiam pecuniariæ, atque adeo medicaminum, quæ per manus Patris Camilli illis egenis, & ægrotantibus, derelictisque personis suppeditabantur, ac dispertiebantur; cum autem non vni, sed quampluribus opem ferre oporteret, nec plures satis essent Ministri baiulare onera ciborum,& medicaminum: propterea Camillus ad ea vehenda comparauit asellum, ac inde quolibet mane in Montem Quirinalem brutum animal varijs exculentis, ac poculentis onustum ducebat, duos sibi ex Patribus socios,seu plures asciscens, præter alios,qui inibi animæ commendationis muneri inuigilabant.Quo cum peruenisset Camillus iuxta Psalmi Propheticum sermonem dispersit dedit pauperibus, singulis prout eorum inopia,& ægritudo poscebat, illam ciborum benedictionem erogabat;alijs nempe debilioribus pulmentum ex pectoribus gallinæ confectum, aqua rosacea, & saccaro compactum, & colliquefactum degultiendum suppetebat; nonnunquam si febris malignitas, seu morbi qualitas exposceret, margaritæ, aliæque gemmæ vsque in puluerem tunsæ cum edulijs, seu pharmacis mixtę sunt:tantum enim Camilli, & sociorum pietas se eleuauit; illorum siquidem miserandam conditionem, & pauperiem non pendentes, sed eleuatis animis ornatissimos viros eos contemplantes, ministrabant, Christum potius seruatorem in eis spectantes; alios autem ouis recenter natis refocillabant, alijs partem carnis vitulinæ cum suis dapibus linquebant, vina itidem optima, fructus, ac bellaria distributa sumebant, singula profecto narrare nequeo, nec scio, & quod est impossibile, etiamsi possem recensere, longissimum sane foret, vobisque legentibus onerosum redderetur; in nouissimo siquidem die cum Dominus, cuiusque rationem vitæ expetiturus aapparebit, dumque illam perscrutabitur sententiam infirmus fui, & visitastis me, tum palam eorum vniuersa pietatis opera fient, & hi misericordiarum operarij ridebunt, quandoquidem largas,

Conferūtur his ægris subsidia à P. Camil. & suis.

1590.

æternasque referent præmiorum coronas. Demum Camillus, ac sui singillatim per quamlibet ipsorum pauperum tabernas, & ægrotorum casulas discurrentes singula magna cum hilaritate, eis, sicut necessitas postulabat, distributa relinquebant.

Interdum p fenestras accedebãt ad linquẽdas eleemosynas.

4 In his erogandis eleemosynis interdum opus erat spiritalem euadere latronem, nam in lectis adeo grauiter omnes eadem in domo decumbebant; vt surgere ad aperiendam ianuam nequirent, itaque necessitas cogebat sumpta scala p fenestras introgredi, ibiq; cũcta domorũ ministeria à mulieribus, seu faciẽda p famulas Patres subministrare coarctabãtur; siquidem ægros proprijs manibus cum cibauerint, lectum reficiebant, patinas extergebant, domum verrebant, & sæpe totam habitationem euersam decenter componere, caritas impulit: idemque, domos alias lustrando, vbi necessitas exegit, exequebantur.

Camil. fungitur officio nutricis exigente caritate, ac necessitate.

5 Quandoque visus est Camillus sedulæ nutricis officium peragere: nam infantes, qui ab infectis morbo matribus lactabantur ex eorum pectoribus, atque lateribus euulsit, ne perirent simul, superque propria genua nudatos puerulos postquam eorum omni sorde corpusculum mundauerat, fasciabat, huiusmodi actio risum inducebat, & planctum in spectantium corda, risum propter rei nouitatẽ, nam qui modo ferox miles arserat ira, nunc in blandientem conuersus est nutricem; & animo intendentes Diuinam virtutem, plerumq; terrificos leones in mitissimos reddere consuetam agnos, non poterant eorũ corda præ deuotione in lacrymas non colliquefieri: itaq; qui prius stricto ferro contra hostẽ dimicauerat, modo recenter natorum infantium corpuscula, nudat, tergit, mundis pannis, ac fascijs circumamicit; mira siquidem caritatis est vis, illud Apostoli seruans, factus est Camillus omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret, exinde puerulos, inuentis lactantibus fœminis, soluta mercede, alendos aliò transferebat.

6 Contigit hac tempestate Camillo dum ostium cuiusdam infirmi percuteret, vt consuetam subministraret victus benedictionem; mulier, siue delirans, sic arbitror, seu diabolica versutia decepta; certum est, quod detinebatur ardenti febre, hæc audita ianuæ repercussione, vt iacebat in lecto nudo surrexit corpore, & ad ianuam sparsis comis ad auram accurrit, quam aperuit, & quod turpius fuit, non considerans ante cuius conspectum se offerebat, ea inhonesta forma corã Patribus se exhibuit; vix in petulcę mulieris fœdũ spectaculũ lumina intẽderat Camillus, & qui secum ibant; e vestigio ea retrorsũ conuerterunt, ac si horrendam, atque venenatam bestiam fuissent intuiti, Camillus vero sumpto proprio pallio, vt magni Patris Noe Filius, hoc est Christi Domini repente, tenens retortã faciem, super mulieris inpudica mẽbra illud proiecit; vnde muliercuIæ inhonesto aspectui cautum est, indeque caritatis ministeria sunt prosecuti. Hinc paratos esse oportet, qui operibus incumbunt misericordiæ, non tãtum illa obire, verum vigiles esse conuenit, & non vecordes ad multa, quæ aduersarius parat, vt incautos interimat.

Casus describitur cuiusdam inhonestę fœminę

7 Rebus itidem ad medicinæ artem spectantibus à pharmacopolis confectis, non segniter à Camillo istis ægris prouisum est, nec expensis, quamuis magno pretio emerentur, pepercit, sui immemor illorum tantum incumbens saluti. Quocirca aliquando sub solis ardore meridiano tempore quamdam ollam medicaminibus confertam deferens, eo properabat ducere: medio in itinere vnum ex Eminentiss. Cardinalibus obuiam habuit, qui Camillum interpellauit, & sciscitatus est, quo pergeret, quidue sub pallio contegeret (cogitabat equi-

dem

dem ille Princeps iuxta Camilli consuetum, futurum quidquam medicaminis, seu refectionis, attamen responsis serui Dei attendere maluit) qui breuiter his dictis se expedit, tantum obsecro Eminentiam Suam ne me detineat præpeditum, quandoquidem temporis opportunitas hoc applicandi medicamen præterit, & eleuata aliquantulum pallij ala, ollulam calidi liquoris repletam ostendit; ardentiorem caritatis zelum Camilli admirans ille Princeps, libenter expetitam veniam concessit. Nequaquam hæc actio veluti rusticitas damnanda est, quia tam cito à colloquijs illius Eminentissimi Domini se expedierit; siquidem Camillus aliud in ægro, quam Christum Dominum ægrotantem non inspiciebat, & idcirco cunctis postpositis ardenter ad ipsum trahebatur. Erat autē hic Princeps Cardinalis Sfrondatus, qui postmodum ad apicem Summi Pontificatus ascendit; aliquandoque enim ad Montem Quirinalem, & non raro accedebat, ibique Rhedam consistere præcipiebat; vt Camilli, ac sociorum caritatis feruorem, sollicitam curam, modumque inseruiendi infirmis, ac dispertiendi cibaria contemplaretur, indeque magna cum sui spiritali lætitia post aliquot temporis interuallum proficscebatur.

Obuiam fit Cam. medicaminū ollā ferēti Card. Sfrondatus.

8 Accuratissimus insuper extitit Camillus ne quis eorum absque Sacramentis decederet, & adiumento Patrum, dum animam in extremis agitarent, Atque iugiter inter externas has occupationes, & caritatis exercitia, in animæ illorum pauperum salute vigilantissime intentus extitit; assiduo de Cœlestibus secum habens sermonem, hinc mentem gentis illius amplius, quam membra reficiebat. Tanta quidem inter hanc ægrotorum, & miserorum aduenarum cohortem Patrum auctoritas creuerat, vt illos à longe ad se aduentare contuentes Angelos sibi lucis, quasi oriri putabant, & pluiquam homines terreos arbitrabantur, hinc magna, propter eorum præsentiam, afficiebantur lætitia, & ab ipsorum pectoribus omnis mœstitiæ nubes eliminabatur; pluribus in hoc opere mensibus elaborarunt, quoadusq; ea inundatio sedaretur, quæ magnam plebis illius partem secum morte raptauit, quibus in angustijs profecto maximo fuere Patres adiumento. Sed acta, quæ sequuntur Patris Pauli, alio nos vocant, vestræque attentionis fauorem desiderant, meamque gracilem industriam.

Attentio spiritualiū rerū erga tales ægrotos.

De P. Paulo Cornetta.

9 PRincipio, quo nostri sibi in ædibus Diuæ Mariæ Magdalenæ domicilium fixere admissus est in Congregationem Pater Paulus Cornetta mense quippe Iulij 1587. qui illis initijs veluti oriens sidus effulsit, tum morum probitate, cum litteris latinis, & hebraicis, ac græcis, tum naturalibus, cum etiam Theologicis disciplinis. Fuit Patria Romanus, priusquam in Congregationem transiret, Sacerdotio fungebatur, quæ dignitas in eo propter virtutum præcellentiam, & eruditionem mirifice coruscabat: quando enim sæculum percalcando Congregationem ingressus est, tum Magister Græcarum litterarum quosdā Diui Benedicti Religiosos in eorum Cœnobio prope Romam constituto, instituebat; & quamuis Græcam eloquentiam aliis facultatibus eminentius calleret, magnopere item in latina facundia præcelluit, insignis Philosophus extitit, maiorque Theologus floruit. Secum duxit in Congregationem quindecim ingētia volumina, quæ prælo committere destinarat, sub titulo, seu inscriptione Polyantea Græca, vnumquodque volumen tantæ magnitudinis apparet, vt quilibet Calepinus ex maioribus, & quidem ni morte immatura fuisset præoccupa-

1590.

Scriptor extitit cōpluriū voluminum.

cupatus, sui celebrem, & æternam posteris reliquisset memoriam, Congregationēq; non exiguo honore affecisset, & venturis sæculis æmolumenti non parum his monumentis attulisset, quæ in publica nostræ domus biblioteca Romę hucusque asseruantur, expectantia, vt aliquando in lucem ab alio præclaro ingenio proferantur.

10 Toto tempore suę in Congregatione conuersationis vixit mira humilitate, vt ouis, & simplicitate, vt Columba; ac si nihil sciret, cum aliis diuersatus est; Apostolicū sequens axioma, si quis, ait, inter vos videtur sapiens, stultus fiat, vt sit sapiens; obedientię itidem, cęterarumque virtutum specimen dedit, perseuerans fuit in oratione, ac pauperum ęgrotorum multum amans, atque disciplinę Regularis obseruantissimus, iugiter proprię intendens saluti, nequaquam aliorū facta, vel dicta peruestigans, aut extento supercilio incaute succensens.

11 Primus enim in Congregatione Nouitiorum Magister effectus est, nostrorumque omnium auditor fuit Confessionum; vna cum Patre Francisco Propheta primus itidem in Ecclesia Diuæ Mariæ Magdalenæ fidelium vtriusque sexus Sacramentales auscultauit Confessiones. Primitus quoque Nouitijs cōmuniter habēda spiritualia exercitia introduxit in Congregationem, quæ posthac professis etiam qualibet Hebdomada fieri Superiores imitati sunt; Demum causa absoluendi, & corrigendi, quos confecerat codices, adiectis insuper assiduis in Congregatione pœnitentiæ exercitijs, & ærumnis, in morbum incidit, ac sensim perseuerante subtili febre tabefieri demum cæpit; cuius ægritudinis damna moleste non parum tulit Pater Fundator Camillus amantissimus eruditorum hominum, ac potissimum virtute clarorum, quibus ornamentis Pater iam dictus Paulus pręcelse micuit; propterea illum mirificentissimo amore Camillus complectebatur: voluisset, si Dominus sibi complacuisset ipsum seruare incolumen: vnde Romæ nulla, vt bene valeret, remedia prętermisit: cum vero salutis spes, ibi expes esset, illum Neapolim transmisit, vt ob aeris permutationem in benigniorem, forte tandem conualesceret: qui demum in oppidum Herculanum, quod appellant communi vocabulo, Gręcam Turrim, Neapolim octo milliaribus distans, profectus est; vbi quamplurima sibi sunt adhibibita medicamina, selectique cibi; nam inibi plerumque huius generis ægri à morbo confirmantur: verum supra dicto Patri nec aeris benignitas, nec maris saluberrimi flatus, quibus gaudet oppidum illud, profuere: ast decurrebat in deterius intestinus morbus mēbra corrūpens: quare Neapolim regressus est; vbi aliquandiu superuixit, à Tabe denique consumptus animam edidit, non tamen eius fama, & gloria, quæ perenniter viuit: fuit antea Sacramentorum suceptione roboratus, anno excessit Domini 1590. Mense Maij, & ætatis suæ anno ferme quadragesimo: in templo Diuæ Mariæ Agnonis eius ossa fuere deposita.

De F. Christofaro Perucci Bargensi.

12 INitio Congregationis non tantum propter nimios labores famulando infirmis exhibitos, multi ex Patribus mortem obiere, verum etiam alij propter fabricæ ministeria Romæ in nostris ædibus Diuæ Mariæ Magdalenæ impensa extincti sunt, ita cogente libera, sed nimia pauperie, atque obedientiæ vi, non per horam siquidem operantes, sed ab ortu (vt dici consuetum est) solis, vsque ad eius occubitum inter maximos calores, & frigora. Horum vnum fuisse certum est Fratrem Christofarum Perucci, qui adeo in hoc opere defatigando

per-

1590.

pseuerauit, vt deniq; suæ sufferentiæ, & obedientiæ coronam magna laude, optimoque fine reportarit, adhibitis etiam his laboribus pietatis officijs ægris studiose die, noctuque impensis. Fuerat in Congregatione annumeratus VI. Idus Decembris 1587. At vita postea functus est 1590. cohonestatus Ecclesiæ Sacramentis, cuius cadauer, iussu Patris Camilli insectum est, vt innotesceret quo morbo diem obijsset, visi, ostensique sunt ab Anatomistis pulmones putre affecti; itaque cum in assiduis defatigationibus perpetuò corpus propter Deum, atque proximos comite obedientiæ virtute diuexasset, vitamque hanc Christopharus non amandam prodegisset; demum meliorem adinuenit, quam profecto Dei miserentis bonitate nactum esse credimus. Sepultus iacet in Ecclesia D. Mariæ Magdalenæ Romæ.

De F. Laurentio de Francisco.

12 NON absimilis casus inter hæc temporum spatia Romæ Fratri Laurentio de Francisco contigit, quam Patri Cæsari de Augustino, de quo anno iam enarrato commemoratio à me facta fuit, casus equidem illi proximus tempore, & æquiparatione quoad rem, finis vero, & euentus profecto dissimilis; quandoquidem prædictus Frater se ad prunas calefaciens, aduersus se vidit repente accelerare, & irruere vehementi impetu, alias iam memoratum Fratrē Stephanum à Modina, qui iniectis in eius ceruicem manibus, ipsum strangulare nitebatur, vnde parum abfuit quominus ibi vitam finiret; hinc maximo pauore consternatus grauem incurrit ægritudinem, vitæque discrimen; à quo tandem etiamsi liber euasisset, non tamen à grauiori dæmonis incursu se exemit, qui hoc ipsum egerat, vt Laurentiū deterreret, uiasq; Domini simul desereret, quod vafer obtinuit; nam Patres quantumuis elaborassent suadendo illum fuisse tenebrarum Principem suę inuidus vocationis, & potissimum salutis, non autem Fratrem Stephanum, vt opinabatur, nihihilominus, nec auctoritati tantorum Patrum, nec rationibus fidem, nec verbis præbuit auditum, ast obdurata ceruice in sua peruicacia perseuerare maluit, asseueranter, illum vere fuisse Fratrem Stephanum à Modina, contendens, qui ipsum interimere omni conatu enixus fuerat, quocirca suæ perfidiæ pænam luit à Congregatione abscedens. Nemo sibi credat, nec proprij sit amicus consilij, signanter in rebus suę, quæ officiunt, saluti. Sed tempus, vt alia prosequamur, aduenit.

In vita serui Dei Camilli lib. 1. c. 22.

De dęmone adnitente quemdā suffocare Nouitium.

13 Neapoli non minor præ se obtulit occasio nostris manifestandi erga pauperes ægros caritatem, neque inferior se præbuit vrgens necessitas, quam in Mōte Quirinali Romę. Nonnullæ enim triremes militibus onustæ in eiusdem Vrbis portum appulere ex Hispaniarum Regionibus regredientes. Quandoquidem propter diuturnam nauigationem, & temporum aduersam fortunam animi metu, & corporis morbo iactari vehementer cæperunt, indeque plura perpeti, famem, rerumque omnium inopiam oportuit; præsertim assiduas vigilias ab ictibus pediculorum, quibus abunde scatebant, obortas; carentes omnino mundis vestibus, vt eis superutentes refrigeria aliqua sentirent, sed eędem circa carnē putrescientes, tetrum foetorem, & innumera immunda animalia genuere, quorum morsus sunt profecto infestissimi; ab eorum ictibus excitati milites, tanquam ab hostibus exercebantur: vnde ægritudines variæ, ac putridæ subintrarunt; proinde vicissim ex mutuo contactu se infecerunt, hinc mortes quampluriū militum, & morbi pestilentes exorti sunt, adeo tandem creuit mortuorum

Ex nostris quinq; ęgri Puteolis fe ...

1590. strages,& male ualentium cumulus, vt fuerit à medicinæ artis Doctoribus consultum, non esse intra Vrbis mœnia milites admittendos, sed extra tamquam lue captos, & sub custodia curandos, ac segregandos, vnde Puteolos, quæ Vrbs octo circa milliaria à Neapolis sinu distat, transmissi sunt, & inibi in Sanctissimæ Annuntiatæ Neapolis Hospitali locati; satis, sufficienterque rebus necessarijs ad eorum ægritudinem spectantibus cautum fuit, nihilque ad Christianam pietatem pertinens eis deerat, non propterea morbi, & mortalitas liniebantur, sed sumptis audentior viribus illorum corpora,& mentes lacessiebant. Clauum Regni Neapolis sub nomine Proregis dirigebat tunc Excellentissimus Dominus Ioannes Zunica Comes Mirandę; qui Patrum nostrorum pietate cognita, & quanta in Hospitalibus caritate ægris inseruirent, perque domos priuatas erga infirmos in supremo vitæ agone dimicantes, quanta cum modestia, perseuerantia, & orationibus intenderent, idque nostri instituti esse munus, ægris nimirum ministrare, domi nostrę accersito superiore Puteolos aliquot destinādos Patres, ire cōquisiuit; vt cōsuetis misericordię visceribus eos milites tot lethalibus morbis; iactatos subleuarent, vnde in ipsorum caritate fidens cuncta commendauit, potissimum ne vitam absque Sacramentorum adiumento finirent, neque in extremis humanæ sortis passibus tam terrificis sine spiritualibus decederent hortamentis. Destinati sunt extemplo, mihique ex nostris quinque caritate præstantes.

In eam siquidem Prouinciam intrarunt perdifficilem, visique sunt, ac recepti quasi Angelus, qui eò accesserunt veluti commotione aquæ, hoc est misericordiæ operationibus, salutarem allaturi medelam corporibus, pariter, & animabus: Vnde vtriusque Sororis Marthæ scilicet, & Mariæ exercitijs se accinxere. In accessu Patrum maiori cum rigore vrgebant infirmitates, & mortes, & qui vitæ in limine constituti detinerentur plurimi connumerabantur; quibus nostri integris noctibus, ac diebus vicissim ministrabant; potissimum ne quis Sacramentis Ecclesiæ destitutus morti occumberet; iugiter prope morientiū lectos orando peruigiles erant, quoadusque spiritum summo, à quo receperāt, Creatori redderēt, assiduo item, & communiter cū vniuersis ægris sermonē de nouissimis habentes, de peccatorum turpitudine, vel de aliqua alia virtute sermocinantes, spiritalem escam præstabant, Præter hæc, temporalibus, seu corporeis misericordiæ operibus non remisse, aut frigide, sed intense incumbebant, vt quot possent à mortis laqueo eximerent, quos vero lethum raperet, illi vt bene dispositi, diem obirent, PP. studebant. Profecto non parum his stragibus Patres profuere, & eo magis ipsorum tolerantia, & caritas effulsit, quo gens huiusmodi cum sit militiæ addicta difficilius ad bonum trahi solet: vnde laboriosius complacere eius desiderijs insudarunt.

14

Vtraq; Marthæ, & Mariæ, exercitia exhibentes.

Nostri itaque conati sunt distributo sibi inuicem ministerio, hæc principalia infirmis munera exhibere pietatis: primus enim eorum infirmi cæsariem tondebat, quam pectine à vermiculis mundabat, vngues etiam pedum, ac manuū præcidebat; expleto hoc enere, succedebat alter, qui vestibus ægrotum nudabat, & genuflexus ab eius pedibus calceamenta, & caligas extrahebat; Tertius vero paratam peluim habens tepenti aqua repletam, iniectis [illegible] nonnullis odoratis herbis miranda cum attentione, ac dilectione to[illegible] tis vermiculosum, horrendumq; præ foetore, & mor[illegible] luebat, & quasi mater ardens amore confouebat, ill[illegible] miculis purgans, deosculatis eius pedibus ad imit[illegible]

15

Distributio corporalis misericordiæ.

1590.

in nouissima cœna, quod faciendum reliquit; quartus demũ se commiscebat, qui non segnior candido linteo infirmi membra tergebat: postremus tandem, idest quintus sic refectum infirmi corpus ad cubile ducebat, quod si forte gracile esset viribus, ita vt firmare gradus, seu nequiret incedere, tum proprijs vlnis, seu desuper scapulas, ac si Christum Dominum gestaret, ægrum deducebat, quem in lecto mundis linteis strato locabat; hinc Sacramenta iam antea disposito ab eisdem Patribus Nosocomij conferebãtur; adeo valuit nostrorum pietas, & accurata sollicicitudo, vt magna in parte his langoribus remedium sit allatum.

16 Erant profecto hi labores diurni adeo vrgentes, atque ingentes, vt quamuis viceni essent nostri, potuissent nihilominus ipsos in assiduis ærumnis, ac vigilijs exercitos detinere; qui non amplius, quam numero quinque, singulis tamen pauperum necessitatibus suppleuere. His demum diurnis occupationibus nocturnæ vigiliæ molestiores, multoque pœnosiores successere: quando enim corpora fracta, & per totam diem defatigata quieti dare necessum esset, tum in animæ eorum custodia, qui ex hac vita migrabant, peruigilare opus erat; firmi autem, & in caritate radicati, ceu milites indefessi, spectabantur, & veluti habentes ęnea corpora, non quidem laboribus, non vigilijs, non fœtoribus, non sibimet parcentes; at singulis quibusque rebus incumbentes, ægris in omnibus complacebant, & vbi occasio oblata spectabatur, eis inseruiendo, præsto erant, in cunctis prouidentes: pariter etiam super humata corpora inter medios campos ne a lupis, alijsque voracibus belluis discerperentur, nocturnas item vigilias non raro exhibuerunt. Obseruatum à nostris insuper est horum ægrotantium quosdam illato sibi in os cibo, vel sumpto pharmaco protinus animam emisisse, & ex eo prouenisse, quandoquidem ferina fame erant correpti: corpora vero viribus exhausta sternebantur, ita vt nec mãdere escam, nec deglutire valerent, & in ea ciborum appetentia, & virium impotentia deficiebant; nimirum quamuis appetendi vi ob inediam non carerent, à facultate tamen attrahendi alimentum omnino destituebantur, & non valentes cibum attrahere, nec rejcere extra, in eo ipso momento animam exhalabant.

Vigiliæ super cadauera ne à lupis vorarentur.

Multi ægri in ipsa escæ sũptione deficiebant.

17 His accuratis Patrum vigilantijs, quamuis ex parte mederetur tantæ mortuorum, & ægrotorum congeriei, non tamen omnino; nam adhuc morbi inualescebant, equidem spectabatur apertum contagium, seu pestilentiæ facies, & ægri in dies crementum sumebant: itaque aliud alibi, sed eadem in Vrbe constitutum est hospitale, & ita reduplicatæ Patrum ærumnæ, ac vigiliæ insurrexere, modo vni, nunc vero alteri ministerio, & officio spirituali, ac temporali s. intendentes in Nosocomijs; quapropter nonnulli ægrotarunt ex nostris, sed alij Patres vices eorum, vt supplerent, Neapoli ex ædibus nostris à Superiore illò transmissi sunt: horum quosdam mors consumere minime potens fuit, sed a morbo post grauissimarum febrium cruciatum confirmati illuc rediere, alii tãquam dignissima victima, Deoque pergrata in terris corpoream vestem deponentes Cœlos purissimi, [illegible] mus; pen[illegible]arunt, quorum tres extitere, vt ponte, Seraphinus à Galiza [illegible] is, Lo[illegible] aptista Buttico Caetanus, & Angelus à Marca, qui e[illegible] e in[illegible] onore celso cumularunt, dum vitam pro Fratribu[illegible] s d[illegible] dedere. Sed inter hos milites, qui f[illegible] nu[illegible] s vita blandita est an qui ea functi[illegible] uos[illegible] nit, tot spiritualibus suffulti præsidi[illegible] orti[illegible] eritis onusti, & in ipso actu tractand[illegible]

Tres ex nostris in febrim incidunt, ac decedunt.

De

De F. Seraphino Lucensi.

ROmæ Congregationem Frater Seraphinus à Galizano Lucensis XVI. Kal Sept. 1588.ingressus est, inde Neapolim vbi denuo fuerat erecta domus profectus est,omni floruit virtutum genere potissimum caritateerga infirmos in Hospitali iacentes; nullum vnquam abhorruit, nec infirmitatis, nec personæ genus, neue ministerium, quin impenderet, vt ægros leuaret langoribus, compatiendo siquidem infirmabatur cum eis, parens eorum erat eximio illos amore complectens,item famulus in omnibus ministrando necessitatibus, itidem Medicus tum spiritualis ad meliorem frugem honestis colloquijs eosdē impellendo;cum etiam temporalis,aliqua sibi nota,& non vulgata remedia applicans,adeo tandem eis studuit beneficus esse, vt fieret (sicut Apostolus fatetur)cum infirmis ęger,vt omnibus adiumento esset;ac proinde à cunctis secum diuersantibus vehementer diligebatur; non equidem tam ardenter amant hoc cœnosum sæculum, eiusque profanum faustum mundo affixi homines, vt Seraphinus contemptum ipsius, plerumque annuentibus Superioribus,vel saltem minime renuentibus per Vrbis Neapolis publicas plateas incedebat tectus in capite quodam nimio oblongo pileo, vel alio indumento à Religiosis deferri non assueto,vt aspernaretur:& cum pueri,seu alia gens leuis eum irrideret,ipse in sui aspernatione gaudebat, corridebatque illis,offerens maiorem irrisionis materiam; cum animaduerteret domi superior tanto amore in sui ipsius contemptum duci, aliquotiens in extrema tibiarum parte supra talos quosdam ligneos globos circucingi, & colligari pręcepit (ut ab equinis pullis nōnunquā circumduci mos est) & retro funibus alligatos prægrandes lapides trahebat uipedum, gradiendo per Conuentus dormitoria,hinc, & mortificationis satis, & doloris pœnas ferebat,at hilariter cū utroq; doloris,& mortificationis puta genere incedebat.Demum Puteolis,manus ad opera caritatis admouens in militum iam supra dicto contagio ægrotauit,inde Neapolim rursus iter carpsit, ubi post ardentissimā,pestiferamq; febrim,receptis omnibus ægris conferri cōsuetis Sacramentis, uita, seu potius morte solutus, excessit; dum autem in mortis certamine dimicaret,ab impetu vehementi aduentitij caloris taptatus, & pene delirans, ex illius ore hæc edebantur dicta, præbete huic ægro auxilia, ne a lecto decidat, attendite ne ille alius quid mali patiatur, ò nimium beatum os, & plusquam aureum,quod etiāsi deficeret,non tamen in pauperum beneficentia deficiebat, sed radicatam caritatem in pectore,lingua concinabat,& qui sui oblitus aliorum miseriarum recordabatur, at quāmuis suæ mentis impos esset ex habitu tamen caritatis ea dicta prodibant,eamque reminiscendo vitam finiuit, huius Fratris,& duorum iam supra nominatorum corpora in Sepulchro D. Mariæ Agnonis Neapoli condita iacent.

AN-

1591.

Annus Domini 1591. & Religionis primus. Camillus vna & ſocij multis egenis, & lue affectis per Vrbem, & intus Noſocomia opitulantur: litteræ demum Apoſtolicæ erectionis Congregationis in Religionem obtinentur anno primo Summi Pontificatus Greg. PP. 14. Emittitur prima profeſſio.

1 LOCVM Sanctiſſimi Patris Sixti V. tenuit Vrbanus Septimus, cuius ſumma poteſtas velut nubes mox pertranſijt, paucis tantum diebus militantis Eccleſiæ regens Gubernacula à die nempe XVII. Kal. Octob. anno 1590. ad vſq; V. Kal. Octob. anni eiuſdē, qua die migrauit ad Cœlos, inde Cardin. Sfrondatus Mediolanen. ſuffectus eſt, Nonis quippe Decembris vertente anno noſtræ ſalutis 1590. qui nomen accepit Greg. 14.

2 Peracta itaque fluminis inundatione, mare longe ſæuius intumuit, nimirum ceſſante Romæ Termarum dira internicione inchoata extremis diebus Pontificatus Patris, ac vniuerſalis Paſtoris Sixti V. ſæuijt labente poſtero anno 1591 crudelior interitus, & triplex. Etenim Summus Deus iuſtus noſtrorum ſcelerū vindex in Italia maximam rei frumentariæ permiſit egeſtatem, quali maior nuſquā temporibus noſtris viſa eſt, nec immanior, à qua Romæ, perque eius confinia curriculo vnius anni ſexaginta circiter millia perſonarū promiſcue cuiuſq; ſexus, & ætatis trucidata ſunt, & quibus omni gladio immanior fames parcebat, eos dira lues interemit, & multi, qui vtrumque euitarunt, à nimijs frigoribus hyberno tempore inuaſi, mortem oppetiuere, quæ mortalitatis genera veluti ab infecta radice prodibant, ſiquidem à maxima rei frumentariæ inopia; hoc tempore demortui adinuenti ſunt nonnulli ſub aliquo porticu, ſeu publicarum officinarum ſub Menſis, vel ſcamnis, alij per forum deambulando extincti cecidere; res profecto dictu terrifica, viſu autem horrida nimis, quam diuina bonitas in futurum auertat à ſuo gregge: quandoquidem præ fame, vt quōdam propemodum tempore Sanctiſſimi Prophetę Elię canes, & feles, immundaq; animalia vorabantur, & paleas itē, ac fœnum, vt boues, & herbas, vt pecora mandebant; quod plerumque noſtri non ſine cordis graui mœrore obſeruarunt, proprijſque oculis contuiti ſunt; qua in miſeranda calamitate, & clade non ſe auertere retrorſum vigilantiſſimi Summi Pontificis, ac prouidentiſſimi conatus Greg. 14. Immo largiſſimum effudit es, & quo ad potuit omni via, omnique ſtudio tot incommodis, ac funeſtis euentibus præſentanea adhibuit ſubſidia; verum enimuero, quem Deus, cuius iuſtitia eſt ipſemet, punire mauult, nemo medetur, aut alius præter ſemetipſum plagam curat; hinc mors, & pauperies amplius graſſabantur, & inopum lamēta maxime noctu reſonabant, quę-

Fame multi perimuntur

Mm ren-

1591.

rentium panem, quæ profecto efficaciter valuissent suspiria quodlibet etiam obduratum demulcere cor. Hæc lacrymabilis, & miseranda calamitas etiamsi non adeo sæuijsset, potenter tamen flexisset Camilli pectus, suæque Congregationis misericordiæ viscera; itaque ad hoc nobile caritatis opus vna cum suis Patribus se applicuit, qui omnes tamquam strenui Christi milites tot perurgentibus incommodis, quamuis non omnino, bona tamen ex parte, adhibuere leuamen, & iuuamina non exigua præstare conati sunt.

1 Domi nostræ pro Patrum necessitatibus quædam legumina, aliaque ad annonam spectantia includebantur; quorum mane quolibet magnam quantitatem in caccabo coqui P. noster Camillus mandauit, itidemque per Vrbem à Patribus pariter colligi pauperes famelicos, magisq; derelictos instituit, qui aliquando numerum quadringenum excedebant, & interdum quingenum attingebāt; his omnibus egenis in atrio nostri Conuentus sedere dabatur, & postmodum Dominicalis Oratio, atque Angelica Salutatio elata voce promebatur, verba inchoante quopiam ex Patre, reddentibus autē eadem inopibus; hinc singulis dapes ex illis leguminibus, panis, vinique vrceolus suppeditabantur; ita tamen, vt toto eo die enecari à fame prohiberentur. Inter edendum spiritualis etiam lectio inserebatur, quæ illorum mentem recrearet, & ad paupertatis tolerantiā deflecteret, seu à P. Camillo feruens fiebat sermo: tum absolutis cibis Deo referentes, ac Patri nostro grates discedebant egeni; nonnulli autē ex grauioribus, & miserabilioribus pauperibus domi nostrę manebāt, qui à proprijs, & immundissimis vestibus nudabantur, alijsque mundis induti, pexis eorum capillis, membrisque ablutis, & interemptis certo medicamine pediculis, quibus abūde scatebant, proficiscebantur; quinimmo Pater vere Fundator ædium nostrarum quibusdam in officinis paruum constituit hospitium, vbi aliquot ægris grauiter ęgritudine agitatis necessaria ad victum, & medicinam, famulatūq; pertinentia, suggessit, miraque vigilantia curauit, lectisque commodis prouidit.

[Margin: leemosyna PP exhibi t.]

[Margin: Iospitiū in a ædes no ras erectū]

2 Non tantum Camillus, sed multo magis aliqui ex Eminentissimis Cardinalibus, adeo truculentam mortalitatem commiserati sunt; vt proprijs in palatijs quædam quasi Hospitalia erexerint, vbi iuxta cuiusque vires, ac pietatem aliquot miserandos ægrotos curari operam nauarunt, & ne quid illis deesset attētē studuere: amplas itidem alij per Vrbem eleemosynas egenis subministrarūt, nonnulli etiam Amplissimorum Cardinalium, atque Illustrissimorum Principū domum nostram, pecuniam, cibos, pullos, vitulinam carnem, saccarum, bellaria, prædelicatos panes, vina optima, medicamina, resque aromatibus conditas, pleraque alia submisere, vt libentius, ac sufficienter pauperibus infirmis, & egenis subsidia à Patre Camillo, & suis præstarentur: ita sane à nostris prouisum est tot pauperum multitudini, tantæque egestati; vt miraculo adscribi potius, quam humanæ industriæ tribui, fas est; quamuis enim tot centum egenorum victum largirentur Patres, & multis ægris prouida cura, & non leuibus expensis incumberent, & domum nostram alimentis necessarijs, alijsque vtensilibus P. Camillus expoliasset, nihil tamen vnquam defuit, vnde eleemosynas erogarent; immò potius, & pauperibus, & nostris satis abunde suppletum est; vsque modo Patres illius temporis affluentem bonorum omnium opulentiam prædicant, nec quandoque fuisse adeo bene prouisam familiam nostram, vt illis extremis, & miserandis calamitatibus, ita Domino dispensante; vt qui tam celsa tenebantur caritate, ipsi vero nequaquam ea destituti, mœrerent, sed larga manu rependeretur, quod pie alijs erogauerant, iuxta Psalmi versiculum non

[Margin: Liberalitas nonnullorū Eminentiss. Card. commendatur.]

[Margin: Diuinā retributionē præsentaneā circa temporalia sentiūt Patres.]

con-

confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.

3 Tanta caritate ferbuit Camillus, vt si in numero egenorum à se constituto non adesset ea pauperum multitudo, sicut ipse peroptauerat, & domum nostram duci mandauerat; accito socio per Vrbis vias, & viculos, per porticus, & diruta edificia eos queritabat; quos inuentos in conuentum sicut Pastor oues suas, minabat, si quis vero illorum, viam carpere nequiret, ipse propriis brachiis amplexatus vehebat; at si plusquam vnum sic extenuatum inuenisset mendicum, ita fieri à sodali extemplo suo instituit; sic domum quasi triumphans, & veluti Christum Dominum præstringens vlnis, lætabundus festinusq; regrediebatur, vbi illis præstabat, quæcumque opus haberent, plurimi etiam alia maiori roborati refectione, inde proficiscebantur, Sacramentali quippe peccatorum impensa à nostris Patribus absolutione, quorum etiam nonnulli egenorum ad meliora conuersi propter Camilli hortamenta, cæterorumque Patrum, à peccando cessabant: maior siquidem, & celsior erat eleemosyna, quæ illis fiebat redūdās in animum, quam in corpora; nonnunquam ex his quoque alii paucos inter dies ea in optima manentes dispositione morti succubuere.

Tēporaneæ refectioni, spiritualem adhibetur verbi Dei condimētū.

4 Non equidem serui Dei pietas conquieuit in hoc, sed erectus maiori beneficentiæ incendio Camillus vlterius subuenire pauperibus intendit: tempora enim maximis frigoribus rigebant, & inopes propter cooperimenti egestatem, gelida membra morti plerumque dabant, proinde occurrere etiam tantæ exoptans indigentiæ, se Populi Romani munificentiæ commendauit; qui non mediocrem Camillo pecuniarum summam contulit, quibus extemplo perinde atq; prouidus militiæ pauperum Christi dux prouisurus commilitonibus, emit panni, telæ, pileorum, calceamentorum, subucularum, caligarum, aliarumq; rerū ad tegumentum pertinentium ingentem cumulum, his satis pauperum, immo potius Redemptoris personam exprimentium, membra contexit, & à frigoris rigore tutatus est, singulis prout eorum necessitas postulabat impertiens; semota qualicumque personarum acceptione, occlusum iugiter traxit mundani respectus oculum, illum vero caritatis peruigilem. Nonnunquam contigit quosdam pauperes erogata indumenta vendidisse (vt talis generatio, quandoque assolet) vel lusisse, seu aliter à se abalienasse, quibus iam à P. Camillo fuerāt prouisi, ipse vero nihil horum peruestigauit, vel opinatus fuit, vnde nec durior factus illos increpauit perquirens, quid illis, quas fuerat antea elargitus, vestibus, egissent, neue ipsos balatrones, aut nequam; neque egenas mulierculas mimas, vel ambubaias appellauit, sed omnibus splendida manu, vultuque renidenti quidquid postulassent impertitus est; si qui vero Camillum admonuissent, illas personas à se multotiens fuisse vestibus bene prouisas, & propterea reprehensionibus flagellatas, vacuasque dimittendas, quibus respondebat eos in paupere Dominum non contemplari, & propterea ita loqui; neque ipsum in eroganda eleemosyna iudicis, aut exactoris personam agere, at quidem benefici Patris; hinc à Camilli præsentia pauperes gaudentes ibant, assequendo, quod postulauerant; illi autem noui eleemosynarum inquisitores correpti ora claudebant.

Multi pauperes a Camilli prouidentia vestibus tegūtur

5 Quidam etiam ex pauperibus deambulando fortuito obuiam Patri Camillo fiebant, at quoniam vestes obligurierant, quibus fuerant ab eo circumamicti, statimatque ipsum in conspectu haberent, in fugam se conijciebant, at vero Camillus eos insequebatur celeri pede, non sine sui vlceris graui dolore, quo laborabat in tibia (vt sæpe recensitum à me est) donec properando ad illos pro-

Aliquos egenos plusquā semel indumentis contexit.

pin-

1591.

pinquaret, quibus placido sermone persuadebat, velle secum ire ad ædes nostri conuentus, vbi iterum, quæ necesse habebant in prõptu erant. Interdum vero per vias ægri adeo viribus inbecilles, & algentes se se obuiam fecere, vt vix ob frigoris acerbitatem se dimouere possent, quos ipse, quemadmodum erga pullos, quos gallina fouet, apertis pallij alis complexabatur, & paulatim ad nostrorum ædes, vel Nosocomium ducebat, vbi amantissime refocillabat, at si omnes numero essent pluriores quam suum pallium conteggere valeret, ad socium refundebat remanentes, vt similiter ageret, & sic vna gradientes eos confouendo ducebãt ad loca præmemorata, nimirũ siue ad nostras ędes, seu ad hospitia Vrbis communia: intentus siquidem fuit Camillus non tantum in dilectione, & beneficentia pauperum proficere, verum etiam eo igne quo ipse erat incensus sodalem, & omnes incendere.

Præsto ẽ cuidã pauperi in Vrbis coacla iacenti

8 Certior enim factus est Seruus Dei, quemdam ex egenis pene mersum in publica Ciuitatis Coacla iacere, vt audiuit omnia posthabens, pauperem adijt, inuenitque, erexit, ac si ditissimum thesaurum, vel speciosissimam in Cœno margaritam inspexisset, abstraxit, & à sordibus immundi loci manibus, ac linteo, vestibusque abstersit, & secum duxit, non secus atque cum celso quopiam viro comitatus incederet; & quem alij horruerant, ipse complexans ad Nosocomiũ euexit, vbi abluto corpore infirmo, ac sordido tepenti aqua nonnullis adiectis redolẽtibus herbis refocillandum locauit supra stratum; erat enim solertissimus has miserandas in conquirendo personas, & quasi Euangelicus venator prædam peruestigabat, vt totis conatibus si posset corpori opitularetur, secus occumbentes in Regnũ, vt transirent Cœlorum, quam valuit operam impendit. Vndequaq; enim abditissima latibula perlustrabat, vt quibusuis inuentis miserandis personis beneficio esset.

9 Ad hoc opus persoluendũ, quia non vnius, sed multorum postulabat auxiliũ P. pauperum Cam. sibi octo PP. asciuit, qui Vrbẽ peragrarerẽt, potissimũ vetustum, ac magnum Vrbis amphiteatrum, quod appellant Coliseum, stabula, antiquissima ædificia, & murorum vetustissimas ruinas; construi item fecit (quid non boni suggerit caritas?) Camillus ad hunc effectum duo feretra (si ita ea vocari licet) nigro panno obducta, circumducto tñ in summitate ad instar fornicis, subtus vero, vbi infirmi quiescit corpus, substrata culcitra iacet, & similia sunt puerorũ cunæ; ibi satis cõmode ægri vehuntur, vnũ ex his adhuc in nostris ædibus Romæ asseruatur, quo poscente occasione nostri vtuntur. Quodlibet à duobus portitoribus circũfertur per duo ex vtraq; parte prominẽtia ligna, seu capulos, vt mos est, & inspicitur in sede ductili; præter hos portatiles lectulos (sic congruentius ea liceat appellari) secum habebant Patres, qui illos sequebantur, ad ægros refocillandos nonnulla esculenta, vt oua recenter nata, dulciaria, pretiosa vina, iuscula, optimum panem, his rebus satis commode prouisi per Vrbis diuerticula, angulosque quasi per cuniculos mendicos fame, innumerisque alijs, quæ secum dira fames trahit incommodis vexatos, aucupabantur; cum enim peruenissent ad cryptas, ædificiorumque ruinas, quæ poterãt proculdubio viuentium sepulturę æquari, nostri Patres voce sublimi clamitabant (quia prorsus omni luce ea loca carentia lanquebant) Iesu Christi filioli saluete, sæpius ipsamet verba replicantes, quoadusque, si ibi adessent personæ, dignoscerent, per quemdam potius tamquam mugitum, seu lamentum, quam per vocem articulatam, & statimatque illis adhærebant, inde ipsos pene morte consumptos abducebant, si quos obijsse animaduerterent sepulturæ mandabãt,

Labor, & pietas in perquirẽdis egenis per loca Vrbis abdita, quos refocillabãt

viuentes

1591.

viuentes autem aſpectum tetræ mortis oſtendebant; poſt ſanè refectionem; ſi ſtare poterant, & incedere ad Noſocomium comitantibus Patribus dimittebantur, alij vero, qui præ morbi grauedine, & crurium imbecillitate progredi nequibant in eo decumbentes loculo, vel potius (vt dictum eſt) anguſto lecto, noſtram domum, ſeu ad Hoſpitale portabantur; ſed quis miſerandos huiuſmodi perſonarum caſus aperire audebit? profectò nullus quamuis in litteris eruditiſſimus, & lingua diſertiſſimus; quia nemo inſpexit, quæ ea tempeſtate operati ſunt Patres, ſolis attentiſſimis, ac vigilantiſſimis Dei oculis ſcire reſeruatur. Operoſius eſt enim eam velare faciem ſatis mœroribus confertam, quæ pennicillo calami, & atramenti colore nequit exprimi: viſæ ſunt matres ſupra demortuas filias cubare; quaſi vterus, qui filiæ ad vitam habitaculum fuerat, modo defunctæ tumulus euaderet, & Patres vna cum ſuis natis vita extinctis conglu tinatos iacere obſeruatum eſt; ab eorumque ſinibus magna vi, & labore, atque poſt multas tranſactas minas extrahi natos dabatur: itaque parentes, neq; ſibi, neque proli auxilio erant, ſed vnus alterius cauſa certæ mortis, & vnus deſuper alterum animam emittebat; quod amplius, & multum referebat, erat graue periculum amiſſionis ſalutis æternæ.

10 Sed libeat ſingularem caſum in medium adducere. Fuit enim genitor, qui his in antris filium in vere ſuæ adoleſcientiæ coram ſe fame peremptum intuitus eſt, abſque eo, quod poſſet illi aliquid afferre iuuaminis, vnde in deſperationem actus, vſus eſt eo, quaſi puluinari, caput ſupra demortui geniti mēbra declinans, tali modo crudele lethum ipſe quoque expectans: ad quem accurrens Camillus, quodq; admirans ſpectaculum continere non ualuit lacrymas, & mœrorem propter animæ amiſſionis periculum illius pauperis: hinc prorſus nitebatur Patrem ab ea peruerſa opinione reuocare, ſed omnino calcitrabat, obſtinatiſſime affirmans nolle ſegregari à filio, quem genuerat, ſed ibi pariter cum illo velle vita ſpoliari contendebat: multum fecit, dixitque Camilllus, & inſudauit, vt ipſum ab eo peruerſo dimoueret propoſito, quod demum nō abſq; minis, & hortamentis, quaſi per vim obtinuit. Huiuſmodi inopinati caſus non raro ante oculos Patris Camilli, & ſociorum obuiam ire videbantur: at quoniā corpori, & potiſſimum animæ erant valde nocui; admodum acute, quaſi lancea ipſorum pectus transfodiebant.

De viro, qui nitebatur vna cū nato emori.

11 Accurata Camilli vigilantia cuncta perluſtrabat, vt pauperibus tanto calamitatis tempore ſuam operam, & iuuamen interponeret: agnouit octo, ſiue potius decem ex eis quodam in ſtabulo deliteſcere, ad quos celeriter deuenit Camillus, & amantiſſimis verbis illos mendicos deſolatos, & in ſtercore ferme demerſos conſolatus eſt, tutos eos reddens ab Vrbis Gubernatore non puniendos propter quamdam ab ſemetipſis inobedientiæ culpam admiſſam, ſpopon ditque ſecum ire ad Hoſpitale, vt tutiores, ne caperentur à ſatellitibus, fierent; crediderunt egeni, ſecum traxit; dum enim Pater pauperum Camillus, & pauperes vna procederent; iuxta templum Diui Rocchi, quidam ex eis viribus deſtitutus procubuit media in via; quem proculdubio ſupra ſcapulas impoſitū, vel deſuper vlnas, vt alias effecerat ægri corpus ad Hoſpitale traduxiſſet, & animatum infirmi vehiculum euaſiſſet, ſed oberat, ne in aliorum iuuamine, & amore deficeret; dum enim anceps firmiter ſtaret, en inde currum pertranſire intuitus eſt, vbi plures viri perilluſtres vectabantur.

Decem circiter egenos a lutulento ſtabulo in Hoſpit. ducit Camil.

12 Bene Cupido cæcus effingitur, propterea quod agenda non bene ſcrutatur, ſed à vehementi ducitur paſſione; vt illud euulgatum axioma explicat, trahit

1561.

ſua quemque voluptas; militat hoc quodammodo in ſpiritualibus, at verò quam meritoriè; vnde nil profectò Camillus mente intendens præter pauperũ emolumentum, in quos vehementiſſimo ferebatur amoris affectu; ab illis Dominis incuntanter, reuerenterq; petijt, ægrum mendicum intra carpentum ſecum ducere velle ad Hoſpitale; ſiquidem ignorabat, quomodo illum poſſet, abſque aliorum inopum detrimento, eò traſuehere: hi ſiquidem nobiles viri animo, & ſanguine ſuſpenſi aliquantiſper ſtetere,& ſubridentes ſe inuicem contuebantur, conuerſaque ad ſeſe ora tenabant, demum vnus poſt alterum omnes deſcendentes totam Rhedam vacuam Camillo, & mendicis conceſſere; vbi Camillus eueſtigio eos omnes locauit: medius inter ipſos, quaſi corona puriſſimo auro redimitus, nimirum caritate, calcato mundi fauſtu, & tamquam maieſtatis in curru triumphans, vt olim illi ſtrenuiſſimi Cæſares, ducebatur; cum igitur ad Noſocomium perueniſſet,in cubilibus curandos,ac refocillandos, ſtuduit ſingulos deponere.

Obtinet carpentum, in quo pauperes vehit.

13

Quæcumque intra Vrbem,& extra Hoſpitalia exiſterent,egenis,atq;ægrotis eo tempore conſtipata contuebaris: at noſtri auxilia cunctis quoad eorum poſſe ſe extendebat ſuggeſſere;potiſſimum in Sixti Noſocomio plurima infirmorum,& mendicorum copia alebatur,hic paucos intra dies ſupra ter mille ex eis vita vacarunt; huius loci amplam meſſem, & miniſtrorum defectũ conſiderans Camillus, illis ſe parauit opitulari: vnde vna cum octo ex noſtris Patribus eo ſe contulit;vbi adeo ſimul cum ſuis,illis pauperibus famulatus eſt,ac ſi tum miſericordiæ opera exhibere inchoaſſet, qui non quaſi fracti, vt erant,ac pene conſumpti ab elapſis defatigationibus,veruntamen perinde ac in quieto,ac refrigerij loco diu fuiſſent demorati, ibi operati ſunt; Camilli enim, & ſociorũ ſolatia hæc erant,pro Chriſto Domino, ſuiſq; membris integras noctes, dieſque defatigando inſomnes ducere; quandocumque opus foret parati etiam libenter,ac liberaliter vitam profundere pro ſuis, quibuſcum nimia dilectione obſtringebantur, Fratribus egenis, ac ope deſtitutis.

Aegris in Sixti Noſocomio noſtri præſto ſunt.

14

Hoc in opere Camillus, ſuique mira patrarunt,mirabilioraque perpeſſi sũt: etenim à lethali fœtore iugiter,& grauiter diuexabantur:veſtes pauperum quãuis in flumen fuerint omnes deiectæ, quod adiacet ipſimet hoſpitio Sancti Sixti; attamen tanta pediculorum copia ibi ſe congeſſit, vt nulli loco parcerent, proinde ſupra menſam,ſupra indumenta,ſuper panem,ac dapes,quaſi volantes coaceruatim circumibant omnia fœdantes,qui extingui omnino nequiuere, quorum ictus ſummos dolores inferebant: quocirca horum hominum iſtic miniſtrantium vitæ genus, iuge appellari tormentum digne creditur, vel quodãmodo Martyrium æſtimari poterat;hinc ex fœtore,putoribus,vigilijs,& nauſea tantarũ rerum naturæ inimicarum, Patrum illorum ſtomachus coactus eſt debilitari, adeo vt ad continuum vomitum impelleretur;quidquid enim cibi,uel potus ſumpſiſſent,mox reddere vomendo coacti ſunt,quapropter omnes grauiſſime ægrotarunt, præter Camillum, qui à Domino propter maius opus ſeruatus eſt; tres ad uitæ terminum deuenere,& poſt grauiſſimum, ac diuturnum morbum,ita Domino ſibi complacente,incolumes euaſere,quinque uero reliqui à uinculis exuti carnis,ad celſa Cælorum ſpatia,& immenſa euolarunt(ſic credimus)hi fuere Leonardus Magnani Ferrarienſis,Horatius Totius Florentinus,Horatius Zompillus Neapolitanus,Benedictus Michael Appulus, & demũ quidam Nouitius nomine Horatius ex Vmbria, quibus etiam ſi non ferrum, nec laniena uitam ademerit,palmam autẽ quaſi ſpeciei cuiuſdã Martyrij con-

Multa pertulere in Sixti Noſocomio incommoda noſtri

ſecutos

ſecutos eos eſſe, mens pia fateri inclinatur,

De Fratre Horatio Totio.

15 HOratius Totius Florentinus Romæ receptus eſt in Congregationem 1588. Menſe Ianuarij Clericus,& Beneficiarius in ſæculo. Vir ſiquidē non communis expectationis,cuilibet enim applicitus obedientiæ oneri, mira prudentia,atq; ſufficientia perſoluit:hic poſt alios decurſos labores, ac onera pietatis, in eo Sixti Noſocomio defatigans onera Superioris geſſit, itaque laborum ſarcinam geminatam ſenſit,ut ægris quippe iuuamen,& noſtris exemplo eſſet,propter hoc enim,licet inuitus ſumpſit penſum honoris; itaque ob ærumnas,& exercitia caritatis inibi adhibita,demum letho conſumptus eſt, & in Eccleſia Diuæ Mariæ Magdalenæ ſepultus; eius obitum lacrymis decorauit Camillus, qui eum ſuperſtitem propter optimam ſui expectationem habere maluiſſet. Fuit enim Scriptor parui voluminis commendationis animæ, & primus noſtrorum omnium,qui memoriæ ſcripta proderet. Attamen humilitatis ſtudio libellum ſub auctoritate publicauit Patris Pauli Cornettæ Congregationis noſtræ Sacerdotis,cuius iam meminimus antea.

Primus ſcriptor parui voluminis commēdationis animæ.

De F. Leonardo Magniani.

16 FRatri Leonardo Magniani Ferrarienſi poſt tranſitum in Congregationem anno 1590. Menſe Settembris impoſitum eſt à domus Superiore onus purgandi omnium PP.ac FF.veſtes,& interulas, quo in opere, ſeu obedientia miræ ſufferentiæ reliquit exempla, quæ hilariter ab eo exhibita eſt pro illo, qui vitam libenter ſuam pro nobis tradidit Dominus IESVS. Verum ex hac defatigatione in locis valde humidis peracta, non in otia læta receſſit Leonardus, ſed aliam periculoſiorem, & lethalem ingreſſus eſt Prouinciam,famulandi quippe ægrotis in præfato Sancti Sixti hoſpitio, vbi tot ærumnas,quas antea commemoraui ſuſtinens, à morbo inuaſus eſt, quare ex eo Xenodochio eger migrans domum noſtram in manu Patrum(vt moris eſt in Religione)poſt recepta Sacramenta,deceſſit Non.Feb.decurrentis anni 1591.breui enim tēpore magnam gloriam honeſtis actis adeptus,inuenit. Diuæ Mariæ Magdalænæ Templum eius oſſa claudit.

De F. Horatio Zompillo.

17 HOratius Zompillus Neapolitanus vnus extitit ex glorioſis illorum temporum Athletis,qui contra mortem dimicauit.Conſueuerat autem Pater Camillus hanc proferre ſententiam, militem generoſum in bello,peritum Mauclerum in mari,& perfectum infirmorum Miniſtrum ægris opitulando animam edere; quam diſciplinā veluti ſagax in Camilli ſchola aſſecla didicit, & obſeruauit Frater Horatius, qui propriam domum, parentes, ac Patriam flocci faciens, Romam adijt; vnaque cum reliquis eius ſocijs, à Patre Camillo Non. Mar. 1589. Congregationis indutus eſt habitu Romæ, inibique Patris Camilli veſtigia ſectando, ac præcepta, ea calamitatis tempeſtate ipſum ęmulatus eſt; ſecum ægris in Monte Quirinali miniſtrauit, per Vrbem,& per Cryptas,perq; ſtabula, atque ruinas ædificiorum mendicos, ægrotoſque conquiſiuit; illos ad

Ho-

1591.

Hoſpitia, vel ædes noſtras ducendo, in Diui tandem Sixti Noſocomium; vt in eo pauperibus inſeruiret languentibus à Patre noſtrò miſſus eſt, cumque diu ob illorum emolumenta ad animum, corpuſque ſpectantia elaboraſſet, & mul-ta ſuſtinuiſſet incommoda, & vigilias obedientia demum, patientia, & caritate illuſtris diem ſuum obijt. Qui ſicut, & reliqui quatuor Fratres Sacramentis Ec-cleſiæ decoratus ſepultus Romæ eſt in Templo Diuæ Mariæ Magdalenæ.

De quodam delato ægro ad Noſocomium, qui poſtea non apparuit.

18 His ærumnoſis tempeſtatibus ſimul duo Patres, vnus quia adhuc vitam ha-bet comitem, ideo res eius geſtas, & nomen ſilentio cælari bonum iudico, al-ter vero F. Stephanus à Modina per Vrbē ſimul incedebant intenti, ſiquis pau-perum eorum indigeret opera; Per fornaces in porta Beatiſſimæ Virginis po-puli diſcurrentes, ibi comparauit adoleſcens quartum prope luſtrum attigens, languens, tremenſque frigore febris (vt ſpectabatur) expers (quod grauius erat) omnis adiumenti, tecti, ac tegumenti, & quaſi vicinam mortem expectans; quem oculis miſericordiæ Patres complexi ſunt, præſentaneum illi auen-tes adhibere leuamen, & ad Noſocomium transferre Sancti Spiritus, aſt lan-guidus magna corporis mole grauabatur, via quoque vltra milliarium extenſa interiacebat, quæ pariter à curruum, atque virorum, mulierumque frequentia præpediebatur, concurrēte die eodem veneris Martij in Diuí Petri Templum: propterea ancipiti animo Patres erant fluctuantes, an tranſituri eſſent per tam ingentem hominum conſtipatam cateruam; tandem interius tacti, vicit amor, & excitati pietate, pauperem contemptum non contempſere, ſed hinc inde ma-nibus cohærentes, ſtrictim illas ſimul colligarunt inſtar ſeſſionis eas cōponen-tes, in quorū medio collocatus reſedit eger; cuius brachia ſuper collum vtriuſ-que Patris ſita laxabantur, caput vero ceu cadaueris hinc inde agitabatur; deā-bulando quidem obſtupebant, propter miram, qua illum ducebant agilitatem, & quem prius poſſe à terra vix eleuari arbitrabantur, modo nulla turbati mo-leſtia, & pene nullo aggrauati pondere facile viam conficiunt; erat enim pro-miſcui populi præteriens frequens concurſus admirans, qui loco reuerenter cedebat, atque Patrum caritatem maximopere, nouaque pietatis genera, & à paucis inſigni miſericordia viris exhibita commendabat; Demum ad Hoſpita-le ductus eſt ab eis eger, & deſuper gradum Altaris Venerabiliſſimi Sacramē-ti extenſus decubuit, quod ſitum eſt in medio Noſocomij ſupradicti S. Spiri-tus, depoſito ibi infirmo, ſtatimatque Aeconomum intra memoratum Hoſpi-tale commorantem vocatum iuere, vt continuo eger ad extremum vitæ pe-ne poſitus locaretur in lecto, nullius quaſi moræ, vel modicæ facta eſt interpel-latio, indeque reuerſi ad locum, vbi poſitus fuerat, infirmum omnino non inue-nere, quamuis exactiſsima adhibita ſit inquiſitio, & locorum ſpeculatio, & ſer-uorum ianuæ cuſtodum ſtrictum ſcrutinium; itaque egrum peſsimo morbo af-fectum, quem arbitrati fuerant, mutata ſententia ſpiritum aliquem fuiſſe Ange-licum ſub ea forma opinati ſunt, ad cōprobandū quantū Deo placeat ea beni-gnitatis exhibitio; vnde poſthac gaudentes nullo timore, vel rubore perfuſi, quodlibet pietatis officium ardenter exequi non erubuere.

19 In præmemorato Sixti Noſocomio valde creuit pauperum ægrotantium co-pia morborum malignitas, & cadauerum ingens aceruus; quapropter timor de aliquo peſtilenti morbo omnes inuaſit, quandoquidem ex eo peſsimus fœto-ris halitus emanabat, quocirca cūctos cæpit animi conturbatio, & rationabilis, ne forte puta hinc contagium in vniuerſam Vrbem redundaret; decreuerunt itaque Romanæ Vrbis Domini Gubernatores ex placito Beatiſsimi Patris

Greg.

1591

Greg. 14. recentem aperire locum, & Sixti Noſocomium tanta ægrotorum cõſtipatũ multitudine minuere. Quapropter in via quam vocant Rhedarum in planitie prope os (vt appellant) veritatis permagnum horreum conduxere vndequaque ſegregatum publicis vis, magnaq; area, quamplurium capax ægrotorum; ibi quatuor circiter centeni locati ſunt ægroti, quorum pars maior a Sixti Noſocomio illuc tranſuecta fuerat, partim vero recenter, & in dies; occurrens admittebatur; Patri quidem Camillo huius Hoſpitalis cura, & Regimen iuſſu iam dicti Summi Pontificis demandatum eſt, vt vna cum ſuis Patribus adeo perurgentibus opem ferret damnis, ac neceſſitatibus, eaque tempeſtate iuxta proprium inſtitutum adiuuamen forent in Vrbe. Non enim Sanctiſſimus Pontifex Camilli, & ſuorum beneficentiam, zelumque animarum, & corporeæ ſalutis pauperum ignorabat, atque in his idoneitatem: quandoquidem in Monte Quirinali ipſemet plerumque id obſeruauerat, proprijſque luminibus inſpexerat proinde hoc onus illi, ſuiſque Religioſis iuſſit imponi; & pro rebus neceſſarijs parandis ex Summi Pontificis prouidentiſſima manu, populoque Romano, alijſque Eminentiſſimis Cardinalibus, ac Dominis nouem circiter aureorum millia, fuerunt erogata, & à Patre Camillo fideliter in eo Hoſpitali expenſa; Camillus animo libenti hoc laborioſum pelagus adnauigauit; propterea quod de pauperum, & ęgrotorum ſumenda cura, cauſaq; tractanda agebatur, quibuſcum, vt amantiſſima parens indeſinenter ſe geſſit, famulatuſq; eſt, & quamquam pro illorum ſubleuandis miſerijs nimia feciſſet, ac dura pertuliſſet, nunquam ſibi tamen ſatisfeciſſe putabat; optabat enim ex animo nullo momento ab eorum ſeiungi lateribus, nihil deſerens ad animæ ſalutem ſpectans, nihil ad corporis valetudinẽ, quin exhiberet; ex hac vero vita, qui migraturi erant, Sacramenta conferri prouidit, & alia ad æternam beatitudinem ducentia ſolerti vigilantia obiuit, commendationis animæ præſidia attentiſſimè ſubminiſtranda ſtuduit, corpori parans, atque ſuggerens potiſſimum grauioribus aptiſſima, ac pretioſiſſima remedia; nil niſi in ipſis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum (vt ſæpe ſignificatum eſt) contemplans, tunſas, plerumque margaritas, aliaque ingenti pretio medicamina comparata in dapibus, atque in pharmacis comedenda, vel ſorbẽda præbuit; erat enim indefeſſus, & conſtans, quaſi marmoreus, in quouis intererat ærumnoſo, & mortis periculis pleno, labore, quietem corpori concedens quatuor tantum, vel horarum quinque, & nõ amplius, fracta quidem membra ſub ſilentio noctis compoſitis prius rebus Hoſpitalis, & infirmorum ſupra grabatum ſternebat; interdum pernox vigil excubauit ſuendo, ac reſarciendo ægrotorum culcitras, ſiuè ſtramenta, ne mane ſuperuenientibus ægris cubilia abforent, ſed cuncta præſto eſſent.

Sumit Pater Cam. curam Noſocomij Rhedarum.

Abſumit Cam. integras noctes in reſarciẽdo, vel componẽdo culcitras.

Maximas quoque laborum preſſuras vigilias, ærumnas reliqui item Patres in hoc Noſocomio Rhedarum ſuſtulere, ſingula recolere, quando ſupra plura narraui peroſum cenſeo: idcirco tot oneribus noſtri grauati infirmati ſunt, mortem glorioſam, quorum non pauci ſubiere, horum nomina in libro vitæ exarata notari non incongruè perpendimus: etenim nobis ipſorum pietatẽ è vna cum reliquis generoſis factis vetuſtas temporum antiquauit. Decem, & tres per id ferme tempus relatum ſuſcepi, tamquam mundiſſima, victimas, Deo immolatas migraſſe ad Cœlos in hoc Noſocomio propter ſuſceptos labores, & in tãto calamitatis pelago iactatos: tanta itidem ægrotantium pauperum multitudo inibi extincta eſt breui dilapſo tempore, vt in ſepulchris, atq; vicinis cimiterijs mortuorum corpora recipi nequirent. Demum, & ipſe Pater Camillus grauiſſime

In hoc labore 13. ex noſtris vietam finiũt. Cam. aut grauiſſime infirmatur.

1591.

ægrotauit, sed à morbo Deo protegente confirmatus est, qui pristinum institutum, atque propositum simul, & labores arripuit e vestigio. Qui licet à Beatissimo P. Clem. VIII. data fuisset venia etiã comedẽdi carnes ob suas ægritudines, & assiduas Hospitalis defatigationes nullo dẽpto die, ipse tamẽ integro quadragesimali tẽpore ieiunauit strictim, nec in minimo serotinã excedens refectiunculam visus est, itaque (ad nostrum retrogrediendo propositum) in ægrotorum, & Hospitalis beneficentiam ære consupto, quod nactus fuerat à narratis personis, vnde illos aleret non sciebat: sed hinc domi nostræ quandam pecuniarũ summam quingentorũ quippe aureorum adinueniens, vnde Patribus in ea calamitatis miseria quotidianus victus suppetebat, quibus statim Camil. domus superiorem expoliauit, honestius arbitrans in communia pauperum emolumenta effundere; quam sibi, suisque seruare.

Pecuniarũ quadã sũma domum vacuat.

21

Aliud quid maius hoc tempore exegit Camillus. Cum enim omnia in opitulandis pauperibus, & legumina, & æs, & vestes erogasset, quę domi nostræ adinuenit, tandem aliquando farinæ tantum saccus remanserat; itaut Congregatio quodammodo vna cum pia Serephtana Vidua fari poterat; habere tantum pugillũ farinæ in hydria: qua domũ expoliauit Camil. & in pauperum alimenta conuertit, non absque tamen Superioris mœrore, destitutam omni adiumento re silicet, & pecunia contuens ædem nostram. Vir ergo Dei Camillus ipsum, ac reliquos Patres firmiter in Dei prouidentia constabiliuit, quæ suorũ nunquam obliuiscitur, quominus eos affluenter prouideat, profecto illam cõfestim sunt experti; quandoquidem pistor, & quidem ignotus, panis quantitatem, qua opus habebãt quotidie Patribus præstitit, qualem, & adeo delicatã ad vsque id tempus non præsagiuerant, soluendam equidem adueniente frugifera annona, & pecuniæ opportunitate præseferente.

Et farinæ sacco expoliat Camil. domum nostram, vt ægrotos aleret.

Reg. 4. c. 17

Hactenus nostri eleemosynas pro seipsis alendis quæsierant, hac vero tempestate pro pauperibus, & ęgris vestiẽdis, alimentisq; erogandis, ostiatim emẽdicant. Adeo enim inopia creuerat, vt per Vrbem, nec panes comparari, nec flagitando illum eleemosynaliter obtineri via aliqua posset; propterea Camillus Dominum annonæ prælatum adire decreuit; ab eoq; sibi aliquot frumenti mensuras, seu rubios (sicuti Romæ appellant) pretio mediante concedi precatus est; cui annonæ præfectus se daturum negauit, non satis esse asseuerans, quod in horreis claudebatur ad dispertiendum ea die per Vrbis pistores, ne fame populi cæderentur, cuius non acquieuit Camillus sermoni, sed suorum ægrotorum, ne grauiter paterentur, indigentiæ magis attendẽs, aliquanto acriter vocem extulit, se coram Sanctissima protestari trinitate, si eius infirmi quid detrimenti sentirent, illumque vocare in Dei summi iudicium, tamquam pauperum desertorem, minime inopibus, & ægris opem ferendo; hæc postea quam alte elocutus est, inde profectus ab eo se discreuit; Dominus vero iam dictus annonæ prælatus, quodammodo in timorem actus, zelum Camilli erga pauperes admirans, eum vocari repente iussit, cui tritici quantum efflagitauerat dimetiri repẽte mãdauit, & profecto Romana Vrbs tũ tenebatur summa frumenti inopia. Visi sunt etiam Hæbrei in ea ægestate nostris largas eleemosynas panis suppeditasse, solum ob intuitum caritatis nostrorum, & profusæ liberalitatis erga pauperes, & infirmos, & iuge ministerium, quo ægris ardenter famulabantur.

Emendicant nostri, vt pauperibus subsidio sint.

22

Adeo Camillus ob assiduas defatigationes, in dextra tibia, vbi insidebat maius vlcus, diuexabatur (nã in sinistra quoque tibia plaga iuxta pedis iuncturã

magni-

magnitudine vnius manus inſidebat) vt quaſi demortuã raptaret, quam omnino erigere nequibat, tanto autem pro infirmis laborando capiebatur amore; nec vnquam ab opere miniſterij infirmorum quieuit, niſi plurimum in eum dolorum ictus irruerent, itaut prorſus eam dimouere nequiret, ſed aliquanto melior euadens ab ægritudine ad interpellata opera pietatis ſolertiori manu recurrebat: ita faber interdum laſſus, ab igniti ferri percuſſione vocat; vt inde facilius ardens ferrum extendat, reuerberando, & quaſi nouus operarius inchoet validior laborem.

Nunquam ceſſat à labore, niſi ut gentiſſime torqueatur ab vlcere, et aliquantum miteſcente dolore illũ reſumit.

23 Præſe obtulit inter hos ærumnarum fluctus formidabilis euentus ad terrorem malorum hic interſerendus. Fuit enim eger in hoc Hoſpitali receptus, qui ex ſermone ſe eſſe picenum indicabat, iuxta morem à Patribus confiteri ſuaſus, libere ſe nullam cum Eccleſiæ Sacramentis partem habere velle impie perfeſſus eſt, quandoquidem iampridem ſe dederat diabolo, & cum eo quamſtrictam contraxerat familiaritatem, quodam mediante Chrirographo, quod propria manu, proprijsq; ſanguinis characteribus obſignauerat, atq; ſubfirmauerat à frontis vena hauſti, non propterea à Confeſſionibus Pater ad pœnitentiam, ac Diuinam Spem ægrum erigore neglexit; miſerendi tunc eſſe tẽpus oſtendens, quandoquidem humanam qualẽcumque prauitatem Dei benignitas exſuperat, maiuſque crimen deſperando contrahere, quam illud, quod patrauerat dæmoni adhærendo: nõ ſatis illi fuere minæ, nec preces, vt ab ea remoueretur peruicacia, quamuis multum & diu inſudaſſet (tunc enim aberat P. Camillus) at Confeſſarius ipſum linquere ratum habuit, intra ſemetipſum reuoluens, forte poſtquã quieuerit, reſipiſcet; hora iam properante noctis, idẽ Sacerdos in cubiculum dormitum iuit, onuſque nocturnæ cuſtodiæ famulo impoſuit, quippe vt inuigilaret, ſollicitumque ſe præſtaret in illius ægroti animaduerſione, ex eo quia Confeſſionis Sacramentum minime ſuſceperat, grauiterque ægrotabat, omnem adhibuit cautionem vigiliæ cuſtos, vt ad pœnitentiam induceret, ſed fruſtra laborando contriuit tempus, & voces, quandoquidem per ſingula momenta peruicacior euadebat, cæterum eo prætermiſſo ad alterum ſe tranſtulit grauiorem ægrum; at poſtmodum ad impœnitentis infirmi lectum regreſſus eſt; ſed in eo (res quidem horrenda) ægrum non inuenit, præ ſtupore eius vires pene defecere, diſcooperuit linteos, ſpeculatus eſt attẽte ſub lecto, quem prorſus non reperit, ſolummodo interulam, & pileolum linteum Xenodochij ſtigmate obſignata ſuper cubile locata, & reperit, plura ſic mente, & manu volutauit Miniſter, hinc demũ cũctos expergeſecit famulos, totãq; domũ per loca ſingula, & abdita perluſtrarunt, & licet fuerit diligentiſſime conquiſitus, nullibi tamen adiuuentus eſt, auget terrorẽ; quia media noctis hora, quæ tum inſtabat, Hoſpitalis oſtia, ac feneſtræ clauibus, ac repagulis obſerata, & vndequaque impenetrabilia tuebantur. Sed quid plura? quo enim erat iturus grauiſsimo morbo æger captus, & nudus? cuius poſtea veſtimenta Hæbreis vendita ſunt, & ſub noctis dimidium, occluſis oſtis, quo erat proceſſurus? eo magis quia Sacerdos à Confeſsionibus eodem momento, quo minime intuiti ſunt ægrum, ſibi concuti nimio, & horrifico motu cubile, cellamq; perſẽſit, & repente accenſus rogus apparuit illi in viſu, ſimulatque veſtibus ſe prę cinxit, & in ægrotorum dormitorium cucurrit, ſinguloſque lectos vna cum famulis peragrauit, nihilque [illegible] ſpectauit, præter illius carentiam, qui nefario corde, & obdurato ſe diabo[illegible] per ſchedulam addixerat, ab eoq; vna cum corpore raptum eſſe non immerito æſtimarunt, in inferno cum proditore Iuda,

Lib. 1. c. 27. inter acta vitę P. Cam.

Quidã horrẽdus caſus in Rhedarũ Hoſpitale incidens.

dæ-

1591.

dæmonibusque torquendum; hæc, & alia persimilia his scelestis hominibus truculenta damna expectanda sunt: non enim credendum est ipsum impœnitentem hominē à dæmone primis in congressionibus ductum esse proprio sanguine ad formandum Chrirographum suæ damnationis; sed gradatim de vno in alterū ab eo deductū esse scelus, & ad hoc demū malorū Barathrū irruisse certo creditote; sed ad lætiora transire mauult calamus, exoso inferni fætore.

De Fratre Henrico Barbarossa.

24

FRater Henricus Barbarossa Gallus ex Prouincia Narbonensi his temporibus floruit non eloquentia,vel speculatiuis facultatibus,at super eminenti caritate erga mendicos, & infirmos:quapropter cum nostri prȩter alia onera,etiam ægris in carceribus ministrarent; Frater vero Henricus cum plurima per Vrbem,& Nosocomia bona opera patrasset,& permultas vigilias inter fœtores morborum insumpsisset,missus est à P. Camillo ad famulandum infirmis in maioribus Turris Nonæ Romanis carceribus, vbi languentes ægri plurimi decumbebant, quibus, & spiritualia, & corporalia suggessit alimenta, demum insigni pietate,ac reliquis Religiosis virtutibus cumulatus ad mortem ȩgrotauit, deditque pro infirmis loci illius animam hoc est corpoream vestem, spiritus vero astra petiuisse credimus communitus antea Sacramentis Ecclesiasticis ossa interim asseruantur in sepultura nostrorum condita in templo D. Mariȩ Magdalenȩ vsquequo rediuiua compareant; habitum susceperat Congregationis III.Non.Octob.*1587*.mors vero contigit 15*9*1.XII.Kal.Martij Romȩ; vbi etiam Congregationis veste amicus fuerat.

De F. Marco Antonio Solini.

25

FRater Marcus Antonius Solini Neapolitanus anno 15*89*. Neapoli receptus est, habituque Romæ indutus Congregationis eodem defluente anno die autem V.Non.Martij erat enim in sæculo diaconatus ordine insignitus: semper enituit,vt perfectus Religiosus in Congregatione, & pauperum, atque ægrotorum, vt amantissimus administrator, domus quoque nostræ Romæ ministri munere illis initijs functus est; Diu, ac vehementer egenis,& ægrotis infamulando laborauit,maxime in Nosocomio Diui Iacobi Incurabilium Romȩ, dum aqua ligni(sic dicunt) inibi ad nonnullas propemodum Incurabiles ægritudines curandas confertur, quo in exercitio pietatis grauem incurrit morbū, indeque infesta scabies eius carnes obduxit,adeoque ipsius corpus afflixit, atque exedit, vt oportuerit Neap. ire ibi conualiturus, vbi nec remedia,nec amenior, & naturalis aer perualuere; sed deterior euasit morbus, quare post consumpta in Congregatione suæ conuersationis tempora, optimis exemplis nempe Religiosæ humilitatis,sufferentiæ, & caritatis, hoc mortali exutum tegumento, illud immortale nactum esse arbitror; humiliter recepit peccatorū absolutionē,Sanctissimumq; Viaticum,atq; extremā vnctionem, sepultus iacet Neapoli in Ecclesia S. Mariæ Agnionis.

De

De Fratre Alexandro Bononienſi.

26 FRater Alexander Bononienſis Romæ per manus Patris noſtri Camilli habitum Congregationis ſuſcepit anno 1588. præfinitus dies, ac menſis ignorantur; poſtmodum Neapolim in ædes noſtras recenter erectas dimiſſus eſt; ibi ingentes labores,& incommoda, quæ in erectione domorum pauperum Religioſorum occurrunt, fortiter ſuſcepit, ac tulit, multamque profecto exercuit erga pauperes miſericordiam;quapropter infirmatus eſt,& in ſua diuturna, ac peroſa ægritudine cunctis viſus eſt mirabilis ob nimiam dolorum tolerantiam,& erga maiores obſeruantiam,atq;cum omnibus humilitatem: itaut ipſemet medicinæ artis peritus illum rogauerit,eius fidens precibus,poſt obitum velle pro eo Dominum deprecari, iuxta ſui mentem ob certam, quam patiebatur,indigentiam;libenter,in Dei miſerentis fiducia innixus, ſe facturum,Alexander ſpopondit: at Phyſicus, qui ipſum fuerat medicatus palam poſt eius obitum teſtatus eſt, ſe fuiſſe quam optauerat gratiam, à Domino decoratum magno cum ſui iubilo,ſtatimatque Frater Alexander functus fuerat,quam illius proculdubio adſcripſit merito, ac precibus. Poſt demum collata moribundis dari aſſueta Sacramenta migrauit ex hac ſordida tellure,in aliam viuentium, ſed feliciſſimam Domino miſerente regionem;corpus vero in Eccleſia ſæpius memorata Neapoli Sanctæ Mariæ Agnonis contegitur.

27 Hactenus noſtri in Vrbe Neapolis prope (vt alias recēſitum eſt) vicariæ carceres commorabantur; in eo tamen ſitu, quia ſtricta habitatione coarctabantur;idcirco minime erant inibi permanſuri,quandoquidem numero creſcebāt, & quemadmodum in via Diui Ioānis ad Carbonaria ob loci anguſtiā premebātur:pariter hic,quoniam ex vna parte Cōſeruatorium Refugij quarumdam mulierum locatur, ex altera vero publicæ viæ parte admodum prope, & per diametrum conſtructum eleuatur Religioſorum B. Ioannis de Deo Cœnobium cum Hoſpitale, & celebri templo Diuæ Mariæ Pacis; proinde noſtri decreuere in aliud migrare domicilium, vbi quiuiſſent commode incolere, & ſitus propter animæ commendationem aptior,& populis propinquior foret, aerq; poſt labores, & vigilias, & graueolentiam Hoſpitalium purior aliquanto eſſet, cum inibi ſiniſter, valdeque humidus ſit; quæ domus ſtatimatque dimiſſa fuit à Patribus, carcerum locus euaſit; quocirca Patres noſtri alio ſtranſtulere domicilium,in viam notiſſimam,quæ dicitur Forcella,vt ſequentis anni notitia late indicabit.

Inepta habitatio prope Eccleſiā D. Mariæ Agnonis Neapoli deſeritur.

28 Interim eadem in Vrbe Neapolis neceſſaria victus, & ſupellectilium, & domorum conductionis, illis exordijs,nominatim quædam ſanguine,ac pietate Illuſtriſſimæ Matronæ noſtris ſuggerebant, quarum præcipuæ hæ Dominæ,Ruberta Caraffa Dux Matalonis,ac Conſtantia à Carrettis,atque Iulia de Caſtellis extitere,quæ præter aſſiduas,& quotidianas eleemoſynas,notabiliter propter ædium emptionem,quo proxime erant ituri Patres initio nempe anni venturi,inuicem aureorum ſummam quindecim millium cumularunt, & hanc gratis, abſque vllo onere, Patri Blaſio Opertis tum domus noſtræ ſuperiori elargitæ ſunt, vt ex eis pretium ſolueret emptionis ædium. Harum omnium matronarum vera parens,atque amans Religionis,quæ perpetuo manſit Illuſtris, ac ſemper Commendabilis Domina Iulia de Caſtellis effulſit, de qua lubeat pauca ſuper eius geſta & eleemoſynas hic intexere.

Aliquot per illuſtres Matronæ pro victu,& emptione domorum ſuggerunt noſtris neceſſarium æs nō mediocre.

1591.

De Domina Iulia de Castellis.

HAec enim nobilissima Dña cum à morte raptos amisisset, & virum, quem vnice diligebat, & Fratres, quos ẽt vehemẽter amabat, maxima mœstitia capta, in quoddam penetrale sui palatij cubiculum se recepit, luctuosis pannis obductum, inde nusquam discedens, at super pauimentum apposito puluinari, breuique culcitra, dolore concussa decumbebat; ibi assiduo erat illacrymans suorum amissionem carorum, quasi turtur à consortio deserta sodalis, iuge emittebat lamentum; & quamuis à pluribus etiam Religiosis ad desistendũ ab hac vitæ ratione suaderetur, nullatenus remoueri vnquam potuit; accidit .n. ex nostris Patribus duo eleemosynam illuc quęsitũ iuisse (iam primitus nostri hostiatim Neap. panem mantica emendicarunt ferme p quinquenniũ) & agnito illius Dominæ viuendi more certiorem domus nostræ superiorem effecerunt, qui tum temporis id onus ferebat Pater supra memoratus Blasius Opertis ad eam, vt factum intellexit, properauit, tantaque cum prudentia, modestia, ac sermonis efficacia se gessit, atque perseuerantia, quoadusque gratia Spiritus sancti operante, illam ab eo semouerit proposito, admodum animæ, corporisque saluti periculoso; hinc abiecto pristino mœstitiæ habitu, vitam ducere communem instituit, cæpitque Sanctæ Mariæ Agnionis Ecclesiam nostrorum visere, ibique ab eodem Patre Blasio beneficium absolutionis suorum peccatorum suscipere, & augustissimam Eucharistiam non raro sumere, pariterque Patrum necessitates intueri, simul, & prouideri dedit operam: hinc sæpe pingues impertita est eleemosynas: ita pietas erga nostros præfatæ Dominæ creuit, vt omnes suarum facultatum redditus, qui ad aureorum quotannis circiter septem millia ascendebant, demptis pro se, suæque familiæ alimentis in emolumentum Congregationis erogaret; quapropter non tantum ibi domui nostræ lac tot elargitionibus (quas recolere tempus vetat) dedisse planum est, sed vniuersalẽ Religionis fundatricem tot pijs eleemosynis fuisse dicendam ferè fatemur, quæ decursu viginti, & octo annorum, tanto enim proprijs sumptibus nos aluit, vtpote ab anno 1590. paulo postquam nostri Neapoli domum erexere ad annum vsque 1618. quo vita functa est, Religioni circa summam centum millium elargita est aureorum, seu ducatorum (vt vocant) iuxta valorẽ, & vsum monetæ Regni Neapolis, quibus eademmet in Vrbe ædes quamplures. & emerunt nostri, & restaurarunt; item magnum prædium, in ameno colle, & villa, quam dicunt Arenulæ prope dictam Ciuitatem consistente mercati sunt; quod habitatione, & situs magnitudine, & fructuum varietate, & vuarum, ac meri suauitate, satis idoneum est, & venustum; quo Patres delapsis Hospitalium laboribus, & putoribus, & post ægritudines, vt conualescant, & refocillẽtur, contendunt; ibi per aliquot dies, vel hebdomadas demorantes. In loco itidem, quem appellant communi vocabulo Platamonem iuxta maris litora ædem nouitiatus, seu conuentum à fundamentis suis sumptibus erexit, nonnullas ibidem domos locandas pro nouitiorum sustentatione costrui item fecit. In nouorum insuper ædium Religionis fundationibus plura aureorum millia subministrauit; & Romæ pariter cum nostra domus quammultis debitorum oneribus grauaretur, & ob alendam numerosam ibi familiam inopia rerum temporalium premeretur, illuc anno quolibet multa item aureorum centenaria transmittebat, & sæpe milliaria, hæc, & alia beneficentiæ munera præfata Domina

29

ope-

1591.

opera,& conſilio ſupraiamdicti Patris Blaſij ipſius à Confeſſionibus Patris æquo animo erogabat; nec propterea cum alijs Religioſis, ac pauperibus auara manu ſe adſtrinxit,verum omnes pijs eleemoſynis,& interdum largis conſolabatur; vnde merito ei nomen pauperum parentis congrui: currente anno ſalutis 1600. tempore Sanctiſſimi Iubilei Anni Sancti ad lucrandam eam maximam Indulgentiarum,& ſpiritualium bonorum copiam Romam profecta eſt, vbi procumbens Sanctiſſimi, ac Vniuerſalis Paſtoris Clem. VIII. pedes deoſculata eſt, & cognito à Beatiſſimo Patre quantum de vniuerſa noſtra Religione benemerita extitiſſet,ipſam interrogauit,ſi quidpiam optaret,dicunt,argenteam trullam, qua portam ipſemet Summus Pontifex Sanctam aperuerat humiliter efflagitaſſe,adeptamque fuiſſe ab eo.

30 Quæ demum multorum grauata annorum pondere ſibi palatium conſtituit prope locum; vbi poſtmodum conſtrui fecit domum nouitiorum, illic diu vna cum ſuis ancillis, cæteraque familia integerrimam vitam duxit, à mundi tumultibus ſegregatam; ibi potius Religioſam, quam ſæcularem conuerſationem protraxit,Venerabilium Sacramentorum frequentiæ, & orationibus, atque eleemoſynis vacans; quibus, alijſque pijs operibus detenta ad vltimam decrepitam peruenit, in qua morbo correpta felicem exhalauit animam, multorum pauperum planctu comitante, quibus benefaciendo mater fuerat,& potiſſimum noſtrorum omnium intuentium, quod adeo amantiſſima benefactrice, expoliati manerent, receptis antea Eccleſiaſticis Sacramentis, adſtantibus,& quaſi coronā formantibus in eius tranſitu PP.nonnullis commendationis animæ munus perhibentibus; Religionem non ſolum viuens, verum ſecuta morte, multis bonis decorauit in ſuo teſtamento. Corpus vero ipſius honorifice conditur in Eccleſia nouitiatus iam dicti,in ſacello quippe Sācuſſimæ Virginis Roſarij, nec ingrati noſtri, vel immemores ipſius animæ, ſed quamplura Deo Patri obtulere incruenta ſacrificia, ac ſuffragia, iureque optimo perpetuo exſoluunt; obiit enim voluente anno noſtræ ſalutis 1618. Die vero Beatiſſimæ Annæ Deiparę Genitricis VII.Kal. Auguſti ætatis autem ſuę anno 84.

31 Sedata Romæ Diuina Clementia, ac Summi Pontificis accurata prouidentia illa acerbitatis procella, & exploſis turbinibus tot præcedentium calamitatum, famis, nempe infeſtiſſimorum ægritudinum, & ingentium mortuorum, tempus adueniſſe idoneum putauit Camillus, iterum ſuſcitandi approbationis Religionis negotium, quod iamdudum ob Sanctiſſimi Patris Sixti Quinti lethū, & tot ſubſequentia, ac immediate pendentia, ac perurgentia damna, atq; perturbationes intermiſſum fuerat.Quandoquidem Deo fauente marę inquam præmiſſarum impedientium ærumnarum placide quieuerat, & dies ſerenitatis poſt lacrymas recurrerat: iamque Romani, Summique Pontifices, totaque Vrbs certo, ac euidenti experimento comprobauerant quanti referat hoc inſtitutum, & in termino maximæ neceſſitatis quantum afferat emolumenti; quando etiam plane inſpexerant qua promptitudine,& dilectione proprias poſuerint noſtri (vt verbis ſacri vtar Euangelii) animas pro Fratribus ſuis.Itaque Eminentiſs. Cardinalem Montis Realis noſtræ Congregationis tum protectorem denuo Cam.obſecrauit, ne diutius in erigenda Religione cunctaretur, qui protinus Sanctiſſium Pontificem Greg. 14. adiit, & quamuis in inſtituendas nouas Religiones, & Ordines Regularium non propenderet, quinimmo nonnullas minuere vetuſtas ſtuduit, vt cum aliis maioris reformationis Con-

1591.

uentibus aggregarentur. Veruntamen in opere formandi Religionem Miniſtrantium infirmis ſe prodigum quodammodo exhibuit. Hic enim Summus Pontifex, qui antea Cardinalis Sfrondatus nominabatur ſuis fuerat contuitus oculis adhuc purpuratam tenens dignitatem (vt alias retuli) maximæ dilectionis, & pietatis exercitia à noſtris exhibita in Monte Quirinali, & per Vrbem: vnde nimio affectu erga inſtitutum, Patremque Camillum, ſocioſque trahebatur. Quare præſtito obſeruandorum libello motu proprio, & ex certa ſcientia, atque de plenitudine poteſtatis Congregationem confirmauit, & recenti Bulla in Religionem prorſus diſcretam ab alijs ſub titulo paupertatis euexit, quaſi vnam ex mendicantibus; in ea ſiquidem Religionis ſtatus, & inſtituti diſcernitur, atque facultas ampla ſuper plura, notanter condiendi conſtitutiones, ac dubia definiendi ex eadem Bulla inſurgentia; prout liquet in ipſamet; vnde tot laudibus inſtitutum commendauit, quod pene maius extolli nequit, tot priuilegijs communiuit, quot cæteris ſunt impertita Religionibus, tum mendicantium, cum vero non mendicantium, tum Monachorum, cum etiam Presbyterorum, atque Canonicorum Regularium, &c. Apliſſimis Indulgentijs noſtrum inſuper ordinem exornauit, mira poteſtate Superiores fulciuit, vna, & ſubditos exemptionibus quammaximis imbuit, quæ ſingula, & alia legenti patebunt, vt in ea videre eſt, quæ cito refertur.

1591.

BVLLA
S.MI D. N. D. GREGORII
DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIIII.
Approbationis,& Confirmationis Relig. Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

ILLIVS, qui pro gregis Dominici ſalute in ara Crucis immolari non abnuit; vices, quamuis immeriti gerentes in terris, curis vrgemur aſſiduis, & continua meditatione pulſamur, circa ea, quæ pro pauperum Chriſti infirmorum neceſſitatibus, nedum corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus adiuuandis, in hac Vrbe noſtra, piè inſtituta ſunt, omni ſtudio intendere,& quæ propterea prouidè facta fuiſſe dicuntur; vt firma perpetuò, & illibata perſiſtant, Apoſtolico munimine roboramus,& vt ad præmiſſa peragenda Chriſtifideles libentius cōcurrant, fideles ipſos ſpiritualibus muneribus proſequimus, vt exinde reddātur diuinæ gratiæ aptiorès, ac charitatis,& miſericordiæ feruor in dies amplius augeatur in eis, aliaque deſuper concedimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque dudum fel. rec. Sixtus Papa Quintus prædeceſſor noſter, certis cauſis adductis, ex certa ſua ſcientia, Congregationem ſub vocabulo, ſeu nomine Miniſtrantium Infirmis, in Vrbe tunc conſtitutam, per ſuas in forma Breuis deſuper confectas litteras perpetuò approbauerit,& confirmauerit, prout in ipſis litteris plenius continetur. Et ſicut accepimus, dilecti filij Camillus de Lellis, modernus ipſius Congregationis Præfectus,& alij eius ſocij, cupientes in charitatis vinculo perſiſtere, & maiori cum animi quiete Deo ſeruire, & ad perficiendam, & conſeruandam eorum Congregationis in Chriſto vnionem, quandam viuendi formulam, iuxta ea, quæ ad propoſitum ſibi finem conducere vſu didicerunt, ediderint: factumque ſit, vt eorundem Camilli, & ſociorum vitæ inſtitutum, ſub dicta formula compræhenſum fidelibus gratum, & acceptum, ac ad proximi ſubuentionem adeò vtile, & neceſſarium exiſtat, vt ipſa Congregatio numero ſociorum admodum creuerit,& quāplures Chriſtifideles ſummo deſiderio, & affectu in dictam Congregationem recipi, & admitti plurimum exoptent. Formulæ autem prædictæ tenor ſequitur, qui talis eſt. Quiſquis decreuerit ſe huic charitatis muneri in perpetuum

Approbatio, & cōfirmatio Sixti Papæ V.

Formula viuendi, & inſtituti ratio.

1591.

Quatuor vota.

addicere statuat se mundo, rebusque omnibus sæculi esse mortuum,& Christo soli viuere, seque nobis aggreget, vt admissa peccata expiet, sub iugo suauissimo perpetuæ paupertatis,castitatis,& obedientiæ,& sub perenni ministerio ægrotantium, quos etiam pestis incesserit,non solum in Nosocomijs, sed etiam in carcerum valetudinarijs,vbi ęgroti magna, tàm corporalium,quàm spiritualium rerum angustia præmuntur. Ac de his vniuersis(Deo adiuuante)præcepta dabuntur in constitutionibus suo tempore edendis, quibus sub vllius peccati pœna obstringi non intendimus,ijs tamen exceptis, ad quæ obseruanda votorum vinculis obligamur. Paupertatem nostram ita interpretamur,vt Religiosorum sit paupertas mendicantium eorum,qui nec singuli, nec vniuersi fructus vllos,ac redditus capiant; quæ vero necessaria erunt,ea ex humili exercitio ostiatim emendicandi, vel ex eleemosynis fidelium nobis spontè oblatis comparabimus: nemo per se, & arbitratu suo quæritabit, sed ij soli, quibus ob communem vsum ad obedientia id oneris imponetur. Totius Cngregationis superior,Præfectus Generalis appellabitur, cuius Officiũ perpetuum erit,quoad viuet; Socios autem habebit quatuor, qui Consultores dicentur. Creabuntur autem hi cum Congregatio maiorem numerum erit nacta idoneorum hominum; ijque pariter officium perpetuum gerent, dum Generalis Præfectus erit superstes. Votum eorum æquè, ac Præfecti, decisiuum erit, præterquam quòd Præfectus duplex habebit, singuli illi simplex. Nihil eorum, de quibus, secundum constitutiones factas, aut faciendas, cum Consultoribus decernendum est statuetur, nisi de illorum consilio,& sententia,maior vero pars sententiarum vincet. Ne autem ex sententiarum æqualitate res in dubium veniat, ad id vir grauis de Congregatione deputetur, qui voto suo (prout necessitas postulauerit) alterius, quàm meliorem censuerit, partis numerum augeat. Præfectus vna cum sociis potestatem habebit, tum interpretandi, & ea explicandi, de quibus super instituto nostro (quod hic summatim comprænditur) dubitatio fuerit orta; tùm Constitutionum ad optimam Congregationis disciplinã faciendarum. Constitutiones autem experiendo,primum, atque vtendo expẽdentur, deinde à Capitulo,siue Congregatione generali,prout expedire videbitur, admittentur. Præfectus Generalis, ac socij præfectos aliorum locorum, vbi Congregatio sedem habebit, & Prouinciales, & Visitatores, quos opportuerit, eligent. Electio verò Generalis Præfecti, & Consultorum posthac in Congregatione generali facienda est. In præsens quidem Generalis creabitur suffragijs maioris eorum partis,qui nunc Crucem gerunt: ac iuxtà formam statuendam: idem,statim ac renunciatus.Generalis fuerit, quatuor votorum professione,obendiētiæ scilicet,paupertatis,castitatis, & quod pręcipuum huius instituti scopum continet, perennis(vt dictum est) ministerij ægrotantium,solemniter se obstringet,tumque apud ipsum,aut eum,cui is hoc negotij dederit,eodem modo profitebuntur omnes, qui specimen sui dederint, & idonei, ac digni iudicati fuerint. Volumus autem nostros in Nosocomiis,cum superiorũ suorum iussu, (consentientibus eorundem Nosocomiorum Pręfectis)mittentur ita operam nauare, vt nulla publica officia, magistratusue, aut redditituum administrationem in iis suscipiant, verum omnes curam ægrotorum tùm corporis, tũ animæ gerant; & aliquot ex ipsis nocturnas excubias, diurnasque ibi ducãt, atque ægrotis agonizantibus, donec ex hac vita migrent,nusquã desint. Quod si nobis,vt cęteris pauperibus Nosocomiorum patroni,aut administratores,aliquid eleemosynæ, siue quotidianæ, siue menstruę, siue annuę, siue in plures

Paupertatis declaratio, & formula.

Superiorius Congr. Officiũ eius perpetuum. Cõsultores.

Consultorũ votum decisiuum.

Consultorũ munus.

Præfecti, & sociorũ potestas super instituti dubitationes, & faciendas Constitutiones.

Præfectus, & socij creabunt omnes alios Offic. Modus creã di primi Præfecti Gen.

Quatuor solẽnia vota.

N[illegible] Officia aut Magistratus nostri in Nosocomijs, neq; vllos redditus suscipere possunt.

annos

annos, largiri voluerint, Congregatio noſtra ius nullum habeat id exigendi, ſed quæ dabuntur liberaliter cum gratiarum actione accipiet. Nos enim curæ ægrotorum incumbimus nulla mercede, vel ſpe temporali adducti, ſed ex inſtituti noſtri obligatione. Itaque ab ægrotis Hoſpitalium nulla munera, nihil pecuniæ, nullam omninò rem noſtri capiant, ac ne per ſubmiſſas quidem perſonas. Legata ab iis, qui in Noſocomijs defuncti fuerint, in rem noſtram relicta, non admittatur. Qui in Hoſpitalibus ſunt Noſocomiorum Officiales, & famuli, in Congregationem noſtram non recipiantur, ſine aſſenſu eorum, qui illis locis præfecti ſunt. Experiendo didicimus plurimis, maximiſque difficultatibus, & incommodis, animæ præſertim, eos conflictari, qui extra Noſocomia, & Carceres in alijs locis ægrotant, ac potiſſimum tenues, & plebeios homines, externoſque, qui conducto degunt. Quare volumus (adiuuante Domino Noſtro Ieſu Chriſto) à noſtris eos inuiſi: & ijs, quoad fieri poterit, adhiberi conſolationem, exhortationem, & alia huiuſmodi iuxta Conſtitutiones edendas: priuſquam vero illi ſenſuum vſum amittant, adducantur, pro cuiuſque conditione, & natura, ad proteſtationes, ſecundum formam Eccleſiæ Sanctæ faciendas; cumque ingraueſcet morbus, diu, noctuque apud eos excubent noſtri, animamque commendent, ac ſalutaribus monitis opitulentur; magnumq; ponatur in eo ſtudium; vt hortationibus pijs informentur, ne tentationibus ſuccumbant, & in illo formidoloſo vitæ exitu confortentur; tum vt benè, ac diligenter commendetur anima. Caueant autem maximè, ne quiſquam eorum, qui ad viſendos per eiuſmodi loca ægrotos, & ad charitatem ijs præſtandam, opemque offerendam, mittentur, ob labores ſuos vllum munus, aut rem, pecuniamue accipiat, nec vllam, vel exiguam ſtipem, atque eleemoſynam, ſed omnia ad ſolam Domini Dei gloriam, animarumque ſalutem fiant, atque adminiſtrentur. Quinimo vt noſtrarum vtilitatum ratio omnis prætermittatur, nec quiſquam proprio emolumēto ſtudeat, neutiquam noſtri ęgrotis authores ſint, neque conſilium dent, aut hortentur, vt aliquid erogent eleemoſynæ, aut teſtamentum faciant, aut legata relinquant in rem, atque vtilitatem noſtram. Propter multas inſtituti noſtri occupationes, qui noſtrum ſacris Ordinibus initiati erunt, diuinum officium quotidie recitabunt, non in Choro, ſed priuatim, ac ſigillatim, cæteri tertiam Beatiſſimæ Virginis Roſarij partem, vel eius Officium paruum proceſſiones etiam ſolemniſſimas cæteraſque ſolemnitates (quibus piè alij Religioſi ordines interſunt) ipſi non obibunt, vt liberius, magiſque aſſiduè ægrotis operam nauent; quo in miniſterio perſeuerare cupimus, immediatè ſubditi curæ, animaduerſioni, ſpeciali protectioni, ac defenſioni Sanctiſſimi D. N. Papæ, Sanctęque Sedis Apoſtolicæ. Vt autem ſpiritum noſtri recreent, ac paſcant, poſſintque tantam diuinæ gratiæ vbertatem adipiſci, vt munera, & officia ſua cum charitate exequantur, exercebunt ſe in oratione mentali, & vocali, tum in examine conſcientiæ, ſeque ſæpiſſimæ munient Sacramento Confeſſionis, & Communicatione Corporis Chriſti, nonnullis item abſtinentijs, quæ omnia conſtitutionibus particulatim exponentur. Ac quoniam noſtris, vt alterius ſaluti conſulant, cum proſſimis aſſiduè conuerſandum eſt, volumus nouitios, ſecundum formam edendarum conſtitutionum iam admiſſos, præter accuratam examinationem, per biennium ante probari, quàm ad poſſeſſionem admittantur, qui à Præfectis, iuxta modum in eiſdem conſtitutionibus ſtatuendum, idonei, exiſtimati fuerint, exacto biennio, profitebuntur. Veſtis erit pauperum atque honeſtorum Sacerdotum nigri coloris, pallio autem, ac tunicæ

Ab ægrotis Hoſpit. nihil accipiatur.

Legata ab ijs, quāin Hoſpit. moriūt non admittimus.

Viſitare debent noſtri omnes infirmos, etiā extra Hoſpit. & carceres.

Morientium auxilia.

Ab ægrotis noſtri nihil recipiant.

Noſtri non ſint auctores ægrotis, vt aliquid nobis dent, aut relinquant.

Officiū diuinum in Choro recitare noſtri ſacris ordinib. initiati nō tenentur.

Cæteri tertiam partē Roſarij, aut Officium B. Virginis.

Proceſſiones non obibunt noſtri.

Formula vitæ ſpirit.

Biennij Nouitiatus.

Veſtis pauperū, & honeſtorū Sacerdotum.

Crucis ſignum.

1591.

Præfectus cum Cōsultoribus tribuit licētiā suscipiendi sacros ordines.

dumtaxat, qui professionem fecerint, assuetur ad dexteram crux oblonga ad palmi mensuram, ex panno castanei coloris, qui vulgo tanens dicitur. Nostri instituti ratio postulat, vt longè maior esse debeat Laicorum, quam Sacerdotum numerus. Idcirco statuimus, eos tantum esse Sacris Ordinibus destinandos, quos Præfectus Generalis, atque vna Consultores, vel de eorum licentia alij Superiores, non aptos modo ad ipsos sacros ordines, sed etiam ad ministerium nostrum, ex constitutionum præscripto, congruentes, ac necessarios iudicarint.

Idē de Studentibus.

Idemque seruandum decernimus erga Clericos, qui ad studium admittentur: ij vero in eo, se ex ipsarum constitutionum regulis exercebunt, vt ita literis vacent, ne mortificationis, & ægrotorum iuuandorum (prout Præfectis visum fuerit) studia omittantur. Propterea quod hæc exercitia cū disciplina spirituali cōiuncta, ærumnas, & incōmoda afferūt, quodq; grauia sunt nobis, ac tetra loca frequentanda, experti sumus, eorum tuendæ valetudinis causa, quæ his officijs in Domino functi fuerint, aliquo loco opus esse, vbi puro, libero, ac salubri aere grauis odor, & putor conceptus expurgetur, nostriq; è multis laboribus, ac vigilijs respirent, quem etiam locum destinari cupimus nostris ex inualetudine se reficientibus, quo citius afflictæ vires recuperentur. Quare eiusmodi locum habere Congregatio poterit; idque fore interpretamur, salua, & integra, cui dediti sumus, paupertate: eius tamen loci qualitas constitutionibus definietur.

Locū recreationis habere possunt nostri.

Nouitij possunt educari in domo separata à professis.

Quibus præterea in Vrbibus, & Oppidis Congregatio Nouitios educabit, possit habitationem habere separatam à professorum domo. Cum autem sicut accepimus in præmissis nihil, quod pium non sit, aut salutare reperiatur; Nos vt Camillus, & socii præfati in eorum piè viuendi proposito, eo promptiores reddantur, quo se maiori Sedis Apostolicæ gratia, & fauore complecti animaduerterint, & præmissa dictæ Sedis patrocinio communiri, & corroborari viderint, prouidere volentes ad Camillum, & Socios prædictos à quibusuis excōmunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quis quomodolibet innodati existunt ad effectum pręsentium dumtaxat consequēdum harum seriè absoluentes, & absolutos fore censentes. Nec non dictarum litterarum Datam, ac præmissorum omnium, & singulorum veriores, etiam totos tenores, ac occasiones, & causas, ac circunstantias, etiam hic de necessitate exprimendas præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habētes, Motu proprio, non ad dictorum Camilli, & Sociorum pręfatorum, aut aliorum pro eis nobis desuper oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine præmissa omnia, & singula, tanquam ad spiritualem profectum animarum pertinentia, & opportuna, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus; & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur, & patrocinium adiicimus, & apponimus, omnesque, & singulos, tàm iuris, quàm facti, ac quarumcunque solemnitatum, etiam substantialium, hic forsan de necessitate exprimendarum, & inserendarum defectus, perpetuo supplemus. Dictosque Camillum, & socios, ac ipsam Congregationem, illiusque membra omnia, nunc, & pro tempore in quibusuis locis consistentia sub nostra, & huius Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Beati Petri speciali, & immediata protectione suscipimus, & admittimus. Et nihilominus potiori pro cautela, Camillo, & sociis præfatis, ac eorum cuilibet, vt quandocunque eis visum fuerit, possint prædicta substantialia religiosę vitę, paupertatis, videlicet, castitatis, & obedientiæ, & perennis ministerii ægrotantium

Cōfirmatio instituti.

Motu proprio.

Sub sanctæ, & Apostolicæ Sedis protectione.

Facultas emittēdi quatuor vota.

tium vota,iuxta præfatæ formulæ tenorem emittere. Et Præfectus, hac prima vice eligendus,in manibus cuiuſcũq; perſonæ in dignitate, ſeu adminiſtratione Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſecularis, vel cuiuſuis ordinis Regularis ſolemniter profiteri, & tam ipſæ quàm alij pro tempore exiſtentes Præfecti & Socij eiuſdem Congregationis, ſub nomine, & nuncupatione Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis,in communi,& de communi viuentes, in locis ſibi forſan iam conceſſis, vel in futurum concedendis, ſub dicta immediata, & ſpeciali protectione in vnum habitare, & ex eis inter ſe Superiorem, Præfectum nuncupandum,eligere,vt præfertur,iuxta eorum formulam huiuſmodi. Et quoſcunque alios ſeculares Clericos; quauis dignitate fungentes,ſeu Laicos,qui, Deo inſpirante, ad huiuſmodi propoſitum,& communem viuendi modus ſeſe conferre,& conformare voluerint, recipere,& poſt approbationem,iuxta prædictam eorum formulam, ad huiuſmodi votorum profeſſionem, in manibus eorum Superioris,ſeu Pręfecti emittendam,& ad communem viuendi modum admittere. Necnon inter eos quaſcumque Conſtitutiones particulares, quas ad huiuſmodi Congregationis,ſeu Religionis finem,& Omnipotentis Dei gloriam, proximique vtilitatem conformes eſſe, & conducere iudicauerint, condere; & tam hactenus factas, quam in poſterum faciendas Conſtitutiones ipſas iuxta temporum, & locorum, ac rerum qualitatem, & varietatem mutare, alterare,ſeu in totum caſſare,& aliàs de nouo condere,facere,& edere poſſint, & valeant, quæ poſtquam mutatæ, ſeu de nouo conditæ, editæ, ac ab Vrbis Vicario examinatæ,& approbatæ fuerint, eo ipſo, dicta Apoſtolica auctoritate confirmatæ,& approbatæ,ac etiam de nouo conceſſæ,etiam ſub quacumq; Data, per Præfectum,& ſeu alios Superiores dictæ Congregationis eligenda, ſint, & eſſe cenſeantur, dummodo tamen ſacris Canonibus,& Concilij Tridentini Decretis, ipſiuſque Congregationis Regularibus inſtitutis non contrarientur, quas, vt præfertur, ſine noua approbatione Sedis Apoſtolicæ; vel primo conditas, vel mutatas ſeruare in omnibus teneantur, ſecundum inſtituti rationem. Necnon etiam eiſdem Camillo, & Socijs, ac pro tempore exiſtentibus Præfectis Generalibus, alijſque omnibus, & ſingulis perſonis dictæ Congregationis,vt omnibus. & ſingulis quibuſcunque etiam ſpeciali nota dignis priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, indulgentijs,facultatibus, libertatibus, auctoritatibus,indultis,fauoribus, prærogatiuis, conceſſionibus, & gratijs quorſuis;& Ciſtercień. Cluniaceń. ac S.Benedicti Monacis, Clericis Regularibus,& Presbyteris Collegialibus Societatis Ieſu,& Canonicis Congregationis Lateranenſis,ac quibuſcunque alijs Clericis Regularibus, & aliorum tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinum, & Congregationum fratribus, & perſonis, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, in ſpecie,vel in genere, etiam communicatiuè per quoſcunq; Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros. ac Sedem præfatam quomodolibet conceſſis, quæ tamen ſunt in vſu, nec ſub vllis reuocationibus comprehenſa, neque Decretis dicti Concilij, nec ipſius Congregationis Regularibus inſtitutis contraria,& quibus illi,tã in vita,quã in mortis articulo,& circa peccatorum remiſſiones, & iniunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet vti, potiri,frui, & gaudere poſſunt, aut poterunt quomodolibet in futurum perpetuis futuris temporibus vti,potiri,frui, & gaudere, ac illorum omnium participes eſſe poſſint, & debeant pariformiter, & æque principaliter abſque vlla prorſus differentia,perinde,ac ſi Congregationi,Præfectis,Socijs, ac perſonis,

Nomen, & nuncupatio Congreg.

Facultas recipiendi omnes,& ſingulas pſonas.

Facultas cõdendi cõſtitutiones.

Facultas eaſ ſandi,& alias de nouo cõdendi, quæ ab Vrbis Vicario examinatæ Apoſt. auct confirmantur, & apꝓbãtur.

Cõmunicatio omnium Priuilegiorũ omnium & ſingularũ Religionũ.

1591.

& eorum domibus,& Ecclesijs, vel Oratorijs huiusmodi nominatim,& specialiter, ac generaliter concessa fuissent. Ac pro tempore existenti Præfecto Generali huiusmodi, vt per se, vel alium, seu alios, ad id, per eum pro tempore deputatum, seu deputatos, omnesq; & singulos eiusdem Congregationis Socios,& personas sub eius obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes, ab omnibus,& singulis eorum peccatis, ante, vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis; necnon à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis,& secularibus sentẽtijs, censuris,& pœnis, à iure, vel ab homine, nō tamen nominatim, quomodolibet latis,& promulgatis, & huiusmodi sententiis innodatos, aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis, diuina officia celebrantes,& suscipientes,& censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut alias ex quocunq; capite, vel causa, præterquam homicidii, voluntarii, bigamiæ, ac membrorum mutilationem irregularitatem incurrentes, Apostolica auctoritate in foro conscientiæ tantũ absoluere, necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione,& abstersione inhabilitatis,& infamiæ maculæ dispensare: ita tamen, quòd sic absoluti, & dispensati pro tempore, si huiusmodi Congregatione quandocunque egrediantur, eo ipso in pristinas sententias, & censuras, à quibus eos absolui contigerit, relabantur,& reincidant. Ipsisq; Sociis, & fratibus expressè professis Cõgregationis huiusmodi, & eorum singulis, vt à quibuscunq; maluerint Catholicis Antistibus gratiam, & communionem dictæ Sedis habentibus, ad sacros, etiam Presbyteratus ordines, sub titulo paupertatis Congregationis huiusmodi promoueri, de licentia tamen *Præfecti*, seu alterius eorum Superioris, secundũ eorum Constitutiones, ipsiq; Antistites ordines ipsos huiusmodi Sociis, absq; obedientiæ,& omni alia promissione, vel obligatione conferre. Ac dicto Præfecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia Præfectis inferioribus aliorum locorum, seu Prouincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus;& illorum Vicarijs, ac Locatenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis defectum natalium, etiam ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito,& damnato coitu prouenientem patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, vt defectu huiusmodi non obstante ad quoscunq; sacros, etiam Presbiteratus ordines, promoueri;& in illis etiam in Altaris ministerio ministrare: nec non ad quascunq; administrationes, personatus, præeminentias, & officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & assumi, illaq; gerere,& exercere. Ac præfecto,& Socijs Congregationis huiusmodi, vt quæcunque loca,& domus ad inhabitandum eis donata, vel ab illis quomodolibet habita, in domos,& Oratoria Ordinis,& Congregationis huiusmodi erigere, facere, seu erigi procurare, àsque noua dictæ Sedis desuper obtinenda approbatione, liberè,& licitè possint,& valeant, nec non si contingat Præfectum, & Socios ipsos aliquam domum, Ecclesiam, Oratorium, seu quemuis alium locum dictæ Congregationis ædificare, & construere, seu id per alicuius personæ testamentum mandari, vel quouismodo offerri domum Ecclesias, seu Oratoria, vel loca huiusmodi, cum omnibus ad id necessarijs,& opportunis construi, & ædificari, ac locũ pro huiusmodi constructione oblatum recipi posse, ipsasque domos, Ecclesias, Oratoria,& Cellas vbilibet per dictos socios pro tempore constructa, vel eis donata, eo ipso, quo ædificata, vel donata fuerint, Apostolica auctoritate erecta, approbata, & cõfirmata, ac bona quæcunque pro domorum, vel Oratoriorum huiusmodi, vel

Facultas P. Gen. absoluendi subditos.

Authoritas dispensandi super irregularitate.

Facultas suscipiẽdi ordines, à quibuscũq; Catholicis Antistibus,

Præfectus potest dispẽsare sup defectu natalium,

Facultas suscipiendi, & erigẽdi quæcunq; loca.

Facultas suscipiendi q̃cunq; bona, donata, legata, aut relicta.

per-

perſonarum inibi commorantium ſuſtentatione,& manutentione,per quoſque Chriſtifideles,pro tempore donata, relicta, & legata,eo ipſo prædicta auctoritate perpetuo applicata,& appropriata eſſe, & cenſeri, Eccleſiaſq; & Oratoria præfata cum cœmeterijs per quoſcunque Epiſcopos, benedici,ſeu conſecrari, & quouis modo polluta reconciliari poſſint,& debeant perpetuo concedimus, & indulgemus, ſtatuimus,& ordinamus. Et volumus quòd à correctione regulæ Congregationis huiuſmodi,ſecundum ordinationes factæ,vt vigor diſciplinæ melius conſeruetur, appellari, aut talis appellatio per vllum Iudicem admitti, nec ab officijs abſolutio,aut priuatio peti,nullatenus poſſit. Nec Præfectus Generalis dictæ Congregationis pro tempore exiſtens,aliquam dignitatẽ extra Religionem, ſeu Congregationem ipſam, ſine eiuſdem, ſeu illius Congregationis expreſſa licentia, nec aliquis ex ſocijs huiuſmodi,abſque conſenſu dicti Præfecti Generalis,& expreſſa licentia, quæ dari non valeat, niſi ad id à Romano Pontifice per obedientię pręceptum pro tẽpore fuerint coacti,pręlaturæ,vel quamcunq; aliam dignitatem acceptare,vel ad illam aſſumi queat. Necnon quod quilibet ex ſociis Congregationis huiuſmodi peccata ſua proprio Præfecto, vel ab eo deputato, ſeu deputatis,& aliàs ſecundum ordinationes Congregationis præfatæ,deſignatis, ſeu deſignandis confiteri debeat, niſi ſuper hoc à dicto proprio Præfecto alium Confeſſorem eligendi facultatẽ habuerit. Ac inhibemus, ne quis poſt emiſſa vota, ſecundum Conſtitutiones,ſeu ordinationes eiuſdem Congregationis, ad quemuis alium ordinem, etiam per Sedem præfatam approbatum (Cartuſienſium ordine dumtaxat excepto)trãſferri; egreſſi verò alias, quàm,vt præfertur, de ordine,ſeu conſortio huiuſmodi, in nullo alio præterquam Cartuſienſium Ordine prædicto admitti, recipi, vel retineri poſſint; ipſi Præfectus Generalis, & alii inferiores Præfecti eiuſdẽ Congregationis per ſe, vel alios, illos ſic egreſſos, & alios quoſcunque dictæ Congregationis Apoſtatas, & etiam alios quoſuis inſolentes, & qui id mereri videbuntur, in quocunque habitu Apoſtatas pręfatos contigerit reperiri, excommunicare, capere,incarcerare,coercere,& aliàs ſuę diſciplinę ſubmittere; necnon ad id,ſi opus fuerit,auxilium brachii ſecularis inuocare. Inſuper Pręfecto Generali, vel de eius licentia,aliis locorum Pręfectis, ſeu Superioribus dictę Congregationis, etiam pro tempore exiſtentibus, vt in ſua Congregatione quoſcunq; alios Seculares,Laicos,Clericos,ſeu in Presbyteratus ordine conſtitutos aggregare & adiicere pro piis miſericordię, & charitatis operibus huiuſmodi exercendis: qui ſic aggregati omnibus, & ſingulis indulgentiis, & gratiis eiuſdem Congregationis gaudeant, & potiantur, & gaudere, ac potiri debeant,& illas conſequantur, dummodo ea opera faciant, & exerceant, quę pro eiſdem indulgentiis,& gratiis conſequendis fuerint pręſcripta. Necnon Præfecto Generali, & aliis Superioribus,necnon de eorum,etiam facultate, vniuerſis Fratribus,& ſociis Congregationis Miniſtrantium Infirmis huiuſmodi, in Presbyteratus ordine conſtitutis,vt in locis vbi degunt, & eos pro tempore morari contigerit habere Oratoria, & in eis Miſſas, & alia diuina officia celebrare,ac Eccleſiaſtica Sacramẽta recipere liberè,& licitè poſſint,& valeãt reſpectiuè etiam concedimus,& indulgemus. Ipſamque Congregationem Miniſtrantium infirmis,& vniuerſos illius ſocios,& perſonas ſingulas, ac eorum bona, & res quaſcunque ab omni Superioritate, iuriſdictione, correctione, & viſitotione quorumcunque locorum Ordinariorum,& Epiſcoporum, ſalua tamen decretorum dicti Concilii diſpoſitione eximimus, & penitus liberamus.

A correctione regulæ noſtræ nullus noſtrũ poteſt appellare.

Neq; Præfectus Gen. neque noſtri prælaturas ſeculares ob tinebunt.

Facultas trãſeũdi poſt profeſſionẽ ad Cartuſ. Ord. dumtaxat.

Facultas corrigendi, & caſtigãdi Apoſtatas

Aggregatio Congreg ſecularium in noſtris dom.

Facultas habendi Oratoria,& Cappellas.

Exemptio bonorũ ab omni correctione.

Nec

1591.

Alia cõmunicatio priuilegiorum præsertim Societ. Iesu.

Necnon priuilegia,indulgentias, prerogatiuas,exemptiones,immunitates,gratias,& indulta Monacis,& Fratribus, ac Societatis Iesu,& Canonicis, aliisque personis supradictis, tam in spiritualibus,quam in temporalibus,tam in specie, quam in genere,etiam communicatiuè concessa,vt prefertur,ad Prefectum Generalem,etiam pro tempore existentem, aliosque socios, & etiam particulares Congregationis huiusmodi Ministrantium infirmis perpetuo extendimus, & ampliamus,ac in eis locum habere,& suum plenarium effectum sortiri debe re decernimus,& declaramus.Et insuper animarum profectui prouidere volẽtes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri,& Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus , & singulis Christifidelibus verè pœnitentibus,& confessis,ac sacra Communione refectis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur,die primi illorum ingressus,& receptionis, ac emissionis professionis , nec non qui similiter pœnitentes, et confessi, si id commode fieri poterit,ac dicta Communione refecti,in dicta Congregatione pro tempore decesserint,in eorum mortis articulo,presertim in proximi subuentionem, ratione pestis, seu cuiuscunque alterius morbi contagiosi, in forma Iubilei anni Sancti Romæ concedi soliti: necnon etiam verè pœnitentibus,& confessis, ac Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis in piorum operum misericordiæ, & charitatis exercitio perseuerantibus singulis primis diebus Dominicis cuiuslibet mensis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam,& remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Ac eisdem Socijs,& Religiosis dictæ Congregationis,& in ea aggregatis,vt etiam omnibus, vt præfertur, & singulis indulgentijs, quibus ipsimet Religiosi gaudent,& eos gaudere, ac potiri volumus, quotiescunq; infirmis præsto fuerint, ac illos noctu visitauerint, & curauerint, eorumque lectos faciendo, ac illis ad manducandum porrigendo,& auxiliando,ac disponendo ad bene moriendum, & viam salutis, ac Doctrinam Christianam illos docendo, ac denique omnia officia charitatis, vel spiritualia,vel corporalia,quæ ad animarum ædificationẽ pertinent, exercendo, & Sacramenta Ecclesiastica administrando, cæteraque similia præstiterint, pro quolibet præmissorum piorum operum; necnon omnibus, & singulis Officicialibus,& Ministris,ac alijs personis dictæ Congregationis ob infirmitatem, vel propter obedientiam,seu alia de causa domi remanentibus, si quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutatiouem Angelicam deuotè recitauerint, etiam viginti annos,& totidem quadragenas de eis iniunctis, & aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Ac quod omnes, & singuli vtriusque sexus benefactores huius Congregationis, possint esse participes omnium operum meritoriorum, quæ in Congregatione huiusmodi pro tempore fient, etiam concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas, sub quibuscumque similium, vel dissimilium indulgentiarum, vel aliarum gratiarum reuocationibus, suspensionibus,limitationibus, derogationibus, & alijs contrarijs dispositionibus, etiã in fauorem Basilicæ Principis Apostolorum de dicta Vrbe, seu Cruciatæ Sanctæ, aut etiam per nos,seu per alios Romanos Pontifices predecessores nostros,ac dictam Sedem,etiam Motu; & potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumuis Imperatorum, & Regum instantiam, pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt,toties in pristinum statum restitutas,repositas,& plenariè reintegratas,ac de nouo concessas esse,& censeri debere. Sicque per quoscunque

Concessio Iubilei.

Indulgent.

Participatio Benefactorum.

Iudices,

Iudices, & Commiſſarios, quauis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales,& cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicare,& diffiniri debere: irritum quoque,& inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis actoritate ſcienter,vel ignoranter contigerit attentari.Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtień. & Tuſculań. Epiſcopis,ac dilecto filio Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per Apoſtolica ſcripta, Motu pari mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorũ per ſe,vel alium, ſeu alios præſentes litteras,ac omnia,& ſingula in eis contenta,vbi,& quando expedierit,ac quoties pro parte Præfecti, & Sociorum prædictorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes,eiſque in præinſertis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia obſeruari.Non permittentes Præfectum, ac ſocios præfatos deſuper à quoquã quomodolibet moleſtari,ſeu inquietari.Contradictores dicta actoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtan. piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua cauetur,ne Mendicantes loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare præſumant,abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione huiuſmodi expreſſam mentionem facientem, necnon dicti Sixti prædeceſſoris, ac Pictaueń. Concilij, contra illegitimos, & quorumcunque aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtra,de non concedendis indulgentijs ad inſtar, Conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,ac Ciſtercień.Cluniaceń.Sancti Benedicti, Mendicantium,& Societatis Ieſu, & Canonicorum Lateraneń.Ordinum huiuſmodi iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis,& conſuetudinibus,priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis perſonis per quoſcunque Rom. Pontifices prædeceſſores noſtros præfatos, ac nos, & dictam Sedem,etiam Motu,ſcientia,& poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſq; efficacioribus,& inſolitis clauſulis, irritantibuſq; & aliis decretis, in genere, vel in ſpecie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries conceſſis,approbatis,& innouatis.Quibus omnibus,& ſingulis etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè Motu pari derogamus contrariis quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter,vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum,quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint,per litteras Apoſtolicas, non faciẽtes plenam,& expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem.Volumus autem,quod earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Canonici Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Eccleſiæ, ſeu perſone in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus eiſdem adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, appoſitionis, ſuppletionis, ſuſceptionis, admiſſionis,conceſſionis,indulti,ſtatuti,ordinationis,exemptionis,liberationis, extenſionis, ampliationis,decreti,declarationis, relaxationis,mandati,derogationis, & voluntatis infringere,vel ei auſu temerario contraire.Si quis autem

Non obſtã. tibus.

Tranſũptis etiam impſ. ſis fides habeatur.

1591.

hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, vndecima Kal. Octobris, Pontificatus Nostri Anno Primo.

S. de Vrsinis.

Pro Reuerendiss. D. Summatore F. Hierosol.

M. Vestrius Barbianus.

I. N. V. Loco † Bullæ plumbeæ. A tergo.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

32

OBtentæ demum sunt litteræ Pontificiæ approbationis in Religionem, (Spiritu sancto secundante) non sine tamen assiduis ad Deum precibus, alijsq; mortificationis exercitijs à tota Congregatione ad eas adipiscendas adhibitis. Sane tunc temporis parum absuit, quominus vniuersi in irritum impensi labores abirent, & diu iterum hoc negotium sub silentio veleretur; semel, vt dictum est, ob vitæ defectionem Sanctissimi Patris Sixti V. nunc iterum eamdem ob rationem propter lethum Summi Pontificis Gregorij XIV. occasio enim se prætulit huiusmodi; litterarum enim expeditio xi. Kal. Octob. 1591. obtenta est anno primo, & supremo Beatissimi Patris Gregorij XIV. pensum enim absoluendi hoc negotium cuidam ex nostris Patribus demandatum est, at quoniam in eo peragendo aliquantum remisse procedebat, interius Pater Camillus se commoueri persensit, non absque tamen superno impulsu, qui è manibus eiusdem Patris supplicationem eripuit, & insueta celeritate, atque feruore Apostolicum Datarium adijt, parui pendens notari ab eo, vt importunus, à quo post datam supplicationem etiam Pontificia manu obfirmatam recepit; tantum enim absuit, vt si in alterum cum dimidio diem distulisset negotium, vel rectius si tanta non vsus fuisset solertia Pater Camillus, intra eumdem diem dandi supplicationem, neque à præfato Gregorio XIV. neq; à duobus immediate sequẽtibus maximis Pontificibus confirmatam obtinuisset Religionem, non enim à Gregorio XIV. ex eo, quia postero die à data supplicatione ægrotauit, adeo vt ex ea ægritudine abierit ad interitum, qui Idibus Octob. anni ejusdem contigit, in eius loco insedit iv. Kal. Nou. anni præfati Innocentius Nonus, animo alienus nouas instituendi Religiones, Innocentiũ vero in moderamine totius Militantis Ecclesiæ secutus est Clemens Papa VIII. ipse quidem non tantũ nouos Religionis ordines renuit instituere, verum nonnullos vetustate labentes in disciplina sub reforma coarctare studit, (vt indicatum est.) Deerat autem virtute Bullæ Patrem Camillum, suosque sollemniter quatuor emittere vota, qui festo Sanctissimi Principis Cælestis exercitus Michaelis Archangeli Deo promittere decreuerant: hæc enim Festiuitas proxime accedebat, quam summopere reuerebantur, ac perpetuo tota Religio præcipua dilectione, & obsequio colit, ob Crucis præsertim vexillum, cuius est Gloriosissimus Princeps signifer, vt in hymno eiusdem sic vniuersalis

Obex superatur à Camil. in adeptione nouæ Bul. Relig.

Instituit primitus cum suis P. Cam. die S. Michaelis Archang. professari.

uerſalis fidelium modulatur Eccleſia; ſed explicat victor Crucem, Michael ſalutis ſignifer: cum etiam propterea quod in ſuprema mortis hora curã habet demandatam ab omnium Creatore animas conſociare in illis extremis lethi angoribus, eaſque ſummæ Bonitati exutas corporę offerre; ſic item continetur in quadam ſuæ celebritatis Antiphona. Archangele Michael conſtitui te Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas, & vtrumlibet vtpote, quod ſit ſignifer venerandæ Crucis, & morientium Protector exprimitur in Offertorio Officij Miſſæ pro defunctis; ſed ſignifer Sanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abraham promiſiſti, & ſemini eius. Hinc itaque Camillus, ad ſuæ deuotionis oſtenſionem erga hunc inuictiſſimum Cæleſtis exercitus Principem, atque in ſignum venerationis, dum in extremis laboraret, pictori inſtituit (vt fuſius infra narrabitur) Imaginem Saluatoris Cruci pendẽtis effingere in medio telę, & ex vna parte nempe dextra exprimi glorioſiſſimã Virginem adſtantem ſubter Crucem, à leua autem Inuictiſſimum Michaelem Archangelum peſſundantem Luciferi ſuperbiam effigiari: proinde Camillus exoptabat, ac nitebatur primam, & ſollemnem profeſſionem vna cum ſuis Patribus die eodem Sanctiſſimi Archangeli Michaelis emittere, ac ipſius ſub tutela militare.

33 Verum à nobiliori, ac potentiori Domina præuentus, ac præpeditus eſt, vtpote ab Angelorum, hominumque Regina: etenim ea adiutricæ ſuæ conuerſionis exordia Manfredoniæ die nimirum integerrimæ Purificationis intemeratæ Virginis exorta ſunt; itidem in eiuſdem Glorioſiſſimæ Aſſumptionis Feſtiuitate illuuminatus inſtituere Congregationem excogitauit, & in ipſius iucũdiſſimo ortu pariter firma ſuæ dederat Congregationi primordia, ac proinde modo Benigniſſima Virgo in ſua Immaculatą Conceptione fieri noſtrorum primam Profeſſionem diſpoſuit; & quam in vniuerſis, & principalioribus Religionis operationibus, vt Dominam ſenſerant, nunc quoq; Patronam in prima ſollemni profeſſione reciperent, vt ſub eius tutamine Religio, & Inſtitutum noſtrum fauſte dimicaret.

Mutato cõſilio ob impedimẽta die Immac. Cõcept. primã emittũt profeſſionem.

34 Quandoquidem ſi mẽtio ſit de peſtilentiæ morbo (quem ipſamet benigna Virgo auertat) namquę ſollemni voto arctamur ægris peſte affectis inſeruire, & ſpreta temporali vita eo tempore cum morte quodammodo viriliter luctari cogimur, profecto, quę vera Medica, & adiutrix in peſtifera infectione an non Virgo Deipara eſt? De ipſa ſic deuotus Ioannes de Cartagena lib. 11. tom. 4. §. 238. Cum duriter ſæuiret per vniuerſam Coimbricenſem Ciuitatem peſtis, & quoddam Sanctæ Claræ Monaſteriũ Seraphici Ordinis Diui Franciſci adeo periclitaretur, vt ab ea morbi violẽtia omnes candidæ Virgines morte eſſent rapiendæ, quare matres de ſeceſſu excogitarunt, dum autem de modo conſulerent honeſtiori linquendi clauſuram, ne indefenſæ, atque auxilijs deſtitutæ morti ſuccumberent. En repente oſtium Monaſterij pulſari auditum eſt, quò properante clauicularia, quemdam prouidum, & venuſtum, ſed in habitu pauperem adoleſcentem eleemoſynam flagitantem eſt intuita, ſimulque ita inquirentem audiuit, quid tanta mœſtitia Sorores Monaſterij lamentarentur? Cui ſubintulit cauſam eſſe imminentis peſtilentiæ timorem, ad quam vir ille, lœto animo agite, reſpondit; & chartulam porrexit, quam digitis tenebat, vbi Glorioſiſſimę Virginis quidam inſcriptus hymnus inhærebat, aſſeuerans, ſi illum pie canerent, vel recitarent ab omni luę ſe incolumes euaſuras, qua in manų Oſtiariæ relicta pagina, non eſt amplius vir ille illis in Regionibus viſus, vel

Virgo fautrix contra peſtem.

Lib. 11. t. 4. §. 238.

Oratio tradita Monialibus S. Claræ aduerſus peſtem.

auditus,

591 auditus, quem non secus, ac Cælitus missum nuntium, atq; scriptum credidere, & suscepere verba in eo exarata sunt infrascripta v3.

ANTIPHONA.

Stella Cæli extirpauit,
Quæ lactauit Christum Dominum:
Mortem pestis, quam plantauit
Primus parens hominum,
Ipsa Stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem cædunt,
Diræ mortis vlcere,
Opÿssima Stella Maris.
A peste succurre nobis,
Audi nos Domina;
Nam Filius tuus nihil negat,
Te honorat
Salua nos Iesu
Pro quibus Virgo Mater orat.

Vers. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es semper afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum, Contine manum tuam, ob amorem illius Stellæ Gloriosæ, cuius vbera Gloriosa contra venena delictorum quam dulciter suxisti, præsta auxiliũ gratiæ tuæ, vt ab omni peste, & improuisa morte secure liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer saluemur per te Iesu Christe Rex Gloriæ, qui viuis, & regnas in secula seculorum. Amen.

Quam sicut amanter suscepere, ita sæpius in die deuote decantauere, & à Virginis patrocinio, perinde, atque præsentissimo antidoto contectæ sunt, famamque pestis audiuere, quæ grassabatur in ea vrbe, nulla quidem earum à peste vulnerata, eius iacula aliquo modo sensit, idque prorsus vniuersi Orbis Imperatrici merito adscripsere, cui innumeras, atque incessantes retulere grates. 35

36 Non tantum equidem Sacratissima Virgo sæuiente pestilentia, verum etiam, quod maximum est, nos ad limina mortis redactos, protegit, & in eo ancipiti, & formidabili conflictu, pro nobis, ac nobiscum aduersus tartareum hostem dimicat, & inter procellas tentationum eo tempore tremendo insurgentes, & nos impellentes ad sempiternam submersionem, tanquam matutina stella ad littus patriæ Cælestis misericorditer aura suæ gratiæ ducit, quod significare videtur Rupertus Abbas lib. sex. in Cantic. dum de illius Natiuitate eleganter, ac sapienter, deuoteque scribit; quando nata es (ait) Virgo Beata, tunc nobis vera aurora surrexit, aurora prænuncia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis est præteritæ noctis, & initium diei sequentis, sic natiuitas tua ex semine Abrahæ clara ex stirpe Dauid, ad quos cum iuramento facta est repromissio benedictionis, finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium, &c. Itaque Intemerata V. in eo articulo finem imponit omni tristitiæ; hanc enim extremam in morte dimicationem periculosiorem illa cum Gigante Golia Regius Propheta formidabat inquiens

L.6. in Can

In agone mortis dimicantes animas mater V. adiuuat. Ps.48.

ini-

iniquitas calcanei mei circumdabit me; at cuia intereſt nos in eo maris rubri diſcrimine viam ſternere? vt ad terram illam viuentium introducamur, niſi Virginis Intemeratæ? ſic in eius hymno Eccleſia Mater intonat: Tu nos ab Hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe: & in fine Salutationis Angelicæ pariter refertur ora pro nobis peccatoribus, nũc, & in hora mortis noſtræ; his alijſq; rõnibus conuenientiſſimum iudicarunt primam profeſſionem quatuor votorum ſollemnium ipſi Cœlorum Imperatrici conſecrare: quapropter non immeritò plures ſeſe obiecere difficultates, & vrgentia impedimenta inter hæc temporis ſpatia à confirmatione quippe Bullæ Religionis ad vſque eius Immaculatę Conceptionis Feſtum; tunc enim quaſi peccata tempeſtate, & reddita ſerenitate, ſublatiſque cunctis obicibus, prima, & ſollemnis Religionis Romæ profeſſio peracta eſt; attamen opus erat primo loco Patris Generalis electionem fieri, vt per Apoſtolicæ Bullæ diſpoſitionem cautum fuerat, priuſquam ad ipſum delegendum deuentum ſit, omnes Patres, ac Fratres, qui Romæ ad numerum tum trigeſimum quintum accedebant deferentes Crucem conuocauit Camillus, quibus ſuadere conatus eſt, vt ad quemlibet præter ſeipſum animum conuerterent, nonnullas obiciens difficultates, cauſaſque exponens, propter quas contendebat à ſuæ delectionis propoſito ad Generalatum cunctos ſemouere, ſuam potiſſimum allegans longeuam ætatẽ, & ſi non pluribus depreſſam annis, multis tamen laboribus fractam, & preſſuris, tibiarum præſertim vlceribus, à quibus grauiſſime moleſtabatur, & ſpiritualium imbecillitatem virium ad tantum onus ferendum; quocirca ſingulos humaniter, & humiliter obſecrabat relinquendum eſſe, vt ſibi ipſi incumberet, & in aliquo Xenodochio pauperibus ægris famularetur, quod maximopere optabat; nõ propterea (ſubintulit) Religionis ſe obliturum, cui arbitrabatur amplius oratione auxilio fore, quam gubernacula generalatus ſuſtinendo: veruntamen communi Patrum omnium conſenſu, atque aſſenſu perpetuus (vt Bulla Summi Pontificis diſpoſuerat) Religionis effectus eſt Generalis, eius rationes, & ſubterfugia PP. non admittentes; ſed ipſius zelum, prudentiam, vitamque integerrimam, atque exemplarem pendentes reſponderunt, vt onus, ad quod fuerat à Domino vocatus, perpetuo ſuſtineret, & Religionis nouam plantam coleret, ac ſua moderatione augeret, quam in Dei Eccleſia, Deo opitulante, plãtauerat: quod onus ſubire maluit, ne diuinæ quippe videretur reſiſtere voluntati, quam vt alijs præeſſet, & operatione, & exemplo magis, vt imperaret, quam verbo, ꝗ pẽſũ plurium annorum curriculo pertulit cum eo vrgentes, & acerbos tranſiens labores, & ærumnas; equidem pondus diei, & æſtus tulit nunquam ſibi pepercit, & Religioni, pauperibuſque multum profuit, vt paulo diſtinctius propijs in locis, prout narrationis ſeries poſtulauerit, dicetur.

Elligitur perpetuus Generalis Camillus.

37

Statimatque Generalis electio in perſonam P. Camilli ſecuta eſt, poſtridie nempe eodemmet die Immaculatę Conceptionis ad primam, & ſollemnem deueniendum erat votorum emiſſionem; eorum, vt puta Patrum, qui tum Romæ reſidebant; ſolum vero illi approbati ſunt, vt profiterentur, qui Crucem deferrent, & per biennium in Congregatione exemplariter vixerant, quique inſuper per occulta ſuffragia ab alijs, nimirum à maiori Cruce ſignatorum parte, digni ad profitendum fuerint inuenti, & hac ratione ad profeſſionis actũ admiſſi ſunt; protinus Camillus ideſt pridie, quam perpetuo paupertatem deuouere oportebat, ab ſe patrimonium aureorum ſexcentum, ſub cuius titulo ad maiores ordines aſcenderat; excluſit, eidemque Firmo Calui, à quo ſu-

Modus electionis Patrum ad profeſſionem.

1591.

Se abdicat Camillus patrimonio.

sceperat, per publicum Notarij actum resignauit, sub vexillo altæ paupertatis militare gaudens; omni itaque terrenarum facultatum pondere exutus per regiam egestatis viã incedere festinãter hiauit,& cœlestes opes pauperie duce sibi comparare elaborauit; demum ne variarum cogitationum spinis,quæ temporalia sunt eius mens dilaniaretur, non tantum patrimonio, verum etiam minutarum rerum se expoliauit vsu, vt infra narrabitur.

Emittit P. Fũdator primam professionem.

Illucescente die Purissimæ Conceptionis Beatissimę semper Virginis Mariæ, quæ est octaua mensis Decembris 1591.& Summi Pontificatus Greg.PP. 14. annus primus, patentibus mane diluculo nostræ Ecclesiæ Sanctę Mariæ Magdalenæ valuis, numerosa populi promiscui confluxit cohors, ad illas nimirum primæ professionis cæremonias obseruandas, & ad amplius propter indulgentiarum thesaurum eo diẽ cunctis,qui ipsis profitentibus interfuissent, plenissimum ab sua sanctitate concessum. Quare immolata primitus sacrosancta super Altare incruenta Hostia Aeterno Patri ab Illustrissimo Epidauri Episcopo,Camillus coram eo genua flectens, fidei Catholicæ absoluta Confessione, in manibus eiusdem Episcopi à Summo Pontifice ad hoc destinati primam, & sollemnem edidit professionem; sub hoc verborum tenore, ego Camillus de Lellis profiteor, & sollemniter voueo Domino nostro IESV Christo, & tibi Illustrissimo Domino ex commissione Apostolica in hac functione speciale mandatum tenenti, coram Sanctissima Virgine eius Matre, & vniuersa Curia Cœlesti perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam, & perpetuo inseruire (tamquam præcipuum nostri instituti ministerium) pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, iuxta formulam viuendi contentam in Apostolicis litteris nostræ Religionis Ministrantium Infirmis, & in eius constitutionibus tam editis iam, quam in posterum edendis. Ipsemet Illustrissimus Dominus Apostolica auctoritate (vt dictum est) eam suscepit subdens;& ego Paulus Alberus potestate, qua fungor accepto tuam professionem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

In manibus P. Gen. nostri primo vouẽt sollẽniter.

Peracta professione Camillus surrexit, & in eademmet Archiepiscopi Sella insedit,suorũq; Patrum, ac Fratrum professionem admisit gradatim tamen, ac singillatim prout à Notario vocati accedebant, qui propè Camilli pedes flectentes genua vota promebant in hæc verba ego N. profiteor, & sollemniter voueo Domino Deo nostro, & tibi Reuerendo Patri Generali,qui Dei locum obtines, coram Sanctissima Virgine eius Matre, & vniuersa Curia Cœlorum perpetuam paupertatem, castitatem, & obedientiam, & perpetuo inseruire (tamquam præcipuum nostri instituti ministerium) pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, iuxta formam viuendi insertam in Bulla Congregationis Ministrantium Infirmis, & in eius constitutionibus auctoritate Apostolica tam editis iam, quam in posterum edendis.Quorum omnium sollemne instrumentum extat per manum Ioannis Prisci de Iuuenalibus Notarij Capitolij rogatum.Nomina vero eorum, quos P. Camillus admisit ad professionem viginti sex sunt, qui infra notantur. 38

Nomina professorũ enumerantur.

Vnus Pater Franciscus Propheta Siculus, & alter Pater Blasius Opertis Siculus, Tetius Angelinus Burggia Mediolanensis, Quartus Stephanus à Mutina ex eadem Vrbe, Quintus Franciscus Lapis Florentinus, Sextus Ioannes Baudinghus Hibernus, Septimus Nicolaus Clemens ex Tulingis Gallus, Octauus Antonius Barbarossa Gallus, Nonus Prosper Fontecchia Aquilanus, Decimus Lucas Antonius Catalanus Salentinus Regni Neapolis, Vndecimus 39

Ia-

Iacobus Antonius de Meo Colliſnenſis item ex Regno Neapoli, Duodecimus Gaſpar Macarius Neapolitanus, Tertiuſdecimus Paulus Renda Calaber, Quartodecimus Franciſcus Pizzornus Subalpinus, Quintodecimus Ioannes Agnellus Cocozellus Neapolitanus, Sextodecimus Sanctius Cicatellus Neapolitanus, Decimus ſeptimus Godefridus Stella Neapolitanus, Duodeuigeſimus Baldaſſar Fonſeca Hiſpanus, Vndeuigeſimus Ioannes Antonius Mutius Arimeni, Vigeſimus Scipio Carrozza Caetanus, Vigeſimuſprimus Antonius Peruccius Bargenſis ex Diocæſi Bononienſi, Vigeſimus ſecundus Marcellus Mãſius Neapolitanus, Vigeſimus tertius Alexander Gallus Genuæ, Penultimus Annibal Romondinus Neapolitanus, & Poſtremo vocatus profeſſus eſt Iulius Cæſar Altauilla Mantuanus. His quatuor tantum adhuc vita comes eſt, nimirum Patri Nicolao Clementi, Patri Lucæ Antonio Catalano, Patri Ioanni Agnello Cocozello, & Patri Scipioni Carrozzæ, ad Presbyteratus dignitatem poſtmodum treſdecim ex iam dictis Patribus promoti ſunt. Reliqui autem Deo O. M. potiùs humiliter famulari, ac pauperibus ægris totis præcordij, & viribus ſic maluere inſeruire, ſimplicium Fratrum nimirum vitam ducentes, renuendo quippe Ordinum Sacrorum nouo pondere ſe grauare, & ad tantam Presbyteratus aſcendere dignitatem.

40 Ibi Reuerendiſſimus Pater noſter Generalis Camillus poſt receptam omnium profeſſionem, vt ſupra, ſacrum miſſę peregit, cunctiſque non modo fratribus verum, & Sacerdotibus Diuiniſſimum Chriſti Corpus diſtribuit: ſero autem cum vna adeſſent, ſeinuicem in lætitiæ, & congratulationis, & fraternę caritatis oſtẽſionem propter ante actam profeſſionem complexãtes deoſculati ſunt, illud modulantes propheticum ſermonem in domo Dei ambulauimus cum conſenſus. Pater vero Camillus coram, & in medio Patrum cernuus tanquam amator, & Sanctæ paupertatis hæres omnium temporalium optans amorem ab ſe dimouere, quæcunque vſu tenebat ante eorum pedes expoſuit, licet nil præter tegumentum, & lectum, minutaſque, & neceſſarias res penes ſe detineret; his tamen non niſi tamquam eleemoſynaliter conceſſis, & ab Religione accomodatis vti voluit, ſuperaddens ſicuperent ſibi talium rerum permitti vſum, annuerent, ſecus enim ſe etiam induſiuo ptiuaret, communitatiq; exponeret: quibus verbis ſuſceptis non abſque cordis compunctione, & oculorum humectatione, adeo profundam in eorum capite Patres experientes ſubiectonem, & paupertatis dilectionem, reſponderunt vnanimiter ſe illa, & quidquid ei foret opus libenter concedere, quoniam ob humilitatem, & affectum patiendi neceſſitates temporalium rerum, ſic ei viſum fuerat, non autem indigebat eorum conceſſione; quo reſponſo eis Pater referens grates, lætus ſurrexit, & ſatisfeciſſe arbitratus cum excelſa pauperie, quam ſibi veluti Spõſam delegerat: reliqui vero Patres, ac Fratres non vecordes, nec ſui Ducis exempli immemores; ſed omnes ad Cellas, vbi incolebant cucurrere, quidue in ea ſibi permiſſum continebatur coram omnibus, & antę pedes Admodum Reuerendi Patris Generalis depoſuere procumbentes, non equidem aurum, aut argentum, vel quid pretioſum, ſeu curioſum, aut vanum; quandoquidem hæc, & ſimilia ex eorũ pectoribus longiſsimè aberant, ſed præminutas quaſdã, ac friuolas, ſed neceſſarias ſarcinulas, vtpote acus, & filia, telæ, ac rudis panni fragmina, quibus laceras veſtes reparabãt, libroſq; aliquot ſpirituales palã, ſupraq; pauimẽtũ explicuere, quæ vna cũ ſua benedictione P. Cam. æquanimiter conceſsit, præcepitque, vt quiſq; vnde illa exportauerat, ad cubile reduceret,

Oẽs ſe & quibuſq; tẽporalibus expoliant,

Demum

1591.

Septē Vrbis Ecclesias visunt vbi Camillus altū de Diuinis instituit sermonem.

Demum tam pro gratiarum Deo, Sanctissimæque Virgini exhibitione paucis elapsis diebus vna pedestres veneratum iuere Romanæ Vrbis Septem Ecclesias, quā propter Indulgentiarum Thesauros consequendos, Sanctorumq; Martyrum visenda sepulcra, colendasque reliquias: inter itinera alte sermonē de Diuinis intermiscebant affirmantes se nunc maiori perfectionis vinculo ob sollemnia vota detineri; asserebat item Camillus Domino iugiter se cunctos deuinctos esse grates referre, qui præter omnium expectationem nouam in Ecclesia sua tam præclari instituti efformauerat Religionem. Nominatim vero in quandam aliquantisper quiescendi causa Cryptam cum se conuerterent, ibi de Diuina prouidentia profundam habuit, ac feruentem sermocinationem sumens illa pro sui discursus argumento Domini verba nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Vbi plura de perfectionis statu differuit, ipsos mente ad perfectiora eleuans, oportere significās in posterum ad altiora contemplationis, & ad feruentiorem proximorum beneficentiam tēdere; subiecit tandem se talem in Dño reposuisse fiduciam, hanc nempe Religionis nostræ modo exiguam plantam, posthac se per totum Orbem expansuram, àc suauissimos fructus in animarum salutem relaturam, sic eo loquente adeo Diuino amore illorum Patrum pectus concaluit, vt se paratos vnanimes dicerent, infidelium terras etiam penetraturos, & in quamlibet se intermissuros pestilentiæ sortem, vt ægris benefici fierent; his, atque similibus verbis quasi ignitis iaculis in suorum præcordia perfectionis desideria Camillus inserebat, & altas dilectionis proximi radices figebat. Verum fateor eos Patres orientis Congregationis, ac Religionis posterioribus sicut tempore, ita vitæ perfectione præcelluisse, atque indefesse per semitam regularis obseruantiæ cucurrisse. Inter hos nouos milites, hoc est nouiter professos, tertio loco Angelinus Bruggia commemoratur, de ipso pauca recensere mihi liceat: qui hoc anno ex hac vita migrauit. 41

De Angelino Bruggia.

FVit autem Angelinus Bruggia Mediolanensis in Obscuris officinis ad habitum Congregationis admissus xiij. Kal. Ian. 1585. dum in seculo vitā protraxit arte fabri lignarij victum sibi comparauit, honestam ducens conuersationem; in Congregatione vero non labores in otia, nec ærumnas in quietem permutauit, verum in maiores, & sibi inusitatas immisit defatigationes, & multo nobiliores in adipiscendas quippe virtutes potissimum patientiæ, & proximi dilectionis, atque humilitatis; vnde in culinæ ministerio diu applicitus est, parando cibos, ac Patribus mensam: vbi mira sufferentia id munus exercuit, nec propterea quicquam suarum, & Congregationis spiritualium, ac temporalium actionum neglexit, sed cuncta hilari mente operatus est; itaque apud omnium nostrum æstimationem quasi Cœlestis Angelus inspiciebatur propter insignes, quæ in eo micabāt virtutes ex eius serenitate vultus quodammodo renidentes; vnde nomen vitæ concors erat. Eo enim tempore cum nostri primitus professi sunt, ipse in lecto graui morbo correptus decumbebat, nihilominus cum reliquis ad professionem uocatus est; qui ad Ecclesiam deuenit alijs innixus, unaq; cum cæteris proprio ore professus est summo cum sui gaudio propter Indulgentiarum ad instar Iubilei copiam, quam lucratus est; hinc ad cubile Patrum auxilio redijt. Per magnos iste Frater ui- 42

sceruum

1591.

ſcerum cruciatus in ægritudine ſua ſuſtinuit biennio, quos mira ſufferentia tulit, ſibi enim inteſtina lacerari videbantur, & quaſi à canibus vorari: erat autem in his angoribus integris noctibus, ac diebus nil cibi, vel potus ſumendo, perſeuerans; tempore ſiquidem animæ ipſius egreſſus à corporis ergaſtulo, nutu, ac voce qua potuit valetudinario ſignificauit feneſtram, vt aperiret, non quaſi putaret animam egreſſuram à membrorum vinculis apertione feneſtræ indigere, ſed quia ob reuerentiam cuiuſdam memorandæ auctoritatis viri obuiam ſibi venientis (ſic enim annuebat) ad aperiri voluit. Quare brachijs in Crucis forma compoſitis, hilari vultu, atque procliui, oreque ſubridenti feliciter expirauit 10. Kal. Ian. omnium profeſſorum primus effertur, qui à mundi erutus calamitatibus celſa Cœlorum petiuit, ſic fari ſuadet eius optima conuerſatio, munitus Eccleſiaſticis Sacramentis, ipſius oſſa vrna in Eccleſia Diuæ Mariæ Magdalenę ſeruat Romæ.

42 Profecto faciliùs poſse gradum fieri putauit, & aſsecutus eſt egregias virtutes Angelinus per ea, quæ ima cernuntur exercitia, quam per otia, ac dignitates, per illa ſiquidem humilitatis, ac uilitatis opera mens (quemadmodum per pharmaca corpus) depuratur. Quocirca optime hic Frater philoſophans liberi corde, & manu ad culinæ miniſteria ſe ingeſsit, dapes præparans Patribus, patinas, ollaſque, aliaque uaſa tergens, ac uerrens eiuſdem pauimentum, extrahenſque propijs manibus, quæ in ea ſunt purgumenta, deſuper cœnandi loca aptabat cuncta prompte, & cum gaudio præſtans, ſed nunc ſequens me occupat annus.

1592.

Annus Domini 1592. Religionis ſecundus obtinetur Pontificium diploma nouæ aprobationis nimirum Religionis, & admittendi quoq; Nouitios per biennium ad habitū extra Generalia, aut prouincialia comitia. Neap. ab Eccleſia Diuæ Mariæ Agnionis alibi figitur Domicilium. Protector Religionis Eminentiſſimus Cardinalis Mons Realis obit. Signanter agitur de quibuſdam ex noſtris iam vita functis.

1 POST deceſſum Greg. Sanctæ Recordationis Papę 14. D.Petri in Cathedra ſedit Innoc. 9. electus jv. Kal. Nou. 1591. qui Prid. K. Ian. eiuſdem anni migrauit ad Cælos poſtmodum in eius locum ſuffectus eſt Clemens 8. die quippe III. Kal. Feb. 1592. & quamuis fuerit ad promouendos nouos Religioſorum Ordines minime propenſus, non ſic tamen nobiſcum apparuit; quinimmo noſtram decorauit Religionem, confirmauit, & auxit multis Pontificijs diplomatibus, vt infra innoteſcet.

Camillus vero cum aurea caritatis catena, voto mediante ægris miniſtrandi ſe circumuinctum, & ornatum cerneret, priſtinis pietatis exercitijs vna cum ſuis Religioſis noua ſuperaddidit, nouoque, atque ardentiori affectu illis obſecutus eſt, & quod antea ſolo caritatis intuitu obibant; modo ſiquidem ardentiori flamma, tamquam Dominos, atque filios ægros reuerebantur, ac ſublimiori affectu proſequebantur, tam ipſe, quam ſui alumni.

2 Verum ſimulatq; Camillus ad apicem Summi Pontificatus Clementē PP. 8. aſcendiſſe conſpexit, eueſtigio eius deoſculatum pedes profectus eſt; pariterque ſi Pontificis permitteret benignitas, confirmationem rurſus ab eo Religionis expoſtulare decreuit; attamen prius ſe orationibus cum ſuis Religioſis communiuit. Cum porro ad illum perueniſſet humaniter ab eo exceptus eſt, pariterque Religionis approbationem, iam à felicis Recordationis Greg. PP. 14. obtentā, efflagitauit; quam per Apoſtolicum Breue adeptus eſt, verum etiam per idem diploma editum *XIII.* Kal. April. iam præfati anni impertita eſt facultas ſpatio biennij admittendi nouitios non expectato Generali, vel Prouinciali Capitulo, quæ poteſtas iterum per alterum breue emanatum Prid. Kal. April. *1594.* quod ſuo loco notabitur in perpetuum extenſa eſt.

Cōſequitur Breue Apoſtolicū Confirmationis Relig. & recipiēdi Nouitios extra comitija.

Quapropter Camillus, qui formidoloſus ad pedes Sanctiſſimi Pontificis commeauerat, inde lætus abſceſſit, obtinuiſſe quippe quęcumq; expoſtulauerat; cauſa enim ſui timoris inde exorta fuerat (vt ſignificaui) quandoquidem multis alijs Religioſis ianuam admittendi Nouitios idem Summus Pontifex occluſerat, & difficillimum ſe præbuerat in nouis confirmandis Religioſorum Congregationibus; erga noſtris quidem magna animi cum promptitudine

ſe

1592.

ſe præſtitit, cuncta autem approbauit, nouaque conceſſit, & quæ alijs denegauerat facile, ac benigne noſtræ conceſſit Religioni. Sanè quia ad inſtituti neceſſitatem oculos mentis direxerat. Cōceſſio patet cunctis; (dum infra ſubnectitur. Vbi apparet mirificè ſuſtolli pietatis opus à Patribus exhibitum, & inſtituti præſtantia per ea verba, quæ in eo diplomate inſeruntur, & talia ſunt, nos eamdem Religionem eximiæ pietatis, & caritatis famam laudabilem, ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes &c. Vnde affluentiam gratiarum Apoſtolicarum in nos redundans fuit? propter nimirum caritatis eximiæ exercitia, quæ profitetur Religio noſtra; quid ſimile eſt intueri in approbatione Pontificia primitus Congregationi obtenta tempore Sixti Papæ 5. ſed recurrendum eſt ad ipſa Summi Pontificis verba.

NOVA CONFIRMATIO, ET APPROBATIO APOSTOLICA RELIGIONIS.

Et priuilegiorum Clericorū Reg. Miniſtrātium Infirmis, & facultas recipiendi Nouitios ad habitum per biennium.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam..

SAcrarum Religionum piè inſtitutarum conſeruationi, & incremento eò libentius conſulimus, quo vberiores in Eccleſia Dei fructus exinde prodire ſperamus. Sanè cum nuper Congregatio Miniſtrantium Infirmis pridem in Vrbe Apoſtolica auctoritate inſtituta, ob pia charitatis opera, quæ exercere conſueuerant perſonæ in illa degentes à fæ. rec. Gregorio Papa XIV. Prædeceſſore noſtro meritò in Religionem erecta fuerit, cuius Religioſi Romæ nimirum exiſtentes nouiſſimè regularem Profeſſionem in eorum Eccleſia Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Regione Campi Martij de more emiſerint, & alij, qui in alijs Ciuitatibus, & locis reperiuntur, illam propediem emiſſuri ſint; Nos eādem Religionem eximiæ charitatis, & pietatis fama laudabilem ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, erectionem Religionis huiuſmodi, ac litteras Gregorij Prędeceſſoris deſuper expeditas cum omnibus in eis contentis, necnon quæcunque priuilegia, & indulta, ac Indulgentias, & gratias eidē conceſſa, eiuſque ſtatuta, conſtitutiones, & conſuetudines licita tamen, & ho-

neſta,

1592.

nesta, Sacrisque Canonibus, & Concilij Tribentini Decretis conformia, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur addijcimus. Quia verò, hoc ipso hujus Religionis initio valde difficile est, vt in ea constitutiones fe. rec. Sixti PP. V. Prędecessoris nostri seruetur circa modū, & formā recipiendi Nouitios ad habitum regularem cuiuscunque ordinis prima videlicet sub dat. sexto Kal. Decembris Anno tertio, altera sub dat. Duodecimo Kal. Nouembris anno quarto sui Pontificatus editæ, ea præsertim in parte, qua huiusmodi Nouitiorum receptio in tempus celebrationis Generalium, vel Prouincialium Capitulorum differtur, sine maximo eiusdem Religionis detrimento obseruari valeant, Nos, ne illorum, qui deuotionis feruore accensi ipsam Religionem ingredi cupiunt, propterea frigescat charitas; & pia commutetur intentio opportunè prouidere, ac aliàs eiusdem Religionis incremento prospicere volentes, ac dictarū Constitutionū, necnon aliæ illarum moderatoriæ à fę. itē rec. Gregorio Papa XIV. etiam Prædecessore nostro sub data Idibus Martij Pōtificatus sui Anno Primo emanatæ tenores, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, ex sententia Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalium super rebus, & statu Regularium deputatorum eidem Religioni, vt ad biennium dumtaxat quoscunque in ea habitum recipere, & professionem emittere cupientes hoc modo recipere, & ad habitum admittere valeant, videlicet, vt Superiores Locorum vnà cū duobus Fratribus grauioribus eiusdem loci, in quo aliquis recipi voluerit informationes circa recipiendi qualitates diligenter capere, & si iuxtà formam dictarum Constitutionum Sixti, & Gregorij Prędecessorum idoneus repertus fuerit, ad habitum (Generali, vel Prouinciali Capitulo minimè expectato) admittatur, lapsoque probationis tempore professionem iuxtà regularia dictæ Religionis instituta regularem emittere valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus memoratis dictorū Sixti, & Gregorij Prædecessorum, ac quibusuis alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cęterisque contrarijs quibuscunque. Lapso autem dicto biennio à data pręsentium computando facultatem hanc nolumus amplius perdurare. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris, die xx. Martij M. D. XCII. Pontificatus nostri Anno Primo.

M. Vestrius Barbianus.

Congratulatur P. Cam. ob Cōfirmationē Relig. non tantum, qui fautores fuerunt verum, qui religione obstiterant.

3

Postquam approbationis libellum Religionis nactus est Camillus, non mediocri lętitia eos Eminentissimos Cardinales, ac prelatos affectos esse, certum est, qui iugiter hoc negotium ad perfectum duci concupierant, & consilijs, atque opera adiuuerant; verum etiam illos, qui contrario sensu se quodammodo obiecerant à principio; vnde mutata posimodum sententia hilari animo eius confirmationem suscepere, hinc Cardinalis Amplissimus Sancta Seuerina, etiamsi initio cum approbanda foret Congregatio aliquantulum obstitisset, exinde facta Religione summopere nostris congratula-

tus

tus eſt, & cum extremo ſpiritu confliĉtaretur, ſibi ſemper adeſſe quęſiuit quatuor Patres ex noſtris, vt pro ipſo deprecarentur, munuſque commendationis animæ exhiberent, prout exactum eſt, donec è vita migrauit.

4 Sanctus quoque Philippus Nerius quamuis fuiſſet peruetuſtus Camilli à Confeſſionibus Pater, ac perfamiliaris; attamen cum rumor eſſet per Romanam Curiam excitatus ſuper erectione noſtræ Religionis, non admodum in eius Confirmationem inclinabat, at poſt erectam non mediocriter illius erectionem commendauit: quin immo pridie Feſtum Diuę Mariæ Magdalenæ ſacrum; Camillum adijt viſum, ſecumque vehementer gauiſus eſt, eamque dixit Religionis inſtitutionem miraculoſam magis fuiſſe, quam ex humana induſtria exitum habuiſſe.

S. Philippus Nerius commendat Relig approbationē & Camillo cōgratulatur.

5 Interea Neapoli noſtri adhuc in ædibus prope Eccleſiā Diuæ Marię Agnionis incolebant: ibi enim plura ob incommoda (vt relatum anno ſuperiori accepiſtis) neque diutius conſidere quieuerunt; verum ex ingenti pecuniarum quantitate à nonnullis Illuſtriſſimis Dominis, ac matronis (vt iterum recenſitum eſt) domus noſtræ ſuperiori iam erogata ædes quammultas coemerunt in via ſatis nota, ac frequenti, quam nominant Forcellam, prope Parochiam Diui Georgij, vbi ſatis commodam conuentus clauſuram efformarunt, adiecto in medio peramplo atrio, ſeu agellulo quampluribus plantis malorum aureorum, alijſque arboribus, ac vitibus conſito, quæ modo ob recentis Eccleſię conſtructionem euulſa ſunt, & tota ea planities ceſſit in templum. Ibi enim ex aliquot diuerſorijs terraneis earumdem ędium, in exordio habitationis exiguā Eccleſiam compoſuere ſub titulo, ſeu vocabulo Sanctę Marię Portę Cœli, quę adhuc retinet nomen; vbi pluribus annorum decurſibus ſacrum Miſſæ noſtri celebrarunt, aliaque Eccleſiaſtica officia Religionis peregerunt; nunc magnificum templum quotidianis, & emendicatis fidelium eleemoſynis conſtructū eſt: ſed nondum abſolutum, adſtruenda remanet Crux, hucuſque pars, quam dicunt nauim, tantum perfecta conſpicitur, in ea Diuina exercent munia Patres, itaque ad has memoratas Domos noſtri initijs anni inſtantis commearunt, vbi perpetuo ſubſidunt.

Neap. trāſeūt noſtri ad ædes in via, (quę fertur) Forcellæ.

De P. Io. Bermontè.

6 PRimum enim, qui domum iſtam, & Eccleſiæ ſepulchrum illuſtri morte exornauit, fuiſſe legitur Ioannem Bermontem, qui ex Taurini Diocœſi Kal. Auguſti Romæ ad habitum admiſſus fuit *1587.* indeque Neapolim ad illius domus fundationem à P. Camillo dimiſſus, omni quidem virtute nituit, nominatim dilectione erga pauperes ægros, quam item aliquo tempore Romæ exemplariter exercuerat, & Neapoli magno ardore conſumpſit, ſuperadiectis alijs ærumnarum domus illius oneribus, quæ ſingula amanter amplectens, ac ſufferens demum Menſe Aprilis roboratus Sanctiſsimo Domini Corpore, & Oleo Sancto *1592.* hac vita vacauit, & in ſepulchro conſiſtente in Templo S. Mariæ Portæ Cœli cōditus eſt, fuit. n. ex primis huius domus Fundatoribus, & primus, qui Eccleſiæ iſtius ſepulturam ſuo Corpore honorauit.

7 Pater vero Generalis Camillus poſtquam ſuorum Romę ſuſcepit profeſsionem, Neapolim ſe tranſtulit, ibique complures adinuenit noſtrorum, quorum

1592.

Ad profess. sionē admisit Cam. 15. Neapoli.

tempus iam maturauerat, vt ad professionem quoque sollemnem promouerentur, vbi ea vice quotquot idoneos reperit nimirum 15. in celebratione sollemnitatis salutiferæ Crucis, quæ incidit V. Non. Maij, ad professionem admisit, illāq; suscepit suis manibus. Indeque Bucchlanicum locum sui natalis vna cum Fratre Curtio Iodi nouiter Neapoli professo petijt, vt inibi incolis, & sanguine obstrictis beneficum se præberet. Exiguum, quod ex paterna hæreditate illi remanserat patrimonium mendicis, viduis, ac pupillis erogauit; & insuper nonnulla, quæ Roma secum exportauerat, tum pecuniæ à Firmo Caluo sibi collatę, quam etiam aliarum piarum elargitionum, vt Sanctarum Imaginum, ac Reliquiarum, librorumque, notis, familiaribus, deuotisque personis distribuit. Suasit tum insuper cuidam ex suis Cognatis mundo calcato Christum sequi ingrediendo Religionē, à quo pro honestæ cohortationis pręmio, bona hæc retulit, dicente satis esse in quauis domo vnicum reperiri stultum, cuius responsum, in patientiæ meritum serena fronte tulit; attamen obduratum consanguinei pectus amaro corde sensit. 7

Petit S. ædē Lauretanā.

Illinc digressus est causa proficiscendi Romam, transitum per Sanctissimam Lauretanam ædem faciens, vt Angelorum Reginæ, dignas, quas posset, pro tot innumeris in se, totamque Religionem allatis beneficijs, ageret grates; vbi cum Sacrosanctum Altaris sacrificium persoluisset, multasque preces lacrymas coram Angelorum Regina effudisset Romam peruenit. Consueuerat enim priusquam in aliquam Religionis domum se transferret primitus sanctissimum venerari in Ecclesia Eucharistiæ Sacramentum, indeque post orationem, si infirmi iacebant in lectis, visere adhuc in pedibus calcaria tenens, & amictus omnibus indumentis in equitatu gestari assuetis: ęgrotabat (tum temporis Romæ quidam ex nostris Fratribus nomine *Paulus*. 8

De F. Paulo Renda.

Lib. 3. c. 26.

F. Paulus nā ciscitur incolumitatē merito Patri Cam.

FRater Paulus Renda Romę ex prima professione vnus, grauiter æger in lecto iacebat, quadam nimirum lenta febre tendente ad ethicam, quam nullo medicamine poterat à se excutere, merito formidabat ex ea interemptū iri, quem visum adijt Pater Camillus, facta quidem benigna salutatione, verbis eum est allocutus blandis (quę cum ægris nominatim habere mos illi semper fuit) sciscitans, quomodo tractaretur à morbo, ait male, multumque ab eo vexari, nullam concedēte intermissionem, aut quietem, sed inter viscera sæuiter dominari, cui Pater Camillus æquo animo esse suasit, & protinus supra ægri sinciput manum extendit, tetigitque frontem, atque extemplo Paulus efficacissimam expertus est medelam, morbusque quasi non potens suo contrario resistere aufugit, nec in posterum redire ausus est, eumq; sublocutus est ita Pater Camillus; lætus posthac ò Paule operare, & pro Diuino famulatu, ac pauperum beneficentia vires tuas, omnemque industriam adhibe, quandoquidem non ad exiguum tempus te Dominus traxit in Religionem, quod experimento postea comprobauit, etenim honestis moribus ex ea tempestate, vsque ad annum 1622. in Religione laudabiliter fatigauit, quo tempore functus est, Hic Religiosus diu viscerum passus est obstructionem, quam alacriter annis pluribus sustinuit, ab eaque sensim in exitium ductus est demum. 9

Sed vnde exij resumendo iter. Eam domum in Vrbe Romę debitricem su- 10

pra

1192.

pra aureorum summam nouem millium adinuenit, absque vlla spe, præter diuinam, in qua fidebat, illos exsoluendi, horum magna pars Confallonis Societati obnoxia erat, cuius rectores aliquanto acres processere in hoc suo exigendo credito, puto illos ab alijs creditoribus molestiam fuisse perpessos; deuenerunt enim ad expignorationis actum, cum porro satellites fuisset intuitus Camillus, ante pedes se proiecit Sanctissimi Cruci affixi Domini, Ministri vero, qui pignora venerant detrahere, nihil domi inuenientes pretiosum, silenter secessere, quandam vero domum nuper à Firmo Calui emptam, Patribusq; cõcessam impediere, ita ut posthac Confallonis Gubernatores Domini putarentur; aliquantum mæroris in animum Patris Camilli propter has acerbitates subintrauit; attamen ad suum quotidianum profugium, hoc est orationem confugit, ex qua non pauca aduersa explanata, secunda euenisse, plerumque fuerat expertus. Debita enim Societatis Confallonis inde ortum habuere, ex conductione nimirum aliquot domorum ipsius societatis; vbi tum nostri incolebant, & adhuc diuersantur; defluxerant enim nonnulli annui census, seu locationis pretia, ad ea soluenda impotens Religio tum temporis adueniebatur.

Debita nostrorum cõtracta ob domorũ locationẽ Romę.

11 Pater vero Generalis, vt adeo vrgenti occurreret necessitati Sanctissimum Pontificem Clem. 8. adijt, ex quo piissimo, ac benificentissimo Pastore, emolumenti, & eleemosynarum non leue præsidium repertum iri credidit: diuersabatur enim tunc temporis Summus Pontifex Tusculani, quo Camillus contendens coram eius pedibus se inclinauit, atque deosculatus est, & egestatẽ, qua tenebatur Religio, & temporales necessitates, quibus duriter præmebatur, ostendit, & debitorum onera patefecit, nec vnde solutio pateret, ei innotescebat, nec modus aliqui, seu ratio suppeditabatur: propterea humiliter ante ipsius Beatitudinis pedes deuenerat, vt alicuius emolumenti refrigeria deportaret; cum hoc suæ non esset sanctitati recens, aut inopinata res, ægestate afflictis nempe opem affluenter afferre, à qua etiã benigne sua Religio Confirmationem susceperat, totque insignibus priuilegiis fuerat cohonestata, modesteque annuit egregia opera, quæ pauperibus ægris in carcerum mœroribus, dum languent, in Hospitalium putoribus, & per Vrbem exhibet, tum animæ, cum etiam corporibus ad subsidia ferenda suam Religionem præsto esse noctu, diuque subdidit (contigit enim hoc die sancto Seraphici Patris Francisci) Pontifex enim maximus ad hæc consueta benignitate sic affatus est, etiam si Apostolicum Erarium, valde sit exhaustum, propter auxilia, quæ quotannis, & mensibus Imperio subministrat, attamen cum primum Romam repetã, vestræ Religionis memor ero; vt postea omnino benigna liberalitate compleuit, namque tricentorum aureorum summam cum septuaginta Patri Camillo mandauit erogandam, tanti enim erat Religio Confalloni debitrix, quam summam singulis annis exoluere pollicitus est prouidentissimus, ac liberalissimus Pater Clemens 8. & sane clemens.

Ingenti pecuniarũ sũma occurrit Relig. necessitati Clem. PP. 8.

12 Soluta Societati Confallonis domorum conductione, maiorem ex hac Cęlesti prouidentia cepit Camillus confidentiam, cum ipsius Societatis Dominis conuenit, transiens de locatione, vtpote ad domorum emptionem, dum enim publicum rogaretur instrumentum, eorumdem Dominorum vnus taliter est affatus, sed non satis caute, quando emptionis pretium assequentur? se nusquam subridens adepturos annuit (pretium autem ascendebat ad aureos quatuormille) cuius leuitatem retudit Camillus his dictis, num impotens erit Dominus auri plenos ad hoc ostium transmittere sacculos; magnopere enim te-

1592.

nebatur in Dei summi fiducia, ille vero incautius locutus est, miraculorum tempora prӕterijsse, quem vrbaniter rursus correxit Camillus: hic, qui obtrectauerat, postmodum, quod enunciauit seruus Dei certo euenisse vidit, vt paulo post sermo aperiet.

De Godefrido Stella.

13

Honesta habuit natalitia, bonis fortunӕ affluens.

IN decursu prӕsentis anni 1592. F. Godefridus Stella Neapolitanus decessit, cuius vita, gesta, ac obitus digna sunt breuiter memoratu Mense Aprilis 1589. mendacem linquens mundum Congregationis habitum suscepit, Neapoli quidem admissus fuerat, Romӕ vero illum, prӕfato Mense habitum induit Camillus; vbi etiam in ordine 17. cum primis PP. professus est. Principio receptionis, quam varie ab iniquissimo generis humani insidiatore tẽtatus, ac vexatus est; ante oculos mentis illi sordida, & maleolentia Hospitalium, & carcerum loca, pauperumque viles tabernas immittente, ac suggerente horribile, & pene impossibile fore, vt talia perferat: vestium item nouitates, seu mutationes, & prӕsertim togӕ, quӕ domi supra tunicam defertur gestare admodum Godefridus erubescebat, quӕ tum fului coloris ducebatur, cuius tincturӕ sola modo extat Crux; summopere pediculos, & culices nauseabat, quibus satis prӕfata loca abundant his, alijsq; tentamentis veluti parua cymba amplo, & tumescenti in mari fluctuabat, timens imminens naufragium, superadiectis etiam arcta pauperie, ac vitӕ illorum temporum rigore, & saeueritate, in quo omnes perseuerabant, addita insuper sua pristina delicate protracta vita anteacta: itaque sibi consuluit, simul, & decreuit, relicto Congregationis habitu, aliam sequi spiritualem militiam Monachorum scilicet Illustrissimӕ Familiӕ Religionis Montis Cassinensis, in ea enim admissum esse affirmabat; & fortasse anguis suӕ perditionis, sub uiridi herba diabolicӕ fraudis latebat, nitens Callidus Aspis hac via à diuino famulatu illum remouere; vnde ardenter sibi reddi sӕcularia vestimenta institit, nec vox superioris, nec reliquorum Patrum, nec rationes, nec placida, nec minacia verba ipsum retrahere ab illa peruersi propositi firmitate valuere, sed allatis Laicalibus indumentis pridie ante discessum accurate à puluere excussit, & coaptauit, vt postridie surgente sole illis tegeretur, vel potius dehonestaretur: veruntamen ipsius regressum ad sӕculum mӕste nostrorum quilibet ferebat, speciatim P. Camillus, & idcirco vnusquisque à Domino pro ipso auxilium implorabat, quorum preces in irritum non iuere, dum enim omnes sero proficiscuntur dato signo Campanulӕ dormitum, & ipse Godefridus cubitum quoque secessit, sed vice capessendi somnum, vel quiescendi, quam acerba irruit in eum febris mixta cum rigidissimo frigore, quӕ tamquam sӕuus Tyrannus illius dilaniabat viscera, quapropter vi morbi dentibus stridere coactus est, & supra cubile resilire, & quasi anguis circumipsum se inuertere Torum; quamuis incolumis, & sine vlla morbi suspicione corpus declinasset in lecto, ad tam grandem, tamque dirum fragorem reliqui Patres exciti cucurrere, & Godefridum crudeliter ab repentina febre captum, ac tortum repperere, quӕ potuere, ac sciuere, tempusque angustia permisit remedia, & consolationis leuamina adhibuere, vsq; dum allucesceret dies magis apta ad Medicorum auxilia applicanda: interim ipse bene intellexit, interius Dño eius prӕcor-

dia

1592.

dia percutiente, ſe morbi cruciatum paſſum eſſe; propterea quod ſtatu Cõgregationis, & Crucis vexillo, ſub quo militabat, ſe abdicare audebat. Itaque mutato in melius conſilio perpetuo in Congregatione manere ſtabiliuit, idque propoſitum voto firmauit, & ſęcularia, quę penes ſe indumenta ſeruabantur, expulit; reſtituitque Superiori. His actis repente conualuit, vt antea, qui per ſpatia decem menſium, quę in Congregatione conſumpſerat, nuſquam, nec leuem capitis dolorem perpeſſus fuerat: at verum eſt peruulgatum axioma, quod vexatio dat intellectum, & profecto, quem diligit Dominus corrigit, Godefridus ſiquidem ex ea Dominica viſitatione, quaſi ex fumo ſcintillas diuinæ dilectionis collegit, in eius famulatu, & pauperum ęgrotorum perſeuerantia immobiliter conſtitit. Ceterum poſthac ſe pęnitus mundi contemptui tradidit; indiſcriminatim enim omnia comedebat, qui antehac plura tangere reſpuebat edulia conuentus, & qui antea ęgenorum diuerſoria, valetudinaria, cubilia, & vermiculos vehementer nauſeabat, nullo in poſterum horroris, & indignationis, aut impatientiæ ſigno oſtenſo, in hæc ſponte ſua ſeſe immergebat, nec fœtor amplius ei, nec veſtiendi modus, nec mendici faſtidio fuerunt, nec contemptui; cuncta animo lætanti complexatus eſt; ægros qualibet plaga, vel mœrore affectos, & afflictos mirifico amore proſecutus eſt, obedientiæ paratiſſimus executor, quam accurate, & ardenter onera ſuſtinuit Congregationis; & paupertatis incomoda, vt diuitias amauit. Dominus enim veluti Cæleſtis medicus Godefridi morbo contraria adhibuit medicamenta, vt famulum ſuum ab omni ſorde peccati emundaret, & à priſtinis, delicatiſq; viuendi vſibus omnino per ſatisfactoriam pœnam auerteret, ac purificaret. Permiſit in eum nauſeoſam, & infeſtam ſcabiem irruere, quæ totum eius corpus contegeret, ita vt tota ipſius cutis vnica commacularetur plaga; quæ nec ciborum qualitate, vel abſtinentia, nec medicorum, vel medicaminum virtute tolli, vel minui potuit, quinimmo in dies magis inualeſcebat morbus. Ipſe vero Godefridus quemadmodum ſimilitudinem aliquam in vlcere cum patientiſſimo Iob expreſſam habuit, ita quoque in ſufferentia valde tenax perſeuerauit, & cum dolores perurgerent, ampliuſque ſæuirent Apocalipſis verba replicabat, quantum ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctũ, volens ad delicatam, quã egerat in domo paterna vitã alludere: neque tot dolorum aculeis Cæleſtis ignis flammam ſuffocarunt; ſed interdum ignita verba diuini amoris ex eius pectore, atque ore prodibant, cælumque intuens; quaſi ab illius cupidine captus, inſpicite, aiebat, cæleſtia, ſolem, ac cętera ſidera, quam ſint pulchra, quæ nobis ſua blandiuntur venuſtate, trahuntque mirificè deſiderium illo ire. Quando vero morbus permitteret ipſum è lecto ſurgere, etiam ſi ope indigeret aliena, protinus ad ægros ſe conferebat, vt eis aliquam pietatis operam impenderet, maiorem ob ſuam ægritudinem caritatis affectum oſtendens, quam manuum operationem, quas imbecilles regebat; Si quem, iter habendo, ex ſuis familiaribus virum patritium offendiſſet; demiſſo capite, oculiſque ad tellurem, tamquam ignotum, præteriuit, adeo mundi contubernium repudiauerat, ac familiaritates. Demum, vt ſanus euaderet illum Pater Camillus ſecum duxit Neapolim, vbi naturali in Regione, & in ſecundiori aeris plaga forte conualeſceret, ſed in deterius lapſus eſt, nec quicquam, quamuis plura fuerint applicita medicamina, illi profuit, maturauerat ſiquidem fructus; & Dominus ne malitia mutaret intellectum eius ad ſe traxit 13. Kal. Auguſt. 1592. eius teſtamentum fuit om-

Irruit in eũ febris, propter propoſitũ deſerendi ſtatum Relig.

1592.

nibus relinquere eximiæ sufferentiæ, obedientiæ, & caritatis exempla: suscepit enim Ecclesiastica Sacramenta, ossa vero illius in Templo teguntur Diuæ Mariæ Portæ Cæli Neapoli.

14

Conuentione itaque peracta (vt ad caput recurram) cum Dominis Confalonis, Rectoribus, & Domuum prorsus solutis locationibus (vt paulo superius significatum est.) In Templum Diuæ Mariæ Magdalenæ Patres, ac Fratres omnes tum P. Camillus coegit in vnum; vbi post aliquantisper cum orauerint, deuotum exorsus est sermonem, loco exordij vt Dominum deprecarētur edidit pro Sancta Romana Ecclesia, & singulariter pro ipso Beatissimo Patre nostro Clem. PP. VIII. qui ipsos in ea imminenti egestate tam clementer subleuauerat, tot pecunias subministrando, quot opus habebant; significans quoque ita sibi ab eodemmet Summo Pontifice fuisse, vt efficerent, impositū, idcirco instāter, ac iugiter orando pro eius incolumitate, nō desinerent; ex ea occasione de diuina prouidentia subintulit discursum, adeo sublimem, non tamen subtilem, aut curiosum, nouis, & obstrusis rebus, ac sententijs, sed vulgarem, fructuosum, & experimentalem, à fide, atque ardenti zelo depromptū, rememorans præsentanea, quæ fuerant consecuti subsidia; & quæ in posterū fideliter operando, ægrotis in afferendam opem, & per viam incedendo perfectionis, erant adepturi; quinimmo fore vt affluerent omni temporali bono, præter dona Cælestia, subintulit quandoquidem etiam infidelibus, & obduratis in malo, atque scelestis hominibus hęc quoque impertiuntur bona telluris, quanto magis ipsis non denegatum iri; Immo non præcurret forte (ait) mensis, quando Religio Diuinam experietur munificentiam, magnum auri pōdus hęreditans, quo pœnitus à pręsentibus erit immunis calamitatibus, & a rerum pręsentium necessitate non coarctabitur; hoc vero nullatenus dubitandum esse conclusit, meminit etiam verborum, quæ Dominus Sanctissimæ Virgini Catherinæ Senensi protulit, Catherina si tu mei fueris recordata, ego vero tui nonnunquam immemor ero; cuius verba non vt leuia à vento per aera agitata sunt, verum à misericordiarum Patre completa, quandoquidem non elapsus est mensis, quando Eminentissimus Cardinalis Mons Realis Religionis nostræ Protector, vita functus est, qui tum integra fruebatur valetudine, ob cuius interitum hæres acquisiuit Religio supra quindecim millia aureorū, vt mox subnectetur.

P. Cam. sermo maximę fidentiæ in Domino.

De obitu Eminentissimi Card. Montis Regalis nostri Protectoris.

15

PAuci prætererunt dies, in quibus Dominus eruere ab angustiarum pręssuris, & egestate Religionem decreuerat: ægrotauit itaque Eminentissimus Cardinalis Mons Realis quadam à principio leui, ac latenti febre, quæ sensim adeo vires carpsit, vt maligne postmodum intra viscera sęuierit, qua in ægritudine sepenumero visus à Camillo, cæterisque Patribus, qui illum quam frequentibus comitati, & consolati sunt visitationibus: demum dum in supremis morbi doloribus erat constitutus, assidui nostri secum diuersabantur, speciatim Pater noster Camillus, qui ab eius Toro non se elongabat, affectus siquidem non paruo mœrore, tanti Domini, atque Patroni ob amissionem: in extremis deniq; suspirijs, munere commendationis animæ idem seruus Dei Camillus fungebatur: at pijssimus Dominus Cardinalis suis palmis Camilli manum interdum præmebat, atque lumina erga illum quamuis mœsta, beni-

Lethū Eminētiss. Card. Mōtis Realis, vnde Relig. eius hæres euadit.

gna

1592.

gna tamen intendebat. inditia futuræ benignitatis, & elargitionis, quamuis Camillus nil de temporali excogitaret emolumento, ſolummodo ſui benefactoris animæ prodeſſe orationibus ſtudebat, qui demum inter manus Patris noſtri Camilli ſatis deuote quieuit in pace, cuius interitum affluentia lacrymarum comitata eſt; quæ ex oculis Patris Generalis, ac noſtrorum emanauit, erat enim Camillus eius tenens caput, ac frontem flens quaſi viduam Religionem tanti Patris, Benefactoris, ac Domini carentia, tum profecto tenerrimam plantam, Interea Aulicorum quidam Patris noſtri auri ſe inclinauit, iudicauitque ceſſandum eſſe à fletu, & funeralia paranda, quia ipſius Religio hæres fuerat ab eodem Domino Cardinali inſtituta; his inexpectatis dictis, atque auxilijs admiratus eſt ſeruus Dei Camillus, indeq; vberius ex eius oculis emanarunt lacrymarum riui ob tanti Principis erga Religionem benignitatem, qui nondum viuens, verum etiam defunctus ſuæ Protector fuerat beneficentiſſimus Congregationis, quod aulicus indicauerat, Notarius Pontius Seua approbauit, qui teſtamentum condiderat, quidue in eo Dominus Cardinalis diſpoſuerat, protulit, ſeque velle, ait, abſque vlla funebri pompa tumulari, id Camillus haud modo aliquo paſſus eſt, ſed à Pontifice maximo ſuppliciter petiuit, vt debito cum honore eius corpus (etiam ſi inferiori tanti Principis merito, ac dignitati) ad ſepulchrum deferretur, facileque obtinuit, ſequens ipſe Camillus, ſuorumque patrum plurimi feretrum, illud lacrymis honorando, ad locum vſque ſepulturæ; eius accidit tranſitus ex hoc mortali carcere xvj. Kal. Ian. 1592. in Templo Diui Clementis intra Vrbis menia tumulatus quieſcit; In medio Templi eiuſdem conſpicuus, & marmoreus lapis ſuperpoſitus tumulo locatus apparet, & in eo ænea verba adiecta leguntur, quę prædicant eius humanam erga noſtram Religionem pietatem, ac merita, his temporalibus obſequijs, & exequijs, alia ſubſecuta ſunt quamplurima pro ipſius anima ſpiritualia opera miſſarum nimirum ſacrificia, quæ ab Religione vbique locorum peracta ſunt, & orationum, cęterorumque ſuffragiorum bona vſque hodie Deo offeruntur. Quibus aureis, omnium debitorum oneribus ſe exemit Camillus, nominatim illo emptionis domorum Societatis Confallonis, ædes inſuper noſtras reſtaurauit, ac nouiter in eis multa ædificari diſpoſuit, ipſo, ſuiſque Patribus auxilia prędantibus, neceſſaria quippe fabricæ ſtructoribus ſubminiſtrando, quas amplificauit, reddiditque idoneas, & in Monaſterij formam adaptauit, atq; per quatuor angulos cōſtructas multorum Patrum capaces redegit, adiecto in medio clauſtri non exiguo, ſub vacuo aere atrio cum ſuis porticibus.

16 Verumtñ vniuerſæ Religionis debitum, & pia memoria erga tanti principis munificētiā, in noſtris ꝓ eo ad Dñm exhibitis ſacrificijs, perpetuo viuit, neq; vſquam extingui poteſt: ipſe enim quodam pietatis zelo ſanctitatem Sixti V. adijt, & Congregationem Apoſtolico diplomate approbari effecit, Patrem Camillum ad eumdem ſummum Pontificem quaſi manu duxit, & difficillimū Religionis negotium magnis laboribus ad perfectum traxit, abſolutumque reliquit, difficultates inſurgentes eliminando admodum iuuit, inſtituti neceſſitatem, atque honeſtatem vndique propalando extulit, ſemper ſtrenuiſſime contradicentibus obſtans, quam inceſſanter veluti ſincerus, & amantiſſimus Paſtor, ac Pater, verbo, opere, pecunia protexit, confouit, auxit, ſuaque auctoritate ædificauit, zizania euulſit, (vt vnico verbo concludam) regularis diſciplinæ propugnator, ac fautor iugiter præfuit, & in vniuerſum de noſtra Re-

ligio-

1593. ligione optime meritus; & quemadmodum adolescens Sanctissimus Tobias in omnibus suis angustijs opitulantem, ac propugnantem Raphaelem Archangelũ comitẽ habuit. Ita Pater noster Camillus his initijs, perinde atq; Angelũ sibi Cœlitus immissum Eminentissimum Dominum Cardinalem Montem Realem expertus est perpetuum Protectorem, fautorem, ac Dñum; idcirco suam quasi viduitatẽ merito Religio collacrymata est: ipse vero pijssimus Princeps, & Amplissimus Cardinalis à bonorum omnium largitore suarum eleemosynarum, sanctarumque operationum superaffluentem reportasse mercedem, non vtique dubitamus.

Anno Domini 1593. & Religionis Tertio. Noui Protectori fit electio. Aliquorum Congregationis Fratrum gesta tractantur.

Tẽpore cõcessionis Bullæ duæ extabãt domus nostræ.

1 EO tempore cum duæ tantum erectæ fuissent Religionis Domus, Romæ vna, altera vero Neapoli, Pater Camillus Generalis nunc hanc, nunc illam visebat: & quoniam in vtraq; maturam ad messem reperiebat segetem in Domini horreis locandã; idcirco per aliquam temporis intercapedinem Romę, per aliam vero vicissim Neapoli commorabatur: eius spiritualis, ac temporalis refectio fuit domi morans, post orationem mentalem vnius continuatæ horę fieri in Religione consuetam mane sub auroram, & post nonnulla communia Religionis exercitia, reliquum diei spatium in Hospitalibus, aut in animæ cõmendatione per priuatas Domos conterere: sed potissimum ægris inseruiendo intra nosocomia, vbi eius spiritus vehementiori impetu ducebatur, & eius anima pinguiora inueniebat pabula, multis operantibus Domus nostrę Patribus secum illo adductis, Dominicum, piumque documentũ sectantibus, prout illud in mente gestabant, non te pigeat visitare infirmum, ita quoque opere complere studebant, plerumque ardenti zelo ea verba promebat Camillus, hęc est requies mea, & hoc est refrigerium meum reficere lapsos. Dum enim assiduo in valetudinarijs diuersaretur aliud viuendi institutum seruauit (vt inferius patefiet.)

Rectores harũ domorũ.

2 Romæ ipse Pręfecti Generalis sub nomine etiam Domus illius gubernacula rexit, substituens alium Patrem, titulo Vicepręfecti, qui Domi moderator erat, Pater vero Camillus grauibus occurrentium rerum necessitatibus; præsidebat, & prouidebat; Neapoli vero Domus clauum sub Præfecti onere P. Blasius opertis tenebat, qui eam Domum, & postmodum totam Religionẽ commendabili; zelo direxit, & bonis temporalibus eleemosynaliter adeptis adauxit, (vt eius vita infra demonstrabit) Patrum enim exercitia, & exterior conuersatio (præter Bullæ contentum) per alias, iuxta Apostolici rescripti dispositionem confectas ordinationes dirigebatur; quamuis nimia uigilantia, ac directione non egerent, tum Patres, cum boni, ac inuicem feruentes æmulatores extarent.

1593.

Interim ob felicem Cardinalis Montis Realis obitum, protectore Religio carebat, quo profecto indigebat, vt ſtabiliori firmitate fulciretur cum adhuc veluti tener palmes firmamentum optaret: & quamuis virtute apoſtolicarum conceſſionum noſtra Religio ad ſuſcipiendum protectorem minime coarcte-tur; attamen Patri Camillo viſum eſt, illum ab ſua Sanctitate expoſcere; aduertēs itaq; animo optimas, digniſſimi Principis qualitates Card. nēpe Saluiati, eſſeque de Patre Camillo, totaque Religione benemeritum, ipſum ſupplici-ter ab Sanctitate Clem. 8. in Religionis protectorem expoſtulauit, & è veſtigio adeptus eſt, ſucceſſit itaque loco Cardinalis Montis Realis, primi, ac præcipui Religionis protectoris; id onus Eminentiſs. Cardinalis Saluiati libenter ſubijt ob dilectionem, qua Patrem Camillum, totamque Religionem proſequebatur, tenuitq; plurium annorum curriculis ſub nomine protectoris Religionis Clauum.

Loco Card. Montis Realis Protector Card. Saluiati ſucce-dit.

De Fratre Sancto de Bolis.

4 FRater Sanctus de Bolis Romanus in Vrbe admiſſus eſt ad habitum 1590. Menſe Aprilis itidem in manu Patris Camilli profeſſionem emiſit 1592. aliquando interfuit nuptijs cuiuſdam ſui Germani vna cum P. noſtro Generali, vbi modeſtiam præſertim, & oculorum compoſitionem ſeruauit, arctumque ſilentium inter comedendum, & cum prorſus verba nulla pro me-ret, illi annuit Pater Camillus, vt quicquam ſpirituale diffe reret, aſſeuerans, quod etiam Dominus nuptias, in Cana Galileæ præſentia ſua, ſuæque Sanctiſ-ſimæ Matris honorauit, eo modo pauciſſima ad ædificationem dicta protulit, & ſtatim reticuit. Studijs humanarum litterarum in Religione vacabat. Sed cum in Sancti Spiritus Hoſpitali ægris amanter famularetur, Infirmi cuiuſdam membra putrida contuens, ac horride olentia, propter ſui ſenſus morti-ficationem odorauit, & proxime ad ea ore, atque olfactu acceſſit: vnde ob tātę pietatis laborē, ac mortificationē ab acuta febre captus eſt, à qua ad extre-mum eius ſpiritus redactus poſt elapſos dies octo ſuſceptis Eccleſiæ Sacra-mentis Prid. Non. Ian. 1593. vita deceſſit, eius obitus omnium noſtrum planctu decoratus eſt, qui ab omnibus propter ſui honeſtam conuerſationem, atque morum compoſitionem vehementer diligebatur. Quieſcit corpus in Templo Diuæ Mariæ Magdalenæ, quoaduſque vocatus in nouiſſima tuba fiat obuiam Chriſto Domino; vt eius caritas fari ſuadet.

Mirificè co-luit ſilentiū.

De Fratre Scipione Mercurio Meſſanenſi.

5 FRater Scipio Mercurius Meſſanenſis in noſtrorum Cœtum aggregatus eſt Romæ XVII. Kal. Ian. 1588. breui ad ſublimem decurrit perfectio-nis gradum, ſui ipſius, & mundi contemptor deambulauit in Religione; hic pauperum dilectione ferbuit amantiſſimus, quandoque lingua, vt Dominicus canis, putra infirmorum vlcera genuflexus lingere inſpectus eſt; erat aſſiduo quæritans in Hoſpitalibus grauiores, & morte proximos ægros, vt illis obſe-queretur, & eorum animæ, corporique præſto eſſet, tanto enim vrebatur in-terius Cœleſti igne; qui natura ſua actiuiſſimus eſt, vt velociſſime per ægrotorum cubilia iret, quem potius transuolare videres, quam incedere, hac optans via omnibus auxilio eſſe, & ibi ſiſtere, vbi neceſſitas cogeret ma-

1593. gis: illud sapientis alludens, quod manus sua facere potest, instanter operare. Cupiebat ab omnibus paruipendi, vt Diuinam gratiam in se cęlans, Confoueret: nonnumquam quasdam mundi oculis infatuatas actiones obibat, quare à parū sanę mentis oculo, vt stultus despectus est, sed P. Cam. semper eum magni fecit. Roma Neapolim appulit causa, vt à quadam confirmaretur ægritudine, sed Dominus maluit illum inter suos (vt credimus) decorare; quapropter ipsum ex hac vita migrare statuit, quod obtigit Idibus Iulij 1593. Iā ei P. Camillus extra tempora trāsmiserat, vt tribus diebus festiuis ad Sacerdotium ascenderet, sed mors, quæ omnia soluit, id non permisit, suffultus .n. antea Ecclesiasticis Sacramentis, tumulatus iacet Neap. in Ecclesia S. Mariæ Portæ Cæli.

De F. Francisco de Meo Florentino.

6 FRater Franciscus de Meo Florentinus Romæ Religioni adscriptus est viij. Kal. Aprilis 1592. munere fungebatur ostiatim per Vrbem panem emendicare, semel dum panis fragmentum expostularet, à quadam petulca muliere vocatus accessit, aperuitque peram, cererem in eam immitti expectans, at in venerem impegit, namque diabolica versutia inducta fœmina, inhoneste pectus discooperuit, ad turpia ipsum inuitans, quam proinde atque ignitum anguem incunctanter euitauit Franciscus, & alio longe se conuertit, optime noscens hunc morbum fugiendo superari: posthæc magno cum timore per Vrbem, nimiaque cautela mendicando discurrebat, ne in similem bestiam incideret, illinc transire nusquam ausus est; vbi ad turpes amores inanis muliercula eum pellicere conata fuerat, obijt demum magnis ornatus virtutibus, Sacramentorumque suffultus adiumento xiiij. Kal. Septemb. 1593. sepultus Romæ in Ecclesia Diuæ Mariæ Magdalenæ iacet.

7 Ex hæreditaria pecunia Eminentissimi Cardinalis Montis Realis felicis recordationis, præter alias impensas, hoc integro anno non modica consumpta est, (vt dictum constat superius) in restaurandis vetustis ædificijs, alijsque nouiter erigendis prope Templum Diuæ Mariæ Magdalenæ, vbi nostri subsidunt, qui Cæmentarijs fabricæ materiam subministrando opitulabantur, dirutamque lapidum, & calcis congeriem inutilem inde crate re asportabant ad vsque memorandi Templi Diuæ Mariæ Rotundæ plateam; hinc à baiuli flumini Tyberis mandabatur, sodalis Patris Camilli in hoc opere Dominus Iulius de Leone Doctor Iurisprudentiæ, & vtriusque Signaturæ Prælatus nouitius extitit, qui ad memoratum locum ineptos lapides, vetusque cæmentum, vna cum eodem Patre Generale vehebat; hic enim Prælatus in sæculo dum moraretur, stricto familiaritatis glutino nectebatur cum Eminentissimo Cardinali Caietano ærarij præfecto, hic nostra pertransiens Domo, & contuens iam dictum Prælatum sui familiarem tantæ humilitatis munus exercentem rhedam sistere coegit, ac nonnullas demisit ab oculis lacrymarum guttas, illum magnæ auctoritatis virum vsque se vilipendisse contemplans, vt Dei ob dilectionem, & superiorum obseruantiam baiulus euasisset, quem in sui palatium ire compulit; quo cum adijsset strictim complexus est, & post nonnulla congratulationis, ac spiritualia transacta verba, nostris idem Eminentissimus Cardinalis aquæ vnciam (vt vocant) pro Monasterij commodo impertiuit, quæ hodie per varios aquæductus non tantum ad Conuentus necessitatē

Maxima P. Cam. & suorū mortifica tionis exhibitio in vehendis cæmentis,

verum

1593.

verum ad ornatum, & Patrum honeſtam oblectationem fluere conſpicitur; inſuper ex varijs canalibus limpham intra fontem à lapicida elaboratum, ſitum in medio atrij noſtrarum ædium, à latere orientis lætam cadere vides.

8 Poſt felicem ex hac lacrymabili, & ærumnis conferta vita Eminentiſſimi Cardinalis Montis Realis diſceſſum, cuius noſtri adierant hęreditatem, deſuper eam exorta eſt immanis procella à nonnullis excitata enitentibus nos illa expoliare, vnde litem contra Religionem intentarunt, & quamuis hoc negotium maxime vrgeret, & intereſſe fuiſſet nimiæ exiſtimationis, nihilominus illud Domino Camillus commendauit, & penſum, curamue litigij nonnullis ex noſtris Patribus tribuit, ipſe vero ſuis conſuetis exercitijs erga pauperes ægros in Hoſpitali Sancti Spiritus inuigilabat, vrgentiſſimam cauſam arbitrãs Deo, eiuſque ope indigentibus ęgris famulari, paruique fecit litium temporalium cura ſe onerare. Sed quodam mane cum Domi intereſſet, & oſtij campanula pulſari audiretur, circumadſtantibus Patribus voces has protulit, cito ad aperiendum ite, quoniam qui extra oſtium ſtat nunciat, Religionem obtinuiſſe de lite fauorabilem ſententiam, quo feſtinus accurrit oſtiarius, vtque Camillus prædixerat, ita ab eodem miniſtro relatum fuit, quod ab omnibus ingenti cum gaudio ſuſceptum eſt. Lis vero penes Sacræ Rotæ Auditores ex commiſsione Summi Pontificis Clementis VIII. agitabatur. Et non modo propter opera caritatis obeunda lites, & quæpiam perurgentia negotia contempſiſſet Camillus; verum propriæ ſalutis (quæ ſuperioris eſt ordinis) neceſſitates, curamque oblitus fuiſſet, vt non ſemel, ſed ſepius effecit, prout infra enucleabitur. Nunc ad nouum, qui inſtat, procedere libeat annum.

Lix excitata ſupra hæreditatẽ Card. Mõtis Realis.

In vita P. Cam. lib 3. c. 24. typis edita.

Anno Domini 1594. & Religionis quarto. Conceditur facultas in perpetuum admittendi Nouitios extra Generale, vel Prouinciale Capitulum. Eriguntur nouæ Domus Mediolani, ac Genuæ, ſęuam tempeſtatem incurrit P. Camillus. Pauca interſeruntur de nonnullis laude dignis iam functis Patribus.

I EXpirauerat iam facultas ſuper Nouitiorum receptionem obtempta: at quoniam eædem difficultates expectandi Comitia Prouincialia, aut Generalia perurgebant, idcirco nouiter ſupplicatum eſt, eam in perpetuum ab ſua Sanctitate velle extendi, quam nacta eſt Religio, & extat, dum ſubnectitur.

1594.

FACVLTAS APOSTOLICA Recipiendi Nouitios ad habitum non expectato Capitulo Generali, nec Prouinciali.

CLEMENS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam.

Facultas admittēdi Nouitios extra Prouinciale, vel Generale Capitulum in perpetuū

ASsidua pietatis, & caritatis opera, quæ dilecti filij Præpositus, & Clerici, alijque Religiosi Congregationis Ministrantium Infirmis, circa infirmorum tum corporalem tum spiritualem curam, vt accepimus continuo exercente meritò nos inducũt vt eorũ Religionis conseruationi, & augumento libenterprospiciamus. Proinde supplicationibus eorum nobis nomine humiliter porrectis inclinati, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium Congregationi super Consultationibus Episcoporum, & regularium deputatæ Præpositorũ sententia dictis Præposito, & Religiosis perpetuò concedimus, & indulgemus, vt in qualibet eorum Domo vbicumque locorum existente tres ex antiquioribus Patribus à Capitulo Conuentuali deputari possint, qui eandem habeãt facultatem, & potestatem in admittendis nouitijs, quæ commissa fuit Capitulis generalibus, & Prouincialibus, alijsque deputandis iuxta Constitutionem super Nouitiorum receptione à fe. rec. Sixto Papa V. Prædecessore Nostro editam sub Dat. Sexto Kal. Decembris Anno I I I. & alteram eius declarationem sub Datum duodecimo Kal. Nouembris Anno Quarto eius Pontificatus, dummodò in reliquis earundem Constitutionum formam seruent. Ad hocq; plenam, & amplam dictis deputatis facultatem, & authoritatem impertimur. Non obstantibus prædicti Sixti V. & alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxxj. Martij M. D. X C I I I I. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

M. Vestrius Barbianus.

De Fratre Fabio de Simonio.

HIS temporibus in Congregatione Fabius de Simonio Sutriensis XV. Kal. Ian. 1592. annumeratus est, honestis parentibus ortus, in sæculo

2

Sub-

Subdiaconus Canonicatus honore Sutrij fungebatur; Sacræ Theologiæ Eruditione micuit, cunctorumque virtutum genere Studioſus pręcelluit, vt apis argumentoſa ab reliquis Patribus, tamquam ab odoratis floribus mella virtutum colligere nitebatur, in obedientia alacer fuit, ac feſtinus, in humilitate ſublimis, orationibus inſtans, ægrotorum vehementer amans: quapropter ab omnibus ſincera complectebatur dilectione, pre cęteris à Patre noſtro Camillo, ſed breui expleuit tempora multa; ægrotauit correptus dolore vehementi pectoris, quapropter cruorem expuit, quam inualetudinem in Dei famulatu, & pro miniſtrandis ægris ſuſceptam, non modo libenter, & hilariter tulit, verum diù ſecum habuit, nempe vſquequo ad interitum eum duxerit; non propterea indigna, vel minus ſana ex ore illius verba vnquã prolata exiſſe ſenſit quiſquam, ſed bene redolentia, quã ſeruabat in pectore, diuinam dilectionem. Enixus eſt P. Camillus, illum ab eo immunem ſeruare morbo, ſi quiuiſſet, & ad priſtinum reſtituere incolumen, ſed Romæ fruſtra laborauit: proinde ex Medicorũ conſultationibus vna cũ alijs fratribus tranſmiſſus eſt Neapolim; num auxilio ſalubrioris aeris ſubleuaretur; litteras Pater Camillus illius domus ad præfectum direxit. Quoniam vero de hoc pio, ſtudioſoque viro Relig ioſo multa in pręludijs interpoſuimus tam ad ipſum Fratrem ſpectantia, quã ad Epiſtolam à P. noſtro Camillo ad ſuperiorem tranſmiſſam, qui tum P. Blaſius Opertis nominabatur; ſatis ſit hic illum breuiter recenſuiſſe, eo quoniam hoc anno animam exhalauit.

Erigitur Domus Mediolani.

3 NOndũ .n. Religio noſtra terminis Romanæ Vrbis, & Neap. exceſſerat Partes vero admodum creuerant; vnde ægris, ac moribundis, vt prodeſſet Camillus alijs in locis noſtrorum ędes erigere animo decreuit, quibuſcumque nimirum egenis perſonis ſpirituale, ac temporale ſubſidia, vt conferret, quoad poſſet: propterea Mediolanũ P. Franciſcũ Antonium Niglium Neapolit. vna cum quinque Sodalibus præmiſit: & quamuis ad eam domus noſtræ fundationem vti plurium Eminentiſſimorum Cardinalium, ac prælatorum cõmendatitijs litteris, necnon & gratijs facile valuiſſet; attamen in Dei ſummi prouidentia ſpem omnẽ locauit, felicẽ progreſſum ſibi in ea vrbe, propter in inſtituti excellentiam, neceſſitatemque promittens; paulo ante hi Patres eo peruenere, poſtmodum Pater Camillus nempe XVII. Kal. Iulij 1594. adijt, Primitus ſumptis nonnullis ædibus in ſuburbio, quod appellant Quadronem, ſoluta tñ quotannis pro locatione pecunia; aliquo temporis interſtitio ibi demorati ſunt; qui recepti grato animo à totius Ciuitatis incolis fuere, ſpeciatim ab Illuſtriſſimo Domino Gaſpare de Vicecomitibus illius Eccleſiæ Antiſtite.

4 Noſtri interea conſuetis vigilijs, & caritatis exercitijs, ibi aſſiduo erga infirmos incumbebant, mane ante prandium, & ſero ægris in maiori Vrbis Hoſpitali miniſtrantes, & per domos peculiares morti proximis ſpiritualia alimẽta ſuppeditantes, in omni ſiquidẽ conuerſatione optimũ exẽpli odorẽ linquebant; in eo ſuburbij loco per interuallum circiter annorum trium ſtetere, indeque in ædes Sanctiſſimæ Annuntiatę adiacentes profecti ſunt, prope Eccleſiam Sanctæ Mariæ (vt dicunt) ad pedonem, & plateam Boromei, hic paulo minus quatuor luſtris fixere domicilium. Cum enim Patres inibi etiam auge-

Permutant domiciliũ in plateam Boromei.

1594. ri numero cæperint, oportuit nouas ædes in ea Vrbe quærere, ac instituere ampliores, cum illæ perangustæ extitissent, idcirco ex eadem domo in aliam magis idoneam collocatam in ipsamet Boromei platea migrarũt à nostris emptam, in illa autem Sanctæ Mariæ ad Pedonem sub conducto incolebant, in hac commodius, latius, ac nobilius ob loci situm diuersabantur, sed in hac habitatione quidam nostros agressi sunt horridi tribulationum, vehementissimiq; flatus, itaque post aliquot annorum tractum optime decreuerunt ædibus illis derelictis, ac proprio commodo cedentes, aliò transire, vt plura de medio eradicarentur litigia, cum Dominus præcipiat dandum esse irę locum, in aliã itaque domum in via consistentem, quam appellant Cantaranam iuxta portam tonsam Anno Domini 1532. Kal. Augusti commigrarunt, & sic exorti turbines prorsus sedati quieuere; hic enim nostri incolunt, & Ecclesiam sub titulo, ac tutela Sanctæ Mariæ Sanitatis aperuere; vbi munera Religionis peragunt. Insuper Congregationem postero anno in emolumentum agonizantium erexere, pro quibus non pauca, vt æternam felicitatem consequantur in sacrosancto Altare sacrificia incruenta immmolantur, aliæque ad Dominum preces funduntur, exercentes item in seipsos congregati varia mortificationis genera, vt non tantum moribundis, verum etiam sibimet emolumento essent.

Situs nostrorũ, vbi nunc habent domiciliũ Mediolani.

Hac enim in Vrbe per decursum olympiadum septem nostri ægris in Hospitali Vrbis famosiori ministrarunt magna pietate, ingentes labores plusquã lingua, vel calamus exprimere sapit in infirmorum spirituale, atque temporale subsibdiũ impẽdẽtes. Iuge in eo fixere domiciliũ 15. PP. ibi assiduo cõmorantes, & à Dominis valetudinarij gubernatoribus alimenta sumentes; omnes enim nostri per distributa munia ministeriũ ægrotis impertiebant, illorum Sacramentales auscultando quippe Confessiones, atque Sanctissimum Viaticum conferendo, ac etiam venerabile Extremæ Vnctionis Sacramentum: & pro dimicantibus in extremo vitæ assiduo orabant, multaque alia spiritualia, ac temporanea exhibebant exercitia, de quibus abunde alibi recensitum est in hoc libro, cum de alijs Nosocomijs mentio facta est; item cadauera Cruce, ac Cereo accenso Psalmis, orationibus, atque Hymnis comitabantur ad locum vsque sepulturæ, aqua benedicta lustrando, sedulo inquam ministeria temporalia obibant; nam integre qualibet nocte ex Patribus quatuor excubabãt, duo à prima vigilia ad mediam vsque noctem, alij vero duo totum noctis reliquum dimidium vigiles consumebant, auxilia ægris ferendo cum spiritualia, tum et temporalia; infirmis quoq; mulieribus Sacramentum Pęnitentię SS. Viatici, & Olei benedicti, perhibebant, & interdiu commdationis animæ munus illis impendebant; in his enim laboribus, erumnis, vigilijs, putoribus, multi ex Patribus decessere, quorum nomina quamuis hominũ memoria non retinuit, in æternitatis libro tamen exarata rutilare credimus. Anno vero 1630. ob nimiam pestilentiam, quæ in omnes Patres in eo Hospitali grassata est (vt deueniente anno eodem dicetur) cumque nec alijs in subrogandis Patribus pro infirmorum ministerio haud abundaret nostra domus, Hospitalis incolatum, & ministeria coacti sunt deserere; non tamen à consuetis visitationibus, quæ primo loco arripuerunt, destiterunt, in quibus adhuc ardentiori zelo perseuerant. Memoratæ Vrbis Religiosus ex nostris spectatæ virtutis nomine Io. Baptista Nouatus, dum hæc typis committuntur, ex Generalis Consultoris munere ad totius ordinis præfecturam communi suffragantium voto pro-

Ministerium & munia nostrorum in Nocom. Mediolani.

Cur dereliquerint ingẽ incolatũ intra valetudinarium.

5

motus

1594.

motus est; hoc nimirum anno 1640. Nonis Maij. Ipsum hic perfunctorie meo designare gracili calamo excitor, & impellor, propter eius nimiam prudentiam in ferendo totius nostri ordinis moderamina, & ob eruditionem in multis ab eo sapienter dictatis, editisque in lucem voluminibus, & ob vitæ frugalitatem, ac demum propter debita famulatus mei; ex eius namque disciplina deriuat, siquid est in me sani eloqui; quem habui diù præceptorem. Eo quoniã horum series narrandorum alia poscit tempora, & loca, & ingenia maiora, modeste sub atræ nubis silentio illã contegere nunc non insipienter arbitror. Et sicut ex primis, sincerisque alboribus, integri diei cursum, serenitatemq; philosophamur; ita ex his optimis initijs in tractando, ac dirigendo Religionis clauo ab eo hucusque exhibitis, singularem argumentamur serenitatem, quam vniuersa Religio nostra posthac fore, vt nanciscatur.

Erigitur Domus Genuæ.

6 PAter vero Camillus cũ in fundatione Domus Mediolanen. per bimestre stetisset Genuam profectus est; vbi aliam instituit nostrorum ædem, quam extra muros in porta Diui Thomæ conduxit, in ea per aliquod tempus nempe triennio commorati sunt; illinc in ædem adhærentem Hospitali Sanctissimæ Nuntiatæ (quod vocant Pamatò) transierunt, quam ædem Nosocomij Domini Gubernatores caritate ducti nostris concessere, seu commodatam dedere, inhibi fere quinquennio domicilium item tenuerunt, quam postea Domũ, eidem reddidere Hospitali sibi necessariam, nam hodie in ea conualescentium diuersorium conditum inspicitur; inde in ædes in via Portoria locatas prope memoratum Xenodochium commigrarunt, vbi Ecclesiam sub nomine, & tutela salutiferæ Crucis nostri instituere; & quemadmodum Mediolani ita pariter Genuæ ab omnibus viris primoribus, maximè ab Illustrissimo Domino Matthęo Riuarola vrbis eiusdem Antistite grato animo recepti sunt, rebusq; necessarijs satis abunde cumulati, & demum anno 1616. paulo ante, vel post recentem Nouitiatus Domum erexere extra vrbis muros quasi milliarium in porta Diuæ Catharinæ, hoc est prætergresso Templo Diui Bartholomæi, vb Dominicus Vultus asseruatur, & à fidelibus nimia colitur veneratione, inhib (inquam) etiam nostri Ecclesiam efformarunt, quæ nomen habet Diuę Mariæ Zerbini, fortasse hoc vocabulum Zerbini indiderunt ob aeris, quo fruuntur lenitatem, ac benignitatem: siquidem illic primæ probationis in tyrocinio àdolescentes post Hospitalis putores, ac diurnas, nocturnasque defatigationes resumunt pristinas vires, vt iterato eisdem subiacere queant caritatis operibus erga infirmos, nominatim moribundos, & collum denuo laborum iugo, & obedientiæ submittere valeant.

Domus Nouitiatus Genuæ.

7 Duorum enim ibi curam, & assiduum famulatum Nosocomiorum nostri suscepere, vnum quod supra diximus, vocatum Pamatò, & est maius Vrbis illius valetudinarium, vbi Nouitij, & Professi promiscue, qui eorumdem Nouitiorum administrationi incumbunt, in eo inquam jugi cohabitatione incolunt, & ab Hospitalis ęre satis abunde, ac amanter, quoad victum, ceterasq; necessitates prouidentur; sunt enim ibi ex nostris assistentes numero quatuordecim, exhibent ea caritatis munia, quæ sępe retuli, vnum superadiciunt, quod expositos vtriusque sexus infantes baptizant. Tantummodo vero professi, qui ad numerum ascendunt senarium altero in Hospitali, quod vocabulo Hospitalet-

Nostri Genuæ curam degunt duorum Nosocomiorum.

tum

1594. tum dicitur, ministrant; vbi tum viri, quam mulieres vlcerosæ decumbunt, sed seorsim in alio adiacente valetudinario locatæ. Hic itidem nostri memorata impendunt pietatis exercitia, demptis tamen excubijs nocturnis, quia Nosocomium istud tot morti proximis non abundat ægrotis, vt alia supra narrata valetudinaria: vrgente vero siue poscente morientium casu iugem operã in eorum iuuandis animis adhibent, diu, noctuque: horum Xenodochiorum onus desumptum est à Patribus anno nostræ salutis 1607. verum aliquo temporis interuallo prius minoris Hospitalis cura capta est. Inter hos Nosocomiorum labores, nostrorum quamplures atra dies consumpsit, quos temporis longitudo, & virorum inopia, qui eorum commiserationes describerent, à nostra sustulere memoria, hos in æternitatẽ pietas iam comprobata asportauit: præmissorum Hospitalium iugum adhuc sustinent nostri.

Per aliquot dies cum demoratus fuerit Genuæ ex reditu Mediolani, illinc Cam. Triremẽ D. Cosmę Centurionis cõscẽdens Neapolim versus contendit, sed nimium intumescente freto coacti sunt Erycis portum tenere, dum enim ibi tempus adnauigandi idoneum expectarent, res contigit memoriæ prodẽda. Quidam erant nautæ eiusdem triremis proterui, Deum non timentes, neq; hominem reuerentes inhonesti ad turpia quamdam hispanam, ac profanam mulierculam conniuentibus oculis, ac gestis pellicientes, verbaque superaddentes, luxuriæ venena redolentia: vbi Camillus turpitudines illas animaduertit, ab eis auocare illos conatus est; plura ad eius vitij detestationem protulit, subdens propterea in eum portum fuisse à mari deiectos, quasi non valente tot scelera sustinere, & turbatis aquis propter eadem flagitia ibi à tempestate præpeditos detineri. Nautæ vero æneam ceruicem ostenderunt in malo perseuerantes, nec de medio tollere suæ ruinæ præcipitia studuere. Cum videret Camillus lenibus nil prodesse verbis (mos illi erat à latere dextro simulacrum Sanctissimi Cruci pendentis Domini gestare innixum cingulo tunicæ) repente dextera apprehęnsum illud eleuauit, quasi terrificum belli instrumentum, & simul vocem extollere cępit; contraque nautas, & petulcam, profanamq; mulierẽ minas adiecit, per hæc, quæ gessit, ac deprompsit Cam. in eos, reliquosque intuentes non exiguus, sed prægrandis irruit timor; dicebat enim, cito diuina expectaturos flagella, ni ab hoc destiteritis nefario vos coinquinari more, à quo sicut ipse prorsus abhorrebat, ità in reliquis illud inesse conspiciens, execrabatur, & depellere totis conatibus enitebatur. Demum post multa, tamquam sui discursus, seu redargutionis perorationem, similia subdidit verba; stupeo quin vindex Dei manus aduersum vos, vniuersamque triremem iaculetur, & vna simul submergat in his vndis, attamen non de futura diuina vltio contra tam scelesta facinora, nisi à vestris animis ea remouebuntur, & ab impudicis non destiteritis conuersationibus, consuetudineque; hæc loquens locato infra cingulum saluberrimæ Crucis vexillo, compositisque oculis, animoque sedato subsedit, tacuitque; defluebat tunc dies v. Kal. Sept. iam currentis anni. Sed vtinam illi tale non patrassent facinus, & Camilli verba ad eorum aures non peruenissent, fortasse Diuinamitius flagella experti fuissent, & cęlestem euasissent vltionem, sed pœnam vt prædixerat Camillus pependerunt. Nam anno sequenti, cum ProregemNeapolis in Hispaniarum oras veherent triremes, inter quas hæc aderat, in mari infero (quod nuncupant Lugdunensem sinum) ferocissima agitati sunt tempestate, ipsaq; triremis eosdem continens viros, atque nonnullas alias ancillas

Lib. 1.c.4.

Prænuntiat quibusdam nautis super ventura dãna.

dicti

dicti Proregis Mirandulæ obruta mansit in vndis, reliquas licet grauiter iactatas, pelagus tamen non habuit mersas. Totum id Camillus ex alio probatæ vitæ nauta cum stupore percepit, asserente neminem ex eo ligno liberum euasisse;immo oẽs aduersus quos seruus Dei se inuexit graui exageratione,perijsse,testatus est, eo modo,quo fuerat Camillus interminatu;squandoquidem à suis pristinis, prauisq; luxuriæ itineribus non se retraxerant.

1594.

9 Octauo porro Settẽbris die festiuissimo natalitijs dicato Virginis Immaculatæ Neapolim Camillus peruenit toto corpore fractus, cũ multa supra triremem sustinisset, vbi spatio dierum bis senorum in prora prope bombardas subiecto duro ligno procubuerat, propterea quod prima die cum in puppi subsedisset, & lusorem audisset, qui Deum plasphemabat, festinus illinc abscessit; neq; in ceterum adduci potuit, vt regressus in puppim commodius diuersaretur;adeo blasphemiæ vitium execrabatur,vt non tantum cum blasphemis edere non inclinaretur, verum, & conuersationem, & visum eorum effugiebat. Per octo solummodo dies Neapoli stetit,non se reficiendi profecto causa, sed operandi,& (vt sic fatear) raptandi corpus per Hospitale,ob tibiam ægram, vexatamque, siue in Sanctissima Annuntiata, siue Incurabilibus ministrando ignito feruore infirmis: tandem in hoc refocillabatur, ò virum ineffabilem nunquam morbo, labore, nec metu mortis victum, quotidie inter moribundos,& pestilentes febres versabatur,mori quasi optans quinimo viuere cum Christo cupiens.Demum ægris benefaciendo mori lucrum maximum excogitabat.Inde Romam adijt,vbi diebus perpaucis demorans,iterum Neapolim contendit;hinc supra triremes Principis Excellentiss. Ducis Oriç adnauigauit vna cum viginti supra quinque ex nostris Genuam versus,Quam familiam inter erectas nouiter domos Mediolani, scilicet, ac Genuæ dispertitus est.

Fugit à puppi ob auditã blasphemiã, nec eo amplius regreditur.

10 Dum prospere Remiges maria scinderent, repentina exorta est, feraque tempestas(proxima incumbebat nox)quę omnia confundit,& è Cœlo præter carentiam siderum, obducto densissimis nubibus grauis pluuia descendebat, nec luminis irradiabat vestigium aliquod, nisi terrentia fulmina desuper, & spuma albescens subter ad augendum pauorem,mortisque gelidum timorem, & mare vndequaque contrarijs ventis per singula momenta, erat sęuius intumescens, prosiliens supra triremes,cunctis indicens,uel minans tacita voce, uel hiatu terrifico instans lethum, quod omnes proculdubio opperiebantur, neq; vitæ supererat profugium, ferebantur quocumque illos fortuna iactabat nunc huc, nunc illuc, artis nauticæ amisso omni studio, ac subsidio, datum est demum tormenti bellici bombo signum, ut quæq; puppis si qua uia salutis superesset, se tutaretur, obstructum est enim triremibus ostium, ne pateret a quis infernus penetrandi aditus, inter hæc mortis discrimina,ac lamenta, Camilli uox audita est; quasi turturis, auroram aduocantis, nautis tutissimum sidus, nempe implorantis Sacratissimæ Virginis auxilium; qui simul cum suis Patribus in mediam nauigij partem hoc est inferius descendit sub triremis operimentum, quibus præcepit, ut à Domino misericordiarum Patre deprecã do tot animarum exposcerent salutem, ipse uero in oratione magnam noctis partem consumpsit nulla loquens, sed accidit supra afflictionem,recens afflictio, alia nempe triremis iactata ab solo uehementissimo lapsu, in hanc ipsã, vbi aderat Camillus impetijt; adeo vt putarentur ambæ confractæ, & illico à voracibus sorberi vndis, postmodum quidam ex nostris Camillum submissa

Diram tempestatem incurrunt. Lib. 2. c. 4.

1594.

Camilli prece sedatur procella.

voce, quasi mussitantem, ac dicentem audiuit, grates tibi bone, ac benigne Deus pro sedata tempestate refero, qui nos demum in tot lethi discriminibus consolatus es, paulo post diuinitus quieuisse visa est tempestas, ipse vero ab oratione lætus surrexit, quam satis incommode egerat; etenim cum esset Camillus corporis mole admodum porrectus, & submissum foret spatium infra triremem, vbi assiduo orauerat, curruum tenere caput pectore tenus arctabatur. Hæc tempestas contigit xij. Kal. Decem. anni iam relati.

11 Mane facto recordatus diuinæ beneficentiæ Camillus annonam quam secum pro se, suisque Patribus tulerat, vniuersam pauperibus erogauit remigantibus præseferentibus frigidæ mortis pallorem ob elapsa maris pericula, inundationeq; omnibus, pro gratiarum actione Deo summo exhibenda, præteritam vitam retractandam esse iniunxit, & cum lacrymis pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum: ægris autem quod potuit subministrare iuuamen impendit, quandoquidem multi ob timorem, & præterita incommoda ægrotauerant, rogauitque ab duce triremis, vt soluerentur à compedibus saltem ægri, idq; facere pertimuit, etsi ob Camilli preces euasisse crediderint oēs demersionem. Spectauisses tum seruum Dei Camillum seposito pallio circum triremem discurrere mira alacritate, & solertia cum suis Patribus auxilia cunctis præstando, alij enim in popina cibos coquebant, alij escam in grauiorum os inserebant, quidam alios calefaciebant, nonnulli alterius generis remedia erant sedulo pręstantes, atque festini applicantes, ceteri morientium animas consolabantur, Domino illas offerendo, atque omnes nostri optime in gentis illius quasi deperditæ, emolumento optime appliciti exercebantur.

Ministeria exhibita a nostris erga remigantes.

12 Tandem deuenientibus Genuam post aliquot dierū moram per epistolam à præfecto Domus nostræ Mediolanensis intellexit familiam q̄dam ibi affectam esse pestilentia: omni postposita cura, atq; mora, adhibitis sibi nōnullis ex suis Religiosis comitibus super equos meritorios eo quam citius peruenere; cupiebat enim ardenter Camillus, ne sibi à quopiam ministerium infirmorum, quos pestis inuaserat, coronaq; adimeretur; noctu planitiem, quam appellant, Cantaranam, eo tempore nimium cœnosam cum graui sui, sociorumque, & equorum submersionis periculo traiecit; nam Dominus pro cuius famulatu illuc gressus direxerant, absque læsionis metu id discrimen euadere effecit itidem cum à mulione agnouisset Camillus, si in Mediolani Statum intrasset, illi scilicet mulioni regressus Genuam petendi occluderetur, protinus à sella resilijt Camillus, & cuncti secum equitantes Patres: quare sumptis, & super scapulas positis eorum sarcinulis reliquum itineris pedestres confecerunt. Cumque à quodam loci illius colono dissuaderetur seruus Dei illo ire, quia pestis rumor vigebat, propterea illuc versus iter arripio respondit. Postquam Mediolanum appulit, duos ex nostris Patribus in ministerio illius familiæ peste correptæ adesse iam inuenit, quos Illustrissimus Archiepiscopus Mediolanensis expostulauerat; vnde ea vice se in ministeria nequiuit eorum inserere infirmorum. Exorto tandem sole posteri diei subter fenestram eos binos Camillus est allocutus Patres, atque ad hilariter operandum, seduloque cohortatus est, dolens secum non posse ea vice laborare, & quamuis vnus illorum ægrotantium à peste interemptus sit, adhibitis tamen à Patribus ei cūctis animæ, corporique subsidijs; ipsi vero Patres peracto quadraginta dierum curriculo diuisionis à communi consortio (vt moris est) illesi rediere domum nostram.

1594.

De Fatre Io. Andrea Razucano.

13 IO. Andreas Razucanus patria Neapolitanus in ſæculo non ſæculare, ſed perfecti Religioſi inſtitutum coluit, in Congregatione Patrum Oratorij Sancti Philippi Nerij adſcriptus, eam frequentabat, ſingulis quibuſque feſtis ſollemnibus, ac Dominicis diebus, venerabiliſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiens; & in ea interdum ſumptione viſus eſt à ſodalibus eiuſdem Cõgregationis extra ſenſum rapi præ illius cibi Cæleſtis ſuauitate; ita per aliquã moram conſiſtens: ſed maioris accenſus deſiderio perfectionis habitu noſtro à Patre Camillo indutus eſt, non Neapoli, ne à parentum lamentis deturbaretur (affluebant enim diuitijs) hinc Genuam tranſijt, ibique circumamictus eſt habitu Religionis, vbi propter ingentes, & aſſiduos labores in huius Domi fundatione ab eo exhibitos, & exercitia caritatis in Hoſpitalibus impenſa, aliaſque pœnitentiæ functiones præſtitos, paucorum menſium intercapedine ceſſit è vita nouitius anno quippe 1594. decoratus Eccleſiæ Sacramentis, tumulus in Eccleſia tunc noſtrorum D. Thomæ claudit oſſa.

De Patre Alexandro Atteſano

14 PAter Alexander Atteſanus Calaber à Monte leone Sacerdos ingreſſus eſt Religionem, dimidium prope annum comitem in ea habuit vitam, ſed in illa perbreui temporis mora ſe æquauit multis Patribus, qui diu in Congregatione laborarunt, ob heroicam quam exercuit caritatem erga infirmos cuiuſcumque generis, & quauis ægritudine afficerentur. Nomen dedit Religione xiiij Kal. Iun. 1594. & anno eodem defluente prid. idus Decemb. è ſtatu mundi huius luctuoſo in aliam migrauit feliciorem manſionem. Fulgebat enim cunctis Religioſis imbutus virtutum ornamentis, abſoluta ſpeciatim obedientia, quod magnum ſiquidem putandum eſt in viro, qui per multas olympiades vitam in mundo ſæcularem protraxerat, non obſequendo, ſed alijs pręcepta dando, in Religione vero per omnia ſe mira humilitate omnibus ſubiecit, adeo feruens fuit in pauperum ægrotorum dilectione, atque adminiſtratione (quod noſtri præcipuum eſt inſtituti munus, & fornax in qua probatur quantum quiſque infirmorum miniſter valeat) vt in primo Nolano contagio inſeruierit, quod hoc anno contigit, vbi noſtri nimia caritate famulati ſunt infirmis, ipſe præter Sacramentorum adminiſtrationem, & animæ commendationem illis iã dictis pauperibus exhibitam, plura alia tum temporalia, cum etiam ſpiritualia, vt eoſdem adiuuaret, beneficia contulit ſub diu, noctuque, nulli laborum generi parcens, nec mortis timoribus, quominus pro illorum ſalute adhiberet: at Dominus famulum ſuum Alexandrum inter tot diſcrimina mortis ſeruauit immunem. Ductus eſt demum à Patre Camillo cum aliquot ex noſtris Genuam, vt in illius nouæ Domus fundatione adiumento eſſet, vbi admodum defatigando grauem incidit morbum, itaque cum ætate eſſet grandeuus, & mundum, dæmonem, & ſemetipſum ſuperaſſet circummunitus, ſed à ſe petitis (vt de more eſt penes omnes Patres, Fratreſque noſtros) Eccleſiaſticis Sacramentis animam ſuo reddidit Creatori, ſtant eius cineres Diui Thomæ in Templo conditi.

Annus

1595.

Anno Domini 1595. & Religionis quinto. Oritur difficultas erga iuge intra Hospitalia domicilium. Aegris militibus vt deseruirent nóstri in Pannoniam ire destinantur. Nonnulla de Fratre Hannibale Montagiolo notanter describuntur, & Hieronymo Beuilacqua.

1 HOC anno Camillus Mediolani Hospitalis maioris assiduum ministerium, & incolatum suscepit, eo modo, & sub ea viuendi forma, qua supra iam visum est; quamuis principio nostri inibi sub maiori numero demorati fuissent, & in grauioribus externis detenti occupationibus, quem viuendi morem cum experta sit Religio, esse non leuem spiritus impedimentum, & suffocationem: propterea paruo tempore detentus est modus ille, qui postea moderatus, & sub ea ratione, ac directione appositus, de qua non opus est renouare tractatum, quandoquidem plusquam semel de ea mentionem fecerimus.

2 Postquam Pater Camillus mutare antiquum viuendi ritum ministrandi infirmis instituit, & perpetuam in Hospitalibus habitationem, & famulatum iugē apprehendere; ex eo tunc grauiter fluctuare cæpit Religio, proptereaquod bona pars Religionis his suis conatibus se opposuit, asseuerās hoc esse pristinę formæ viuendi nō vniforme institutū, neq; hucusq; asseruatum, neue per bullā Gregorianā expressū; indeq; subsequi affirmabat nō minimæ notæ incōmoda toti Religionis corpori aduersantia. Etenim indisciplinatis ibi patere latum ingressum ad perpetrandum quemcumque liberet defectum, quia die, ac nocte inter sæculares commiscentur homines, quod redundaret facile in graue eorum animæ, & totius Religionis detrimentum, cum occasio præceps, ac præsentanea multas in Ecclesia Dei, & validissimas Illustrium virorum ad malum flexerit, ac fregerit columnas. Neque Religio tot abundare subditis vnquam poterit, vt protinus inobedientes dimoueat ab his locis; neque quandoque propagari valebit, quoniam Hospitalia florentem nostrorum vitam deuorant, quos vel tabes perimit, vel ardentissima febris consumit. Itaque cum fructus aliquis præcox apparuerit, hoc est Religiosus alicuius pulchræ expectationis prodiderit, pruina nimirum infectio horum locorum decoquit, & morte intercedente desiccat, & propterea vsquemodo caput Religio extollere nequiuit; extra demum claustra degere Religiosos, est suum extra elementum viuere. Insuper commorando, & assiduo laborando inter hæc loca, interque tot, variasque temporales exercitationes, studentes, cum tempus nō suppetat, ad aliquē sciētiæ perfectum gradum ascendere nequaquam valebūt, vnde nec alijs disciplinę lumine prodesse poterunt; has, aliasque pro se non graciliores, nostrorum alij allegabant rationes, & argumenta formabant. Camillus

Difficultas erga modū iugiter commorandi intra hospitalia.

millus vero contra, cuius pectus erat inclinans Deo, pauperibuſq; ægris iuuamen deferre; & optaſſet ſe, ſuoſque Religioſos tot eſſe Argos, aut Briaræos infirmis vt opitularentur, propter huiuſmodi argumenta non frangebatur. Immo in ſua ſententia firmius perſiſtebat, inſinuans id à principio fuiſſe ſuæ mentis propoſitum, cum in Diui Iacobi Noſocomio à Domino inſpiratus intellexerat, ſocios ſibi vendicandos ad opus ſeruiendi infirmis, idque hucuſque non executioni commiſerat, quia opportuna nedum ſe obtulerat occaſio, at sēper hoc in corde fixū duxerat; hæc lis tanto malignior, quāto interior, ac inteſtina, quamuis omnes æquis diſcurſibus veherentur, & quidē inficiari nequit Fundatoris mentem fuiſſe rectiſſimam, atque fundatam ſupra lapidem altiſſimæ perfectionis, & vtinam tantæ humilitatis, & caritatis multi, ac fideles inueniantur, qui eam omnino ſeruent, quos beatos dixerim; vnde adhuc iſte nodus inſolutus relinquitur, Dominum meſſis inſtanter deprecemur, vt cum ſui placito, & pauperum ægrotorum emolumento, & Religionis ſpirituali propagatione enodetur; vt factum eſſe arbitror per Clementinam, ad quam me, lectoremque remitto. Neq; tamen circa miniſteria infirmorum, etiam peſte affectorum, & excubias, tum extra, vel intra Hoſpitalia permodum conſuetæ viſitationis, vlla vnquam ſuborta eſt, vel fiet controuerſia; ſolummodo (vt dictum eſt) erga modum perpetuæ habitationis in Noſocomijs extitit voluntatum inæqualitas, ſine qua viuendi inſtitutione intra quippe Hoſpitale, etiam illibatum manet Religionis inſtitutum, vt per litteras Pontificias claret; quādo declarat Pontifex inſtituti eſſentiale ſiſtere in infirmorum miniſterio, abſq; additamento; ſed de hoc late infra.

3 Decreuerat Sanctiſſimus Pontifex Clemens VIII. cuius memoria in pace quieſcit, bellum parare ob Strigonij Vrbis in Pannonia recuperationem, & copias illuc tranſmittere: propter militum infirmorum ſpiritualia ſubſidia, ac temporalia, quæſiuit à Patre Camillo noſtrorum octo, quoſque protinus Pater Generalis delegit, tribuitque, ſecumq; vſq; Tridentum perrexit, illos inſtruens, quomodo oporteret in ea miſſione, quæ prima fuerat Religionis, ſe degere, multa, & voce, & ſcriptis tradidit inſtituta obſeruanda, ac documenta prodidit; ſpeciatim hæreticorum, ac ſchiſmaticorum commercia, & communis menſa protinus, ac funditus effugienda, vt agnus ſolet lupos; inter ſemetipſos autem pacem, fraternamque concordiam, mutuamque caritatem confouere, ex animo; vt Apoſtolus docet, ſi quis aduerſus alterum habet quærelam donantes; Cum ægris eſſe opportere humanos, placidos, non parcentes laboribus, vigilijs, itineribus, periculis, propter eorum præſertim animam lucrandum; illis tanquàm Dominum miniſtrantes, & Dominicam iugiter præ ſe ferentes pręſentiam, Sanctiſſimum verò Chriſti Corpus, vt quā frequentius poſſent, ſummerent, his inſtructis Paternis, ac Paſtoralibus imbuti Doctrinis, profecti ſunt, tanquam forti armatura muniti, quibus inſtitutionibus non parum profecere vulneratis, ac febrientibus, & male habentibus ægris Militibus, vbicunq; locorum forent, ac quouis tempore diù, noctuq;, in initinere, in campis, in pappilionibus illis ſeruientes, ex corde, & caritate, (vt Apoſtolus ait) nō ficta: & ſanè accurata ſolertia miniſtrarunt, nominatim in valetudinarijs nobiliſſimè Vrbis Viennę, Comari, Alç, & Poſſonij, etiam ſub Strigonij tētorijs multa pertulere aduerſa, temporum vtpotè iniurias, algores, & ventorum impetus, & quod grauius eſt mortis timores, & vitæ non raro diſcrimina.

4 Nec ſilentio velandum, quod contigit in expugnanda Strigonis Vrbe, ete-

1595.

nim Dux Exercitus, seu Campi Magister Paluzzus nomine Patria Forliuij, dum pugnę insisteret, à graui saxo in vertice capitis percussus cecidit; ad quē protinus vnus ex nostris Patribus accurrit, vt morientem spiritualiter reficeret, & ad spem dirigeret æternam, ac libenter, vt parceret percutienti hortatus est, manuque tenebat erectum salutiferæ Crucis à quo Saluator pependit, simulacrum; dum enim munere commendationis animæ fungeretur idem Pater, interim lapides per aera à muris, quasi pluuia volabāt, quæ etiam si totum illud implessent spatium circumcirca, locus tamen, vbi Pater orabat genuflexus pro muribundi anima, vacuus, & immunis visus est, perinde atque adamantino tectus Clypeo, nec vllo modo deturbatus, quoad vsque suo perfungeretur munere: id cernebant, & mirabantur, ac Deum adstantes à longe Milites laudabant; Hi quinque Patres deuicta Vrbe, & dissoluto bello Romam repetiuere, spiritum edidit tantum vnus de quo narrat historia.

Mirabilis euentus in bello, quibusdam nostrorum cōtingens. Lib. 2. c. 5.

De Fratre Hannibale Montagiolo.

FRater Hannibal Montagiolus Patauinus, Laicus Militiam equitando secutus fuerat, Demū æternæ mortis magis, quā hostis visibilis, volens præcauere dāna, quæ Militibus acrius imminent; hinc abiecto militari clypeo, & repudiata mundi militia, spiritualē Religionis sectatus est, induitq; habitū xij. Kal. Martij 1584. dū .n. tēporaliter militauit diuina Pręcursoris hortaēmta seruauit, suis contentus stipendijs; immo de propijs partem pauperibus erogabat. Olim cum equitaret vna cum centuria, hyems erat, & frigora sæue rigebant, obuiam illi tremens pauper factus est eleemosynam postulās, aurum, & argentum non habebat, quod algenti effunderet, animaduertit in quo posset ei opem ferre, viditque egenum subdio detectum caput tenere, misertus Hannibal euaginato gladio suum bipartitus est pileum, tegumen vero superius, quo pene totum contegit caput frigescenti pauperi elargitus est, solas vero pilei alas reseruauit sibi ad instar coronę cingens tempora, ridebant, & subsannabāt Commilitones, ipse vero non mœrebat, sed gaudebat de semetipso, & de humana triumphasse superbia fruebatur. Ceterum à Patre nostro Camillo destinatus, ad infirmorum militum profectus est ministerium, flagranti zelo, nimiaq; caritate illos omnes complexatus est, compassusque; expertus enim fuerat quondam militiæ incommoda, quia ipse miles fuerat, idcirco compati noscebat; nec à gelu, neque ab imbre, non à ventorum impetu, non à magnis solis, & terræ, atque arenæ caloribus, non à mortis discriminibus, non à fame, vel siti, non à sæuo militum commercio, neque ab improperijs gentis huiusmodi audacis, irrogatis, aliquando remotus est, quin diu, noctuque illi iuuamen impertiendo, benigne confoueret, vitamque præsentem prodigeret, quā, sicut pro illis ægris laborando contriuit, sic hilariter perdidit. Dum enim à Nesactio in plaustro veheretur Possinum, inter manus cuiusdam Diui Augustini Religiosi feliciter expirauit, decorauitque suo tumulo Danubij amnis ripam sub cuius arenam conditus relictus est, sacrosancta prope caput affixa Cruce, gloriosum ipsum effecit mors, quandoquidem strenue militando pro liberandis suis fratribus à morbis, animæque periculis decessit; itaque in ipsomet conflictu spirituali pro fratribus animam reddidit Deo. Adeo fuit Hannibal Sanctissimæ Eucharistiæ deuotione detentus, vt semel, cum desiderio ardentissimo flagraret, illam suscipiendi, & dum missæ sacrum fieret, ex altari

Extat prout refertur in vita P. Camilli lib. 2. cap. 5.

5

Diuidit eum algente paupere pileum

Cōmunicat Augustissimam Eucharistiam inuisibiliter.

inui-

1595.

inuiſibiliter in os Hannibalis ſe contulerit nimia cum ſuæ mentis refectione; nec mirum, ſi tantopere ipſum Dominus conſolatus eſt, quandoquidem pro ſuis membris, qui pauperes ægri ſunt, multa, eximiaque caritate opera patrauerat, & multa item non leuia mala percurrerat, ſed alterius fratris lectio intercedit, priuſquam noui anni materia explicetur.

De Fratre Hieronymo Beuilacquà.

6 IN hac itidem bellica expeditione tamquam principalis Miles, noſtrum quidã frater nomine Hieronymus Beuilacqua Parmenſis extitit, qui ſicut ætate vigebat, ita corpore, & viribus magnopere pollebat, de hoc enim memoratur non vires tuliſſe otioſas, ſed optime applicuiſſe; etenim exercitu diſcedente, & alio properante ne militum cadauera ab efferis belluis vorarentur, interdum ſupra humeres duo corpora, vel tria ſi poſſet ſibi impoſita deportabat ad locum immunem à feris, vbi pium humandi officium exſoluebat, ſi autem induciæ vetarent ipſa cadauera componere ad apte vehenda, tum vno ſupra ſcapulas more agni extenſe locato, alterum vero fune ſibi per fæmora vincto, ſenſim à tergo raptum ad ſepulturæ vſque ſpatium ferebat, vbi effoſſa tellure locabat; propter hæc præclara pietatis munia, vehementiſſime ab duce exercitus vniuerſi Franciſco Aldobrandino noſtri diligebãtur, & quid quid ab eo cuperent profuſe nanciſcebantur, magnique fiebant: quare profecto noſtri in exercitu ægris profuere viuentibus, ne à morte demeterentur, vel ſi id aſſequi nequiuiſſent, ne à morte ſecunda læderentur, ſtudebant; & demum exanimata membra, ne brutorum eſca euaderent, protexerunt; ceterum ſi de mortuis corporibus adeo laborioſum pietatis officium exhibuere, quanto magis adiumento illis fuiſſe crederes, quos anima vegetabat? & ſi pro corpore tanta operati ſunt, quid pro ſpiritu ad Dei imaginem efformato, æternæ beatitudinis, vt compos fieret impendiſſe ſudoris, & induſtriæ putatis? Cuilibet minime profecto arduum eſt, vt ſecum ipſe id excogitet, & gradum ad præſtantem eorum caritatem conſideratione faciat; hinc, prout ſe obtulerit occaſio, nobilius ad ipſorum imitandam, tantamque pietatem deueniat: quando quaſi præſentes legat, & habeat adeo egregios in miſericordia milites, qui propriam ſalutem minimi, illam vero proximi prompte, & quam æſtuanter maximi fecerunt. Sint hæc ſatis pro concluſione labentis anni.

Bina, vel tria cadauera ad locum ſepulturæ trahit.

Anno

1596.

Anno Dñi 1596. Relig. sexto. Celebratur Romæ primum Generale Capitulum, vbi in Regione Leonina ægris nostri ministrant. Nonnulli infirmi tactu solo Patris Camilli gratiam sanitatis nanciscuntur.

Ante execu-tionem bul-læ P. Gene-ralis vniuer-sam Religio-nem mode-rabatur.

1 HVcusque Religio immediate à Patre Camillo iam Generali regebatur in vniuersum modo quodam Monarchico. Fuerat autem in Bulla Gregoriana cautum; tunc quæ exprimũtur in ipsa executioni esse demãdanda; cum Religio nacta fuerit idoneorũ numerũ subditorum; verumtamen Pater Camillus in causis arduis cunctorum Patrum, ac Fratrum Cruce signatorum inibat cõsilium; saniorũ, & maioris partis sequens sententiam. Neapoli vero per aliquot annorum spatia sub nomine Superioris primitus, deinde Præfecti, ac demum Vicarij Generalis titulo Clauum Domi nostræ tenuit Pater Blasius Opertis; Mediolani vero, ac Genuæ subrogabantur annuatim Præfecti.

Munus arbi-tri Genera-lis.

2 Et quoniam per aliquot iam tum Religio se extenderat Vrbes, antiquioribus Patribus vna cum Patre Generali visum fuit ad executionem Pontificiæ Bullæ deuenire, & quatuor creare Cõsultores, qui simul cum Reuerendissimo Patre Generali toti moderarentur Religioni, & Arbitrum, qui in dubijs suffragaretur, & æqualibus in votis ipse suo suffragio adimeret lites, Superioremq; redderet partem, qua sua sententia, ac pila propenderit; vt alias indicatum fuit.

Cogũtur prima Comitia in Religione

3 Accelerauit hanc Bullæ executionem Admodum Reuerendi Patris Generalis firma, ac perseuerans voluntas mutandi ordinarium viuendi in Religione morem, mordicus tutantis, ac volentis assiduum in Hospitali domicilium (vt antea significaui) non spernendarũ rationum, & consiliorum de Religione nostra quidam, nec minutæ auctoritatis Patres sese huic P. Camilli deliberationi opposuere; ad hanc sane tollendam de medio opinionum varietatem, & altercationem, multæ quoque summæ prudentiæ, & amplitudinis interpositæ sunt personæ; vt Eminentissimus, & Doctissimus Cardinalis Baronius, atque Amplissimus Cardinalis Saluiati Religionis nostræ tum Protector, qui profecto nequiuere hinc inde hoc fluctuans pelagus sedare, quoadvsque per nouam Bullam editam 1600. sub maximo Pontificatu Clementis PP. VIII. perpetuũ datum est silentium, vbi & Religioni, & Patri Generali, quadam modificatione, seu temperamento suscepto, vtrique parti satisfactum est quodammodo, vt in ea, intelligenti, ac volenti legere patebit.

Primi Con-sultores ge-nerales.

4 Itaque xviij. Kal. Maij 1596. habita sunt prima Comitia intercedente in ea Eminentissimo Protectore nostro Cardinale Saluiati ad effectum creandi Consultores Generales, & Arbitrum, indeque condendi Constitutiones, quãdoquidem adhuc sub illis Patris Generalis Regulis, ac Decretis iam efformatis dirigebantur nostri. Demum Romæ iuxta Bullæ Pontificiæ præmemorati Pontificis electi fuere primi vniuersæ Religionis Consultores, quorum nomina sunt infrascripta.

De Patre Franciſco Pizorno.

5 SImul cum Patribus primæ profeſſionis Romæ habitę, Pater Franciſcus Pizornus illam emiſit, & in ea occupat locum decimumquartum: diu mira vigilantia, exemplariq; conuerſatione tyronum in Religione curam degit; per alias itidem maioris ponderis dignitates peragrauit, diu quoque inter Hoſpitia, inopibus, ægris, ac miſerandis perſonis miniſtrauit, Superioris, & Magiſtri Nouitiorum munus exercens, vixit rara abſtinentia, ac parſimonia, quare ſeptuageſimum exceſſit annū, non mentiri me puto ſi dixerim tetigiſſe octuageſimum, litterarum cupidus, & pluſquam mediocriter doctus, floruit ſpecialiter in doctrina caſuum conſcientiæ, multa reliquit ab ſe dictata, pluraque ſalutis documenta ſermocinando in roſtris tradidit, corporis altitudine fuit potius deficiente à mediocri, quam ſecus, pilo albo ob ſenectam, vultu macer, voce gracili, iniuit perpetuum bellum cum indiſciplinatis, Monti Reali vrbe Subalpina prope locum ſui natalis vitæ curſum clauſit, tempore peſtilentiæ 1630. dum fungeretur munere Prouincialis, ſuffultus Eccleſiæ Sacramentis; fuerat in Religionem admiſſus 1588.

De Patre Cæſare Bonina.

6 SEcundus Generalis Conſultor creatur P. Cæſar Bonina Patria Auguſtę Taurinorum menſe Auguſto ad habitū admiſſus eſt Religionis anno 1592 Mediolani vero 1594. profeſſionem ſollemnem emiſit, cuius vita adhuc ſuperſtes claudicat, quia valde erumnoſam, multiſque confertā angoribus, & ægritudinibus, ducit; attamen ferme ſingulis diebus in ſacello Sāctiſſimi Crucipēdentis Dñi intra noſtras ædes cōſiſtente S. Miſſæ obtulit. Qui menſe Feb, 1639. poſt diuturnā multarum ægritudinū tolerantiā, demū epilepticus euadens petitis, & ab eo ſuſceptis Sacramentis à corporis ergaſtulo ſolutus deceſſit; Romæ in Eccleſia noſtrorum conduntur oſſa. Præfatus Pater per circulum plurimorum dignitatis graduum in Religione tranſijt propter ſuam (comite virtute) conuerſationem gratam, ac pacificam, ab eo non modo cum profeſſis, verum cum tyronibus exercitam, quos magis benignitate, & clementia ad regularis obſeruantiæ bonum allexit, quam duritie, & aſperitate, quæ non niſi raro, & cum obduratis in malo oſtendi dignum eſt. anno 1600. à Patre noſtro deſtinatus in Hiſpanias iuit, cauſa ibi erigendi Religionis ædem, verum diuturna ægritudo ex frigidis qualitatibus ſuborta, quæ ipſum pene immobilem tenuit, impedimento fuit, quominus ibi diu moraretur, quare coactus iterum regreſſus Romæ permanſit, vixit ad annum prope ſeptuageſimum; vultū habuit iucundum, fuluiq; coloris, ſtatura corporis ęquæ menſuræ, ſed decet tranſitum facere ad tertium Conſultorem.

De Fratre Paulo Cherubino.

7 TErtio loco creatus eſt Frater Paulus Cherubinus Romanus, eadē in Vrbe receptus fuit 1592. v. Non. Maij; laicus militiam ſpatio multorū annorū profeſſus eſt, ob ſuas naturæ, & ingenij inclytas partes, multis mundi Principibus carus effulſit; nominatim Henrico IV. Gallorum Regi, tandem Religio-

1596.

sus effectus laboriosam vitam protraxit, in varijs domorum fundationibus fuit comparticeps, speciatim Ferrariæ, quo ab Sanctitate Clementis VIII. dimissus est, vt militibus ægris auxilio foret, quos eximia pietate prosecutus est, itaque ab ea ærumnosa vita consumptus (composita prius pace) laudabiliter decessit munitus Ecclesiæ Sacramentis xiij. Kal. Iunij *1600.* in Templo Diuę Annæ Nosocomij eiusdem Vrbis corpus sepulturæ datum est.

De Fratre Amico Amicideui.

8

QVartum, ac supremũ Generalem Consultorem elegerunt Fratrem Amicum Amicideui ex Neomago v. Non. Maij *1592.* Neapoli cũ ceteris domus illius primitus in Ecclesia D. Mariæ Portæ Cæli professionem edidit. Bononiæ vero xiij. Kal. August. *1601.* inter onera illius fundationis in morte dormiuit, effectus antea particeps Sacramentorum, ibique in Ecclesia Domus nostræ Sancti Columbani sepultum habet tellus.

9

Primus Arbiter Cõsultę Generali

Post nominationem supradictorum iam Consultorum, atque electionem, Arbiter creatur P. Marcus Antonius Clerus Messapiensis ex Brundusij Diœcesi viij. Kal. Iulij *1593.* Neapoli professionem emisit, vbi etiam sepulturæ donatus tegitur. Insuper eadẽ per Comitia vnicus Prouincialis Mediolanensis creatus est, q. extitit Pater Ioseph Catalanus ex Trinacria. Romæ vero negotiorum Procuratorem delegerunt Patrem Blasium Opertis, de quo infra lata habenda est recordatio, quando ipsius obitus decurrerit.

10

Nouæ eduntur Constitutiones.

Nonnullis habitis sessionibus, & quibusdam confectis constitutionibus peculiariter sancitum est sequens immediate Capitulum v. Non. Maij esse celebrandum *1599.* hinc cessarunt vim habere ordinationes, quæ extra Capitulum, vel Consultã Generalem vna cum P. Generali fuerãt institutæ, cum in ea nostri Consultores decisiuum præstent suffragium. Plura concernentia Nosocomiorum assiduam habitationem in hoc Capitulo dixit, atque allegauit Pater Camillus, verumtamẽ hac vice non admissæ fuerunt eius rationes, reluctantibus multæ auctoritatis Patribus, porro huic adiectus est Capitulo finis prid. idus Maij præsenti anno decurrente.

11

Nostri presto sunt Montis Leonini cõtagio.

At paulo post mense vtpote Iulio, & Augusto, inter hos calores ardentissimos sæua debaccata est ægritudo, à quodam maligno aere irrumpens, proxima pestilentiæ, quoniam vero in dies morbi, & mortuorum acerui multiplicabantur, prouidentissimus, ac pijssimus Pastor, ac Pater vniuersalis Clemens Papę VIII. tanto concupiuit occurrere luctui, ac mederi quoadposset; instituit, decreuitque singulos Eminentissimos Cardinales, in sua Parochia curam gerere infirmorum, atq; cauere, ne quid eorũ animæ deesset, vel corpori, idque satis abunde, ac liberaliter ab eis Eminentissimis Dominis prouisum est, tum per se, quandoque per ministros, hac prouida vigilantia breui ea dira extincta est mortalitatis bestia. Ipse vero Summus Pontifex, eã sibi vendicauit partem, quam Sancti Angeli suburbium nominant, istorum patrocinium ægrotorum, & curam, Camillo, & suis demandauit, optimo experimento noscens, quantis cum beneficentiæ visceribus ægris mederentur animis, corporibusque, & quid egissent in Monte Quirinali immani dominante morborum vi, & per vrbem grauissima grassante lue, ac fame labentibus annis *1590.* & *1591.* quam fideliter operati essent nostri, optime nouerat: hoc periculosum, & mortis vorticibus conspersum fretum ingredi in nomine

San-

1596.

Sanctiſſimæ Trinitatis vna cum decem ex ſuis Patribus animoſe ſe accinxit Camillus, qui veluti ſapiens architectus, vel prouidus, & audax militiæ dux, ſtatim atque ſingulos Patres per diuerſa munia diſpertiuit: ipſorum duo medicinæ Doctores comitabantur, tum ad animam pertinentia, cum ad corpus medicamina obſeruantes, ac notantes tempora nimirum ægros refocillandi, & ciborum qualitates, ac remedia applicandi, Sacramentaque conferendi, vtriſque ſane hominis partibus veluti ambidextri peruigilem curam abhibentes. Duo vero tantum ſpiritualibus rebus operam nauabant, grauiores ægros conſolando, & ad melioris vitæ tranſitum hortando; animam vero exalantes orationibus, pijſque lectionibus, ſanctiſq; dictis adiuuando, quoaduſque ſpiritũ ſuo redderent Creatori: porro reliqui ſex, eſcas Domi noſtræ paratas, additis octo baiulatoribus, pauperum, & ægrotorum domos perluſtrantes, diſpertiebant ſecundum exigentiam ægritudinis, ac neceſſitatis, mane quolibet & ſub veſperum: noſtri vero eodem in ſuburbio aſſiduo demorabantur quadã in æde, quam Summus Pontifex ſatis idoneam illis conſtitui decreuerat.

12 Non equidem Summi Pontificis vigilantia, & pietas, atque Patrum labor, & caritas tantum limites intra hanc leoninam regionem fixit, verum extra protendit Vrbis mœnia, per portam nimirum Angelicam ad Diuum vſque Lazarum, & Crucem Montis Marij, atque ad vallem quam dicunt Infernam, luſtrabant quoq; cunctas fornaces ſub illis ardentiſſimis ea tempeſtate caloribus, vt omnium neceſſitatibus præſto eſſent, plerumque induſiua ſudore madentia deſuper carnes ſiccabantur, non ſemel, ſed pluries in die, vt ex ſuis ſudoribus ægri ſalutem, vel refectionẽ aliquam reportarent; hæc Patrum pia defatigatio, & Summi Pontificis liberalitas, in cauſa fuit, vt omnis mortalitalitatis immanitas eliminaretur. Admodum grate Summus, ac Sanctiſſimus Pontifex hunc impenſum à Patribus beneficentiæ laborem, totaq; Vrbs Romana ſuſcepere, ægris vero valde ſalutaris extitit, Deoq; O. M. ſuiſq; Angelis acceptabilis, quod ex eo conijcitur. Cum fere tota Romana Vrbs grauiſſimis, ac periculoſiſſimis febribus correpta langueret; ipſi vero Patres sũmis defatigationibus, ærumnis, vigilijs, ſudoribus exagitati, aſſiduo inter putores, ac moribundos die, ac noctu diuerſantes, nullo tñ morbi veſtigio capti mœruere. Vnde Pater Camillus ex hoc ad extollendum inſtitutum deſumebat occaſionem, quando quippe in magnis detentos laborum moleſtijs ſuos tuebatur, è veſtigio tunc affirmabat illam eſſe maximam, euangelicamq; perfectionem: totis diebus nimirum, integriſque interdum noctibus indefeſſos ſe perhibere, Deo ſummo, atque pauperibus ægris inſeruiendo; nec vſquã ſub onere deprimendos aiebat, quandoquidem ſupremum Factorem inter has ærumnarum vndas fautorem ſe habuiſſe cognouerant, qui illos illæſos, ſanoſque ſeruauerat, & in medio tot ægritudinum, vexationum, periculorum ſe ſanos, incolumeſq; ſeruatos experti fuerant; vnde his monitis, ad vlteriora, & altiora pro Domino ferenda, atque patranda, illis iter pandebat: quare animo maximopere erigebantur; Camilli enim verbum, & magis exemplum in ſuorum pectoribus abunde germinabat, referentium eximię caritatis fructus.

In ea mortalitate noſtri Incolumes extitere.

13 Hæc inter tempora occurrit, noſtrorum Patrum quemdam, cum pernox plures conſumpſiſſet vigilias, iterum vocatum eſſe poſtera nocte, vt alteri cuidam præſto foret morienti, munuſque exhiberet commendationis animæ, qui ſemidormiens ſe indumentis compoſuit, & demum ſomno preſſus ob elapſas vigilias dormitando per Vrbis itinera incedebat, hinc inde pedibus, & toto corpore

Quidam ex PP per vias Vrbis dormiens incedit vt moribũdo præſto eſſet, idque ob elapſas vigilias.

1596. pore vacillans, quasi ebrius,& sane inebriatus caritate,vt promorientis anima auxilium imploraret à Domino, tandem factus est obuiam Custodibus Ciuitatis,ac deprehensus,vnde excitus enarrauit quomodo somnus illum ceperat, hinc magna cum illorum admiratione dimissus est, tanto enim desiderio primis illis alboribus Religionis orientis incensi carnem in seruitutem spiritui redigebant, quorum orationes, pro coniectis in extrema pericula mortis editæ summopere Diuinæ bonitati fuisse gratas crediderim.

14 Neapoli Pater Lucas Moneta Romanus tum nouitius grauiter ęger langue bat in lecto erysipelate,ita sane vt eius caput,ac guttura intumuerint,nec quidem aqua poterat sine suffocationis periculo deglutire, interim Pater Camillus Roma Neapolim veniens, domumque nostram ingrediens, illico (iuxta sui consuetum) in pedibus adhuc gerens calcaria,ad valetudinarium processit, & præfatum ægrum adinuenit, à morbo diuexatum, quem assuetis miserationis intuitus est præcordijs, leniterque sinistram tumentis ceruicis partem signo salutis, Cruce nimirum muniuit, quia inibi immanior vrgebat dolor, bonoque animo esse suasit, cito incolumitatem adepturum subiecit, sed quidem res miranda, non herba, neque malagma sanauit eum; sed Camilli deprecatio, digitique contactus, sanitati restituit Patrem Lucam, quapropter qui antehac mœstus imminentem formidabat mortem, nec fluidum elementum intra viscera tranare valebat, paulo post nimirum sero eiusdem diei vsualem panem mandit, & facile sine pœna traiecit per interiorem arteriam in ventriculum,cum vero properasset medicinæ Doctor,leuam partem colli iam ante valde tumidam,animaduertit planam,similemque reliquis corporis partibus, & dexteram quam Pater Camillus non tetigerat adhuc non modice extuberantem, stetit admirans, ab astantibus rationem poposcit, vel occasionem, siqua se interposuerat, protinus percepit, leuam tantum intumescentē partem tetigisse Camillum; qui respondit, & hunc contrectandum cur non extendisti locum, permisit enim Dominus hoc, vt clarius gratiæ donum elucerct, & virtus Camilli contactus, à quo sicut ab igne cera cito euanuit tumor. Veruntamen intra triduum omnino optimam valetudinem nactus est.

Lib. 3. c. 16.

Adipiscitur salutē P. Lucas Moneta.

15 Et quamuis ob arcana Dei iudicia aliquando ægri non euaderent protinus incolumes ex Camilli prece, vel tactu,refrigeria tamen non modica sentiebāt. Neapoli Ioannes Baptista Balsamus vehementissimis angebatur pedum doloribus, qui frequentius Patris Camilli visitationibus consolabatur, indeq; fassus est, quotiens Camillus doloris locum tetigerat maximopere eius pœnam, quæ intensissime vrgebat, liniebatur, profecto talibus vexati podagræ angoribus non tantum ex tactu torquentur, veruntamen sæpenumero, aliorum præsentiam formidant, suamque faciunt pœnam, secus vero Camilli contactus, vel dolorem penitus restinguebat, vel maxima in parte leuem redigebat.

Ex tactu P. Camilli mitigatur dolor podagræ. Eodem loco qui supra.

16 Persimile quid Romanæ cuidam accidit Matronæ Francisci Voglini consanguinea, quæ in pectore crudeli cancro rodebatur, assiduo in ea parte lanientes canes sentiens, illā momēto aliquo haud desinentes quiescere, quam visendam interdum Pater Camillus adibat, ex cuius visitatione, signoque viuificę Crucis supra vestes adiecto mirum in modum demulceri dolorem, experta est, quod sæpius alijs Patribus enarrauit, perque aliquam temporis moram sane non exiguam extincta abibat torquentis morbi tyrannis.

Aliud simile cap. citato.

1597.

De Patre Francisco Antonio Balsamo.

17 HAc tempestate Franciscus Antonius Balsamus Neapolitanus bis in Religionem receptus, primum mense Martij 1595. at paulo post relicto habitu, domum paternam petiuit, sed qm in eius discessu comparticeps quidam alterius Religionis Superior extitit, idcirco nonimmunis, & liber, immo vindex sensit Dei iudicium, qui ob causam ad Sanctissimæ Inquisitionis Tribunal spectantem Romam medius inter satellites vectus est, vbi carcerum nidores persensit, qui à pomario Dei, nimirum ab Religione nouitium auocauerat, & qui dulce Dominicum iugum à Francisci Antonij ceruicibus semouerat, ipse dura vincula sensit intra carceres Sanctissimæ Inquisitionis, vbi aliquandiu alligatus, pariterq; inibi functus est; turpis, & fœda res est alteri suadere malum, turpissimum sanè à tuto, tranquilloque sinu Religionis in procellosum mundi deicere fretum illum, qui iam Sacrosanctæ se adixerat Religioni. Iterum eodemque anno Dei bonitate eum excitante rursum habitum expostulauit, quo fuit amictus non sine parentum magno clamore, & vi, altera vice conantium quoq; illum ab Religione abducere, in qua honeste ad finem vsque perseuerauit; hic decurrente inquam postero anno, & est, in quo stamus, ardentissima febre captus ad euidentissimæ mortis discrimen prolapsus est, sic per illustrium Medicorum Collegium fuerat adiudicatum, non posse quippe ab eo morbo incolumen surgere; Camillus autem super hac re cercior factus, commiseratus doluit; auferri ab immatura morte optans, quem precibus compluribus ad Deum effusis nactus fuerat, & à violentia paterna, atque à faucibus immanis bestiæ sæculi segregauerat; illum itaque visum adijt, hortatusque est læto esse corde, quandoquidem comitem vitam habebit; & immunis ea vice iugo mortis futurus.

18 Eo quoniam detecto capite æger iacebat, à valetudinario quæsiuit afferri, vt sibi caput contegeret, lineum tegumentum, seu calanticam, quod perquisitum, non est adinuentum, credo Dei volitu factum ita esse, etenim Camillus ad sui cellam profectus, & illud quo ipse sub noctem vtebatur protegendo caput arripuit, detulitque ad ægrum, quo se contexit, sed, ò Dei bonitas, repente quasi animatus morbus ab inimico inuasus potentiori, quodam rigore, & graui accidente febris Franciscum inuasit, postmodum quasi propiam vim extinctam inspexisset, aufugit; totum id effectum est duarum circiter horarum spatio: referebat ipse Franciscus postea; statim ac lineum tegmen Patris Camilli in capite recepit se cōualescere sensisse; itaque reuertens ad vesperum Medicus, absque vlla inæqualitate pulsū contrectauit, miraculoque adscripsit; & quia præclarus finis totum vitæ curriculum coronat, decoratque; quamuis memoratus Pater Franciscus Antonius complures in Religione annos virtute conspicuus duxerit, anno tamen 1604. mense Maij opera pietatis exercens, magnaque dilectione auscultans in carceribus Vicariæ Neapolis ægrotorum, & bene ibi valentium Sacramentales confessiones ardentissima febre captus, postmodum ea grassante, ab immatura morte præuentus est, ornatus antea Ecclesiasticis Sacramentis. In Templo Diuæ Mariæ Portæ Cæli Neapoli humatus residet.

Lib. 3. c. 16.

1597.

Anno Domini 1597. Religionis septimo. Noua Domus Bononiæ erigitur. De Patre Marco Antonio Cleri, & de Fratre Ioanne Mottino aliqua interponit narratio.

1

QVamuis ab anno 1589. Eminentissimus Cardinalis Paleotti Archiepiscopus Bononiensis, eiusdemque Vrbis prosapia nobilissimus, erectionem nostræ Domus tentauerit, attamen propter iam suo loco allegatas rationes sortiri effectum nequiuit, nihilominus idem Religiosissimus Princeps, ac Vrbis eiusdem Pastor nequaquã destitit, quin rursus simul cũ Dño Camillo Gizzadino Bononiẽsis Ciuitatis oratore in Vrbe institerit, vt illuc à Patre Camillo aliqui ex nostris destinarentur; & quidem tanto viro decuit negari, quod postulauit; potissimum eo quod enixe pro Religionis erectione verbis, & opere nostrorum partibus fauerit; tandem aliquando supremo præcedentis anni mense Pater Ioannes Califanus Neapolitanus, vna cum alijs Patribus illo transmissus est, quibus principio fluentis anni Sancti Columbani Ecclesia satis idonea concessa est, (quæ Regionis illius fuerat Parochia) cum nonnullis ædibus adiacentibus, prope viam (vt dicunt) Diuæ Mariæ Galeræ: loci situs insignis, ac nobilis, & aeris plaga salubris, satisque nota.

Erectio Domus Bononiensis.

2

Principio fundationis huius Domi duo Patres Metropolitanam illius Vrbis Sancti Petri Ecclesiam dum ingrederentur, in quemdam inciderunt possessum à Dæmone, qui à Sacerdote exorcizabatur; cum prope essent nostri, locutus est, atque cum admiratione dæmon per os obsessi interrogauit, (factus est interim promiscue multorum virorum, ac mulierum concursus, & silentium) atq; inquirere cæpit spiritus malus per ænergumenũ, qui essent hi Patres ferentes Crucem, quidue ibi agerent; cui protinus ab Exorcista satis factum est; nouos quosdam esse Religiosos in eam Vrbem paucis ab hinc diebus appulisse, vt recenter suæ Religionis eo in loco erigerent domum; quoad professionem vero eorum esse præcipuum institutum, animas in mortis conflictu consistentes instantibus orationibus, pijsque cohortationibus, ac lectionibus Diuinæ commendare pietati; subridens arreptitius eam esse superuacaneam subiecit Religionem, propterea quod qualiter se homo gesserit viuus, talis futurus in morte; etenim deprauatos mores infelix sequitur mors, & honestæ vitæ series, optimum finem aperit; in medium quasdam sacrarum literarum, & Patrum collectas adducens, vt illud Apostoli, vnusquisque referet, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum; & Diui Athanasij in fidei Symbolo axioma, qui bona egerunt ibunt vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum: & magni Patris Augustini vulgatum eloquium, non potest male mori, qui recte vixerit, nec bene mori, qui male vixerit: hæc, & æqualia temere nefarius effutiens, concludere nitebatur, fugatisque argumentis conuincere, frustaneũ

De quodam ænergumeno cõtra nostrum institutum obloqui nitente. Invita P. Camilli typis expressa lib. 3. c. 7

esse

esse eiusmodi institutum, idcirco non admittendum ea in Vrbe; quia nequam homines suos esse affirmabat, cum iustis vero partem vllam minime habere, subdens quoque protulit Dominicam præceptionem, vbi te inuenero ibi te iudicabo: parumper dumtaxat hæ dæmonis cauilationes, & male allata axiomata suspensum prouidi Exorcistæ animum agitauere; sed agnita insidiatoris fraudolentia viriliter sese opposuit, fuisseque eas sacri voluminis sententias ab se extortas, non autem germano sensu allegatas, arguit: idque ostendit validissimis rationibus, & exemplis, diuinisque Scripturis.

3 Etenim quousque anima rationalis intra corporis claustra ligatur, spatium semper conceditur, bene, maleue libertate arbitrij appetere, & confutare, quod insipienter prosequta fuerat, ac detestari præterita scelera, & amore prosequi summum, æternumque bonum: quare momento quolibet, spatium idoneum, dum vitam ducit, habet pœnitendi, & ad Dominum redeundi, quapropter, Diuina miseratione supposita, satis, sufficienterque valet ad gratiam præparari hominem quacumque hora, prout communis Theologorum nos instituit schola, cum Angelico Doctore: clare elucidatur per illud Propheticum, & inuariabile dictum, in quacumque hora peccator ingemuerit, peccata sua non recordabor amplius: Insuper alia sententia clamat, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.

4 Quocirca in eo articulo, siue mortis periculo, omnia tollit Sacrosanctum Tridentinum Concilium, peccatorum impedimenta, siue reseruationem, etiam si annexam habeant censuram, quare tunc potest peccator, licet facinorosissimus, auscultari, & in eo casu absolui à quopiam Sacerdote etiam nullam habente iurisdictionem ab Ordinario, auscultandi confessiones, Concilij verba sunt ista, Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit; vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt, &c. *Sess. 14. c. 7.*

5 Exemplo quoque sunt Niniuitarum lachrymæ, perfectaque cordis contritio; qui simulatque ad pœnitentiæ arcem profugerunt, (prædicante Iona) mortis interminationem, vrbisque subuersionem, euitarunt, Rex quoque Dauid continuo postquam protulit peccaui, remissionem confestim inuenit turpis adulterij, vna & interfectionis insontis Militis Vriæ, nam vtraquel ipse patrauerat: & latro paulo ante blasphemus in Saluatorem, vt Euangelista commemorat, postmodum per confessionem, & resipiscentiam factus vere pœnitens, meruit die eodem gratiam nancisci, & gloria potiri, suauissima a proprio Dominico ore percipiens verba, dum feliciter audit, Hodie mecum eris in Paradiso: his, alijsque doctrinis, à veritatis fonte eductis, satis, superq; dæmoniacis satis factum est fallacijs; atque adeo magno dolore perculsus fari coactus est, quam firmum, ratumque est, quod asseueras, his dictis cum sui maximo rubore, & ingenti opprobrio, atque circumastantium gaudio tellurem versus caput demisit, labiaque prorsus pressit, haud amplius verbum mittere ausus fuit. *Matth. 27.*

De Fratre Ioannes Mottino.

6 FRater Ioannes Mottinus Turonis, dum Iuris Pontificij operam nauaret, qui etiam ad Doctoratus gradum ascenderat, Romæ nomen dedit Reli-

gioni

1597. gioni vj. Kalend. Iunij 1594. Principio sui ingressus, ad vsque vitæ calcem, iugiter optimis operibus, & exemplo enituit, ac prudentia, mentem in Dei præsentia indefatigatã tenere indicabat, ex eo, quia rara morũ grauitate incedebat, ac modestia corporis sine affectatione, iugiter ꝓpeditus in aliqua honesta actione, vel spirituali occupatione spectabatur; etenim siue orantem, siue legentem, vel lecta meditantem, siue aliquo pietatis opus obeuntem, inuolutum assiduo cerneres. Non modo vitiosa, verum & otiosa, ac scurrilia verba, odio illi fuere; quocirca & loca, & personas ea consectantes, neruiter aufugit: vt alij morbum Elephanticum tactu solo qui inficit carnes, & non incongrue quidem quando animi morbus magis lædit illos, ac infelicius, qui cum tali commercia ducunt generi personarum.

Quapropter maximopere à Patre nostro Camillo diligebatur; vnde adhuc Nouitius factus est forma gregis, vt Apostolorum Princeps enunciat; nimirum Genuam Nouitiorum, qui curã gereret, à Patre fundatore missus est, oneraq; item illius fundationis vt sustineret: in ea quidem tyronum fratrum educatione, ceu lumen supra candelabrum splenduit, non tantum incipientibus in via Domini, verum & complurium annorum professis candorem omnium virtutum ostendit, in eaque vrbe Genuæ prid. Kal. Iunij 1596. professus est, semper pauperum ægrotorum extitit beneuolentissimus, pro illorum iuuamine omnem suum conatum impendẽs. Demum à Patre Generali, vt iterum Romam rediret, vocatus est, simul cum nonnullis nouitijs, quos ipse bonis moribus informauerat, ac proinde Summi Pontificis triremes conscendit cum suis; cumque ad portum Liburnum (quem hodie dicunt Liuorna) contendisset, diesque festus incidisset, humum, vt sacrum missæ auscultarent, descenderunt, interea triremes datis carbasis vento, relictis eis, digressæ sunt; id moleste tulit Ioannes sodalium incommodi causa, magis quam sua, maxime quia desuper eas triremes viaticum ipsorum manserat; nihilominus in Diuino spem suam locans præsidio, Florentiam versus emendicando pedestris iter direxit simul cum suis, ibique illius vrbis à Magna Duce aliquot aureos caritatis ergo est assecutus, quibus comparauit asellum, propijsque pallijs onerarunt, omnes pedestres eleemosynam inter itinerandum efflagitantes Romam commearunt, multa siquidem per viam aduersa sunt perpessi; cum ea loca montuosa scandere necesse sit; ipsi vero adolescentes, viribusq; imbecilles, & victus inopes, quare magna parsimonia coarctati, Romam valde membris confracti intrarunt; Ioannes vero paulo post in grauem morbum incidit, & cum ab eo euadere nequisset, sensim dominante aduentitio intra viscera calore tabuit. Diu hilari fronte, ac mente illius morbi sæuitiam, & angorem pertulit: & si Ioanni corporis vires deficerent, mentem nihilominus semper in oratione habuit intentam, & sæpissime genibus procumbere visus est, dumque sic ægrotaret, intente coram aliqua Sanctissimi Saluatoris, vel Gloriosissimę Virginis Imagine preces fundere inspectus, auditusq; est. Porro multis effulgens bonorum operum coronis, relicto corporis ergastulo, salutarique Sacramentorum munimine suffultus, migrauit ad Dominum die celeberrimo Pentecostes, in tumulo Ecclesiæ Diuæ Mariæ Magdalenæ Romæ quiescit conditum corpus.

De

1597.

De Pater Marco Antonio Clero

8

PAter Marcus Antonius Clerus patria Meſſapienſis prope Brunduſium, vita, & moribus, & naturalibus diſciplinis valde conſpicuus, anno 1593 in Religione adſcriptus eſt Romæ menſe Iunij, Subdiaconatus ordine inſignitus, ac beneficiarius, ſacræq; inquã doctrinæ profeſſor, his itaq; ornamentis decorus: quantæ probitatis fuerit eius conuerſatio, auctoritatiſque ipſius prudentia, ex eo licet colligi, quandoquidem adhuc in probatione exiſtens, multarũ fundator Domorũ extitit ſocius, vt Mediolani, Genuæ, ac Bononiæ, & Florentiæ; Neapolim tandem regreſſus, per manus P. fundatoris recepit profeſſionem 1595. menſe Iulij; protinus Sacerdotio inſignitus eſt, cum poteſtate auſcultandi fidelium confeſſiones, Nouitiorum Magiſter, ac ductor à Patre Generali actutum electus eſt, quod munus ſumma prudentia, ac exẽplo exercuit v. Non. Octobris 1595. per Patrum ſuffragia Romam ad primam Generalem Congregationem ire merito deſtinatus eſt, qui ob amplas litterarum, prudentiæ, & probitatis virtutes, ac partes, Arbitri Conſultæ Generalis locũ primus in Religione occupauit: abſolutis Comitijs denuo Neapolim profectus eſt, vt ſecum Romam Nouitios traduceret, quorum, præter ſui muneris labores, omni vigilantia curam egit, quod onus haud erat illi leue, conſiderãti eius corporis vires exiguias, quas aſſiduis vigilijs, ærumnis, ſtudijs, alijſque mortificationis generibus deprimens torquebat, quare ſecta vena in pectore per os cruorem euomere cępit, miſſus eſt vt conualeſceret Neapolim, ſed in deterius implacabilis morbi vis abijt, itaque poſt diuturnam inualetudinem, quam magna comitatus eſt, ſufferentia roboratus clypeo Sanctorum Eccleſiæ Sacramentorum laude magnæ perfectionis deceſſit, circa nonum ſui æui luſtrum; fuit enim corporis ſtatus altitudine iuſtus, ante valetudinem aliquanto carne pinguis, vultu ſuffuſco, grata conuerſatione, & in dirigendas ſibi cõmiſſas oues admodũ benignus, non ſibi, ſed ſuis parcens: in cunctis aduerſæ ſalutis ictibus laudauit, ac Dominum benedixit, quo æterna liter frui pia mens tenet, qui pro Relig. cremento ad ſanguinem vſque defatigãdo certauit, & tandem animã exalauit ix. Kal. Ianu. 1597. conduntur cineres in Eccleſia Sanctæ Mariæ Portæ Cæli, non tantum honeſta conuerſatione, & ſtudijs emolumento extitit totæ Religioni, verumetiam quampluribus eam paterna hæreditate ad adeptis bonis ornauit, nunc ad nouum annum detur plumæ, fauente cælo, ingreſſus.

Anno Domini 1598. Religionis octauo. Multa disponuntur, ac decernuntur virtute iam obtenti libelli Apostolicarum litterarum, Aliqua de duobus Fratribus vita functis intermittuntur. Et quomodo P. Camillus ægris in Tyberis innundatione præsto fuerit.

Moderamen Religionis his temporibus.

1

IAM Religio hac tempestate, iuxta Bullam Gregorij Papæ XIV, felicis recordationis, dirigebatur, hoc est, per aliquot Constitutiones editas, secundum tenorem eiusdem Bullæ, Patres procedebant, ac subdebantur, & iam regimen ab integro corpore quatuor Consultorum, atque Arbitro emanare incoauerat, decreta nimirum condi inceperant, elegi Superiores, ac Præfectos quotannis, fierique subditorum per diuersa loca mutationes, alijque ad Ordines, quidam vero ad studia admittebantur; hæc omnia antehac, quia nondum Consultæ status erectus fuerat, disponebantur ex arbitrio (vt dictum est) Patris nostri Fundatoris; illud etiam planum est, initio fuisse indiscriminatim quoad Clericatum admissas personas ad habitum; sed dumtaxat quos Reuerendissimus Pater Generalis, & Consultores iudicassent idoneos subditos, illos ad ordines, vel studia transire fas erat, sic cautum est in præfata Bulla Gregoriana, dum ait. Idcirco statuimus eos tantum esse sacris ordinibus destinandos, quos Præfectus Generalis, atque vna Consultores, vel de eorum licentia alij Superiores non aptos modo ad ipsos sacros ordines, sed etiam ad ministerium nostrum ex Constitutionum præscripto congruentes, ac necessarios iudicauerint, idque seruandum decernimus erga Clericos, qui ad studia admittuntur, &c. vnde complures nostrorũ, qui ante, & post vsque ad Bullam Clementis Papæ VIII. simplicium Fratrum ministeria caritatis obierant, edita autem noua Bulla Clementina, in qua nimirum distinguntur in receptione studentium status, & Fratrum non idoneorum ad studia; vigore inquam priuilegij Bullæ Gregorianæ, cuius verba paulo ante retulimus, ad studia litterarum, & ex inde ad ordines transierunt. Multi vero idonei ad Presbyteratum ascendere renuere; maluere autem in sancta humilitate, Deo, & pauperibus famulari, absque onere transeundi ad ordines.

Promiscue, & confusim recipiebātur per Bullam Gregorianā nostri, quo ad Clericatum.

2

His item exordijs Romę ante, atque post obtentas Apostolicas litteras magistri sęculares (vt alibi significaui) soluto stipendio nostros erudiebant humanis litteris, atque alijs, varijsque disciplinis, singulis facultatibus, singulis adiectis præceptoribus, qui vt cito, magisque proficerent nostri peritiores adhibebantur magistri; multum enim P. Camillus studiosorum amans iugiter se exhibuit. Potissimum circiter annum 1593. dum vna cum Patre Cęsare Bonina Sacerdote nostræ Religionis (de quo autem facta est recordatio) Augu-

Sæculares magistri illis exordijs nostros erudiebant.

sta Taurinorum iter faceret Mediolanum versus. Mane cum surrexisset seruus Dei Camillus ab oratione, eidem Patri Cæsari suæ mentis sensum patefecit; asseuerans nostram Religionem oportere doctissimos habere viros, & operarios omni humanarum, ac diuinarum facultatum peritia præcellentes, & hanc suam eidem Patri voluntatem exprimens, præcepit, vt protinus Romæ Admodum Reuerendis Patribus Consultoribus, & Neapoli Patri Blasio tunc temporis munere Vicarij Generalis defungēti litteras destinaret, vt ex templo exequerentur, studiorum scholas erigendo, repente idem Pater Cæsar, quod acceperat executioni demandauit, epistolasque direxit, etiamsi huiusmodi præceptio, & Patris nostri ardens desiderium vsque adeo non sit prorsus sortitum suum effectum, tot pene innumerę occupationes, labores, multorum magnæ expectationis Patrum, in peste, vel Hospitalibus immaturæ mortes in causa fuere; sensim enim, ac suauiter Dominus huius tenerrimę plantæ crementum, ac perfectionē disponet, vt compleatur Fundatoris intentio, iuxta volitum sui Diuini beneplaciti: & sane studia plusquam vulgari necessitate exiguntur propter hanc non contemnendam, quam puto rationem: etenim in alijs Consultationibus potest doctor tempus studendi, siue alios consulendi peritos exigere: at vero cum moribundis huius dilationis campus denegatur, quando illico respondere arctatur, & docte, ad tollendas de agonizantis mente tentationum fuligines; sed de hoc satis locutus sum in præludijs.

Admodum amans fuit P. Camillus Studiorum.

3 Principio etiam Religionis quamuis nostri continuum nō depræhenderint in Hospitalibus incolatum, attamen in his locis circiter trium horarum spatio mane scilicet, totidemque sub vesperum operando morabantur (vt iam antea notatum est) inibi sibi inuicem bini, vel quaterni misericordiæ munera dispertientes; quidam incompositos adoptantes lectos, alij frigore vrgente sumptis Thermoclinijs, hoc est instrumentis ad calefacienda cubilia aptis, gelida ægrotorum membra confouebant, si æstus vero instaret, ora ad colluenda, & pituitosam linguam ad tergendam refrigerantem, aquam suggerebant, quidam alij manus ægrotorum abluebant, reliqui Christianam doctrinam rudes docebant, & ceteri alios consolabantur, plura de Deo interserentes colloquia, nec momentum otiosum volare permittebant, & in carcerum valetudinarijs operabantur idipsum, atque respectiue per domos priuatas, vt in Gregoriana cautum est bulla; in Nosocomijs, ait, Carcerum valetudinarijs, vbi ægroti magna tam corporalium, quam spiritualium angustia præmuntur, huic caritatis munere in perpetuum se addicere statuunt &c. & quidem sermo exprimere nequit quanto cum beneficentiæ adiutorio, propriaque mortificatione, exemploque, atque omnium admiratione hæc pietatis officia Patres obirent; ad ea enim loca Hospitalium scilicet, quasi processione facta, plerumque procedebant ob eorum numerositatem, oculis sane ad tellurem versus demissis, compositisque manibus, obductisque pallio, totaque corporis facie composita incedebant, itaut cunctis erant mirandi, & ad deuotionē dura nonnullorum corda emolliere, quæ profecto pietatis exercitia ea cum caritate sunt ab eis propterea exhibita, & ille grauis incessus, modestusque ex eo editus, quia cuncta ab oratione pendebant, & à camino ignita diuini amoris singulæ eorum actiones prodibant. Talia in exordio Gregorianæ exprimūtur verba, vt munia, & exercitia sua cum caritate exequantur (nimirum nostri) exercebunt se in oratione mentali, & vocali, tum in examine conscientiæ; vbi animaduertendum verbum illud se exercebunt, quod non indicat rem

Ordo operationū exhibitarum à nostris in Nosocomijs.

per

1598. per transitum, seu per saltum, & perfunctoriè remissè, aut faciendam, sed pene continuam, & intentam orationem, vt est occupatio illorum, qui in aliquo se exercent opere, de quo viuunt: ex hac enim mẽtis eleuatione exercitationeque nostrorum opera pietatis emanare debent, vt congruenter, perfecteque fiant; multa sunt, & pondus habent, quæ in concessione Bullæ Greg. PP. 14. continentur, penes quam, si licet, plane queunt obseruari. Inter hæc temporum interstitia nostrorum Fratum nonnulli cum laude exalarunt animam, de quibus pauca infra subtexuimus.

De Fratre Francisco Caputo.

4

FRater Franciscus Caputus Neapolitanus, de eo non plura commemorare possum, quia breuiter morte peremptus est, sed digna, vt recolatur, V. Non. Maj 1597. Romæ in Religionem receptus est, & XII. Kal. Apr. posteri, ac decurrentis anni, relicta veste mortali corporis, immortalem indutus est; causa sui interitus non otia, & incocti humores, quia corpus assiduo defatigatum ducebat, & abstinentia carnem spiritui subiectam reddidit, ac proinde imbecilles vires male sustinebat. Adhuc Romæ domi nostræ perseuerabant in edificando constructores, quibus ipse non secusac eorum ex discipulis vnus cæmenta proprio labore suppeditauit, qua in nimia defatigatione, & insueta implicitus sane inter maximos æstiuos calores exhibita, superadditis etiam alijs Religionis spiritualibus, ac temporalibus exercitationibus, operibusque pietatis, strictaque pauperie, in morbum incidit, quem humiliter, & lætabundus sustinuit per aliquot dierũ curriculos. Demum celeberrimo, ac festiuissimo die Sabbati Sancti; quo & instrumenta bellica roboant, organa, & campanæ gloriam, & iubilum pro mundi Saluatore rediuiuo resonant, superi Angelorum Chori, & homines præ lętitia gestiunt, tum Franciscus tot inter gaudia expirauit; erat enim maximopere deuotioni Sancti Francisci de Paula addictus; recepit enim Ecclesiastica perdeuote Sacramenta, in Templo D. Mariæ Magdalenæ eius ossa asseruantur.

De Fratre Annibale Ferrario.

5

FRater Annibal Ferrarius Lucanus ex oppido, quod vernacula appellatur eorum lingua Cissonum, quamuis Neapoli admissus in Religione, habitu tamen Romæ amictus est V. Kal. Iun. 1595. ab exordio suæ conuersationis mirificè humilitatis, obedientiæ, & caritatis erga infirmos specimen dedit, qui Romæ 15. Kal. Iun. 1597. professus est; indeque Genuam transmissus a Patre Fundatore fuit, vt illi domus nouiter erectæ auxilio esset, ibique à præfecto in popina applicitus mirabili patientia, & caritate illud onus per aliquod non exiguum tempus pertulit, & quoniam præter labores, locus Culinæ valde sinister nocebat, & malignè; vnde exhumectatione, fumoq; qui nimium ibi redundabat prorsus cæcus euasit: quamuis luce corporea, & huius visibilis solis fruitione careret, interna tamen nequaquam priuus extitit, mente illud æternum lumen, quamsæpissime contemplans, Sacramentorum item participem fieri sedulo curauit, in priuatione luminis oculorum perinde atq; Sanctissimus Tobias Deo iugiter gratias egit. Vnde post tot ærumnas tempus à bonorum omnium largitore recipiendi mercedem properauit, hinc grauiter

ar-

ardenti febre correptus eſt Menſe Octobris 1598. quare communitus Eccleſiaſticis Sacramentis vita, ſeu potius morte caruit; conditus eſt in templo Sanctiſſimæ Virginis Annunciatæ Maioris Hoſpitalis Genuæ.

De Patre Dominico Sorrentino.

6 PAter Dominicus Sorrentinus Neapolitanus dum Mediolani diuerſaretur ſingulis annis ab apoſtemate intra illius os oborto valde moleſtabatur, parte faciei ſiniſtra admodum intumeſcente, illuc Pater Camillus, contendit, & vt conſueuerat; dimiſſis omnibus negotijs, & proprij corporis refectione primitus valetudinarium noſtræ domus petiuit; vbi eumdemmet Patrem Dominicum adinuenit, qui Patri noſtro protinus morbum protulit, à quo admodum angebatur, lepide eius mæſtitiam corrigens Camillus lęto animo eſſe ſuaſit, & eueſtigio læſam partem tetigit, ſignauitque ſigno noſtræ Redemptionis; illico erupit apoſtema; nō ſecuſac ab acuto ferro ſecta fuerit, totumque pus extra euaſit, tumorque euanuit; neque poſthac ſimilem perpeſſus eſt morbum, vnde bina adeptus eſt beneficia, vnum ab imminente morbo eripi, & alterum in futurum ab eo tutum omnino reddi.

Lib. 3. c. 28.

P. Dominicus Sorrentinus ab ægritudine eripitur per merita P. Camilli.

7 Tempore Summi Pontificatus Clementis PP. Octaui præſenti anno defluente, Tyberis aquæ adeo ex creuere, vt pene totam Romam inundauerint maxima cum illius Vrbis bonorum, & perſonarum iactura; ea tempeſtate ſeruus Dei Camillus intra Hoſpitale Sancti Spiritus circa miniſteria infirmorum ſe exercens morabatur qui Domi Magiſtro, præſentiens ruinam, aſſeruit tutos non eſſe eo in loco infirmos, ſed altiori in parte collocandos eſſe, qui confeſtim obtemperauit, illoſque conſtituit in minori valetudinario, ſitus loci circa quatuor palmos ſublimior; at Cam. rurſus inſtitit, altitudinē illam nō ſatis eſſe, nec contutari poſſe ibi ægros præmonuit Hoſpitij æconomum; quandoquidem vnda valde ſublimior erat aſcenſura; quocirca Noſocomij præfectus Camilli ſermoni fidē præſtans, & ſi aliqua cū diſplicentia ob labores amouendi tot ægros, qui ad numerum pertingebant bis centum, omnes per integram noctem ad altitudinem nobilium cubiculorum iuſſit adduci, ibique ęgros cubare effecit, Cœnaculum ſane longe eminentius in dicto Hoſpitali; etenim aquæ duodecim palmis altiores dicto Noſocomio, vbi decubuerant ægri ſe eleuarunt, res præter humanam expectationem, nec ad ea vſque tempora adeo ſe erexerat Tyberis: tantum enim abfuit, vt ſi Hoſpitalis præfectus Camilli conſilijs non acquieuiſſet, omnes ſimul ægroti immerſi perijſſēt in aquis, qui vnanimi, vnaque voce grates Patri Camillo Dei Seruo ob tanti operis beneficentiam retulere, & à Summo Remuneratore amplam implorabant pro eo mercedem.

8 Veruntamen ſtetit ne otioſus Camillus? & ea laborioſa, & lacrymabili nocte an dormitauit? aut famulis iura dabat, vel iurgia præcipiendo excitabat? neutiquam; & quamuis ipſe propter ſuas ægritudines maxime ob vlcera, quibus aſperrime in tibiarum fronte affligebatur acriter dilaniaretur adiumento potius indigeret, quam alijs leuamen afferre, ſed caritas non quærit, quæ ſua ſunt, at omnia ſuſtinet. Per totam noctem ſuccinctus indefeſſe laborauit a fronte nempe ad lumbos vſque inſudauit, & lumborum tenus aqua maduit, & limo ſæuientis fluminis; Quaſi nouus Atlas quem fingunt Cœlum ſcapulis fulcire, Camillus nāq; quot pauperes ſuper humeros duxit, toties Cæleſtiū

1599. Orbium rectorem, ac moderatorem ducere non immerito arbitrabatur in suis ægris: exportatis itaque infirmis, qui excedebant numerum ducentorum (vt supra relatum est) alteri se applicuit Camillus oneri, culcitras, stramenta, scamna, tabulas, linteos, lecti operimenta, puluinaria, vasa etiam immunda proprio labore, ac manibus baiulauit, quoad vsque permisit annis, qui repente, vt tortuosus coluber per Vrbem se extendens cunctis mortem interminabatur, omnia infra se subuertens, altaque ædificia diruens, vndique lamentum, & luctum, mortes, & damna linquens, sed inter tot deuastationes suorum pauperum Deus misertus est, per seruum suum Camillum lethi immunes reddens, & cuiusque discriminis.

Anno Domini 1599. Religionis nono. Cogitur secundum Generale Capitulum, quæ in eo sese obtulere immiscentur Florentiæ. Ferrariæ, ac Messanæ nouæ domus formantur.

Celebratur secundũ Generale Capitulum.

1 PRæsentis secundi Capituli Generalis coactio, sollemniter, ac dignior reliquis, qui hucusque habitæ sunt, æstimatur, tum auctoritate, & grauitate personarum, quæ interfuere, tum rerũ tractandarũ, tum quia in ea regulę Constitutiones, & Canones pœnitentiales constabilita sunt; præsidens in ea Pater Camillus Fundator, Diffinitores autem Pater Blasius Opertis, & Pater Sanctius Cicatelli, interfuit etiam P. Cęsar Bonina, P. vero Marcellus Mantius Secretarius extitere, prætermissis compluribus alijs Patribus, tum Romæ electis, quam ex alijs domibus eo confluentibus, quos referre nulla cogit ratio, siue necessitas, vel vtilitas, ipsamet Congregatio, seu comitia (vt appellamus) exordia susceperunt iv. Id. Maij; finem vero xvj. Kal. Sept. labente eodem anno viderunt.

2 Inter hæc comitia Pater Camillus ardens desiderio arctius seruiendi Infirmis in Hospitalibus, vt Mediolani introduxerat; per assiduam cohabitationẽ, rursus hoc proponere suscitauit; non enim altercatio circa essentialia ministeria Infirmorum versabatur, & lis (vt sæpe à me accepistis) in hoc enim citra dubium assentiebantur omnes, nec vsquã, vt controuersum tentatũ fuerat, hic sane nodus à P. Camillo excitatus insolutus permansit, quoadusque per nouã Bullam (vt infra subnectetur) silentium datum est. In huius Generalis Capituli Congregationibus præter multa, quæ in libris decretorum Romæ exarata continentur indictum apparet.

Per nouam Cõstitutionem indicitur, quod ministerium sit exhibẽdum infirmis.

3 Quod omnes Patres, ac Fratres tam Sacerdotes, quam Clerici Studentes, vel Laici nemine excepto tam professi, quam Nouitij teneantur in Hospitalibus seruire infirmis, quoad ministeria corporis, nimirum detergere linguam, assistere in eorum mensis, cibos in os suggerendo: sitientibus ora colluere, & refrigeria aquæ tribuere, præterea ipsorum lectos sternere, atque frigida

calefacere cubilia, excubiasque pe agere, debilioribus opem ferre; vt se erigant, atque cubant in lectis: hæc, & persimilia nostri factitent, quemadmodum in Sancti Spiritus Nosocomio operari consuescimus. Maiori item ratione in cura, ac spirituali ministerio incumbant, nempe infirmos disponant, & erudiant, vt bene, digneque suscipiant Sacramenta, quæ ipsi administrent; dimicantibus autem in vltimo exitus animæ conflictu omni attentione, atque conatu inuigilent; pro illis à Domino auxilium implorando, donec animam suo restituerint Creatori, & hæc omni cum debita caritate exsoluant, quorum sollemne votum emisimus.

4 Et quoniam nonnulli Patres Superiores adeo consupta pallia, & tunicas, aliaque indumenta vestiebant, perquam vetusta, vt moderationem super hac re imponi opus fuerit, præsertim Pater Camillus induci nequibat, vt aliquando noua veste contegeretur; in septima itaque Congregatione xv. Kal. Iulij habita decretum fuit, vt Pręfectorum Consultores omni vigilantia peragant ipsis Pręfectis, ac Superioribus prouideri de omni, & qualibet opus habuerint re, cum dedeceat necessaria se præstare subditis, ipsos vero necessarijs vestimentorum subsidijs carere.

A Cõsultoribus Superiorũ rebus necessarijs debent ipsimet Præfecti prouideri.

5 Demum post acta decreta faciendorum, atque obseruandorum per sanum, maturumque scrutinium, ad Consultorum electionem peruentum fuit; hi promoti sunt Pater Blasius Opertis, qui prior professus fuerat, postea Pater Sanctius Cicatelli, ambo Generalatus posthac decorati sunt onere, Frater Octauianus Varianus Romanus, & Fr. Cromatius de Martino Neapolitanus, qui ambo elapso eorum munere, virtute Bullæ Gregorianæ ad Sacerdotalem Caratherem deuenere, electus est arbiter Pater Franciscus Propheta.

Nomina secundorũ Cõsultorum.

6 Dum acta præsentium comitiorum examinarentur, ab Admodum Illustri, ac Reuerendissimo Domino Tarugi tum Sancti Spiritus Commendatore paulo post Archiepiscopo Pisano expositum fuit, ab Sanctitate Domini nostri Clementis Octaui requiri quindecim ex Patribus nostris destinandis Augustam Taurinorum, vbi grauis debaccari cœperat pestilentia, cum fuerit super hoc ab Oratoribus nomine illius Ducis suppliciter, ac instanter requisita sua Sanctitas; Huiusmodi nuntius summo gaudio exceptus est; quasi festiuissima, & non mæsta referens, non tantum à Patribus comitiorum, & his, qui Romæ tunc aderant, procũbentibus singulis ante pedes Patris Generalis, non absque ipsius lætitia, totiusque Capituli, quisque vnum esse huius missionis participem, perurgebat, res profecto dignissima omni iubilo, tot cernuos cõtueri Religiosos, qui ad mortem ire contendebant, & gaudebant, & quisquam ne à socio Corona Martyrio Germana præraperetur, certabat; verum cum per alias Religionis domos se huiusmodi negotium diffamari cæperit, epistolæ vndique à nostris missę susceptæ legebantur, nolentes vnum alteri postponi, quisquis ingens lucrum putans in hac pestilentiæ arrepta occasione vita præsenti spoliari, statimatque Religio memoratum quindecim promiscue Patrum, ac Fratrum numerum delegerat; rursus destinatus nuntius domum nostram venit referens non oportere amplius eam fieri Patrum illuc trasmissionem; eo tunc satisfuit Domino suos milites paratos habere, vt eorum optima immortalibus laureis retribueret desideria; hanc etiam nostrorum paratam, promptamque voluntatem illuc pergendi, vt agnouit mente hilari pꝫsensit, commendauitque Summus Pastor Clemens PP. Octauus. Iam enim desierat pestilentiæ vis, & Christianissimus Francorum Rex Enricus Quartus

Destinantur ex nostris aliqui ire seruitum pestilẽtia captis.

1599\. illi duci acre bellum indixerat, ob ius Salinarum, nitens sibi eas vẽdicare; qui bellorum motus summa prudentia, & auctoritate Petri Aldobrandini Cardinalis, & nepotis Clem. 8. Fælicis recordationis compositi, ac omnino sedati fuere. Veruntamen non est silentio dignus, generosus, & ardens Patris Generalis animus, qui præ omnibus, posthabitis negotijs Capituli, in illum pestis feruorem primus intrare contenderat.

25\. ex nostris Romam petunt causa studiorum.

Interea dum celebrarentur acta huius Capituli jx. Kal. Aug. inter magnos calores Neapoli Romam intra duos phaselos (seu vt dicunt filucas) quinque, & viginti nostrorum Studentium se contulere, imprudenter iuuenili impetu ducti, vt causam Studiorum agerent, intellecta totius Capituli, & Patris Camilli integra mente promouendos esse ad studia, dimissi sunt iterum Neapolim, quorum maior pars vitam cum morte mutauit. 7

De Fratre Ioanne Baptista Barberio.

FRater Ioannes Baptista Barberius Montis Ferrati professus, quamuis tũc temporis Neapoli studijs operam daret, quando nempe studiorum causa alij Romam petiuerunt, ipse vero secum ire renuit; Medicinæ facultati Laicus studuerat; eiusdemque disciplinæ cursum peregerat, adolescens raris decoratus virtutibus, magnæ fuit expectationis, verum ob assiduos labores, & vigilias, quas, inseruiendo præmemoratis adolescentibus sibi in studijs socijs amanter, impenderat; eo labore pretiosam caritatis Gemmam sibi comparans cessit è vita jv. Kal. Sept. stant ossa condita in Ecclesia Sanctæ Mariæ Portæ Cœli Neapoli, cuius spiritum Cœlo potiri credimus: recepit satis piè sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta. 8

Duo Patres Iberiam petunt causa ibi figendi loca Religionis.

EExcellentia, & necessitas instituti viam sibi adaperuit non tantum intra Italiæ limites, verũ extra, nã plures litteræ ex Hispaniarum Regnis Romã missæ peruenerunt, vt ibi aliquot Religionis domus erigerentur, quo transierunt Pater Cæsar Bonina, de quo antea aliqua recensui, & Pater Dionysius Nauarra Hispanus, qui in Hospitali Sancti Iacobi Hispanorum Neapoli, dum ibi maximus infirmorum eiusdem gentis concursus ardentissimis febribus captus detineretur, his tamquam filijs iugiter inseruiendo, Sacramenta administrando, opera item plurima corporalia obeundo, & moribundos confortando, grauiter ægrotauit, feliciterque diem obijt in eodem Nosocomio, intra nostrorum tamen ibi consistens domicilium, quandoquidem malignitas morbi, & dissinteria, qua laborabat, ipsum non permisit domum nostram posse transferri, mortuus tamen, ductus, sepultusq; est in Ecclesia nostrorũ Sanctæ Mariæ Portæ Cæli, noctu eum inde subleuarunt; vrgebat enim suspicio nolle ipsum Dominos Nosocomij Gubernatores illinc extrahi, habebant enim illum magna veneratione; decoratus Ecclasiæ Sacramentis quieuit in Domino iam æuo maturus Anno salutis 1617. amictus est habitu 1594. conuersatusque est satis honeste, & sine quærelis in Congregatione, habitusque est notanter à suæ nationis gente magno honore, ac deuotione. Sed vnde exiuimus regrediamur. Hi duo Patres dum per Iberiæ Regna commearent, vt Regem adirent, in quasdam pene incurabiles ægritudines incidentes. iterum 9

De obitu P. Dionysij Hispani.

Ro-

1599.

Romam proficiſci coacti ſunt; ex ea occaſione, & impedimento Pater Generalis, & Conſultores ſanius putauerunt deberi prius Religionem in Italia ſtabiliri, & poſtmodum extra propagari; ſæpius enim Pater noſter Camillus voluit eo contendere, & propria perſona ibi noſtrum inſtitutum figere, eis in Regnis non modice neceſſarium, ſed præpeditus eſt à Patribus Generalis noſtræ Conſultæ, qui infirma ſalute cum laboraret, fore vt Romam non amplius regrederetur, arbitrabantur.

10 Ab Eminentiſſimo itidem Cardinale Ioioſſa expetitum eſt noſtrorum nonnullos in Galliam deſtinandos, Toloſam ſpeciatim ſui Archiepiſcopatus ſedem, ſed eaſdem ob rationes id negotium fundationis dilatum eſt; ſeſe Patres eximerunt ab eo, aſſerendo, tunc ob ſubditorum inopiam impoſſibile fore eius annuere voluntati; itaque ſub ſpe illi complacendi, cum Religio nimirum maiorem nacta fuerit idoneorum Patrum copiam; ſatis illi fecere.

Expetuntur noſtri Galliã fũdatum adire.

Florentiæ noua Domus conſtruitur.

11 PEr Italiæ loca feruentes etiam efferebantur epiſtolę Admodum Patri Generali, totæq; Cõſultæ directæ, vt diuerſis in Ciuitatibus nouæ domus inſtituerentur. Menſe Octobris Pater Adrianus Barra probatæ virtutis Sacerdos Patria Salernitanus, vna, & tres alij ſodales Florentiam miſſi ſunt; quibus à Domino Rodulpho Baldo, interueniente auctoritate Eminentiſſimi Cardinalis Medici, qui poſtmodum Summus Pontifex creatus Leonis XI. nomen habuit, ac Sereniſſimi Ferdinandi Magni Ducis tertij conſenſu, & placito domũ, & Eccleſiam Sancti Gregorij conceſſam obtinuere ſitam prope Pontem Rubacontem nuncupatum conſpicuè in nobili, ac ampla planitie conſtructam, vbi noſtri nonnullas ædes nouiter, ac maguificè ædificarunt.

12 Inibi, paulo poſt Bullam à Clemente Papa 8. obtentam, quippe 1601. Hoſpitale Sanctiſſimæ Virginis Nouæ noſtri ſuſcepere, vbi iugiter ex Patribus promiſcue, ac Fratribus triginta incolebant, operibus ſpiritualibus infirmorũ, ac temporalibns (vt ſæpe recenſui) inuigilando, at quoniam huiuſmodi onus ſupra Religionis vires quodammodo ſuſceptum tenebatur, non tantum ob ingentem noſtrorum numerum, verum etiam ob aſſiduas Patrum valitudines, ac interitus in hiſce locis ſæpe occurrentes, hinc deerat vnde noui Religioſi ſubſtituerentur, tum quia Hoſpitalis quidam Miniſtri in vanam deuenerant ſuſpicionem nos ambire Noſocomij temporalem adminiſtrationem, id enim nunquam Religio ſomniauit, quod omnino abhorret, & expreſſe voto noſtro repugnat, perinde eſſet intentare hoc, ac prorſus noſtrum euertere inſtitutũ, propter huiuſmodi, aliaſque animaduerſiones Pater Camillus iugem in Hoſpitale incolatum deſerere coarctatus eſt Anno Domini 1606. Cum ab eo aſſiduo incolatu noſtros abſtraxiſſet expertus eſt Pater Camillus præſentaneam quadam in neceſſitate diuinam protectionem.

Suſcipitur cõtinua habitatio in Hoſpitali S. Mariæ Nouę Florentiæ.

Deſeritur ſupra dictum onus.

13 Defluebat enim Menſis Nouembris, & Hiberna tempora iam ſe diſpoſuerant per frequentes pluuias, domus autem noſtra tam ingentem familiam ſuſtinere nequibat; quæ intra Hoſpitale immorans ab ipſomet alimenta ſuſceperat, quapropter opus erat per varias Religionis domos diſpertiri; attamen vnde rebus neceſſarijs prouideret, ac viatico, via, vel modus nullus ei patebat, remanſerat ſolummodo diuina ſpes, vel protectio, quæ proculdubio Camillum comitata eſt; cui innixus eam opperiebatur. Dum enim quemdam domus noſtræ per familiarem, ac perdeuotum Benefactorem Medicum Phiſicum Seruus Dei Camillus alloqueretur, virum equidem virtute, ac pruden-

1599.

tia clarum, qui nomen acceperat Christofarus Octonarius, ad hæc singula interfuit, viditque, vnaque cum iuramento testatus est. Itaque dum ipse, & Pater Camillus confabularentur, grauique mœstitia Pater premeretur caussa suos prouidendi Religiosos, vt inde discederent, perque alias Religionis ædes se conferrent, priusquam acer hyems, & asperior succederet. Interim Ostij Campanulam tinnire intellexerunt, ianitor autem ipsum Patrem nostrũ efflagitari in ianua retulit, qua intromissa persona seorsim ad aures Camillum verba suggessit, petendo ab eo mœstitiæ caliginem, & vnde subortam inualuisset, subdidit autem Camillus, se inde maximopere molestia affici; quomodo quippe tot Patribus, ac Religionis tyronibus subsidia, & viaticum pararet, vt alio commigrarent, cui peregrinus, sic ex forma exteriori esse indicabat, hilari voce, ac vultu, æquo animo esto ait, quamcito subleuaberis, qua pecuniarum summa subiecit, indiges, trecentum aurei exiguntur respondit Camillus, vt instantibus, & vrgentibus necessitatibus mederi queã, aduena inde digressus, mox rediturus, dixit, qui statim reuersus marsupiũ manu continens trecentorum auros includens Seruo Dei porrexit, cape inquit, quam tibi immittit Dominus benedictionem, Deoque refer grates, hinc eminus euasit, nec vltra intuitus, aut cognitus est, quem tamquam Dei Angelum existimauerunt, genuflexus Camillus plorans Diuinæ Bonitati immortales egit grates, proinde satis abunde suis alumnis alimenta, atque viaticum suppetiere, quisque in proprium, destinatumque ex obedientia domicilium proficiscens, Camillus autem illinc perpaucis dilapsis diebus secessit.

Experitur diuinam Prouidentiã Camillus.

In vita P. Camilli c. 11 typis emissa

De erectione domus Ferrariensis, ac P. Petro Barbarossa.

14

PER id temporis spatium Pater Petrus Barbarossa ex Prouincia Narbonensi destinatus est ire erectum Ferrariæ Domum. Hic enim Pater duos alios habuit Germanos, qui omnes in Congregationem recepti sunt Anno 1587. Vnus nomine Antonius vj. Id. Iulij, & alter Petrus Kal. Augusti, tertius vero Henricus Nonis Settembris, & quemadmodum sanguine Fratres, & Religione, ita pariter virtute obstricti, quam maximopere coluere. Petrus vero, cuius presens sermo meminit ab illustrissimo Domino Ferrariensi Antistite Fontana præcellenti bonitate præsule per aliquod exiguum tempus habitationem obtinuit in Diuæ Anne Xenodochio; inde Ecclesia Diuæ Mariæ (quam appellant Madonninam) & ædes adiacentes concessæ fuere; prope, sed intra menia Ciuitatis, at 1602. iuge onus habitationis intra Hospitale suscepere, vbi quatuordecim ex nostris continuo labore in operibus spiritualibus, ac temporalibus ægris famulati sunt (vt plusquam semel relatum est) circiter vero annum 1618. ob subditorum inopiam, quos idem locus Hospitalis diuersis temporibus morte vorauerat; aliasque supramemoratas rationes iugem in eo habitationem deseruere, perseuerantes tantumdem in consuetis Nosocomij visitationibus; inter huius domus exordia præfatus Pater Petrus in restaurandis, ac construendis ædificijs multum, & assiduo defatigauit suggerens cœmenta constructoribus, & alia peragens humilitatis exercitia, & laboriosa opera, licet vero esset ceteris prælatus, qui ad gradum vsq; Prouincialatus ob suæ virtutis merita assumptus fuerat, nullum dedignatus est sibi exhibere, quamuis humillimum ministerium, patinas, & caccabos, & ollas in popina, & immunda etiam ægrotorum loca, & vasa mundare proprijs

Fũdatio instituitur Ferrariæ.

De P. Petro Barbarossa.

ma-

1599.

manibus non exhorruit. Duobus quidem alis in via Dei volauit oratione inquam, in qua valde addictus fuit, & dilectione præſertim erga infirmos, eis non tantum ore fauit, & mauu, verum conquiſitis à locupletibus viris, & matronis nummis, atque cibis, illis ſuppeditauit, qui neceſſitate proprijs in domibus, vel in Noſocomijs grauabantur, fuit vehementer eidem Illuſtriſſimo Domino Ferrarienſi Epiſcopo dilectus, & nimia familiaritate vinctus, à quo aſſiduis adiutus eſt eleemoſynis, ac protectione fotus in omni, ab eo perquiſito negotio. Qui demum Anno 1625. poſt ſuſcepta Sacramenta Eccleſiaſtica in Ciuitate Theatinenſi; cum præfecti officio fungeretur, ex hac ad meliorem tranſijt, vt putamus, Cœlorum manſionem.

15 Operæ pretium eſt quemdam euentum recenſere his initijs contingentem in ſupramemorato Noſocomio Ferrariæ. Cũ æger eodemmet in Xenodochio é vita migraſſet, in cœmeterio, vbi reliqui demortui, tumulatus eſt; mane inde prætereuntes Patres pedem, ac totam tibiam ſupra tellurem eleuatam reperere, vnde admirantes ſuper hoc cadauerum portitores monitos fecere, qui iterũ defoſſa humo obtexerunt detectam Tibiam accurate, id ipſum mane poſtero, atque tertio die ſpectaculum contuiti ſunt, quamuis magna cauthela tertio die ſuperimpoſitus fuerit ingens telluris cumulus, attamen ſemel, bis, & tertia vice prorſus eleuatus iacuit totus pes, & crus: vnde Patres pia quadam curioſitate matrem defuncti accerſiri ſtuduere, à qua intellexere adoleſcentem ſibi fuiſſe admodum rebellem, quam interdum opprobrijs laceſſiuerat, & verberibus, paucisq; ab hinc diebus eo pede illam impetiuerat, ac proinde cauſam percipientes, cur abstellure repulſus prorſus delinquentis ſit pes, quę quaſi vniuerſalis parens ab ſe nihil excludit, ſed confouet cuncta; rogarunt denique parentẽ, vt illum benedicendo, noxam condonaret; itaque genibus procumbens de Cœlo à Domino implorauit pro nato benedictionem, ſuamque impertiuit, & omnem contra ſe commiſſum facinus relaxauit, depræcataq; eſt Dominũ, & miſerationum Patrem, vt ei parceret, indeq; abſceſſit, iterumque ſub tellure conditus eſt pes, totaque tibia, poſthac minime nec aliqua etiam in parte detecta apparuit, reſiditqne ſuo in loco.

Defũctiinobediẽtis pedem reſpuit tellus.

Lib. 2. c. 6.

Meſſanæ Domus erigitur.

16 V Id. Decemb. decurrentis anni Pater Franciſcus Antonius Niglius, & Pater Io. Antonius Aluina tum Diaconus Neapolideceſſere, vt Domũ Panormi erigerent, ſupremis vero Mẽſis illius diebus Meſſanæ portum primitus appulere; viſique ab Illuſtriſſimo Vrbis illius Senatu vocati ſunt, & cum de noſtro inſtituto commoneſactus ſit, illos pia coactione detinuit, ne illinc proficiſcerentur, ſed Domum ſuæ Religionis inibi figerent; epiſtolas interim ad Patrem Camillum direxere, dum enim epiſtolarum reſponſa expectarentur; Dominus Iacobus Gallus Neapolit. potens in iure prudentię, ac pręcipuus huius facultatis in ea Vrbe Lector, humaniter, ac peramanter dierum quadraginta ſpatio eos hoſpitatus eſt, quamuis renuentibus nonnullis perilluſtribus Ciuitatis perſonis, qui ſecum hoſpitari Patres maluiſſent, interim obtẽpta eſt facultas ibi domum erigendi; hinc ædem in via, quam vulgus dicit Cellatoris (vbi hodie eſt in conſpectu recens Eccleſia Sanctiſſimæ Annuntiatæ Reuerendorum Patrum Theatinorum) conduxere, & in ea ex quadam inferiori parte paruam Eccleſiam compoſuere, vbi ſacra peragebant, & fiedliũ confeſſiones auſcultabant, ac magnis interim laboribus ſui inſtituti miniſteria,

Hoſpitalitas Domini Iacobi Galli.

die-

1599. dieque, noctuque obibant per domos priuatas omni personarum generi in extremis vitæ certaminibus consistenti; & intus Hospitale, (quod ea in Vrbe magnifice constructum inspicitur) ęgris opitulando ministrabant; postmodum die siquidem sacrosanctæ, atque indiuiduæ Trinitatis anni 1600. eo tresdecim promiscue ex nostris Patribus, ac Fratribus Neapoli peruenere: in his iamdictis ædibus quasi per annum subsedere; propterea quod ea satis incommoda, & perangusta tot numerosæ familię reddebatur ædes, illam deseruere, & in alias opportuniores, commodioresq; commigrarunt, iuxta viam, seu planitiem peramplam fabrorum aurariorum, & prope officinas serici mercatorum. Vbi itidem annis binis, & quatuor diuersati sunt; erant præterea ibi Ecclesia nomine Sanctus Petrillus, & ædes admodum exigua; quare arrepta occasione, & protectione Illustrissimi Antistitis, & Senatus, interiecta tamē dispensatione Apostolica anno 1605. in Ecclesiam Parochialem sub vocabulo D. Petri vnam ex magnificentioribus Vrbis illius, transiere; vnde nostri templum hic habent satis idoneum, atque domicilium cum atrio, seu paruo pomario: in maiori autē Ecclesiæ Altare cernitur pręgrandis imago historiam exprimens Saluatoris euocantis à tumulo Lazarum affabre delineatam per manus Michaelis Angeli Carauagi, in qua profecto sui penicilli vis, & excellētia patet; in ea ꝓfecto tela, & se merifice celebrat, & artē extollit, & est quidem vna ex telis dignioribus ea in Vrbe visu, immo toto Regno. Situs vero loci conspicuus, & apricus, ac proximus iam dictæ Ecclesiæ Sancti Petrilli, Ecclesia ornatur præclara plantie, multis itidem palatijs circumadiacentibus, vbi vel primiores Ciuitatis viri, vel prædiuites mercatores incolunt. Nostri vero decorati insuper sunt ab Illustrissimo Senatu pro ea vice tantum aureis termille, alijsque vicissim pro occurrentibus domus illius occasionibus pinquibus eleemosynis; item redditibus pro Nouitiorum alimentis non mediocribus suffulti sunt, quibus modo fruantur.

17 Inter exordia erectionis huius domus accidit, ex nostris Patribus duos, a quodam fuisse vocatos pistore, vt suum mancipium alloquerentur, quod ad interitum decurrebat in lecto iacens, & obdurato corde in secta perfidi Mahumetti perire elegerat potius, quam Catholicam Fidem suscipiendo saluari. Libenter adiere Patres; Turcæ illius, conuersionis anchoram in Domino relaxantes, quamuis à principio acerbo animo incliuaretur seruus ad eorum auscultandum sermonem, illos depellens, attamen Deo excitante, atque miserente postmodū edisserit se velle S. Baptismatis lauacro expiari, atque exclamauit, quam maximum est hoc opus, & sane non incongrue id protulit: etenim excogitari maius nequit ex odio, vtpote Dei, & æternorum, in Diuinam transire dilectionem; seruus itaque, qui prius fuerat diaboli, postea baptizatus Dei Filius euadens, satisq; bene dispositus decessit, communitus tamen sibi conuenientium in eo statu Sacramentorum præsidio.

18 Anno vero 1601. cum illuc adijsset Pater Camillus, & penes incolas Vrbis eius aduentus fama diuagaretur, omnes, cuiusque generis, & conditionis, & status, atque ętatis personæ, ac sexus ad eum conflebant vestes, ac manus deosculantes, & alia humilitatis, ac venerationis signa exhibentes illum magnopere reuerebantur, asseuerando post aduentum Diui Francisci de Paula in eam Vrbem neminem alium Religionis fundatorem fuisse intuitos. Sed ad nouum annum, nouamque rerum intelligentiam me vocat scriptionis defatigatio.

Annus Domini 1600. Religionis Decimus. Ab Sanctitate Clem. PP. Octaui Nouæ litteræ emanāt. Domus Panormi construitur. Occurritur pestilentiæ Nolanæ. Notanter agitur de Fr. Iacobo Antonio de Meo,

1 HOC tempore Sanctissimi Iubilei Anni Sancti,& tertius iam recurrit ad ętatem Patris Camilli: in primo siquidem in hanc lucem ex materno vtero edidit, in secūdo pœnitentia in Vrbe Manfredoniæ renatus est (vt supra commemoraui) in hoc autem Religionis controuersijs erga perpetuum in Hospitali incolatū finis, & silentium imponitur per nouæ Bullæ emanatione.

Facit Dominus cum tentatione prouentum; permisit enim Diuina Maestas hanc opinionum discrepantiam circa modum exercendi perpetuo intra Hospitale institutum, vt per interiectam Clementinam Bullam omni ex parte huic sedatum esset controuersiæ, & nonnullis alijs subortis, siue ex Bulla Gregoriana, siue ex alio capite prouenientibus: inde vniuersalis pax Religioni imponeretur, & lux post aliquot nebulas, & voluntatum digladiationē sequeretur, quæ profecto quemadmodū absq; Creatoris offensa cæpit ita quieuit, omnes enim equis, ac prudentibus rationibus duci putabant; Admodum in hac turbinum tempestate iuuit auctoritas Domini Antonij Senecæ prælati, postmodum Episcopi Anagninensis viri siquidem magna prudentia, eruditione, ac virtute, deque Religione benemeriti, qui nō parum ad condendam nouam Bullam verum ad edendas recentes constitutiones profuit, requisitus tamen fuit ad hunc effectum per PP. ab Sanctitate Clementis 8. vt claret per infrasciptam supplicationem.

Sedatio oritur ex noua Bulla

2 Patrum ministrantium infirmis Generalis, & Consultores Sanctitatem vestram suppliciter orant, vt dignetur Dominum Antonium Senecā eis concedere; qui sicut magno cum sui labore diligentia, prouidentiaque operatus est, vt eorum institutum stabilitate magis firmaretur totius Congregationis cum lætitia, paceque, cum id negotium difficillimum extiterit, ita pro maiori eiusdem instituti firmitate, reliquum constitutionum tenorem recognoscat, ac scrutetur, constitutionesque habitas in capitulo,& decreta moderetur, alia denuo formet, vt sibi visum fuerit, remedia itidem rebus iam editis, atque edendis in posterum adhibeat, interposita suæ Beatitudinis auctoritate, ac facultate, agnoscentes ijdem supplicantes; eumdem Dominum Antonium virum esse à Deo immissum, vt eorum consuleret Religioni, promens quasi miraculosos effectus, quapropter perpetuo obligationis vinculo obnoxij Sanctitati vestræ subijcient, & ita obsecrant, vt Deus &c.

Intercedit auctoritas prçlati Antonij Senecę

3 Camillus de Lellis Gen. Fundat. Blasius Opertis Consultor, Sanctius Cicatelli Cōsultor, Octauianus Varianus Cūsultor, Chromatius de Martino Cons.

1600.

4

His adiectis mediis, ac modificationibus prorsus mare tranquille quieuit, rebus difficilibus facilis adinuenta est via, obscuris claritas, & dubijs certitudo, & occlusus est aditus humani generis hosti Zizania serendi: Hinc Sanctissimus Parer, ac Pastor vniuersalis Ecclesiæ Clemens Octauus, qui vnice erga institutum nostrum afficiebatur, litteras Apostolicas concessit, facta prius actorum, ac obseruandorum reuisione, & consultatione per Eminentissimum Cardinalem Baronium, ac Saluiatū Religionis nostri Protectorē: itaque post diuturnum examen, ac maturam Consultationem Apostolicæ traditiones, ac rescripta cuncta resecarunt, prorsusq; contriuere inuidi hostis dentes: etenim quamuis Hospitalis incolatus admissus sit, appositis tamen aliquibus cōditionibus, ac limitationibus, & clausulis; nominatim cautum fuit, non in Hospitalis perpetua commoratione, vt semper intellexit ipsimet P. Camillus, vniuersaque Religio, instituti essentiam sitam esse, sed simpliciter, & absolutè in ministerio infirmorum, abstrahendo ab hoc, vel illo loco, ab his, vel alijs personis: ita pariter circa paupertatis votum ad professorum domos coarctatum est; multaque quoad Nouitiorum educationem, pluraque ad priuilegia spectantia in ea complectuntur, & alia ponderatione digna, penes eamdem Bullam à volente videri queunt, his itaque ordinationibus, modificationibus, ac temperamentis, & Reuerendissimo Patri Generali, totique Religioni datum est satis. Bullæ autem emanatio signatur sub v. Kal. Ian. *1600*. Anno memorabili celeberrimi Iubilei Anni Sancti. Faxit Deus, vt eiusdē Pontificis rescripti absoluta obseruatio nos omnino compræhendat ad Dei summi laudem, proximorum emolumenta, nostrorumque omnium spirituale crementum, & Religionis posthac per quaslibet Orbis partes, & loca propagationem.



BVL-

1600.

BVLLA S.MI D. N.
D. CLEMENTIS
DIVINA RROVIDENTIA PAPAE VIII.

Approbationis, & confirmationis Statutorum Religionis, Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

SVperna diſpoſitione, cuius inſcrutabili prouidentia ordinationem ſuſcipiunt vniuerſa, ad Apoſtolicæ dignitatis apicem ſublimati, ex debito paſtoralis officij nobis commiſſi, votis illis, quæ ad pauperum Chriſti infirmorum neceſſitates ſubleuandas, ac fælicem progreſſum ad hoc inſtitutarum Congregationum faciunt, libenter annuimus: & quæ propterea per Chriſti fideles piè facta, & ordinata fuerunt, vt firma, perpetua, & illibata perſiſtant, apoſtolico munimine roboramus: aliaſque deſuper diſponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem felicis recordationis Sixtus P. V. certis cauſis adductus ex certa ſua ſcientia Congregationem ſub vocabulo, ſeu nomine Miniſtrantium Infirmis in Vrbe conſtitutam per quaſdam in forma Breuis confectas; & deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XIV. prædeceſſores noſtri cum accepiſſet dilectos filios Camillum de Lellis modernum dictæ Congregationis Præfectum Generalem, & alios eius ſocios ad perficiendam & conſeruandam vnionem dictæ Congregationis quandam viuendi formulam, iuxta ea, quæ ad propoſitum ſibi finem conducere vſu didicerant edidiſſe, dictam viuendi formulam Motu proprio per alias litteras approbauit, prout in ſingulis litteris prædictis; in quibus videlicet dicti Gregorij prædeceſſoris inter alia ſtatutum fuit, quòd paupertas dictæ Congregationis ita interpretaretur, vt Religioſorum eſſet paupertas mendicantium eorum, qui nec ſinguli, nec vniuerſi fructus vllos, ac redditus caperent, quę vero neceſſaria eſſent, ea ex humili exercitio oſtiatim emendicando, vel ex eleemoſynis fidelium eis ſpontè oblatis compararent; præterea totius Congregationis Superioris Pręfecti Generalis officium perpetuum eſſet, quoad uiueret, ac Socios haberet quatuor, qui Conſultores dicerentur, quique pariter officium perpetuum gererent, dum Generalis Præfectus eſſet ſuperſtes; Necnon, quod longè maior eſſe deberet laicorum, quam Sacerdotum numerus,

1600.

ac ij tantum Sacris Ordinibus destinandi essent, quos Præfectus Generalis, & Consultores, vel de eorum licentia alij Superiores, non aptos modò ad ipsos Sacros Ordines, sed etiam ad ministerium dictæ Congregationis, ex constitutionum præscripto, congruentes, ac necessarios iudicarent, plenius continetur. Cum autem sicut accepimus multæ difficultates hactenus circa formulã, & viuendi modum, & præsertim circa ministerium, & seruitium infirmorum, necnon regimen, gubernium, manutentionem, & conseruationem dictæ Cõgregationis ortæ essent, & res multo aliter, atq; putabatur euenisset, & propterea statutis dicti Gregorij prædecessoris, quæ præsentibus expressa sunt derogandum, seu illa, & forsan alia immutanda, seu abroganda in toto, vel parte essent, dilectus filius Magister Antonius Seneca Notarius noster, ac Prælatus Congregationis Reformationis Apostolicæ, cui hoc vniuersum negotium examinandum commisimus, cum dicto Camillo, ac dilectis filijs Blasio Oppertis, & Sanctio Cicatello, ac Octauiano Variano, & Chromatio de Martino Consultoribus generalibus dictæ Congregationis stabilierunt, & nobis retulerunt, seu proposuerunt vnam formam sequentium statutorum, quorum tenor talis est. Cum omnis instituti nostri ratio, posita sit in operibus misericordiæ tàm corporalibus, quam spiritualibus exhibendis: in ijs præcipuè, quę spectant ad ægrotos in Nosocomijs, carceribus, & priuatis ciuium domibus laborantes; in Domino expedire iudicauimus, vt Patres, Fratresque nostri in Nosocomijs (vbi licebit, & commodè fieri poterit iuxta constitutiones edendas) ægrotis tam in spiritualibus, quàm in corporalibus deseruiant, atque in eisdem Nosocomiis dies, noctesque degant, & habitent; tunc vero Superiores nostræ Religionis dabunt operam, vt à Nosocomiorum Gubernatoribus, seu Administratoribus dimittantur alii Sacerdotes, & mercenarii ministri, quo facto, in eorum locum nostri Patres, & Fratres substituantur, vt in Nosocomiis diuersentur, & succedant ad prædicta misericordiæ tàm spiritualia, quam corporalia munera obeunda. Quòd si aliquando illud tempus incideret, (quod Deus auertat) vt ad tollenda delictorum, vel dissensionum semina, quæ ex humana imbecillitate suboriri possunt Sanctitas D. N. perpetuam illam habitationem, & ægrotorum curam, vt supradictum est, in aliquibus, aut in omnibus Nosocomiis remouendam censeret; tum Patres, fratresq; nostri omnino obstricti sint, ac teneantur sui instituti vim incolumem custodire, quæ sita est in eo, vt ægrotis spiritualiter, & corporaliter deseruiant, cum solitis visitationibus, ac excubijs nocturnis, diuturnisque iuxta constitutiones edendas. Vt autem hoc ægrororum spirituale, & corporale seruitium, & ministeriũ constans, & perpetuum sit, ac quemadmodum Religiosos decet illud exequamur, volumus, vt antequam in aliquod Nosocomium nostri ad ægrotis inseruiendum recipiantur, inter alias conditiones, ac pactiones, quæ cum eius loci Gubernatoribus, ac Dominis conueniendæ erunt, illa sit præcipua, ne Patres, Fratresque nostri, qui suam operam circa illius loci ægrotos impendent, aliorum quorumcumque etiam Superiorum, ac Dominorum eorumdem Nosocomiorum, quam Religionis nostræ obedientiæ subiecti sint. Igitur ad nullum laicorum authoritas deferenda est præcipiendi nostris, aut quoquo modo sese ingerendi in ea, quæ pertinere ad personas, ministeriumque nostrorum videbuntur. Quia vero prædictum ministerium, & perpetua nostrorũ in Nosocomijs habitatio non ex nostræ Religionis voluntate, sed ex Dominorum Præsidum, & Gubernatorum externorum authoritate dependet; Id-

Difficultates ortæ in nostra Bulla Greg. xiv.

Derogatio.

Antonius Seneca Pręlatus Congregationis Reformationis Apostolicæ.

Instituti ministeria,

Ad quæ teneantur nostri, si Papa habitationẽ in Nosocomijs remoueret.

Pactiones faciendæ cum Dominis Hospitalium.

circò

circò statuimus, vt si ob eam, quam diximus causam dicti ministerij nostri munus exequi nequiuerimus; nihilominus tamen nostra Religio obstricta teneatur, ac inseruiendi Nosocomiorum ægrotis vtroque misericordiæ ministerio ex instituti nostri obligatione permaneat, vt supra demonstratum est. Omnes, & singuli Patres, fratresque, qui posthac ad habitum, & disciplinam nostrę Religionis admittentur, postquam emiserint illa tria solemnia cęterorum Religiosorum vota, Paupertatis, videiicet, Castitatis, & Obedientiæ, debebunt quartum præterea solemne votum emittere, quo nimirum voto Deo promittant se infirmis, & præcipuè in Nosocomijs degentibus in spiritualibus, & corporalibus necessitatibus seruituros, in quo tanquam in fundamento omnis instituti nostri ratio constituta est: hoc verò quartum votum ęquè volumus omnibus nostris tàm Sacerdotibus, quàm fratribus esse commune: sic, vt omnes qui in hoc Instituto Deo vitam suam dedicare voluerint, huius quarti voti Religione teneantur: eius autem formula erit hæc, quæ sequitur, eamque in Professione facienda singuli pronuntiabunt. Ego N. professionem facio, & promitto Omnipotenti Deo, coram eius Virgine Matre, & vniuersa Cœlesti Curia, ac omnibus circumstantibus, & tibi Admodum Reuerendo Patri Generali Religionis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, locum Dei tenenti, & successoribus tuis, (vel tibi Reuerendo Patri Prouinciali, vel Præfecto talis loci &c. nomine, & vice Præfecti Generalis, & successorum eius locum Dei tenenti) perpetuam Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, & perpetuò inseruire, (quod est præcipuum nostri instituti ministerium) pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, secundum formam viuendi contentam in Literis Apostolicis nostræ Religionis Ministrantium Infirmis, & in eius Constitutionibus tam editis iam, quam in posterum edendis. Lecta professione à nouo Professo, admittens ad professionem dicat; Et ego N. authotitate, qua fungor accepto professionem tuam, & vnio te corpori mistico nostræ Religionis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Vel ego N. nomine, & Vice Reuer. Patris nostri Præfecti Generalis authoritate, qua fungor, accepto professionem tuam, & vnio te corpori mistico nostræ Religionis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Illud præterea statuimus, vt omnes, & singuli Patres, ac Fratres, siue qui nunc in Religione sunt, siue qui in posterum futuri sunt, post quatuor hęc solemnia vota, statim, & immediatè alia, quæ sequuntur simplicia vota emittant, quæ semel suscepta semper obseruent, nec per quemcumq; Iubilæum etiam Anni Sancti à Sanctissimo D. N. concessum, aut concedendum, nec ob causam quamcumque à sequentibus votis simplicibus absolui possint, quæ de more quotannis renouare debebunt eo die, qui Sanctę Crucis Inuentioni sacer est. Primum igitur simplex votum est, quo spondent se nunquam acturos, nulloq; tempore, quantum erit in ipsis assensuros, vt mutetur, vel alteretur præscriptus ægrotis inseruiendi modus in Nosocomijs tam in spiritualibus, quam in corporalibus, vt superius dictum est, nisi iustis de causis fieret, vt validius, & vehementius adstringendus (authoritate tamen Apostolica) videretur. Secundum, se nunquam daturos operam, nulloque modo consensuros, vt redditiuum administrationem, aut Nosocomiorum dominium habeant, atque possideant; quo maiori cum animi puritate se totos in ægrotantium ministerium spirituale, & corporale conuertant. Tertium, se nunquam curaturos, ne indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Religione, &

Quatuor solemnia vota

Formula professionis.

Vota simplicia.

Primum votum simplex

Secundũ votum simplex

Tertium votum simplex

neque acturos, nec quantum in se fuerit consensuros, vt extra Religionem in prælationem aliquam, vel dignitatem eligantur, vel promoueantur, nisi sub pœna peccati à Summo Pontifice coacti. Quartum, singuli promittent se Religioni, vel Consultæ generali manifestaturos, si quem ex nostris scirent aliquid prædictorum duorum prælationem videlicet, seu Dignitatem intrà, vel extrà Religionem curare, seu prætendere. Quoniam verò nostrorum Religiosorum est, cæteris curis prætermissis, propter diuinum dumtaxat amorem, nudo, ac puro ministerio misericordiæ spiritualis, pariter, & corporalis erga ægrotos in Nosocomijs defungi; idcircò ne quandò nostrum hoc institutum conuelli, aut labefactari possit, quod dominorum etiam Gubernatorũ Nosocomiorum omnis suspitio tollatur, decernimus ad validiorem firmitatẽ huius Ordinis obtinendam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cuius absolutio Sedi tantùm Apostolicæ reseruetur, ne quisquam ex nostris Patribus, & Fratribus, siue Generalis sit, siue Consultores, siue Prouincialis, vel quacumque dignitate fungens, siue per se, siue per alios directè, vel indirectè recipere Nosocomiorum dominium, aut ius nullum, vel quamlibet eorum administrationem vectigalium, seu reddituum audeat, vel præsumat, immò quantum erit in ipsis nunquam assentient, vt huiusmodi curæ, vel administrationes à Religione admittantur; cum nudum, ac purum animarum, & corporum ægrotantium ministerium sit tantummodo à nostris amplectendum. Quanquam Sacerdotes ex officio, (quod illorum est proprium) ad Sacramenta Ecclesiæ administranda incumbere debebunt, vtpotè ad ægrotorum confessiones audiendas, ad Sacratissimam Eucharistiam conferendam, ad Extremæ Vnctionis Oleum ægrotantibus adhibendum, ad Sacrum Missarum Sacrificium faciendum, ad mortuos sepulturæ mandandos, & ad agonizantium animas diu, noctuque Deo commendandas; tamen, vt voto satisfaciant, quod corporale, & spirituale ministerium amplectitur, manus etiam ad aliquas corporales misericordiæ functiones afferant, cuiusmodi sunt illæ, ægrotantibus cibum subministrare, pituitosas linguas eorumdem detergere, ora colluere, confouere frigida membra, cæteraque huius generis charitatis officia: conceditur etiam ijsdem Sacerdotibus, (quibus tamen per Superiores licebit,) vt reliqua quoque fratrum ministeria corporalia, quæ eorum propria sunt officia, circa ægrotantium necessitates exercere possint. Item, quoniam ad proprium fratrum officium pertinet infirmis in ministerio corporali seruire, videlicet ęgrotantibus adesse, vigilias, & excubias consuetas peragere nocturnas, atque diurnas, lectulos sternere, mensas escarias apponere, & amouere, cibos, & ferculas deferre, illos cibatu reficere, cibum si sit opus in os inserere, linguas repurgare pituitosas, infirmos attollere subditis si necesse fuerit vlnis, algente calore confouere, medicatas potiones, syrupos, & pharmaca suis temporibus afferre, corporis cauteria curare, Medicos, aut Chirurgos comitari, & cætera id genus officia præstare; vt tamen ipsorum fratrum voto satisfiat, quo ministerium etiam spiritualis misericordiæ continetur (ad quem finem potissimum omnia nostrorum consilia referenda sunt, quandoquidem animarum curatio verus est instituti nostri scopus) ideo fratres ad peccatorum exactam confessionem, & communionem Infirmos præparabunt, eosque ad patientiam, & ad bene moriendum disponent; Præterea quædam alia Sacerdotum propria ministeria, à Superioribus tamen obtenta facultate, præstare poterunt, vti pauperes infirmos Christianam doctrinam docere, eosdem in-

Quartũ votum simplex

Excõicatio Papæ reseruata contra procurantes dominium, vel administrationẽ redituum Hospitalium.

Munera ad quæ ex officio nostri Sacerdotes teneantur erga infirmos,

Ministeriá corporalia, ad quæ ex officio fratres nostri teneantur erga infirmos Hospitalium.

Scopus nostri instituti est curatio animarum.

arti-

articulo potiſſimum mortis ad fidei proteſtationes faciendas hortari, & agonizantium animas Deo commendare, aliaque ſimilia pietatis officia eiſdem impendere. Atque, vt facilius impleatur miniſterium noſtrum, quibus in Noſocomijs, vel propter rei familiaris anguſtias, vel propter aliam quamlibet difficultatem, neceſſarius Patrum, ac Fratrum numerus ad prædicta charitatis officia obeunda ali, & ſuſtentari non poteſt, cum maior numerus noſtrorum eſſe debeat, miniſtrorum mercenariorum numero, qui in ipſis Noſocomijs haberi ſolitus eſt: ſecularium enim corpora robuſtiora ſunt, atque validiora, quam Religioſorum; ſtatuimus, vt Pater Generalis, & Conſultores, vel Prouinciales, ſeu alij Religionis Superiores diligentiam adhibendam curent, vt neceſſaria vitæ præſidia victus, veſtituſque noſtris Patribus, & Fratribus ſupra numerum prædictum mercenariorum in eiſdem locis degentibus, ſubminiſtrentur. Decernentes prætereà, vt miniſtri ſeculares, & mercenarij aduocentur, Noſocomiorum mercede conducti, vt molis onera tollant, grauioriſq; ponderis vaſa, vel ænea, vel lignea, crateres, curriculos, lebetes, & labra, grabatos, culcitra paleatas, Anaclinteria, accubitorias ſpondas tranſportent, prunas in clibanum, & in foeum ligna componant, atque ſuccendant, aquam potoriam excoquant, faſciculos, ſiue ſarcinas indumentorum ægrotantium portent, ſordidas veſtes abluant, & ad fœminarum lauacra deferant, demortuos efferant, & ſepeliant, capſulas, & vnguentorum, ac oleorum repoſitoria Chirurgos, atque vnctores ſequendo circumferant, Noſocomiorum pauimēta verrant, atque lauent, ænea, vel lignea vaſa tergant, polubra, matulas, catillos, & alia huiuſmodi purgamentorum vaſa egerant, nec quiſquam ex noſtris ad prædictum miniſteriorum genus exequendum teneatur, nec compellatur: cum robuſtiorum opera ſint, quæ quidem à prædictis mercenarijs melius exiguntur. Statuimus etiam, ne quiſquam ex noſtris in Noſocomijs munere Vnctoris, Clyſterarij, Coqui, Cannauarij, Diſpenſatoris, Cuſtodis veſtium, Pharmacopolæ fungatur, neque ſtultorum, ſeu dementium curam gerat, neque cæteris omninò huius generis muneribus præficiatur. Quod ſi morbi difficultas aliqua maior, vel alicuius grauioris impedimenti neceſſitas Patres, Fratreſque noſtros vrgebit, ita vt explere officij ſui partes, & miniſterium hoc ſpiritualis, & corporalis miſericordiæ exequi non poſſent; tunc, vt in ſupplementum ad tempus, Noſocomiorum impenſis, mercenarij conducantur, quoad ea neceſſitas vrgebit, qua cedente, ſuccedant iterum noſtri, mercennarij verò dimittantur. Conſtituitur etiam, vt omnes, & ſinguli tantummodo fratres qui ægrotantium curæ in Hoſpitalibus deſtinati fuerint, debeant in eiſdem Hoſpitalibus in ſingulos menſes per tres hebdomadas commorari, habitare, degere, pernoctare, & alimoniam, ac cibum ſumere; at quartam verò vniuſcuiuſque menſis hebdomadam in Profeſſorum noſtrorum Domibus, aut in locis animi relaxationibus aſſignatis, Præfecti arbitrio, conſument: Permittitur tamen, quod ſi aliquis ex prædictis fratribus pro ſua deuotione, & pia voluntate voluerit totum ipſum menſem apud eoſdem Noſocomiorum ægrotos explere, id efficere poſſit, ex dicti Præfecti licentia. Quod ſi accidet, vt in aliqua noſtrorum Domo maior numerus degat, quam Noſocomiorum miniſteria poſtulabunt, in hoc caſu liberum erit Præfecto illius Domus, fratrum vices permutare, quemadmodum, & quo tempore conuenire iudicauerit. In quibus Vrbibus, Oppidis, & locis (vt ſunt initia rerum recenter inchoatarum) noſtri nondum Domum formatam, ſed habitationem

Numerus noſtrorum in Hoſpitalib.

Seculares miniſtri grauiora onera tranſportēt.

Ad hæc miniſteria exequenda, non tenentur noſtri, ſed famuli ſeculares.

Officia, & miniſteria noſtris prohibita.

In ſupplementum ad tempus conducātur mercennarij.

Cōtinua habitatio fratrum in Hoſpitalibus.

tan-

1600.

tantummodo intra Nosocomia habebunt. Volumus, vt in his locis per id tempus diuersentur, & degant sub Præfectorum, & aliorum officialium obedientia, quos ad huiusmodi officia exequenda nostra Religio in Domibus formatis creare consueuit. At in quibus Vrbibus, Oppidis, locisque non solum formatam Domum, sed etiam certam habitationem nostri in Nosocomijs habebunt prædictarum Domorum Præfecti eligent Superiores nimirum Sacerdotem vnum, penes quem regimen, & cura cæterorum Sacerdotum, ac fratrum in ijsdem Nosocomijs commorantium erit: fratrem item vnum Infirmarium, cuius officium erit cæteris fratribus præesse in ijs dumtaxat rebus, quæ ad functiones pertinent corporales circa ægrotos: Intelligat tamen dictus frater Infirmarius sibi nullum ius esse datum cuilibet ex fratribus iniūgendi pœnas, quas, si necesse fuerit, prædictus Pater exiget, qui Patrum, & Fratrum omnium curam geret. Ne quando verò charitatis feruor intepescat, aut impediatur in nostris fratribus in ministerio pauperum ægrotantium destinatis, nec sollicitudinibus domesticis, nimijsque occupationibus, (vt vsu multorum annorum euenire comperimus) eorum spiritus obruatur; statuimus, vt ad hæc domèsticorum negotiorum, & famularium ministeriorum munera peragenda deuoti, ac pij homines sub Oblatorum nomine, cooptentur, qui sine vlla votorum nostrorum promissione, nec professione voluntarij se totos prædictis, in Domibus nostris ministerijs impendant. Volumus etiam (Deo adiuuante) vt in illis dumtaxat Nosocomijs, vbi nostris, vt supra dictum est, certus habitandi locus erit, fœminis ægrotantibus Sacramenta diu, noctuque nostri administrent: sed agonizantium prædictarum animas, interdiù tantùm, non noctu commendentur, iuxta constitutiones ædendas. Verùm, quia Patres, & Fratres, qui hoc tempore in Religione viuunt, ob Superiorum temporum labores infirmi, & quasi inhabiles reperiuntur ad hæc onera, modo præscripto, sustinenda, ad quæ prius ex instituti obligatione minimè tenebantur; propterea decernitur, vt Præfecti, Superioresque maiores nostræ Religionis dispēsare debeant, ac teneantur cum omnibus prædictis Patribus, & Fratribus præsentibus, qui ad prædictos labores denuò adiūctos circa ministerium spirituale, & corporale Hospitalium exequendos, non seipsos aptos sentient, nec habiles iudicabunt: Decernentes tamen omnes Patres, & Fratres præsentes teneri ministerium corporale, & spirituale ægrotantium in Hospitalibus dies, noctesque exequi, quemadmodum obstricti tenentur illi Patres, & Fratres, qui mittentur è nostris Domibus ad ægrotis inseruiendum in Nosocomijs, in quibus tamen non habitant, vt supra constitutum est. Capitulum generale ordinario sexto quoque anno celebretur, cui Capitulo interesse debent Pater Generalis, Consultores generales, Arbiter Consultæ generalis, Procurator generalis, Secretarius dictæ Consultæ, & Prouinciales præterea ex suis quibusque Prouincijs singuli cum duobus socijs vocalibus, quorum alter Sacerdos, alter Frater erit à suis Prouincialibus Capitulis electi, & attributi. Statuimus etiam, vt Fratres professi, qui hoc tempore in nostra Religione viuunt, & Sacris Ordinibus initiati, seu initiandi sunt, eligi possint, & in hoc Generale Capitulum conuenire eo iure, quo Patres; verùm in posterum, qui futuri sunt huius iuris erunt expertes, & in illis eligendis modus præscriptus obseruandus est, idest vnus Sacerdos, & vnus Frater. Præfectus Generalis post mortem huius, qui perpetuus est, sex annos pręfecturam geret, quæ quidem præfectura semel vna tantum vice, cum authoritate Summi Pontificis prorogari in alterum se-

Superiores nostrorū in Hospitalib.

Oblati aggregantur.

Mulieribus ægrotis Sacramenta administrentur.

Dispensatio est Patribus & fratribus præsentibus

Capitulum generale sexto quoque anno celebrandum.

Generalis p sex annos p. fecturam geret.

xen-

xennium poſſit; qui, exacto Generalatus ſexſennij tempore, niſi ad aliud officij munus eligetur, ad ſuum priuati, ſubditique locum redibit, nulla prærogatiua, nulloque titulo honoris, aut nominis inſignitus. Ex quatuor Conſultoribus Patris Generalis duo Sacerdotes erunt, & duo fratres, qui quidem Cõſultores id officium quemadmodum Generalis præfectus ſexſennium obtinebunt. Similiter etiam, vt ſupra diffinitum eſt, quoad ſuperſtes erit præſentis temporis Præfectus Generalis, cuius item Generalatus perpetuus eſt, tam dictum Capitulum, quam electio dictorum Conſultorum ſexto quoque anno facienda eſt. Item decretum eſt, vt ſupradicti Pater Generalis, Conſultores, & Arbiter Conſultæ ſemper in Generali Capitulo eligantur. Quod ſi Generalis intra prius triennium ſuæ præfecturæ mortem obibit, qui primus Conſultor generalis erit eo tempore, ſuccedat in eius locum in tres illos priores annos, vnius tantum ſuffragij iure, & Vicarij generalis nomine contentus: in Conſultoris autem ſuccedentis locum ſubſtituatur Arbiter, qui in ordine ſuæ proferendæ ſententiæ conſeſſus vltimum locum inter Conſultores Sacerdotes tenebit: circumactis autem prioribus tribus annis Capitulum generale cogendum eſt, quo in Capitulo noui Generalis electio facienda eſt. At verò ſi intra poſterius triennium Generalis Pręfectus è vita deceſſerit, decernimus, vt idem primus generalis Conſultor, Vicarij generalis nomen, & perſonam gerat in ſex tantum menſes, quo tempore teneatur indicere, & cogere generale Capitulum, in quo Generalis Præfectus creandus eſt. Simul illud aduerti debet, vt quotieſcumque noui Generalis fiet electio, creari pariter debeant Generales Conſultores, & Conſultæ generalis Arbiter, ex quibus ſi aliquis intra ſupradictum ſexſennium deficeret, obſeruetur, quod in Capitulis generalibus ſtatutum, vel ſtatuendum erit. Pręterea in Capitulis generalibus quatuor Definitores ex antiquioribus, & expertioribus Patribus, & fratribus Capituli eligantur ex patribus Sacerdotes duo, totidemq; ex fratribus, qui ſimul omnes vna cum Patre Generali veluti Pręſidente, debent examinare, perpendere, approbare, vel improbare res, quæ ſuggerẽtur, vt ad Capitulum referri debeant: & nemini liceat, nec quiſquam poſſit quicquam ad Capitulum referre, quod non ante cognitum, examinatum, & approbatum à ſupradictis Pater Generali, & Definitoribus fuerit. Quocirca poſt obitum huius Patris Generalis pręter quatuor ſupradictos Definitores eligendus erit etiam Pręſidens Capituli, qui vna cum Definitoribus cognoſcet, expendet, approbabit, vel improbabit res ad Capitulum, aut referendas, aut ſecus, ad quas approbandas, vel refutandas ea ratio ſuffragiorum habenda eſt, vt id fiat, quod maior numerus ſuffragiorum faciendum eſſe cenſuerit. Sancitur etiam, vt Pręfectus Generalis, Arbiter Conſultę, Procurator generalis, Secretarius dictę Conſultę, Prouinciales, Viſitatores, Pręfecti Domorum profeſſarum, & Nouitiatuum, & generalium Valetudinariorum, & Præſidens Capituli generalis omnino cooptentur, & eligantur ex corpore, & numero vocalium Sacerdotum. At verò cęteri ſubordinati officiales cuiuſmodi ſunt Miniſtri, ſubminiſtri, rerũ domeſticarum Prouiditores, ac eleemoſynarum Procuratores, Sacriſtę, vel æditui conſtitui poterunt ex numero fratrum etiam non vocalium: dummodo propter has occupationes nihil earum rerũ omittatur, quæ circa curam ægrotorum ex dictorum fratrum ſedulitate requiruntur. Omnes Prouinciales, item Præfecti profeſſarum Domorum, & Nouitiatuum, & Valetudinariorum generalium ſinguli binos Conſultores Sacerdotem vnum, alterum fratrem habebunt,

Conſultores generales ſexto quoque anno eligã tur.

Defũcto Generali primus Conſultor erit Vicarius Generalis.

Definitores Capituli Generalis.

Superiores Religionis ſunt eligẽdi ex numero vocalium Sacerdotum.

Conſultores Prouincialium, & Pręfectorum.

1600.

bunt, quorum Consultorum vota dumtaxat consultiua erunt, non decisiua. Animaduertendum tamen est, quoties mentio fit fratrum eligendorum, illos tantum fratres à nobis intelligi, qui ad Sacerdotium destinati non sunt. Statuimus etiam, vt inter fratres, ad quorum numerum referuntur omnes quicumquu Sacerdotes non sunt, nullus præcedendi,& subsequendi ordo seruetur, præterquam in Capitulis tam Generalibus, quam Prouincialibus, & localibus, in quibus habenda est ratio dignitatum,& personarum: Idem decernimus de Patribus, hoc est Sacerdotibus; hos enim tantummodo Patres appellari,& nominari,& sic in nostra Religione intelligi perpetuò volumus: inter quos Patres nullum obseruabitur dignitatis, aut loci discrimen, nec præcedentia, nisi in supradictis Capitulis, in quibus, si loquimur de Patribus,& fratribus præsentis temporis primum sententiæ locum, & primi loci dignitatem obtinebunt, qui Religionem prius sunt ingressi: si verò de futuris præcedere debebunt, qui primum professionem ediderint. In Domibus professis, in quibus Nouitij erunt admittendi, quatuor Examinatores Nouitiorũ eligantur à Patribus, & fratribus vocalibus simul, sine suffragiorum distinctione, quorum Examinatorum duos Sacerdotes, & duos fratres esse oportebit; quòd si euenerit dum de aliquo Nouitio approbando suffragia feruntur, vt æqualis esset suffragiorum numerus, in eo casu Præfectus quinti suffragij ius habebit, ad eamque partem accedet, quæ melius sentire, & iudicare videbitur, & quod ita constituetur firmum erit. Nullus posthac Nouitius ad Religionem minor octodecim annis natu, nec quinque, & quadraginta grandior admittatur, nisi tamen habito ad maiorem aliquam, euidentemque Religionis vtilitatem respectu, secus Patri Generali, eiusque Consultoribus videretur. At si cum aliquibus octodecim annis natu minoribus esset dispensandum, id nullo modo concedi debet, nisi quibus saltem sextusdecimus annus expletus erit. Ij porrò Nouitij ad habitum Religionis admissi, vt ad studia, si linguam latinam intelligent, destinentur, postquam biennium in nouitiatu peregerint ad Religionis studia promoueantur, quæ erunt Humaniores literæ, Logica, & Casus Conscientiæ: quæ quidem studia omni cum perfectione sunt à prædictis addiscẽda, cum illud pręcipuè requiratur in nostris, vt promptissimi, resoluti, perfectissimique Casistæ sint, præsertim; quibus ex officio conuenit, & Domi docere discipulos nostros, & foris sine vlla dubitationis hæsitatione cõscientiæ nexus exoluere, & Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta fidelibus ministrare; cum hoc potissimum nostri instituti ratio requirat. Simul illud volumus ab ijs, qui vigesimum primum annum excedentes ad Religionem admitti petunt, vt in ijs ea sit literarum facultas, vt continuò possint ad conscientiæ casus discendos applicari. Qui verò latinam linguam non intelligent, in fratrum numerum literas non discentium cooptentur. Nulli Nouitiorum tam eorum, qui literis operam daturi sunt, quam eorum, qui Domino in simplicitate absque literis seruient, gestare liceat pileum quadratum presbyteralem, quoad in Nouitiatu legitimum tempus exegerit, fratribus sacris ordinibus initiatis exceptis; Interdicimus præterea omnibus nouitijs, qui studijs sunt applicandi, vt supra diximus, omnem studiorum tractationem, nisi nouitiatum ante peregerint; qui quidem exercitandi sunt non solum in functionibus spiritualibus, sed etiam indistinctè in Nosocomiorum exercitationibus, iuxta consilium, & authoritatem Superioris, qui in nouitijs instituendis respicere, & consulere debebit institutionis formulam illam, quæ ad nouitios in Domino, & spiritualiter, &

Precedentia Sacerdotũ, & fratrum.

Examinatores Nouitiorum.

Aetas Nouitiorum.

Nouitij exacto biennio ad studia ꝓmoueantur.

Omne literarum studiũ interdicatur nouitij ante biennium.

cor-

corporaliter dirigendos tradetur. Præfecti Domorum professarum, cum suis Consultoribus, item Examinatores, & Magistri Nouitiorum, simul (si tamen erunt) cum Patre, & fratre Infirmario Superiorum nostrorum, qui in Nosocomijs cohabitant, sin minus, prædicti absque dictis Patre, & fratre Infirmario sexto quoque mense congregentur, & in singulorum nouitiorum, quos instituendos acceperint vitam, & mores inquirant; deinde de singulis secreta vota decisiua ferantur, vt illi dumtaxat in Nouitiatu retineantur, aut inde dimittantur, quos retinendos, aut dimittendos votorum maior pars in Domino iudicauerit; Verumtamen Præfectis Domorum professarum, aliisque maioris potestatis Superioribus liberũ esse volumus, vt è Nouitiatu dimittere possint, per se ipsos, quem dimittendum censuerint, nullis initis suffragijs cæterorum, si intra quolibet sex mensium spatium in aliquo nouitio, aliquod publicum, vel occultum delictum competerint, aut aliud quodpiam impedimẽtum, quo satis constaret illum minimè futurum ad Religionem idoneum. Si tamen illorum examinibus interuenire Superiores maioris potestatis voluerint, hoc est Pater Generalis, Consultoresque generales, qui cum eo illo tempore reperirentur, aut Prouincialis, aut Visitator generalis, præmonitis ante Præfectis; tum illorum conuentus expectetur, etiam si semestre spatium prorogandum esset, maximè verò si proximum professioni semestre in illorum aduentum incideret; ij nimirum Superiores maioris potestatis, cum supradictis Superioribus deputatis conuenire debebunt ad suffragia ferenda, & quod maior pars faciendum censuerit, id fiat: Omnes Nouitii tam illi, qui literis operam nauare debent, quam qui non debent in Nouitiorum Domibus habitabunt; atq; hæc habitatio communis erit vtriusq; status; & in Nouitiatu communis omnium erit cura, & disciplina sub regimine eorum, qui Magistri pariter, & Præfecti, & Superiores illarum Domorum erunt. Omnes ij, qui ad Religionem admittentur, absoluto nouitiatus sui tempore, si apti iudicati fuerint quartum votum solemne ægrotantibus seruiendi spiritualiter, & corporaliter, vt supra dictum est, indistinctè emittant, quo facto, ad id exequendum sese accingant, quod Superiores, qui locum Dei obtinent, ipsis iniungent. Nouitiorum nostrum Domus in illis potissimum Ciuitatibus, Oppidis, & locis constituantur, vbi nostra Religio commodum habebit in Nosocomijs habitandi locum, vt infirmis ministrent. Relinquimus tamen Patri Generali, & Consultoribus generalibus, aut quibus ipsi mandauerint liberam potestatem fundandi huiusmodi Nouitiatus in alijs etiam Ciuitatibus, & locis, in quibus intra Nosocomia neque ministerium, neque habitatio nostrorum collocata esset, aut collocari posset; modo tamen in illis Ciuitatibus, Oppidis, & locis Nosocomia reperiantur, in quibus nostri integrè exercere possint instituti ministeria. Nullus ex Patribus, & Fratribus, qui nostræ Religionis ministerium sese in posterum emancipare voluerint, ius vtriusque suffragij actiui, vel passiui consequetur, nisi post decem annos in professione transactus in bono exemplo, & mortificatione, si tamen habiles, idoneique iudicabuntur à Patre Generali, eiusq; Consultoribus, qui ob Religionis necessitates dispensare poterunt cũ ijs, quos idoneos iudicabunt, modo non prius id fiat, quam post expletos quinque professionis annos. Statuimus, ne posthac vlla in Domo, quæcumque illa sit, cuiusque prouinciæ maior nostrorum numerus alatur, quam quotidianarũ eleemosynarum largitas patiatur: in numero verò nostrorum constituendo illa cautio adhibenda sancitur, vt in aliquibus locis plures Sacerdotes, quam fratres,

Examen nouitiorũ sexto quoque mense fiat.

Habitatio nouitiorum communis.

Quartũ votũ indistinctè emittendum.

Fũdatio domorum Nouitiorum.

De iure suffragij actiui & passiui.

In omnibus domibus numerus nostrorum præfigatur secũdum eleemosynas.

1600.

tres, & è contra in alijs, plures fratres, quam Sacerdotes constitui debeant prout ipsorum locorum conditio postulabit, quò liberius, & perfectius instituti nostri ministeria exequantur, non solum in ægrotis Hospitalium, in necessitatibus spiritualibus, & corporalibus curandis; sed etiam in ijs visendis, qui sparsim in ciuium priuatorum Domibus, & Carceribus ægrotant, & in agonizantium animis Deo ritè commendandis; quod omninò obseruandum, & in Religione nostra posthac semper custodiendum statuimus: non obstante clausula Bullæ fel. mem. Greg. XIV. Pont. Max. ad ea verba nostri instituti ratio postulat, vt longe maior esse debeat Laicorum, quam Sacerdotum numerus. Omnes professi fratres, tam illi, qui nunc viuunt, quam qui venturi sunt in Religionem nostram, quadrato presbyterorum pileo vti possint, non autem tonsura clericorum, ijs exceptis, qui aliquem ordinem consecuti, deinceps ad Sacerdotium præparantur. Tunica, & pallium nostrorum patrum, & fratrum ex eiusdem qualitatis panno, eademque forma, & prolixitate esse debeãt, induentes se vti pauperes, & honesti Sacerdotes. Etenim multorum annorum experientia compertum est, professorum nostrorum Domos alere, sustinere, ac manutenere non posse nouitios, nec alios infirmos ad obeunda nostri instituti munera inhabiles; sancitur, vt nostra Religio posthac in singulis quibusque prouincijs possit erigere vnum, vel plures Nouitiatus, necnon vnum, vel plura valetudinaria generalia pro nostris ꝓfessis infirmis, & inhabilibus, ꝓ quorum dumtaxat Nouitiatuum, & Generaliũ valetudinariorum sustẽtatione, & manutentione ipsa Religio capax sit omnium bonorum stabilium, censuum, redditũum, legatorum, & aliarum subuentionum tam temporalium, quã perpetuarum. Generalis autem, & Consultores facultatem habebunt mittendi in dicta Valetudinaria generalia eos infirmos, & inhabiles, quos ipsi, vel alij Superiores de eorum licentia, iudicauerint esse mittendos, modo & forma in Constitutionibus præscribendis. statuimus etiam ex ijsdem Nouitiatuum, & Valetudinariorum redditibus Præfectos, ceterosque Officiales, ac personas eorumdem locorum viuere debere. Volumus item, vt ex ijsdem redditibus Nouitiatuum, & Valetudinariorum generalium, eleemosynę nomine, si necessitas flagitabit, necessaria subministrentur particularibus Domorum professarum Valetudinarijs. Præterea si Religioni nostræ donatione, vel testamento, census, redditus, stabilia, bona, siue mobilia, siue alia quæcumque legata perpetua distributa, vel assignata, vel quoquomodo relicta fuerint; decernimus eorum bonorum dominij Religionem nostram esse capacem, ad effectum dũtaxat eadem bona applicandi quibusuis Valetudinarijs generalibus nostrorũ professorum, vel nostris quibuscumque Nouitiatibus, arbitrio, & iudicio Patris Generalis, eiusque Consultorum. Animaduertendum est; omnes Domos nostras professas debere tantum de eleemosynis viuere, prout paupertatis nostræ votum exigit; idcirco caueant nostri professi ne prædictis Valetudinariorum, seu Nouitiatuum redditibus, seu alijsque quibuscumque perpetuis fructibus alantur, nisi quibus permissum est, modo quo supra. Quotidianarum, & temporalium Missarum obligationes facilè non suscipiantur, ne nostræ Domus intolerabili persoluendi debiti necessitate grauentur; quocirca perpetuæ necessitates, siue obligationes eiusmodi missarum persoluendarum suscipi non poterunt à nostris quibuscumque, nisi Pater Generalis, eiusque Consultores propter aliquam euidentissimam vtilitatem secus iudicauerint: explicamus tamen legata, aut bona, quæ cum prædictis oneribus relinquentur, conuerti

Reuocatur illud longe maior Bullç Greg. 14.

Professi vti pileo presbyterali possint.

Forma vestium.

Nostra Religio fit capax quorũcunq. reddituũ ꝓ Nouitiorũ & infirmorũ sustẽtatione.

Bona Religioni relicta applicentur arbitrio Generalis, & Consultorũ.

Domus professæ de eleemosynis viuant.

De ppetuis missarũ obligationibus.

debere

debere in tot cenſus, redditus, & bona ſtabilia, vt ſi perpetua obligationis Miſſarum neceſſitas fuerit, fructus etiam reddituum perpetuus eſto: qua de re ad primum ganerale Capitulum plenam rationem referendam volumus, ad quod pertinere debet ea reſtituere, quæ diximus bona, quotieſcunque minimè videretur expedire huiuſmodi perpetuis oneribus obligari: Quæ verò bona ſtabilia, ſiue redditus ob illas Miſſarum neceſſitates, & obligationes ad noſtros peruenerint, ea Pater Generalis eiuſque Conſultores applicandi, aſſignandique poteſtatem habeant ijs Valetudinarijs noſtrorum, aut Nouitiatibus, quorum maiores videbuntur eſſe rei familiaris anguſtiæ. Statuimus præterea, vt Patres, qui ſenes ſunt, aut inhabiles ad inſtituti prædicti miniſteria, tàm in Hoſpitalibus, quàm in priuatis ciuium ægrotantium domibus, atque carceribus impendenda: necnon Patribus, qui ſuam hebdomadam in Hoſpitalibus, & ſui partes officij in agonizantium animabus commendandis expleuerint (iuxta Conſtitutiones, quas ſuper his miniſterijs edentur) poſſint vacationes ſuæ diebus, de Præfectorum, vel aliorum Superiorum facultate in Eccleſijs fidelium confeſſiones audire, & in illis etiam publicè ſermocinari, (nõ autem concionari) poſſintque alia deuota Eccleſiaſtica exercitia in ijſdem Eccleſijs exercere: quas tamen exercitationes ad eum finem aſſumi, & dirigi volumns, vt velut medijs, & inſtrumentis neceſſarijs promptiores, inſtructioreſque ad animarum, & corporum ęgrotantium ſalutem procurandam noſtri reddantur: Quamobrem decernimus, vt Pater Generalis, ſiue quicumque alius ſuperior nulla cauſa poſſit cum aliquibus ex noſtris Patribus diſpenſare, vt ſuum diem, vel ſuam hebdomadam in miniſtrando Noſocomiorum infirmis inrermittant, vt fidelium etiam quorumcumque benefactorum, vel benefactricium confeſſionibus audiendis operam dent, qui ſi confeſſarijs noſtris vti volent, hoc modo contenti erunt: Quod ſi bina hæc pietatis officia ſimul in idem tempus inciderent, ideſt hebdomada, vel dies, quo noſtri Patres in Noſocomia mittendi ſunt, & officium in Eccleſijs confeſſionum audiendarum, tunc potius confeſſionum offitium, quàm Noſocomiorum miniſterium, omittendum eſt. Nullus ex Superioribus ad habitum noſtræ Religionis admittere poterit vllum nouitium, niſi facultatem expreſſam à Patre Generali, eiuſque Conſultoribus habuerit: quorum etiam intererit diſpertire, atque deſcribere Prouincias, Valetudinaria generalia, & Nouitiatus: itidem applicare, ſeu conuertere, & conſtituere per quos adminiſtrarores, & quo pacto ſupradicti Nouitiatuum, & Valetudinariorum generalium redditus, aliaque ſiue mobilia, ſiue ſtabilia bona, quæ noſtræ Religioni, vel dono, vel teſtamento relinquẽda ſunt impendi, & tractari debent. Similiter Patris Generalis, & Conſultorũ erit admittere, ſiue remittere quemuis locum, aut Domum, aut Noſocomij cuiuslibet habitationem: Simul illud explicamus, & diffinimus ad prædictos ſpectare declarationem, interpretationem, & deciſionem (non autem immutationem) earum rerum, de quibus ſuper prædictis omnibus capitulis, vel ſtatutis dubitatio fuerit orta. Cum autem huiuſmodi formam ſtatutorum à nobis examinatam ad proſperum regimen, & felicem progreſſum dictæ Congregationis, quem enixè exoptamus, neceſſariam, & opportunam fuiſſe, & eſſe cognouerimus, Nos dictarum litterarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ac Camillum, & Blaſium, ac Sanctium, & Octauianum, ac Chromatium prædictos, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure,

Noſtri poſſunt in Eccleſijs fidelium cõfeſſiones audire, publicè ſermocinari & omnia alia Eccleſiaſtica exercitia in illis exercere.

Nouitij, domus, Hoſpitalia &c admittantur à Generali, & Conſultoribus.

1600.

vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu simili, non ad dictorum Camilli, & Blasij, ac Sanctij, & Octauiani, ac Chromatij, aut alicuius eorum desuper nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula statuta prædicta superius expressa, apostolica authoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & confirmamus: Ac omnes, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint in eisdem supplemus: illaq; ab omnibus, & singulis dictæ Congregationis Religiosis, quouis officio, seu dignitate fungentibus, vbicunque existentibus, præsentibus, & futuris integrè, & cum effectu, & ad vnguem perpetuò, & inuiolabiliter obseruari mandamus, ac sub priuationis officij, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, & alijs à Generali, & Cõsultoribus dictæ Congregationis in contrafacientes eorum in libero arbitrio imponendis pœnis, ne quisquam eorum illis contradicere, aut repugnare, vel aduersari directè, seu indirectè quouis quæsito colore, vel ingenio, aut contra illa, seu illorum aliquod quoquo modo tractare audeat, seu præsumat districtiuè inhibemus: illaque de nouo quatenus opus sit, eisdem authoritate, & tenore edimus, & facimus. Necnon statuta in literis ipsius Gregorij prædecessoris contenta, & superius expressa huiusmodi, ac quoddam nostrum circa receptionem Nouitiorum die xiij. Martij, Anno Domini Millesimi quingentesimi nonagesimi quarti, Pontificatus nostri anno tertio, edictum, ac quæuis alia statuta, & ordinationes his proximis statutis contraria, seu in toto, vel parte repugnantia, aut illa immutantia, in perpetuum eisdem authoritate, & tenore reuocamus, & abrogamus, ac reuocata, & abrogata esse decernimus, & illorum obseruationem prohibemus: Literis dictorum prædecessorum, ac nostris prædictis aliàs in suo robore permansuris, quas omnes, & singulas suũ omninò effectum aliàs sortiri volumus, illisque robur apostolicæ cõfirmationis adijcimus. Decernentes easdem præsentes litteras nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, aut quopiã alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes, ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, inualidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius, vel cõtrouersiam reuocari posse: sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis authoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dictæ Congregationis Superiores sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicãdi, & interpretandi facultate, & authoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inanè quicquid secus snper his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostieñ. & Tusculañ. Episcopus, ac Dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicę generali Auditori per apostolica scripta, Motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel aliũ, seu alios præsentes litteras, ac omnia, & singula in eis contenta vbi, & quando expedierit, ac quoties pro parte Præfecti, & Sociorum dictæ Congregationis fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra præmissa omnia obseruari. Non permittentes Præfectum, ac Socios prædictos desuper à quoquam quomodolibet molestari, contradictores prædicta authoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus recolendæ memoriæ Bonifacij Pa-

Motu proprio.

Approbatio, & confirmatio,

Reuocantur omnia alia statuta his proximis cõtraria.

Noua cõfirmatio literarum Syxti, & Gregorij.

pæ viij. similiter prædecessoris nostri, qua inter alia cauetur expressè, ne quis extra suam Ciuitatem, & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnā dietam à fine suæ diœc. ad Iudiciū euocetur, seu ne Iudices ab eadem Sede deputari extra Ciuitatem, & diœc. in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo aliquis authoritate præsentium vltra tres dietas ad Iudicium non trahatur; ac dictorum Syxti, & Cregorii prædecessorum, ac nostris literis, & quibusuis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionē. Volumus autem quod earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, mandatorum inhibitionis, editionis, facti, reuocationis, obrogationis, decretorum inhibitionis, & voluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo, quarto Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Non obstātibus.

Contrariis quibuscūq;.

Transūptis etiā impressis adhibeatur fides.

A. Cardinalis Montaltus Summator.

M. Vestrius Barbianus.

NON absque assidua oratione, & labore præfatam Bullam Camillus obtinuit; Etenim incępto Anni Sancti plenissimo Iubilæo, ipse non semel, vel iterum, sed triginta vicibus illum lucrari studuit; pluries in hebdomada Sanctissimas Basilicas Diui Petri in Vaticano, ac Sāncti Pauli, Diui etiam Ioannis Lateranensis, atque Beatissimæ Virginis in Monte Quirinali. (quam appellant Diuam Mariam Maiorem) visens, gradus item ascendens Scalæ Sanctæ genibus procumbens, vt fas, & consuetudo asseruat, in cuius ascensu non modice cruciabatur propter tibiæ vlceratæ angorem; quos carpendo, & lacrymando subibat, propter eum, qui Crucem gerendo inde pro nobis totus cruentatus descenderat; plerumque Camillus ob crurium dolores innixus baculo Ecclesiarum viā confecit, ferme semper ieiunās, quandoquidem maiorem huius peregrinationis partem in quadragesima absoluit, silentium cum socio per iter seruando, vel pauca intermiscendo spiritualia verba, seu mysteria nostræ redemptionis in præcordijs tenendo, seu coronam recitans ibat, tanta capitis mortificatione, corporisque modestia incedebat, vt nouitium arbitratus fuisses, lassus tandem Domum dum redi-

Camillus p Bullę adeptione triginta vicibus Vrbis septē Ecclesias peragit.

1600. ret non quietem, seu lectum petebat ad corpus refocillandum, seu cruri leuamen ad præstandum, at refecto aliquantisper corpore parua esca, aliam mortificandi sensum, & alijs benefaciendi viam, arripiebat, cum sodale sancti Spiritus Nosocomium adiens, ibi in continuis exercitijs diu, noctuq; versabatur, dempto tempore exigui somni; asseuerabat enim se in quolibet anno sanctissimi Iubilæi, àDomino nactum fuisse aliquod insigne beneficium, in illo 1550. hac solis luce fruitum fuisse nascendo, in alio subsequenti Manfredoniæ sua crimina deplorasse, & in hoc itidem fuisse adeptum moderamen circa famulatum ægrotorum in Hospitali, quod tantopere auebat.

6 In decursu istius anni Pater Camillus vna cum multis ex suis nauim Ferrariæ, vt Venetias transiret; conscendit, præter reliquos P. Sanctius Cicatelli voluminis ipsius vitæ auctor intererat, qui hoc item enarrat; eadem in cymba clam tres fœminæ se recepere, nimirum genitrix simul, & duæ natæ venusta facie, sed inuenusto corde, & rubore, quas mater, seu potius carnifex Venetias ducebat, vt eorum corporum miserandam faceret copiam, has Camillus contuens rubore, at tædio mærens stetit, vellet vel ipsas, vel se procul esse ab naui, attamen post parumper cæpit, quod sciuit consilium, rogauit quosdã Religiosos è Societate IESV, qui eadem in naui aderant; vt aliquid in horrorem inhonesti vitij proderet, quorum vnus satis docte, at feruenter est allocutus; ita vt illæ, quæ antea lasciuientibus oculis, & nutibus cum aliquot ex nauigantibus se alterna vice conniuiebant ad verba illorum Patrum, & ad Camilli orationem mutatæ, non tantum se modeste composuere, sed genuflexæ plorantes votum iniere per triduum saltem se ab omni libidinoso actu cohibituras, quid vltra, properante vespero ad cauponam omnes contendunt, vbi dæmon maius bellum, & periculosius indixit; etenim inibi cateruam militum galeatorum (& vere galeati, quia cælum non suspiciebant) hospitantes repe-rere, visis mulieribus florida ætate repente turpi cupidine inflãmati, ceu leones prædam captare irruere, illasque de medio abstulere, & in eorum habitaculum traxere. Interim Camillus in mensa erat discumbens, quo audito, ac si tota domus corruisset, surrexit celeriter, armatus, alijs quam milites armis, quippe Sanctissimo Crucifixo, hinc dextera arrepto, ad militum diuersorium prosilijt, tulitq; alia vi, & mente mulieres honestissimo quodam zelo, vt quondam sanctissimus Phinees; tum ipsorum decurio, quasi delusus, & malignis suis cupiditatibus fraudatus, in Camillum impetijt, manu violenta illum repellens; nitebatur iterum ad se ducere prædam, & ausibus temerarijs peiora verba iungebat; dumtaxat vos insai, aiebat (sicut semetipsum, alios criminabatur) illis frui vultis, nobis derelictis ieiunis, refert Pater Sanctius, addens se coram Deo loqui, nusquam in tanto vitæ discrimine vidisse, vt tunc Patrẽ nostrum, tantumque absuisse, vt non solum ipse à militibus ibi iugulatus decidisset, verum omnes, qui secum erant, adeo in eas infanda concupiscentia incesserat. Verumtamen ipsius Patris terrifica verba, ac minis plena eos prorsus conturbauit, positoque iuxta eorum facies Sanctissimo Cruci affisso Domino, perinde atque pauidi lepores tremuere, nec ausi sunt Camillo, aut cuiquam ex suis aliquid mali inferre. Hinc relictis tuto in loco mulieribus, ad nauim simul cum suis Camillus contendit, ne ibi subsidendo maius excitaretur incendium, vbi totam noctem, quam vis satis incommode, consumpsere; donec aurora ad nauigandum nauitas reuocaret; profecto imminenti se exposuit periculo Camillus, sed idcirco vt prædam ab leonum vnguibus diuelleret. Ad

Eripit à turpitudine duas mulierculas.

multa

multa siquidem ad egregia facinora peragenda suos famulos Spiritus sanctus impellit; quæ minime, ab alijs patrari, liberet, non eodem afflatis impulsu.

De Fratre Iacobo Antonio de Meo.

7 FRater Iacobus Antonius de Meo Collisnesius, quod est Aprutij Oppidũ, Congregationi ascriptus est 1. Kal. Aprilis 1588. Romæ, vbi pariter vj. Id. Dec. primitus cum alijs vndecimo in ordine loco vocatus, professus est; adhuc laicus calceaminũ exercebat opificium, quam artem in Religione donec superuixit assiduo exercuit. Plane fateor me ingenio, arte, exercitatione, studio, & quod magis desiderandum est virtute inanem in enarrando istius, cæterorumque Patrum præclara gesta: itaque Iacobus comparticeps effectus est omnium laborum, difficultatum, vigiliarum, persecutionum, lacrymarum, itinerum, quæ in erigenda Religione sustinuit Fundator, non tantum horum omnium particeps extitit, sed item complex in patiendo, quo socio vsus est Pater Camillus, eiusque præterea vlcera mederi pensum habuit, ac linamenta, & linteola, atque fascias parare, & cum deessent prouidere.

8 Quali ardoris zelo ægrotantibus inseruierit dictu difficillimum est, illis semper præsto fuit, qui maiori subsidio indigerent, quibus operam suam lætabundus elargitus est, & quo magis nidore, ac pure ægri scatebant, eo plus complexens famulatus est, eorumque lectos frequentans incunctanter consolabatur; quando verò à pietatis operibus, & ministerijs infirmorum vacasset, in domi sutrina sedens, non otiosus propter iam actos labores, sed vel fractos Patrum calceos resarciuit, seu nouos composuit, & quamuis manibus operaretur, mente tamen, & voce psallendo laudes Deo referebat, vel Sacratissimi Rosarij coronam alternatim simul cum socio eiusdem ministerij persoluebat. Cum vero alicuius ex Patribus noua calceamenta, quæ ipse formauerat intra pedes insereret, genuflexus statim atq; illos deosculari nixus est, & pro pretio, seu gratiarum actione postulare consueuit, solui sibi, ceu ingens lucrum, appellari calceolarium fœtentem, nec patrem inde ire concessit, quoad vsque ea verba sibi depromi audisset, quibus intellectis, se valde bene solutum, quiescebat.

9 Aliquantulum legere, ac scribere didicerat, ita vt paruum Sacratissimæ Virginis Officium die quolibet recitaret. Et quamsæpissime quibusdam in cartulis infrascripta verba notabat, Deum diligite, atq; Domi glutino parietibus figebat, voluisset quidem, quod ipse in pectore gestauit insculptum, vt in omnium cordibus regnaret; Cum alicui se obuiam faceret Sacerdoti, statimatque capta manu ipsam perdeuote osculabatur, digitosque sugebat, quasi papillas; vnde spiritus dulcedinem prælibaret. Admodum in suscipienda iugi in Hospitalibus habitatione Patris Camilli partibus fauit; & quod verbo tuebatur, opere comprobauit; mira pietate Mediolani in Nosocomio infirmis assiduo, magnoq; cũ labore ministrauit, quamquam ipse incommoda semper viueret valetudine, ex ore quippe, propter venam in pectore fractam, sanguinem euomens, non tamen aliquando se ab opere caritatis retraxit, sed audẽtior ibat, cui profecto illud Apostoli decantari fas est, mihi viuere Christus est, & mori lucrum; intensissimus in oratione, nec magis, ac fructuosius occupatus fuit, quam vacans ab opere, tum enim orationi instabat, vaniloquia, &

1600. otiosa verba execrabatur, & si quando lapsu linguæ in aliquod dictum futile, vel minus prudens dilaberetur, repente percusso sibi ore reticebat. Si quem vero vane loquentem audiret, seipsum reprehendens alium corrigebat, asserens, Iacobe Antoni frater ne ita iactes verba, & sic ea dexteritate alterius errorem emendabat; vnde plures à murmuratione hac via auertit, multosque silere effecit indecore loquentes; & vix adinueniebatur, qui in sui præsentia minus quam honeste loqueretur.

10 Cum autem ægri viribus imbecilles ab Hospitali discederent Iacobus Antonius, vt inniterentur baculum idoneum sua manu accomodatum, posita in summitate parua lignea Cruce, eis porrigebat; Cũ aliquando in Hospitalis pomario reperiretur, & vni ex his baculis innixus sisteret, supra vero tecta numerosa aderat passerum copia, quos vocare cæpit hac voce, huc accelerate Dei creaturæ, qui statimatque suę naturalis obliti fugacitatis illum secuti sunt, ac si rationales essent, vsque ad Hospitale, quorum vnus tanquam fidelior intus Hospitium secum iuit, vbi permagna famulorum, & ægrotantium inerat multitudo, à quibus maxima cum admiratione visus est.

11 Prænouit ante triennium sui obitus diem futurum in paschate, & elapso triennio, & pascha, dictum accepit à Patre Francisco Amodio Sacerdote, ac professo nostræ Religionis, viro honestis moribus ornato, defluxisse suæ mortis, ac paschale tempus, ipsum vero superuixisse; si non hoc, ait, alterum erit, in quo demoriar Sanctum Pascha, & quidem in altero, aduentus scilicet Spiritus sancti Paschate, nimirum in vigilia Pentecostes lætanter ex hac vita migrauit viij. Kal, Iun. 1600. munitus Sacramentorum armis, dum enim in extremis conflictibus dimicaret, sibi ipse commendationis animæ munus exhibuit; inter alias ex ipsius ore hæ verborum notæ prodibant, Iacobe Antoni frater adhuc modicum sustine; patienterque aliquantisper amplius expecta, quandoquidem à misericordiarum Patre cito consolaberis, & sua benignitate coronaberis; hæc inter dicta animam exalauit iam maturus æuo, parum, seu nihil timoris illi intulisse mortem annuit, quam tribus annis antea amanter expectauit, & Hospitalis, laborum, ac foetoris, ęgritudinum, omnisque Crucis flagella refrigerium, & tanquam miseriarum omniũ terminum putauit. Depositum vero ipsius sepulturæ datum est Mediolani in Ecclesia Sancti Zenonis.

12 Romæ inter hęc interstitia temporum Dominicus Romitus Camarini Eminentissimi Cardinalis S. Georgij auriga ab indomito equo grauissimo morsu correptus est in extrema nimirum parte manus, vbi cohæret brachio, adeo sęue dentibus bestię discerptus est, vt ad ossium confractionem peruaserit vulnus, vnde pene à solis neruis manus pendens, sustentaretur; quapropter vi doloris, & sanguinis effusione, quasi mortuus, exsanguis, & excors, atque immobilis mansit, protinus ad Sancti Spiritus Nosocomium vectus est, repositusque supra lectum, viso morbo, & cadente manu Chirurgi exemerant ferrum, vt eam secarent, si forte ea via spasmi, & cruciatus, atq; mortis discrimina tollerentur, & ad sensus rediret, aderat item Camillus, cuius misertus est; Doctorem rogauit, vt parumper sustineret, priusquam sectioni manus adhiberet, ob nimiam qua Camillum prosequebatur obseruantiam, actum præcidendi manum aliquantum suspendit. Camillus autem ante infirmi lectum genibus procubuit, Diuinum pro ipso implorans auxilium, quod æger præter omnem moram persensit propitium, etenim post parumper orationis surrexit Camillus, & in auriculam vulnerati insufflauit, ac viuificæ Crucis chara-

[margin: ..e quodam ..uriga in..anu vulne..ito ab ora..one P. Ca..illi sanita..restitutus.]

[margin: ..ib. 3. c. 26 ..actis vitę Camilli ..pis expres..]

ctere in fronte muniuit, atque incunctanter, qui omni sensu destitutus iacuerat, perfecte sui compos effectus est, Indeque non procul secedens Camillus, quædam lateris frustula colligens tutundit ad puluerem vsque redigens, non enim sperabat ex illis fore, vt ægro sanitas restitueretur, siquidem acuere dolorem potius poterant, quam adimere, vel emollire, sed hac via, vt contegeret gratiam, vanamq; ostentationem, sed magis illam euulgauit, & celsæ suæ humilitatis propositum ostendit; forte id operatus est, recordatus illius luti, quod Dominus cœco nato adhibuit ad lumen ei reddendum; sed quid moror, eo applicito puluere (mirabilis Deus) manus quæ à brachij trunco pendens à solis neruis fulciebatur, se illico compaginauit, mirandoque nexu inter sese iunctæ sunt, perinde atque damnum aliquod in ea parte minime fuisset perpessus, totũ id postea ipsemet Dominicus mediante iuramento fassus est, prout in actis P. Camilli innotescit.

Panormi ædes erigitur.

13 Mense Iunij deuoluentis anni Pater Franciscus Antonius Niglius, & Pater Lucas Antonius Catalanus Panormum causa perficiendi illius Domus negotium fundationis, se contulere, qui advsque mensem Octobris domicilium Hospitali cohærens, hoc est in ædibus Domini Rectoris eiusdem maioris Nosocomij incoluere. Paulo post nimirum prope festum Diui Placidi, & sociorum Martyrũm mense Octobris iam dicti Pater Ioannes Antonius Aluina cum onere Præfecti vna, & septem alij ex nostris Panormũ Neapoli contendere, quos maximo honore illustriss. vrbis illius Senatus complexus est, quibus pro domorũ emptione aureorum duo millia, & quingentorum erogauit, p̃terea tres patritios viros idem Illustrissimus Senatus substituit Protectores quodam diplomata Vrbis sigillo obsignato, vt opitularentur, & præsto forent Patribus, in his, quę illis opus essent, quorum nomina fuere Dominus Ioannes Baptista Orioli Baro Fontanæ Frigidæ, tũ vrbis Senator, Dominus Ludouicus Ilcampo, & Hidelfonsus de Madrigal, qui magnis eleemosynis ex totius vrbis personis adeptis nostros honorifice cumularunt, quæ maximo auxilio illis initis fuere, atque adeo idem nonnullæ nobilissimæ imitatæ sunt Matronæ.

14 Primitus nostri, qui Neapoli huc venerant, per intercapediem mensium quatuor, domum quamdam conducto acceptam incoluere prope pœnitentium mulierum Monasterium, sacrum vero Missæ toto illo quadrimestre frequẽtius peragebant in Templo Sanctorum Quadraginta Coronatorum Martyrũ, quo elapso tempore alibi fixere domicilium, in ædibus prope Ecclesiam Sancti Hyppoliti adiacentibus, & in via noua, vbi & aeris aspectus est benignus, & loci situs ferme est vrbis vmbilicus, & nobilis; ibi enim proxime accedunt quatuor Ciuitatis anguli, qui mirifica pulchritudine, & opificio totam vrbem intersecant, quatuor amplis vijs magnificentioribus respondentes, inibi nostri, vt dictum est, & ædes quamplures mercati sunt, & Ecclesiam erexere sub titulo, ac tutela Inclytæ Virginis, ac Martyris S. Nimphæ, vna notabilium illius Ciuitatis Patrona colitur, quę hodie Ecclesia nouis, amplisque ędificijs construitur, & quoniam in eruendis huius Ecclesię primis fundamentis res accidit memoranda, idcirco subnectitur.

15 Cum parietes, & tellus nostrę Ecclesię Sanctę Nimphæ publicæ vię termi-

nos

1600.

nos excederent,(namque denuo fternebatur, & aptabatur ibi noua via) vt ad æquale duceretur platea, domi noftræ, & Ecclefiæ parietes dirui, & terram effodi oportuit, quam extrahendo neceffum fuit quoque fepulchrum noftrorum euerti,à quo deni patres exenterati funt,qui inibi per quinquennium humati iacuerant; & licet Patrum corpora, & veftes à tempore confumpta fint extracta, Cruces tamen, quas in tunicis confutas geftauerant incorruptas deduxere, exefis omnino veftibus, illud efficit admirabiliorem euentum;quia fub Ecclefiæ pauimento haud modica fcaturit, ac defluit aquarum copia. Hinc argumentari cuique fas eft, fi terra, quæ duriffimum ferrum corrodit, ceffit modico, ac fragili panno, quafi fenfata ob noftræ redemptionis venerabile fignum, quanto magis principes, & poteftates tenebrarum harum corruent, contra quos in extremo halitu coram moribundo corufcat, dum affiftunt Patres orando.

Cruces ex pano diu fub tellure conditæ illefæ extrahũtur.

16 Illud quoque memoratu dignum duco, quod Patribus contigit, dum primitus Panormũ appulere: etenim fub vefperũ defcenderunt è naui,& cũ effent numero octo, vacui tamen pecunijs, quare vbi hofpitarentur, penitus ignorabant, quandoquidem duo illi iam fupra memorati Patres, qui hofpites fuerant in domibus Nofocomij, Panormo profecti fuerant; at repente obuiã eis iuit grauitate fpectabilis vir, profeffione Medicus Phyficus,nomine Sebaftianus Bartolus, qui inftante Patrum cognita neceffitate domum fuam reduxit, humaniter tractauit,prouiditque in omnibus,non tantum ea nocte, verum pluribus fuccedentibus diebus, vfquequo Ciuitas illis fubfidia fuppeditare inchoauerit, vere congregatio huius viri pietati obftricta eft, à quo primum fuxit Hofpilalitatis lac.

Lib. 2. c.9.

17 Dum annus 1594. deuolueret ob quafdam aquarum congeries in Nolanis Campis demortuas, & in lacunis refidentes, fenfim aer malignari cœpit, & Vrbis incolas fua malignitate tempore æftiuo morbis inficere, quafi peftilentibus, & morte, vnde ex noftris illuc quinque tum miffi funt, qui donec tantæ mederetur ftragi, & ea ægrotorum, ac morientium illuuies extinguere tur perfeuerarunt, ardenter in quolibet pietatis opere ægris fpitiualia, ac temporalia exhibendo minifteria, qui paucis decurfis menfibus incolumes, Deo protegente, illinc profecti funt, feruans illos Dominus pro difficiliori lucta,& ad nobiliorem vocans coronam.

Primitus in lue Nolana noftri miniftrant.

18 Quandoquidem labente anno *1600.* propter eafdem aquarum corruptelam malignior aer euafit, & peftilentior; ita vt vniuerfam Ciuitatem, & confinia peftiferis morbis affecerit, & mors quam fæuiffime debaccata eft; deftitutæ porro perfonæ omni refrigerio, atque adiumento fpeciatim fpirituali: procumbebant coaceruatim:etenim parochi,ac Presbyteri vrbis pene omnes deceſſerant,inter caliginem tot ægritudinum;Paftor eorum vtpote Epifcopus Nolanus Romæ ob fui muneris negotia aderat, & quamuis omni Paftorali vigilantia Sacerdotes habere, vt fuis infectis ouibus deferuirent, inuigilauerit, omnes tamen formidabant eo tempore euidentiffimo mortis illo tranfire, itaque nullatenus reperit quos tranfmitteret; Ab Excellentiffimo Regni Neapolis Prorege rogati noftri Patres, vt iuxta fui inftituti rationem tantæ calamitati præfto effent, illuc feptem omnes Sacerdotes optimis defiderijs fe contulere, qui primo afpectu obriguere profpicientes miferandam, & pene defolatam Vrbẽ, in qua lamentabile Ieremiæ proloquium decantari fas erat, quomodo fedet fola Ciuitas plena populo, cælum æneum videbatur,aerem

Iterũ noftri præfto fuere in Nolano contagio.

inter-

1600.

interdiù caligine quadam offundi: sol qui corda suis radijs demulcet, & sua pulchritudine, animum dilatat; tunc quasi iaculans, ac sæuiens dolore pectora diuerberabat: patres vero in Dei bonitate fidentes hāc syluam horroribus repletam viriliter ingressi sunt; nominatim magis obstupuere, cum ædes ingredientes maiorem flendi reperere materiam; namque plurimis in domibus omnes malignis febribus ægrotabant, nec se visentem, aut consolantem, vel parte in aliqua opitulantem habebant, sed lethum pro efficaci remedio, vel solamine præstolabātur, & multis cadaueribus, quod auget horrorem, ac mœrorem propria domus pro sepultura inerat, adeo famulatu vacabat Ciuitas: sunt quoq; adinuenti homines octo dierum spatio mortuos cum viuis mixtos iacuisse: itaque non à viuentibus tyrannis, ceu tempore orientis Ecclesiæ, trucidati sunt, sed à defunctis, & plerumque parentibus, seu natis enecati immaniori letho; Ecclesiæ, & oratoria deserta prospectabantur, tanquam in vastitate hostili, campanæ non tinniebant, sed lamenta, vlulatus, & plantus insonare vbicumque auditum est; huic miserando personarū statui occurrere generose se se armarunt orationis armis Patres, Sacramentum auscultantes confessionis, augustissimam distribuentes Eucharistiam, extremæ Vnctionis Oleo iniungentes, commendationis animæ pium exercitium impertientes, cadauera quoque ad sepulturæ locum psalmos canentes, comitati sunt, & interdum vnica in domo cuncta hæc exhibuere; etenim post collatam Sacramentalem absolutionem, & Diuinissimo Viatici pabulo subministrato, atque Extremæ Vnctionis Sacramento armatura munito ægro, quoadvsque fungeretur, inibi sistebant Patres Deo animam commendantes, & dehinc vocato vespillione, vel ipse quandoque Pater vespillio factus à lecto cadauer remouebat, extra domū in viam ducendo, vt prætereuntes mortuorum latores ducerent in foueam; hæc autem onera nedum in Vrbe, verum per villas, & rura exhibuere ardente sole in Leone.

Status lacrymabilis illius gētis.

Pia opera nostrorum.

19 Ibant .n. nullo adhibito socio, vel ministrorū sodalitio, cum nō reperirētur quādo pene omnes vita caruerant, vel lāguebāt paruam ob Sacramenti venerationem, vmbellā leua manu gestantes, dextera vero Venerabilissimā Eucharistiam, & à ceruice Oleum Sanctæ Vnctionis pendebat: dum adeo fortissimi Christi milites die, noctuq; egregiæ pietatis operi intenderent spirituali: præterea non modica temporalia obibant, nimirum debiliores optimis escis refocillando, alijsque subsidijs confouendo, etenim inter hæc miseriarum vortices irradiauit Vrbis Neapolitanæ pietas Patribus mille suggerēs aureos; quibus admodum ægrotorum afflictioni adiumento fuere.

20 Interea Pater Camillus Genua rediens, quamuis ob nauigationis incommoda, quę non modica sustinuerat, doloribus iactaretur, subaudiensq; Nolę cōtagium, & nostrorum ministeria ibi impensa, è vestigio illuc se contulit, nolens in operando, & vitam pro infirmis largiendo suis Patribus esse minorem, etiā si artis medicinæ Doctores, & vniuersi Patres ipsum instanter dehortarentur; attamen dum rapiebatur à pietatis spiritu, quo pacto ab eo diuelli poterat? quinimmo extemplo propriæ salutis obliuiosus illuc contendit, vt suos in ministerio infirmorum roboraret, & ipse quoque aliqua beneficientiæ exercitia perageret; Qui simul atque adeo miserandam intuitus est stragem tot ægrotorum ad mortem decurrentium, & mortuorum aceruum nō valuit, haud multum non collacrymari, præsertim aspiciens ante suos pedes infirmum, propter virium imbecillitatem, & morbum corruisse: licet ex aduerso extin-

1600. ctæ quodammodo lacrymæ ftetere, & verfæ funt in lætitiam, quando flagrantẽ caritatis zelũ, quo fuos ea mifericordiæ in maffa defatigantes contuitus eft, viriliter quafi cummorte dimicantes, quos gaudentes inter tot lethi difcrimina vidit, inter nimirum ingentes labores, peftilentem aerem, fœtores ægrotorum, ac defunctorum, nullam infuper diu, noctuque ferme quietis refrigeria fibi concedentes; quapropter & ipfi cecidere infirmi maligna febre, quos protinus Pater Camillus Neapolim duci commifit, quorum quinque gloriofa morte ex hac vita migrarunt, horum fortiffimorum militum (fi licet) appellabo Martyres, vel quafi Martyres, cum fit indubitatum pro fratribus fuis animas tradidiffe, maioreq; caritatẽ oftendere non potuiffe. Inibi baptizarunt quamplures infantes. qui, Patrum noftrorum follicitudo, vt Deo fruerentur, operata eft, nonnullos etiam continuis odijs fe lacerantes, ad pacis fœdera pertranxerunt, qui poftmodum æquo animo remittentes iniurias occubuere, quia fingula fingillatim recenfere arduum eft; Ceterũ deuenire non difpliceat ad illos ftrenuos quinque Patres, qui in hoc fpiritali bello feliciter deceffere; primus, qui Domino fuo vitam reddidit, extitit Pater Thomas Trona.

De Patre Thoma Trona.

FVit patria Subalpinus Religionem ingreffus 1595. vij. Id. Iulij Romæ, vbi etiam Crucem in profeffione recepit iij. Id. Iulij 1597. ftudiorum caufa Neapolim miffus, vbi item Sacerdotio infignitus eft, ardens fplenduit virtutum omniũ cultor, & cum ad Sacerdotium fuerit promotus, creuit etiã defiderio maioris perfectionis, qui arrepta huius contagij optima occafione domi Præfectum inftanter deprecatus eft, vt Nolam fe conferre permitteret, quæfitã, atque optatam gratiam adeptus eft, quo immiffus ftrenue aduerfus femetipfum certauit, defumens, fuperans, ac deuincens vniuerfos labores, & ærumnas; fiquidem plurima paffus eft, ac demum mortem ipfam iucundo corde fuftinuit, illã pro Domino, fuifque membris largiendo iv. Non. Sept. 1600. Ecclefiafticis Sacramentis communitus, obtẽta prius Apoftolica benedictione in formam Iubilęi anni Sancti à Clem. Papa VIII. fanctæ recordationis impertita; etenim poftquam intellexit ab Illuftriffimo, atq; Eminentiffimo Cardinali Baronio quanta cum dilectione, ac pietate ibi noftri miniftrarent, blande eã conceffit, itaq; noftri cum hoc Indulgentiarum Thefauro in Domino quieuere, fepultus præfatus Thomas iacet, ficut & reliqui, in hoc opere eius fodales, Neapoli in Ecclefia S. Mariæ Portæ Cæli. 21

De Patre Marco de Marco.

PAter Marcus de Marco Bononienfis Romæ receptus eft, verum ad habitum Neapoli admiffus xvij. Kal. Nou. 1594. exinde Romam profectus, ibi v. Kal. Maij 1597. profeffus eft, indeque vt ftudijs operam nauaret rurfus Parthenopen aduenit, ubi celeberrimo fefto Pentecoftes 1600. presbyteratus ordine decoratus, facrum Miffæ peregit, hinc tranfactis nonnullis hebdomadis illum honorem maximo caritatis opere cumulauit, fe tamquam agnus mundus obtulit Domino; ea adinuẽta Nolani cõtagij occafione, ubi dilectione flagrans omnia illa exhibuit pietates opera, quæ antea retuli, itaque lætis pręcordijs diẽ fuum obijt Idibus Sept. 1600. Suffultus Ecclefiæ Sacramentis 22

Item

item Apoſtolica benedictione, itidemque clauditur eius corpus in Eccleſia Sanctæ Mariæ Portæ Cœli Neapoli.

De P. Cæſare de Vio.

23 PAter Cæſar de Vio natione Fani Fortune Neapoli ad habitum admiſſus eſt; inde Romā miſſus vbi profeſſionē xvii. kal. Iun. 1595. emiſit, erat autē breui corporis ſtatura, ſed animo ſedato, & amabili, eruditus item in modis muſicis fuit, ſuauiter modulans, quo Religio, vt decantaret inter ſollemnitates vtebatur in noſtris Eccleſijs, ob ſui prudentiam, ac morum probitatem aſſiduo Romæ, ac Neapoli Patrum Confeſſiones Sacramentales auſcultauit; munus itidem Romæ Vicepræfecti Domi noſtræ, quam accuratè adminiſtrauit, & cū rurſus Parthenopen rediret, vt illi domui virtute, conſilio, ac labore auxilio eſſet accaſione adiecta Nolanæ mortalitatis, illuc ſe tranſtulit, vbi ſuperior cęterorum Patrum electus eſt, mirificè affectus erga pauperes incunctanter uerbo, & exemplo ſe exhibuit, maxime cum ægris illius urbis contagio infectis, quos miranda pietate nuſquam ſibi ipſi parcens proſecutus eſt; itaque à magnis laboribus, ac putoribus, infectoque aere deiectus æger decubuit, propterea Neapolim ductus eſt, vbi poſt diuturnam, & moleſtiſſimam, grauiſſimamque febrim Sacramentis roboratus ceſſit è vitæ, non equidem plorans, vt reliquis contigit mortalibus, animam exalauit, ſed perinde ac dulcis, atq; canorus cygnus in ipſo vitæ extremo ſuauiter modulans, nimirum canens hinnos ſpirituales ex hac lacrymarum vallę ad hortum delitiarū cęleſtem migrauit, vt piè credere inclinamur, contigit ipſius obitus xv. kal. Octob. 1600. iacet humatus in Eccleſia (vt ſupra dictum eſt) Sanctæ Mariæ Portę Cœli, & cum alijs Apoſtolica benedictione perfruitus eſt.

De Patre Matthęo Laurino.

24 QVartum locum ſequens, uita eſt ſpoliatus Pater Matthęus Laurinus Neapolitanus Kal. Maj In Religionem intrauit 1593. v. Non. Maj 1595. profeſſorum in numero aſcriptus eſt, qui quamuis eſſet male ſanus, & Aſmaticus plures tamen Religionis Conuentus peragrauit; Genuam principio illius Fundationis demandatus eſt, at quoniam Regionis iſtius aer admodum ei aduerſabatur, Neapolim regredi neceſſe habuit, inde deſtinatus ad Siciliæ Fundationes ire, eademque ob cauſam valetudinis remeauit, Dominus enim, qui ſeruorum ſuorum coronat peregrinationes, & labores, maiori illum nobilitare laurea pręfixerat, cum autem Neapolim repetiſſet inſtanti prece quæſiuit Nolam cum reliquis Patribus ire ſeruitum ęgrotis, quamquam ſibi opitulatore potius indigeret, attamen Superioris veniam, & obedientiam nactus eſt. Non minus, ac reliqui Patres viribus potentes ardenti zelo, ac dilectione ęgrotis in omnibus ſubſeruiuit; quapropter in grauiſſimam, atque ardentiſſimam incidit febrim, quam multi, & atroces comitati ſunt dolorum aculei; inter quos quaſi inter flores ipſe geſtiebat, optime noſcens in ſplendidam verſuros in Cælis coronam, armatus Eccleſię Sacramentis, quę perdeuote ſuſcepit, obiit ix. Kal. Ian. 1600. eius oſſa claudit ſepultura (vt relatum eſt) Sanctę Mariæ Portę Cœli: modulamine canere muſico, cymbalumque pulſare delectabatur, quod diebus communis refectionis Patrum, tangere P. Fundator ob

cete-

1600.

ceterorum Patrum animi relaxationem, demandabat, prompte obtemperans Pater Matthęus in hoc, reliquisque obedientiæ oneribus extitit.

De Patre Francisco Antonio Vitellino.

25

Pater Franciscus Antonius Vitellinus Neapolitanus nouissimus supra nominatorũ Patrum,& ętate,& obitu,ac ꝓfessione cẽsetur, non tñ puto posterum in labore, & meritis viii. kal. Ian. 1594. amictus est Religionis habitu v.kal,Mai 1597.Romę professus, inde Partenopen trãsmissus est studiorũ causa. 1600. sacrum Missæ celebrauit decurrente ætatis suæ anno 26. Quando uero Pater Camillus Nolam appulit præfatum Patrem Franciscum Antoniũ in manibus chartulam ducentem adinuenit, ubi quinquaginta circiter ægroti signati continebantur,quorum Confessiones eodem die erat auscultaturus, quod ualde ærumnosum profecto factu erat, & pene impossibile;quandoquidem segregatim per urbem, & uillas, ac rura ægri decumbebant in lectis,itaque integro eo die oportebat peragrare milliaria sub ardenti Sole plusquam duodecim; unde solum illius spatii circuitio satisfuisset quemlibet,quamuis firmo robore vigeret à prima luce usq; ad uesperum occupatum, ac ualdè fatigatum detinere:laboriosa profecto ei contingebant onera, quandoquidem, & ætate, uiribusque alios præcellebat, addebat enim alas oneri, eius ardens uoluntas bene operandi, nonnunquam propriis scapulis mortuos traxit ad sepulturam, cum deesset, qui illos ueheret, etenim contagium cuncta messuerat: præclara siquidem ibi operatus est facinora Franciscus Antonius, quem summopere Ciuitatis Gubernator apud Patrem Camillũ commendauit,eiusque narrauit egregia facta. Demum non secusac reliqui Patres eius contubernales æger Neapolim venit, longiori morbo vexatus, quã reliqui memorati quatuor; iugitet Deo bonorum omnium parente in ægritudine grates referebat, qui tandem Ecclesię Sacramentis confirmatus occubuit,& in templo Diuæ Mariæ Portæ Cœli eius ossa quiescunt obijt vii.Kal.Oct.1600.Animaduertẽdum est his prænarratis suis in Christo filijs officium exhibuisse Marthæ; munus scilicet valetudinarij adimpleuit cum eis Pater Camillus,illis peramãter deseruiens, dum ægrotarent, animamque exhalantes Deo summo compluribus precibus commendauit, cupiens, se omnium laborum, quos sui Religiosi ægris, illisque miserandis personis eo in contagio exhibuerant,participem numerari.

P.Camillus valetudinarij munere erga suos fũgitur.

26

Superest vt quandam epistolam referam, quam Nolanus Episcopus Roma Patri Camillo transmisit, cuius tenor est,qui subnectitur,est enim pro responsione alterius ad illum à P.nostro directæ.

Epistola ab Epo Nolano ad P.nostrũ directa.

27

Reuerendissime, ac maxime obseruande Pater:dum litteras Paternitatis tuæ perlegerem, oculos à lacrymarum copia cohibere nequiui, per quas summas Ciuitatis meæ Nolæ, atque viciniæ calamitates, & miserabilem luctum, funestumque aspectum, in quo depressa iacet, comprædendi;hæc adeo mentis meæ aciẽ densa doloris caligine offuderunt, vt prorsus animum vis doloris obtenebrauerit, nil aliud perago, quam diuinum implorare iuuamen, atque Sanctorum huius vrbis protectorum patrocinium, vt cuncti reddantur incolumes, nostrorumque misereãtur,atque altissimum deprecentur,vt nobis ignoscat; Omnem adhibui vigilantiam, ac studium, hic inuenieniendi causa homines, ac Sacerdotes huc transmittendos, nihilominus vsque adeo reperi

ne-

neminem, qui ad vos velit tranſire. Quapropter Paternitati veſtræ Reuerendiſſime grates ago ob nimiam caritatē, quā (ſic enim per litteras Abatis Melchioris agentis mea negotia accepi) in iſta Ciuitate, ſuiſque confinijs, ac pagis Patres veſtri exhibent, indiſcriminatim cunctis pauperibus ægris opitulādo; atque tantundem meo nomine vocati, mihi dignati ſunt fauere, non tantum illic deſignando Sacerdotes ſui ordinis, verum, & ſeipſum conferendo; & quemadmodum iam antea ingēti me deuinctum perſentiebam ſtricto obligationis glutino, abhinc nempe anno 1594. ſimili in neceſſitate contagij, & aeris infectione; modo vero duplici vinculo teneor; etiam ſi memetipſum traderem, tot obligationum ligaminibus nihil agerem. Inſuper accepi per litteras Abbatem Melchiorem, qui vices Vicarij gerit, graui morbo laborare, nec puto præſentibus, ac vrgentibus poſſe mederi neceſſitatibus, quapropter virtute præſentis vniuerſam meā auctoritatem Paternitati veſtrę confero, atq; communico quoad omnes caſus Epiſcopales, atque adeo in omni alia re ad officium Vicariatus ſpectante, valeat nimirum omnibus mihi ſubiectis perſonis præcipere, confeſſarios approbare, presbyteros coarctare, delinquentes, & ſuis ordinationibus contrauenientes mulctare, ac ſi Paternitas veſtra meam perſonam exprimeret; præterea totis præcordiis aſſeuero, ac mando, vt domi meæ pro ſe, ſuiſque Patribus omni commodo vtatur, ac rebus, quæ inibi reperiuntur, & quæ deſunt, expetat, & meo nomine ſibi dari ab ærario menſæ Epiſcopalis quamcumque pecuniarum ſummam concupierit, imponat, & ſuo placito, quæ opus fuerint ſibi, ſuiſque patribus prouideat. Vobis omni conatu, ac fletu has miſerorum animas commendo; atque à Domino Paternitati veſtræ ſalutem, & omne gaudium imploro. Romæ xiv. kal. Sept. 1600. P. V. Reuerendiſs. Amantiſsimus Seruus Fabritius Epiſcopus Nolanus.

Traditur noſtris ab Epo Nolano in ſpiritualib., ac tēporalibus facultas ampliſſima.

28 Qua poteſtate, ſeu ampla iuriſdictione ferme totā vrbem Nolanam ad Dominum direxere, multumq; animabus profuere. & quanto miſerabilius corpora languebant, ac gemebant, tanto uiuidius ſpiritus uirebat. Multoties enim uiolenta, & miſeranda mors cauſa eſt animæ maximi boni, vt in ſapientia ſtulti, ſed uera loquentes fatentur, nos inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quare ea facultate multi inquam a patribus tracti ſunt minis, & blanditiis ad frugaliter uiuendum, qui poſtmodū honeſta morte è uita migrarunt, alii, qui uitiis addicti fuerant, ſemoti ſunt, nōnulli in damnabili cōcubinatu marceſcentes, uel à concubinis prorſus euulſi ſunt, vel eas in matrimonium duxere: unde ſumma Dei bonitas, ac ſapientia interdum mortalitatis permittit ſtragem, ſed Miniſtros benigniter ſpirituales, ac idoneos concedit, ut deſtructa macerie corporis, anima tamquam columba poſt calamitates, & ægritudines patienter latas, eleuetur ad Deum. Ibi noſtri perdurarunt donec extincta ſedaretur lues. Si non intercederet alia occaſio niſi tantumdem huiuſmodi, à qua nemo audacter ſe liberum promittat; deberent nulla Regna, urbes, nullaque loca hoc inſtituto uacua eſſe. Verum ad nouam rerum deſcriptionem, nouus poſtulat annus, properandum.

Quantū ꝑfecerint noſtri ea adepta poteſtate.

1601.

Annus Domini 1601. Religionis xj. Mantuæ Noua Domus ſtruitur; Militibus ægris caniſium proficiſcentibus noſtri miniſtrant. Nonnulli Infirmi precibus Patris Camilli ſanitati ſe donatos ſenſere.

1 PAter Camillus adepta conceſſione per litteras Apoſtolicas perpetuum ſummendi intus Noſocomia incolatum, enixus eſt vniuerſis in domibus, quas in vrbibus extruxit, habere itidem intus Hoſpitalia iuge miniſterium, ac domicilium, quod exiſtimabat conuenire Religioni, tanquam nidum auibus, ſi commode tamen, & cum decoro poſſet obtineri; veruntamen ex hoc ſuo conatu plures, & quidem non exiguæ pulularunt difficultates, quas ipſemet multis in locis inſuperabiles expertus eſt, & quoniam ſuper hoc facto, ac diſcurſu multotiens lectoris mentem defatigaui, in aliud diuerto narrationem.

De P. Franciſco Amodio. Fundatur Mantuæ Domus.

2 PAter Franciſcus Amodius Bononienſis (lubeat de hoc Patre pauca receſere quando occaſio id vocare videatur) x. Kal. Maij in Congregationem receptus eſt 1590. poſt biennium profeſſus eſt 1592. cucurrit per multos, ac varios Religionis gradus dignitatum, vſque ad Conſultoratus generalis. Demum Mantuę functus eſt paulo ante peſtilentiam, quippe *1629*. Religioſus miræ humilitatis, & caritatis, qui ante ſui obitum cum Bononienſis Prouinciæ dignitatis clauum teneret, ipſe, quia reliqui Patres varijs interdiu, ac noctu occupationibus moleſtabantur, ſub noctem ianuæ curam ſibi aſciuit; vt omnibus adaperiret, cuius campanula non ſemel in nocte, ſed pluſquam credibile eſt reſonabat, ob illorum temporum morientium multitudinem, quæ non modicè vrgebat, quandoquidem Vrbs Mantuæ obſidione tenebatur, & annonæ magna inſtabat inopia, timoreſque ingentes, hinc frequentius vocati excitabantur Patres, vt animam exhalantibus præſto eſſent; ex hoc exercitio, laboreq; ac vigilijs defatigatus cecidit P. Franciſcus in lectum, & poſtmodum Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ſuffultus in mortem iuit: honeſtiſſima ſemper vixit conuerſatione, & morum integritate, & caritate mira erga infirmos, obedientiaq; decoratus, ac honeſtate; ſed Dominus permiſit Patrem iſtum non modice vexari à ſcrupulis, vt eum pene ſemiuiuum redderent; adeoque eius animum occupauere, vt oportuerit per Pontificiam diſpenſationem à penſo diuini officij ſolui, quod illi permutatum fuit, recitato ſemel in die Pſal. Miſerere; attamen ipſe die quolibet horas canonicas, ſed abſque onere, expeditis notis, & quiete recitauit; Pſal. verò Miſerere ſibi indictum clauſus in ſui cubiculo, non ſine graui mœrore, ac internis, externiſque ſudoribus per-

Affligebatur non modice à ſcrupulis.

ſol-

ſoluebat, ſemel, atque iterum, iterumque illum intermittens, & renouatis vicibus reſumens, modo alta, modo depreſſa, modo concitata, modo flebili voce, nunc repreſſis, ac remiſſis labijs, nunc ore hiante reſonabat, indicia manifeſta præbens interni, & crudeliſſimi belli, & fere per horam in his moleſtiſſimis contentionibus morabatur, quoad vſque proderet totum miſerere; extra ianuam ſuæ cellæ obſeruatùs eſt à Patribus non ſine magna omnium commiſeratione; adeo in eo præualuit anticus habitus, quem emendare difficillimum erat, quamquam alias proſperæ, & iucundæ eſſet familiaritatis Pater Franciſcus ſalutiſq; optimique temperamenti, vultu alacris, pilo ſubruber, carneque ſubgrauis, ſtatura, & membris proportionatus, gaudebat loqui de Deo: attamen ſatis moleſte, ac perturbatè dies propter ſcrupulos ducebat, aſſeuerauit enim ſibi à Deo ea permitti flagella, ne in aliquod dilaberetur graue facinus, quod facilè incurriſſet, ſi immunis fuiſſet illius moleſtiæ; has ſiquidem mentis deturbationes nedum patienter tulit, verũ & animo iucundo. Hoc retuli, vt quiſque ab hoc ſæuo tyranno ſe diſcutiat quamcitiſſime, à confeſſionibus obtemperando Patribus, doctiſq; perſonis, nec ſibi ipſi, neue quidquid ſuggerit infernalis anguis, fidem præſtet, ſed indefeſſe adnauiget contra ſcrupulos. Tandem ad propoſitum propoſitionem reducamus.

3 De cetero hic Pater ob ſua non vulgaria merita Mantuam, vt dictum eſt, ad ibi domum Religionis figẽdam deſignatus fuit, expoſcente Vincentio Quarto Duce Sereniſſimo Mantuæ per Illuſtriſſimum Patrem, ac Paſtorem Fratrem Franciſcum Gonzagam vrbis eiuſdem Antiſtitẽ, virum, ac Religioſum Fratrũ de Obſeruantia Diui Franciſci, & illis temporibus notiſſimum ob inſignes virtutes, quas coluit, nominatim prudentiam, ac litterarum facundiam; Illuc itaque extremis diebus menſis Maij adijt P. Franciſcus: poſtmodum vero ab eo Duce templum Diui Thomæ, ac domus hęrens templo conceſſa eſt, ſimul, & cura, atque habitatio iugis intra Noſocomium ſuſcepta eſt. Vbi ſex ex noſtris Patribus, qui ambidextri vtrique hominis parti, nempe exteriori, ideſt corpori, & interiori hoc eſt animæ amãter ęgris prodeſſe inuigilarũt vſq; ad annũ 1630. quo tempore non noſtri ab operè pietatis tepuerunt, ſed peſtis, ea tempeſtate exorta, fuit occaſio præcidendi illud iuge intra Hoſpitale miniſterium; non tamen aſſiduæ viſitationes mane, ac ſero deſertæ ſunt à noſtris. Itaque Pater Franciſcus pro ea domo erigenda, qui valde fatigauerat, ibique tandem (vt ſignificaui) functus eſt operum bonorum cumulatus, quos collegit reddẽs animam ſuo factori, largoque remuneratori.

Suſcipitur Domus Mãtuæ.

4 Cum Ciuitas Caniſij, Vrbs in Illirico non vulgaris conſiderationis, ſed ex nobilioribus illius Prouinciæ, capta Mẽſe Maij ſubiectaretur Turcarum immanitati anno 1592. menſe autem Iunii fluentis anni ingens apparatus bellicus conſtructus eſt in Liburnia (quam dicunt communiter Croaciam) vt ad eam Vrbem recuperandam proficiſceretur, quæ Ciuitas ſub Auſtriacorũ Ducum ditione conſtituitur: multi tum Chriſtiani nominis propugnatores Principes venere ſuppetias; præter reliquos Summus Pontifex Clemens 8. duodecim millia ſubminiſtrauit milites ſub regimine, atque ductu Illuſtriſſimi Domini, et Excellentiſſimi Io: Franciſci Aldobrandini eius nepotis, quem alii potentes viri ſunt imitati; duos in exercitus vocati ſunt noſtri ire opitulatum militibus ægris, in illum quippe Summi Pontificis, & magni Ducis Hetruriæ, huic quinque Patres, illi vero 8. exhibiti ſunt: & quia bellum varios habuit vndequaque euentus, multaque quoque confecit itinera, vnde extremos ſenſit

Deſtinantur ire Caniſiũ.

1601.

calores æstiuos, hybernaq; frigora vrgentissima, pugna hinc inde frequẽs fuit, & cruenta, quapropter & multum peragrare, atque adeo perpeti Patres oportuit, non tantum cum militibus communem fortunam transeuntes admodum aduersam, verumetiam in ministerio infirmorum incumbentes incommoda sustinuere non modica, quasi per annum; durum iugum, laboremque toto eo tempore protraxere, plurioraq; operati sunt pietatis opera noctu, quã die, licet interdiù non requiescerent pro tutandis ægrotis in discriminibus positis, nominatim animæ; nihilominus duo tantummodo ex tribus, & denis Patribus, qui cum acie profecti sunt occubuere morti, primus numeratur P. Franciscus Picurus Neapolit. in exercitu Magni Ducis, adolescẽs celebris expectationis, & Hieronymus Beuilacqua Parmensis in illo Sum. Pontificis, satis laudabiliter post multa, & præclara pietatis facta, atq; suscepta Sacramẽta.

Multa psene fere incommoda ea in missione.

Duo morte intercipiuntur PP.

5 Duo in hac bellica emissione notatu digna Patribus intercessere, quæ sane referam. Morabantur enim nostri Patres non plusquam tres, dum obsidione Vrbem Canisium cingebat exercitus; erant enim ibi tum sub papilionibus benignitatis munia impertientes, at repente duo ferrei globi pondere vniusquisque librarum quadraginta immissi sunt à bombardis, & tres alij, sed minoris quantitatis à magnis scoplis, qui per medium ipsorum Patrum vehementissimo sibilo penetrarunt, nullum tamen damni vestigium in eis reliquere, attamen ex maioribus globis vnus in arcam impetijt, vbi Patrum nonnullæ lini, ac lanæ vestes seruabantur, quas omnes ignitum ferrum adussit, soluitque in scintillã, Cruci venerabilissimæ pepercit, quæ cuiusdam Patris in pallio suta hærebat, cum totum pallium cremasset, vbi autem id animaduersum fuit, vniuersus exercitus obstupuit, & certatim eam tangere, ac deosculari conati sunt, Deo grates innumeras rependentes: quæ Crux perinde atque pretiosa reliquia per aciem circumducta venerabatur, adeout ex Ducibus quidã eam sibi præripuit, & in pectore subtus vestimenta, quasi munitissimam loricam sibi consuit, continuoque gestauit.

Crux in Patris pallio consuta illæsa seruatur, cremato pallio. Lib. 2. c. 9.

6 Alter globus ingens in Papilionis trabem impetijt, pariterque cremauit, tentoriumque diruit, sub cuius tegmine Patres consistebant, neminem tamen eorum læsit. Præterea duo sunt in hoc eueutu animaduersione digna; Insidebat enim Pater Picurus, iam supra relatus, cuiusdam militis confessionem audiens, & cum signum profectionis centuriæ datum esset, festinanter audita confessione, & impenso beneficio absolutionis inde abijt; sessio uero repente à bombardæ ictu in minutissimas partes redacta est, unde immediate surrexerat supra iam dictus Pater.

Eodem loco

Surgente P. à sessione ab ictu bombardę trita est,

7 Secundum autem, quod obtigit factum extitit, duo simul ambulabant quidam ex nostris vnus, & militiæ farmacopula alter, hæc ipsa pila priusquam sedem, & tentorij trabem demolita esset, farmacopulæ caput detruncauit, linquens Patrem illæsum, res quidem admirabilis; namque ei tunc Pater dexteram cesserat, in quam sane partem se conuertens ille minister actutum obtruncata ceruice decessit è vita. Sit enim citra omnem dubietatem, atque pro firmissimo iudicio Deum Opt. Max, maximi illos facere, curaque peculiari circumuallare, qui suorum pauperum mancipantur famulatui, quos quidem a præsentaneis tutatur periculis, idque fit potissimum, ne similibus successibus à pietate retrorsum se auertant, sed audentes, fidentesque in Domino obuiam eant.

Locis supra citatis.

8 Defluente mense Augusto P. Camillus Panormum adijt, ibi magnis hono-

ribus

ribus complexus est à cunctis potissimum ab illius vrbis præcipuis Dominis, nominatim à Prorege Maquedæ Duce, quem cum visum iret seruus Dei Camillus, semper stans, & deceƈto capite Patrem nostrum allocutus est, magna ipsum prosequens veneratione; hic postmodum Excellentissimus Dominus in Ecclesiæ Sanctæ Nimphæ erectione primum lapidem iecit, quem diluculo sollemniter Archiepiscopus Illustrissimus Dominus Franciscus de Aiedo Hispanus benedixerat. Facta est hæc sollemnitas hora meridiana, innumera Vrbis frequentia, & ingenti Nobilium virorum comitatu eò concurrente; in primo lapide talis insculpta descriptio extat. Deo O. M. Philippo Tertio Rege Inuictissimo regante, Don Bernardinus de Cardines Dux Maquedæ, & Naxare Prorex, Templi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Diuæ Nimphæ dicati, primum lapidem iecit, anno Domini 1601. Don Franciscus de Aiedo Archiepiscopus Panormitanus, quem benedixit.

Primus lapis infudamenta Eccl. S. Nimphæ à Prorege iacitur Panormi.

9 Eo tempore, quo Panormi demoratus est Pater Camillus, quasi per mensem mulier, cui nomen dederant Margaritam Pastoram Vrbis Architecti vxorē, pluribus hebdomadis vehementi capitis dolore cruciata languebat, ex voce ipsius alia præter lamenta signa non prodibāt, ardentiam febris, & vim doloris indicantia; præsentiens autem à quodam nostrorum Patrum sui Confessario, proxime venturum illuc Patrem Camillum, summis precibus petijt, vt ipsam visum iret (erat enim hæc mulier admodum de Religione nostra benemerita) rogatus accessit Camillus, & commiseratione permotus, vt fuerat efflagitatus, illam viuificæ Crucis signo muniuit, & statimatque cæpit decrescere dolor, febrisq; ignis, hinc infra triduum integram nacta est salutem, & è cubile surrexit; Cunctisque pandit, se per merita Patris Camilli adeptam fuisse incolumitatem: quapropter nō beneficij immemor; sed Patrem nostrum, dum Neapolim reuerteretur multis donarijs eleemosynaliter ipsi erogatis, cumulauit.

Gratiā sanitatis consequitur quę dam mulier prece P. Camilli.

Lib. 3. c. 26. in gestis vitę P. Camil.

10 Abhinc paucis diebus eadem in Ciuitate adeo maligne ab ardentissima febre vexabatur Don Aloysius Riccius, vt ex Medicorum sententia, ei mors indubie successura: Patris Camilli aduentum ægri mater cum percepisset, misit rogatum, vt domum suam pergeret filium ad visendum, & quem medica ars destituerat spe, à Patre autem nostro impertita benedictione, sperabat bene valeturam prolem, non frustra cogitauit (infirmi enim pater Sindici Ciuitatis honore fungebatur) ambo Religionis nostræ benefici, instabat enim P. Camilli discessus ab Vrbe Panórmi proximus, & quamuis ad eos pergere nequiuisset, nuntium tamen eò misit, vt æquo, hilarique animo essent, quandoquidem prolē cito conualituram, quem internuntium mente alacri parentes sensere, cum spe certa pignus recuperandi; hinc dempto vitæ discrimine, paucos intra dies à morbo confirmatus est puer; nostramque postmodum Diuæ Nimphæ Ecclesiam, ut Deo summo pro salutis beneficio, sibi ex meritis P. Camilli comparato grates ageret, peruenit.

Extat eodē cap. sup. cit.

Quidam à Medicis destitutos pariter conualescit.

11 Sed quæ Florentiæ eodem douoluente anno idem Pater est operatus, fuere mirabiliora: etenim in Hospitali Diuæ Mariæ Nouæ, quod est celebre Vrbis illius, demorans Pater. Satelles quidam æger, grauissime ab angina uexatus, ductus est, & quoniam propter nimiam inflammationem, non tantum uocis notas promere nequibat, atque adeo omnem sensum amiserat, quare nullatenus poterat sua crimina pandere, sed Oleo sancto inunctus relictus est, quæ res Patri Camillo relata fuit à Patre Hilario Cales Sacerdote nostrę Re-

Eodem lib. 3. c. 26.

Ab angina vexatus sanos euadit.

1601.

ligionis, iam functus opinione nimiæ probitatis, de quo suis locis extensa facienda est recordatio, eo nuntio P. Camillus internum sensisse dolorem indicauit, non leue emittens suspirium, de loco discessit, & ad ægri lectum deuenit, iam enim præsens adstabat Pater Stephanus Testetta, preces commendationis animæ perlegens, cui Pater Camillus illinc ire significauit; genibus procumbens, dexteram vero supra ægroti caput declinans per vnius miserere interuallum orauit, surrexitque, indeque sollicito gressu cubiculum suum petiuit; infirmus vero statimatque à Patre Camillo desertus est, quasi à graui somno excitus lumina, quæ stupida tenuerat adaperuit, reuoluitque, & neminem penes se contuens à lecto resilijt, sola superindutus subucula, suum queritabat benefactorem, cuius solum terga discedentis perspexerat; quapropter ambulans per Hospitale, qui sibi adeo fuerat beneficum peruestigabat cum omnium stupore interrogare audiebatur de Patre quodam proceræ staturæ, à quo nactus fuerat salutem; Pater vero Camillus se penitus abdiderat, vt leuē, vanamque mundi effugeret iactantiam, æger vero bene valens propriam adijt domum. Luce autem sequentis diei per valetudinarium deambulantem Camillum, aliqui ipsum ex coniecturis agnouere fuisse, qui sanitatem iam agonizanti restituerat; vt autem ad Camilli aures eiusmodi susurria peruasere, rursus secessit, & vt effecerat pridie, se occulit, at fama non potuit occludi; quandoquidem id factum in omnium auribus intonuit, plerumque fit, vt per eamdem viam, qua teguntur mira à Dei famulis patrata, per ipsammet notissime diuulgentur, sic contigit nunc P. Camillo, ac pluries idipsum ei euenit.

Ecdē lib. & c quo supra.

Liberatur quidam à quartana.

12 Delapsis itaque tribus, siue quatuor diebus à pristino facto, suique memoriam extinctam esse in Hospitali Camillus credidit, proptereaque illuc diuertit; vnde eodem in Nosocomio cum duobus ex suis Patribus sermocinabatur, nonnulla præcepta de bene ministrando infirmis constituens: & ecce alius æger nomine Antonius, cuius ars esse dicebatur, versatili mola gladios acuere, repente ante Camilli pedes procubuit, quos deosculatus est, huius rei nouitas Camillo displicuit, sed pietatis viscera ipsum illic retinuere, quasi fortissima ligamina; æger vero exoposuit se multo tempore quartana laborasse, & quamuis in ea curanda, cuncta bona consumpsisset, non propterea potuit eā à se umquā discutere; vnde cum magno fletu ab eo postulabat iuuari, vel saltem suam impertiret benedictionem, Dominumque pro eo depræcaretur, Camillus vero tantæ virtutis merita in se haud esse respondit, hinc ægro, vt surgeret, abiretque suadedebat, ille autem maiori cum instantia sanitatis gratiam velle repetebat, & ita immobilis eam petendo perseuerauit, denique Camillus ægrum ad Sanctissimi Sacramenti Altare remisit, vt ibi quinquies Dominicalem orationem, totidemque Angelicam persolueret salutationem, quo ab ægro peracto, ac si lauasset se in Natatoria, incunctanter ab omni ægritudine immunis euasit, neque posthac aliquando ab ea diuexatus est.

Loco citato quo supra.

Infās à Medicis propter morbum morte damnatus sanitati datur p̄ce serui Dei Camilli.

13 In eadem vrbe Florentiæ hac tempestate Dominus Nerus de Neri Patris Camilli perdeuotus, suum infantem filium in lecto ægrum continebat, quodam in capite apostemate vexatum, cuius iam proximam mortem expectabāt, erat quoque ab auditus sensu penitus destitutus, præterea magnis febrium caloribus ardebat, animum erga Patrem Camillum conuerterunt parentes, optimumque Medicum futurum eius preces putauerunt; quandoquidem medicinæ Doctorum spes omnis euanuerat, itaque vt ad se veniret rogarunt; viseretque puerum, quo perueniens Camillus, infantemque intuitus, non

mori-

moriturum protulit,cuius vox maxime lætificauit parentes,puerulum verò ſalutiferæ crucis ſigno conſtabiliuit, omni medicamine ſalubriore, & eueſtigio vocatus puer ſentire nutibus demonſtrauit, & quaſi reuiuiſçere indicia dedit, apoſteuma quidem illinc ad modicum temporis crepuit, poſt autem intercapedinem paucorum dierum omnino conualuit infans,qui binos tantum ætatis ſuç viderat Autumnos,redditusque eſt ingenti cum lętitia ſuis progenitoribus, qui gratiam à Patre Camillo ſuſcepiſſe; vndique per vrbem diffamarunt, maximopere eorum piam intentionē ergą Religionē poſthac operibus eleemoſynarum oſtendentes.

Annus Domini 1602. Religionis xij. Celebratur tertium Generale Capitulum. Ingentem maris procellam ſedaſſe Camillũ prece ſua, creditur. Duo adoleſcentes illuſtri natale orti, eiuſdem procellæ timore perculſi, habitum Religionis expoſtulant, & obtinent à Patre noſtro.

1 VSque adeo bina Comitia, iuxta bullam Gregorianam, habita fuerant ſpatio nimirum ſexenij, vtroq; peracto (vt moris eſt in Vrbe Romæ) ſingulo triennio; adhuc .n. omnia in litteris Apoſtolicis contenta nequiuerant obſeruari, ob domorum (quandoquidem non dum multas in Vrbes, & loca ſe extenderat Religio) perſonarum ob inopiam, & quamuis cautum fuerit in eademmet Bulla Conſultores vna cum Patre Generali permanſuros perpetuo; ꝑ Apoſtolicā tñ auctoritatē facta eſt aliquādiù reſtrictio Conſultorum ad triennium; perſeuerante tamen ſemper Patre Camillo in ſuo munere Generalatus. In hoc itaque tertio Capitulo; quia ſub noua, & Apoſtolica Bulla Clem. PP. VIII. inchoatum, abſolutumque eſt, ſecus prouiſum fuit, nempe Conſultores perſeueraturos in ſuo munere per ſexennium, & Religio quaſi iam pubertatis annos(vt ſic loquar) attigerat,per multa ſiquidem Italiæ loca ſe extenderat, & ſubditorum familia ſatis creuerat. Deuentum fuit his Comitijs ad plurium rerum in litteris Apoſtolicis expreſſarum obſeruantiam, & quoniam magnis oneribus adhuc grauātur Religio, tum Hoſpitalium,cum etiam commendationis animæ,atque adeo ſtudiorum, idcirco neque cuncta hucuſque complete obſeruari queunt; vnde alarum pennas, vt volatum ſui progreſſus capiat, nedum accepit. Deus enim optim. max. à cuius Diuina manu hæc noſtræ Religionis exigua planta conſita eſt, ipſe ſuis ſtatis temporibus crementum, abſolutumq; præſtabit adimplementum.

Incipit obſeruatio Clementinæ.

2 Ante hac illi ad Generalia Comitia ex peculiaribus Religionis ædibus Romam concurrebant, ad ſua ſuffragia nimirum in electione Conſultorum ſub-

mi-

1602.

Primus modus electionis comitiorum.

ministranda, qui à maiori vocalium parte domi illius vnde discedebant per vota secreta eligebantur: sub hac nimirum ratione; ex decem vocalibus vnus tantum delegebatur, tam Frater, quam Sacerdos; cum promiscue Consultoratus honore, siue onere sint capaces; emissa enim professione, statimatque ad vocem actiuam, ac passiuam quisque habilis iudicabatur; si vero fuissent quindecim professi solus vnus nominabatur; si vero præfatum numerum excederent, quia supereminebant denarij numeri medietatem, duo Romam ad Comitia ituri promouebantur, & sic in reliquo argumentari licet, hi quidem nominati, & electi vna, & Domi eiusdem Præfectus in Vrbem ad Generale Capitulum contendebant; qui mos, vt claret, antiquatus est, quod expresse declaratur per nouam Clementinam, forma ordinandi Comitia ea retinetur, quæ semper seruata est; illud tñ tunc temporis inuiolabile seruatum fuit, hoc est examinatis, & completis omnibus ad Religionis commune regimen, deinceps ad electionem deueniebatur Consultorum, ceterorumque Superiorum, Consultores item huius Capituli ad sexennium promoti sunt, vt Clementina præcipit, tempore huius Consultæ scilicet in exordio secundi triennij, nimirum anno quarto electio facta est Prouincialium, & quia primi in Religione extitere nominandos censeo, excepto tamen Patre Iosepho Catalano de quo supra memoraui, qui prior omnibus fuit, sed solus, & parumper sui muneris pẽsum exercuit, quandoquidem in ministerium infirmorum perrexit, quo tempore in Pannoniam nostri destinati sunt ire (sed aggrediamur iam, quod suscepimus) Romæ ad Prouincialatus gradum euectus est P. Alexander Gallus Patria Genuensis, qui postquam peragrasset plura, & digniora Religionis officia, solum excepto Generalatu, ad quem tantumdem non est promotus; Demum iuuentute florens ægrotauit morbo acutissimo podagræ in Vrbe Romæ, vt vero meliorasset Neapolim profectus est; vbi diutius nimirum per triennium grauiter contortus in lecto, manibus, pedibusque ex vi morbi, atque doloris innodatis, contractisque, anno tertio Generalatus Patris Sanctij Cicatelli decessit, Ecclesiasticis Sacramentis vallatus, datus est sepulturæ in Ecclesia S. Mariæ Portæ Cæli Neapoli. Secundus Pruincialis P. Blasius Opertis electus est, in Prouincia quippe Neapolitana. Mediolanæ; Prouinciæ, seu Liguriæ effectus est Pater Sanctius Cicatelli Neapolitanus, quem pariter quartum Generalem crearunt, vt infra patebit; alterum locum in electione Prouincialiũ Bononiæ obtinuit Pater Marcellus Mansius Neapolitanus, qui paucis ab hinc annis Romæ functus est, munitus Sacramentis. Cucurrerant etiam ipse per multos Religionis gradus, ad Consultoratum vero Generalem plusquam semel, binos composuit libros, vnus inscribitur, Ordo Commendationis animæ, & secundus, Consolatio eorum, qui vita finiunt sententia Iudicis, seu in patibulo suspensorum; receptus est ad familiaritatem aliquot Eminentissimorũ Cardinalium, à quibus dilectus aliquandiu vixit, sed mors omnia soluit. In Trinacria demum Pater Franciscus Antonius Niglius promotus est. qui tertium locum in Generalatus præfectura occupauit. Per has quinque Prouincias vsque modo, quasi per quinque principaliora membra Religio nostra se dilatat, ac moderatur, quasi per tot canales influit, hoc est singularũ Prouinciarum domus suscipiunt directiones à P. Proninciali, præfectorũ autẽ cura solum respicit regimen domus illius, cuius præfecti munere fungitur, vt constat per ordinationes, & decreta Religionis, verum Constitutiones, Superiorumque electio-

Erectio Prouincialium primo loco.

Ordo regiminis in Religione.

nes

1602.

nes,& alia grauis momenti à R. P. Generali, & Patribus Conſultæ determinata veniunt, vt per Bullas, & Comitia iam ordinata clarent. Paulo ante appoſui; paucis abhinc annis occubuiſse P.Marcellum Manſium, intellige, a conſcriptione huius voluminis, cuius exitium euenit circiter annū 1633. qui reliquit ſuper cantica Salomonis perutile volumen inchoatum.

3 Abſolutis Generalibus Comitijs, quibus datus eſt finis xvij Kalend. Maij, Cardinalis Eminentiſſimus Saluiatus, qui noſter extiterat Protector, ad meliorē ex hac ærumnoſa migrauit vita, eius ægritudinem, & obitū magno mœrore, & pcibus comitata eſt Religio; in ipſo quidā mortis articulo Camillus nō immemor ſui benefactoris, ſed pręſens, ac ſolers conſtitit Deo ſummo eius offerendo animam, inſtanterque pro eo deprecando, quoaduſque à corporis ſoluta foret compagibus, quam amiſſionem mærens ſenſit quoque.

Diem ſuum obit Card. Eminentiſs. Saluiatus Religionis Protector.

4 Circa dimidium menſis Septembris ſupra Sereniſſimæ Reipublicæ Genuę triremes Neapoli ad eam Vrbem verſus nauigabat vna cum pluribus ex ſuis Religioſis Camillus, & adeo ſæua ſe erexit tempeſtas, mariſque impetus innundauit, ſupra, & intus triremes ſe ſe immergens, vt immaniter hincinde iactarentur, ita tamen, vt ſpem omnem amiſerint euadēdi, itaq; nec tempus, nec locus confitendi diſtinctè peccata permitteretur, clamabat quiſq; ad Dominum alta, & lachrymabili voce, miſericordiam; aderat enim eadem in trireme Illuſtriſſimus Dominus Marchio Imperialis vna cum eius coniuge, quæ ante Patris Camilli pedes procubuit plorans, vt inſtantis innundationis, & ſubmerſionis periculum euidens ſuis precibus auerteret; ad Dominum orationes conuertite ſubiecit Camillus vos, vos autem id poteritis impetrare, nō ego quidem, qui peccatorum omnium ſum miſerrimus; illi vero plus anxietatis pleni dicta rediere eadem, ab eoque poſtularunt, vt ſaltem pro ſerenitate quinquies Salutationem Angelicam, totidemque Orationem Dominicalem perſolueret in memoriam, venerationemque Domini Stigmatum, quæ recolere ſentiens Camillus, quorum erat deuotiſſimus, ſtatimac ſe commoueri perſenſit, nec ultra renuere auſus eſt, ſed deorſum triremis in cubiculum uenit; uix ſane inceperat orationem, quando ſubito aſcendit ad Altiſſimum deprecatio, & tempeſtas ſedata quieuit, ita ut illud Pſalm. liceat proferre. Cum inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ; Itaque illæ amaritudines, & lacrymæ uerſæ ſunt in lætitiam, & qui paulo ante pectora tundentes miſericordiam à Domino unanimiter uociferabant, modo lætis præcordijs erectiſque oculis, manibuſque ad ſidera grates Deo referunt, qui per famulum ſuum Camillum ipſos ab euidēti ſubmerſione ſaluos reddiderat. Cum autem poſt orationem Camillus ſurrexiſſet, & intuiti illum eſſent; ad eum confluxere, quem ut magnum Dei ſeruum uenerati ſunt, quos ipſe increpans, ſubintulit quieuiſſe tempeſtatem, ac ſuperueniſſe ſerenitatem ob ipſorum, non quidem ſuas, preces; illi uero inclamabant uix deſcendiſſe ad puppis cubiculum oratum, quando uenti, & undæ intumeſcentes, certa ſigna tranquillitatis dederant; adeo tamen Camilli auctoritas penes totius triremis gentem creuit, ut etiam inibi bini adoleſcentes ante Camilli pedes procumbentes, habitum ſuæ Religionis inſtanter petiuerint, quibus libenter Camillus conceſſit; uni autem nomen fuit Paulus Grimaldus filius Ducis Eboli, qui poſtmodum Romæ emiſſa profeſsione cum laude deceſsit. Alteri uero nomen erat Damianus Corſus, qui Mediolani tempore ſuæ probationis hac mortali ſpoliatus eſt veſte.

Sæua tempeſtas incurritur.

Lib. 2. c. 10

Sedatur prece Camilli tempeſtas.

Bini adoleſcentes à tēpeſtate pculſi habitū noſtrum induunt.

1602.

Excitãtur à sõno noſtri ad obeundũ munus corã moribundo.

Hac tempeſtate Romæ in radicibus Montis Quirinalis in domo cuiuſdam mulieris ſpiritum agentis, dum noſtri Patres commendationis animæ munere fungerentur; contigit poſt longam noctis moram, abſolutis de more, precibus, multiſque munita infirma ſpiritualibus documentis, factiſque proteſtationibus, aliquanto longius iuere, ut parumper quieſcerent ſupra aliquod ſcãnum, ſeu ſedem, non autem proximæ mortis indicia præſeferebat mulier, uix tamen declinato capite, ſomnus irrepſit in eos, & ecce unus ex his Patribus, qui nominatim munus exercebat, bis grauiter ſe perculſum ſenſit, qui tremẽs apertis oculis neminem uidit, ſed putauit intercedere, quod euenit; cucurrit enim ad infirmæ cubile, quam omnino conſpexit extrema ſuſpiria emittentem; unde paucis abſolutis orationibus agonizantibus legi conſuetis expirauit, & profecto ni taliter exciti fuiſſent, abſque Patrum præſentia, ac illis ſpiritualibus præſidijs morti ſuccubuiſſet, pie arbitrati ſunt à Cæleſti cuſtodia Angeli mulieri aſſiſtentis, fuiſſe eo modo tracti, non tantum propter bonum ipſius mulieris id eueniſſe opinor, uerum ut innoteſcat quanti hoc munus ſit momenti, quantoque Deo ſummo gratum, proximis utile, Sanctiſque Angelis iucundum; qui dignantur ad illud obeundum ſeruos Dei ſomnos excitatos deſiderare.

Annus Domini 1603. Et Religionis xiij. Viterbij Domus extruitur; De Patre Adriano Barra eius Fundatore aliquid intermittitur, Rurſus grauem maris tempeſtatem euadit Camillus.

Extruitur Domus Viterbij.

Recurrente Menſe Iulij Anni iſtius Domum erectum Viterbium miſit Camillus Patrem Adrianum Barram, inſtanter vniuerſitatis illius depoſcentibus primoribus viris, & Illuſtriſſimo Epiſcopo Matthæuccio. Domum cũ Eccleſia honorabili in loco conceſſam obtinuere ſub titulo Diuæ Mariæ à Podio, & poſtmodum Hoſpitalis curam, & iugem in eo habitationem ſuſcepere, quam circiter Annum 1622. deſeruere, propterea quod nos depulit mors, cum ea potiſſimum tempeſtate noſtrorum magnam copiam ſua falce ineuitabili ſecuiſſet.

De P. Adriano Barra.

PRæter reliquos ibi occidit Pater Adrianus Barra clauum Prouincialis tũ Romanæ Prouinciæ moderans, vbi propter ingentes labores, vigiliaſque pro loci illius infirmis impenſas diem ſuum obijt, vir ſiquidem extiterat plurimum orationibus intentus, modeſtiſſimæ, & honeſtæ conuerſationis, iugiter propriæ ſaluti, & Religionis emolumento, atque cremento intentus, & pauperum ægrotorum beneſicentiæ: promotus fuerat in tertio Capitulo ad Conſultoratus generalis dignitatem. De eo illud relatum accepi ab eius ſocio ex noſtris, qui ſecum iter agebat Romam verſus, numquam potuiſſe flecti, vt cum nobiliſſimo quodam viro ſimul cœnaret, quamuis bis, & iterum, ac pluries requiſitus, ac rogatus fuiſſet, ne ſcilicet à ſuis orationibus diſtraheretur, & ne parſimoniæ ſibi præfixæ excederet limites, quam ſemper ſeruauerat, maxime quia iucunda minime potiebatur valetudine. Sui ingreſſus in Religionem memoratur xiij. kal. Apr. 1590. profeſſio vero eodem Menſe 1592. Romæ ſicuti receptio ab eo in manibus A. R. P. Generalis emiſſa eſt. Hac permotus occaſione habitum ſuſcepit, vt fertur; erat enim ipſe iuris prudentiæ facultate decorus, qui certam pecuniarum ſummam exſoluerat, vt Auditoris cuiuſdam vniuerſitatis (ipſe autem genere erat Salernitanus) munus obtineret; & quoniam qui illi hoc ſpoponderat, eo anno, quo pollicitus fuerat, defecit in promiſſis, ſpondens tamen non dubitanter poſtero anno ſe id officium collaturum, qui parui pendens munus, & argentum, quod ſoluerat, impedimentum opinatus eſt à Cœlo immiſſum; vnde ſpræto ſæculo Religionem ingreſſus eſt, aſſiduo (vt ſignificatum eſt) laudabiliter vitam in ea protrahens, danſque pro Fratribus quieuit in Domino ſuſceptis Eccleſiaſticis Sacramentis circa annum 1612. In eiuſdem vrbis Eccleſiæ S. Mariæ à Podio ipſius oſſa quieſcunt, linquens omnibus eximij odoris exemplum, &

ſu-

1603.

superior, ac subditus silentij fuit obseruantissimus; quod sane argumentum est internæ illustratum fuisse diuina præsentia.

De quodam P. nullam intentante professionem.

Egressus à Religione cuiusdā Patris.

3

SEd diuersum alter eiusdem Domus Viterbij fundator, progressum, & exitum habuit, nomine Michael Angelus Marazinus uir forma corporis, & uocis organo perspicuus, sed non animo, & mente, lingua facundus, attamen illa in sui detrimenta admouit, latinis litteris plusquam uulgaliter, & eloquentia sufficienter imbutus, non autem sapientia, hic primi Capituli effectus est Secretarius, cuius acta latine, & concinne ab eo exarata leguntur, post quem hucusque nemo alius à secretis latina uersione illa congessit, id fit; vt ab omnibus decreta percipiantur, Præfecti honore Bononię decoratus est ab Religione, vbi magno populi applausu, & frequentia diebus festis sermones habuit ad populum, sed quoniam primis non responderunt succedentia, cæpit in regulari disciplina tepescere, & à multis concernētibus bonū regimen deuiare, ac in pluribus ad statum spectantibus perfectionis se Patri Fundatori, & Consultoribus opponere (periculosum ualde est uelle scire supra magistrū, potissimum in uia Domini) quapropter oportuit sub strictiori iugo obedientię coarctari, unde uenena murmurationis primitus euomere orsus est, postmodum dæmone instigante, ac præualente inualiditatem suæ professionis intentauit, & quoniam Patris Camilli, & reliquorum Patrum optimis noluit consultationibus acquiescere, prosecutus est litem, denique ea capita adduxit, ac probauit, seu uera, siue commenta ipse modo scit, & experitur, ut per superiorum sententiam ab Religione abscesserit, sibi multa post exitum bona promittens, sed cuncta mœstę recepit, nonnullorum sibi suadebat habiturum gratiam dominorum Religionis benefactorum, sed toto Cœlo errauit, quandoquidem statimatque ipse terga Religioni uertit, à nemine de Religione benefico agnitus est, in suis item grammaticæ gracilibus innitebatur adminiculis, ac illi nullum potuere afferre iuuamen, sola enim honorabilis uirtus nobiscum iugiter perseuerat; itaque ab omnibus quasi nudus destitutus est, ac delusus, qui in diuturnam ex mœrore, & egestate incidit ægritudinem, & demum æger in cubile intra quadam cauponam se coniecit, ubi miserandis uixit modis indigens alimentis, uiuensq; inops ex eleemosynis, unde plerūq; à nostris uictus refrigeria suscepit, ubi deniq; post lōgam morbi, & paupertatis uexationē functus est, flens, attamē immedicabiliter suā ab Religione separationem; istius patris infelix euentus hucusq; aliquos effecit in Religione cautos.

Finis eiusdē desertoris habitus.

4

Mense autem Augusti una cum pluribus ex suis nouitijs, atque professis supra Genuæ triremes Pater Camillus conscendit, ut Messana Neapolim peteret, prope Caprearum fauces maximam uentorum, imbrium, & undarum surrexit procella, è cælo graues pluuiæ, tonitrua, & fulgura uibrantia, flatus uero uehementissimi, & hincinde aduersi impetebant, unde conturbatum, & arena mixtum ab imo se reuoluebat mare, certumque naufragium minitabatur, multosque tempestatis uis demersos deportauit in fretum. Cunctis porro remigantibus ferrei compedes adempti sunt, cum omnes mortis seruitutem expactarent, instrumenta bellica iam signum dederant, ut si qua uia pateret, tutarentur triremes; dum enim inter hæc fluctuarent cuncti discrimina, lethi timores magis, magisque urgerent; se se uerterunt nimirum triremis Ca-

Procellam maris sustinet Camillus.

pita-

pitaneus, multique Domini Camillum verſus, vt adeo lacrymabili calamitati auxilio foret, & Dominum pro tempeſtate ſedanda depræcaretur, quibus ſerena mente eſſe omnes verbis placidis indixit, quandoquidem cito peremptturam tempeſtatem, interea illos adhortatur, vt ſecum in Præfecti triremis cubiculum deſcenderent, Dominum ad obſecrandum pro ſerenitate, qui protinus obtemperarunt, poſt quidem aliquantulum orationis, quoniam inib[1] nonnulli adſtabant, qui calamiſtro capillos contortos geſtabant, & oblõgam ceſariem comptam ducebant, quibus, vt eam tonderent, perſuaſit, quod illico effecere, & profecto ni vrgentiſſimum vitæ diſcrimen impendiſſet, proculdubio eam omnino non præcidiſſent, quam magno ſtudio, & arte creuerant, & longi temporis amiſſione compſerant, id ſiquidem non fuit minoris admirationis, quam pelagus ſedatum videre; hinc repente vox à Nauclero prolata irrupit eam imminutã, & pæne extinctam eſſe maris ſęuã turbulentiã, aeremque miteſcere, diem vero iam illuceſcere cæpiſſe; non ſurrexit ab oratione Camillus, cui intente oculis, manibuſque in Cœlum eleuatis, genibus vero flexit incubuerat, quin omnis quieuiſſet procella, Cælique aſpectus benignus apparuiſſet, gens autem illa Patris Camilli pręcibus adſcripſit, & procumbentes cum lacrymis præ letitia obortis eius manus, pedeſque, ac veſtes reuerenter deoſculari conata eſt; eo magis quando albeſcente die, ſe Vrbis Neapolis appuliſſe in portum inſpexerunt; vbi ſtatimatq; pro gratiarum actione ſacroſanctam ſuper Altare incruentam Hoſtiam Chriſtum Dominum immolauit Camillus, ſuiſque Patribus Venerabiliſſimam diſtribuit Euchariſtiã, & vt grates Deo referrent pro recepto beneficio protulit, qui Cælitus à naufragio ea nocte illos omnes non modo præſeruarat, atque adeo inoptatum reduxerat portũ; commiſeratus eſt item remigantis turbæ Camillus, quę admodum totis obſcuræ noctis horis remo inſtiterat, iactaq; vehementer fuerat à procella: itaque prandium domi noſtræ parari iuſſit, ſingulis, qui numerum ſuperauerant trecenum, impertiuit, vnicuique vini vrceolum, binos panes, dimidium libræ carnis, dapem, itemque fructus diſtribuit, qua refectione deiectas vires repararunt, animumque lætificarunt, huius Camilli liberalis eleemoſyna, & pia elargitio vſque etiam ad Turcas eiuſdemmet triremis ſe protraxit, ibi in catenis deuinctos: quandoquidem etiam ipſe Camillus, & ſui ex Hæbreis alioquãdo ſuſceperãt non modicas eleemoſynas; faſſus eſt præterea Seruus Dei nunquam ſæuiorem, neque periculoſiorem pelagi contrariam pertranſiſſe fortunam.

Plus pcibus ſedata credi tur pocella.

Lib. 2. c. 10. cit.

Remiges à Camillo reficiuntur.

5 Romæ his temporibus lætabundus caſus occurrit. Patres adierunt vocati ſub primam noctis vigiliam, vt cuidam in publico vrbis hoſpitio diuerſantem opitularētur animam exalanti; viæ ductor, qui illos vocauerat, antecedebat Patres, quem alloqui cupidi deſiderabant, vt obſeruari conſuetum eſt, ad infirmi nomen, ſtatum, ac profeſſionem dignoſcendam, & quamuis greſſus ſollicitarent noſtri Patres, vt ductorem alloquerentur, nullo tamen modo potuere, nec minus reſponſum ab eo ſuſceperunt, quamuis alte plerumque illum appellaſſent: vt denique peruentum eſt ad infirmi domicilium oſtio ab eo peroſtenſo, prorſus diſparuit, qua nouitate obſtupuere, percuſſa autem ianua patefacta eſt à Tabernaria, quæ demirata eſt, quomodo eo nocturno ſilentio iuiſſent illuc Patres non vocati; ſciſcitata tamen eſt, quis illos eo duxiſſet; vt intellexit quomodo vocati iuiſſent, aſſeueranter reſpondit, ſe nihil ſcire, ſumetenim ego hic cauponæ Domina, & in miniſterio cuiuſdam infirmi, qui me-

Ducti ſunt PP. ad moribundum a viro, quem Cæli nũtiũ opinati ſunt

1604. lior se habet; insuper sub vesperum satis commode cænauit, attamen si vultis, ait, eum potestis visere; intellexerunt Patres Cælitus fuisse forte ab Angelo infirmi Custode vocatos, ad ægri cubile accelerarunt, quos aspiciens ægrotus summo gaudio illos suscepit, tamquam à Domino demissos Angelos, sane eorum indigebat auxilio, tota nocte secum demorati sunt, sub aduẽtu vero diei, Animam suo Creatori restituit Infirmus ingenti illorum Patrum cum iubilo, tum propter nuntium, quem putarunt Diuinum, atque adeo propter optimũ finem ab infirmo peractũ, vt indicauit. Ob istos, similesque euentus sit Beatiss. Trinitati sempiternæ congeminandæ grates, & gloria decantanda.

Annus Domini 1604. Religionis xjv. Iuge ministerium, atq; Domicilium intra Hospitale suscipitur, & quę in eis operatus sit Camillus, & sui, innotescit.

Demisit onus triũ Hospitalium P. Camillus.

1 INter defluxum anni istius; onus quidem graue, & pene importabile, si humanæ vires, nempe fragilitas corporis, & mentis imbecillitas pensantur, secus si ad diuinam nobiscum gratiam operantem rationis oculus dirigitur, quod sibi, suisque imposuit Camillus, desumens Neapoli tria Hospitalia celeberrima nimirum Sanctissimę Annuntiatæ, Incurabilium, ac demum Sancti Iacobi Hispanorum.

2 Sed quoniam recurrit sermo iterum meminisse Hospitijs Sanctissimæ Annuntiatæ, dudum, quod accidit referam, cum hæc typis mandantur. Anno 1639. mense Iulij (vt alibi notanter signaui) ministeria nostri, assiduamquecommorationem intra Hospitale Sanctissimæ Annunciatæ Nepolis deseruerant, id operante dæmone, vt arbitror, aliquot Ministrorum ope vtendo, Dominis Gubernatoribus vana suggerentium, totumque effectum esse ab hoste communi; vt hi inopes ægri in anima paterentur, & corpore, in quibus à nostris Religiosis non mediocria reportabãt refrigeria, maxime mortis in certamine, & in Sacramẽtorũ collatione, atq; dum ad eadẽ disponerentur. Modo instante anno 1640. Mense Octobri, instanter vocati, & efflagitati à beneficentia præsentium, ac Præsidentium Dominorum dicti Nosocomij, nominatim à Perillustri Domino Francisco ex vetustissima, ac nobilissima Familia Tomacella, iterum illuc non sine grauibus difficultatibus regressi sunt Patres: qui sicut ab vniuersa ea Sacra Domo letanter suscepti sunt; ita nimia liberalitate circa temporalia tam beneualentes, quam dum infirmantur prouidentur. Sciãt tamen vice versa nostri, illis animarũ, corporumque eorum pauperum demandatam esse peruigilem curam, & sicuti facientibus, quæ debentur, magna reposita est corona, fulgẽsq; in Cęlo; ita tepentes non effugiẽt Dei flagella. Operante in ea receptione labore, ac prudentia A.R.P. Prou. Fräcisci Ant. Viola.

Iterũ iã interruptũ ministeriũ infirmorũ intra S. Nũtiatę item recipiunt nostri.

3 Profecto si Religio nostra ex vetustissimis, ac numerosioribus, quæ in Ecclesia Dei militant Religiones foret, extincta fortasse, vel quasi exausta decidisset, ob labores ingentes, ac perpetuos in eis, quos sibi, suisque exhibendos,

asci-

aſciuit Camillus: vnico verbo multa compræhẽdã; quaſi omnia cuiuslibet generis munia pietatis noſtri inibi obibãt; antiquitus .n. in magno numero diuerſabantur. Solummodo in Sanctiſſimæ Annunciatæ Noſocomio aſſiduo nocte, & diu duodetriginta incolebant, præter illos Patres, qui ad ſubſidia in operibus pietatis præſtãda ex domo noſtra eo cõcurrebant: ſed quia de his plura ſupra commemoraui, ad eum locum me refero: reſtant tamen aliqua de Sãcti Iacobi Xenodochio dicẽda, quæ paulo inferius præſentis anni ſeries exponet. Permagna ſiquidem, & non vulgaria, ſed rara, atque miranda extitere, quæ in eis operatus eſt Cam. vt non homo infirmus, veluti erat; ſed ęſtimari poterat æneus potius, incredibilia ſunt quidẽ, quæ Diuinus, & proximi ardor valuit in eo perficere, & non tantum in ipſo, atque in ſuis etiam alumnis, de ipſo nunc liceat pauca recenſere, tum in his iam dictis, atque adeo in alijs operatus eſt Xenodochijs. Bene Apoſtolica verba in eius aure inſonuere, aſt optime germinarunt in corde, caritas fraternitatis (ait vas electionis Paulus) maneat in vobis, & Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, pauloq; poſt eodem in capite ſubiungit duplicando quaſi eumdem ſententiæ tenorem, beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci talibus enim hoſtis promeretur Deus; quam doctrinam non in fronte alligatam, ſed in animo inſculptam nunquam delendam detinuit Camillus, plurimique ex ſuis: vnde amore ęſtuabat, vt benefaceret his deſertis pauperibus in Hoſpitale: nil aliud ſane in eis præter Dominum IESVM Chriſtum infirmũ contemplabatur: quapropter maius negotiũ, vel vrgentius ipſi contigit nunquam, cuius cauſa, vel aliquando infirmorum ſeruitutem deſtiterit, vel in ea quodammodo tepuerit; & quidem huic famulatui omnia poſt habuit, etiam quandoque proprij corporis munia neceſſaria, & ſola recordatio, ac viſus ægrotorum potens in eo fuit viſcera ad pietatem taliter commouere, vt ad eos ſubleuandos non iret, ſed curreret, ſed volaret; & horum imaginatio in repræſentando Chriſtum Dominum non communis, ſed potentiſſima fuit; adeo vt interdum eis miniſtrando ſuorum à Domino expoſtularet peccatorum veniam, ac ſi aperte cum Saluatore loqueretur Diuini amoris affectu liqueſcens. Tantum inquam in ſui mente dulcem IESVM expreſſum habebat, vt ægrotorum ante præſentiam, ac ſi coram Domino ſtaret, ſumma reuerentia, atque attentione miniſtrabat, plerumque aperto capite, & genuflexus ci bum in eorum inſerebat os.

Vehemens Camil. imaginatio Diuinæ præsẽtiæ dũ ęgris miniſtrat.

4 Cum aliquando in Noſocomio Sancti Spiritus Romæ cuidam ſubſeruiret ægroto, poſt exhibitum pietatis munus, ante os ægri genuflexus procubuit, laborabat autem infirmus horribili, ac peſtilenti cancro in vultu, peſſimum emanãtẽ nidorem; Camillus vero quaſi fragrantẽ violam gratabundus ſuſcepit illum, & ceu manantem à viſceribus ſui Domini; contemplabatur enim ea vulnera blandis oculis, totoque vultu hilari, quibus ſuperaddidit verba, qualia ſolet amans, qui amaſiam deperit, plerumque promere, vocabat ægrũ Dominum, animæque ſuæ dilectum, ac delitias cordis ſui; rogabat inſuper, ſi quid pro illius dilectione agere dignus eſſet, protinus imperaret, tam alte in eius præcordijs expreſſa Saluatoris Imago in paupere figebatur, hinc interdum per Hoſpitale geſtiens præ lætitia tripudiabat, præſeferens cæleſtis flammæ ardorem, ac ſpiritus dulcorem, qui ab ipſius ore rutilans indicabatur; nonnunquã extra ſe raptus viſus eſt infirmo ſubminiſtrans edulia, quod animaduerſũ eſt à ſodali.

Profert verba dulciſſimę dilectionis dũ ęgros alit.

5 Quandoquidẽ Seruus Dei quemdam ægrũ dũ cibaret, ſocius contuitus eſt

ipſum

1604.

Cibādo pauperem extra se rapitur. Lib. 3. c. 4.

ipsum non ad os extendisse escam, sed extra longe ab ore porrexisse, immobilemque illam tenere; tum sodalis, ait, præbe quæso Pater mihi dapem, meum enim erit hunc cibare ægrotum; tum vero nequaquam id erit, respondit, ad sese conuersus, Camillus, & prosecutus est bolos in os ægroti inserere, promens multa diuinam redolentia suauitatem, amoremque verba; huiusmodi euentus non semel, sed compluries obseruatos fuisse à socio traduntur, quẽadmodum postea cum iureiurando testificatus est.

6

Vocatus à Reuerēdiss. Cōmēdatore renuit ire quoadusq; finierit pauperi ministrare

Olim Reuerendissimus Sancti Spiritus commendator Camillum misit vocatum ad se, qui applicitus in quodam reperiebatur ministerio infirmorum, protulit, nolle, neque posse Domini famulatum linquere dimidiatum, aut imperfectum, postquam aũt (ait) absoluero, huic operam ægro impendere, dominationem suam Reuerendissimam adibo, prout egit, à quo Domino humanissime receptus est, pluris faciens eius caritatem flagrantem, quam si post habitis omnibus ad ipsum confestim cucurrisset, qui in discessu magno honore Camillum affecit, ipsum comitando per omnes domi suę gradum, quod solum grauissimis personis, atque prælatis exhiberi consuetum apparet.

7

Modus, quo lectos reficiebat.

Quando sane lectos pauperum reficiebat, tantam curam, & animaduersionem adhibebat, quasi integro eo die aliud quid non esset operaturus, cuncta intentissime reuoluens operimenta, linteos, puluinaria, culcitras, vsque ad lecti tabulas, & scamna, manus, atque brachia intus stramenta, & plumeas culcitras immergens, minutissime paleas, atque plumas vertens, atque reuertens, itaut ex eo motu totus graui puluere infestus offunderetur. Cum verò à quodam rogaretur ægro, vt eius sterneret lectum, parum absfuit, quominus irasceretur (iuxta Psal. versiculum irascimini, & nolite peccare) quoniam quasi offensus protulit hæc dicta ægroto, *Deus tibi mi Frater parcat hãc noxam, an ignoras forte, non rogandi, sed me præcipiendi habere auctoritatem? sum etenim ego vestrorum omnium Minister, famulus, atque mancipium;* inter colloquendum protinus, atque solerter manus ad lectum sternendum admouit, compleuitque omnino ægri desideria.

Indignatur Camil. quia rogatur, & non præcipitur ab ægro.

8

Si forte quis vi morbi pertesus lamentaretur, non suscepisse ab eius opera absolutam satisfactionem, & famulatum, ab ipso nequaquam proficiscebatur, vsquequo operatione, lepidisque sermonibus illius voluntati morem gessisset; vnde cum cibaret vlceratum hominem, satis moleste ab acoleis vlcerum cõtortum, nec quid vellet, dignosceret Seruus Dei; vnde consequens fuit, vt neque Patris Camilli ministerio conquieuisset, sed lamentabatur, id prænoscens Camillus blande infirmum consolari studuit, obsecrans, vt ostenderet, in quo illi esset opitulaturus; quare post adhibitam longam, ac vigilem curam, atque laborem æger sibi satisfactum esse respondit; nec inde sane secessisset Camillus, ni illa verba ab ore infirmi percepisset, sibi bene serui tum esse.

Non proficiscitur ab ægri lecto ni fateatur æger sibi bene satisfactum esse.

9

Dum reficeret Seruus Dei grauissimi cuiusdam ægri in Nosocomio Sanctissimæ Annunciatæ Neapoli cubile, in eo multam intuitus est vermiculorum congeriem, ex eiusdem ægri pure prodeuntem, inde sumens Camillus puluinar, quod foramen lecti obturat, in eo enim plurimi coaceruatim commouebantur, quos sibi ori palmis eleuatos appropinquauit, ceu rosas odoratas, naribus admouit, & quasi gemmas speciosissimas contemplans intra manus simul iunctas continebat, suis Religiosis, qui circumaderant ostendens, aiebat, filioli mei, hi sunt pulcherrimi flores, hæc sunt candida lilia, & venustissimæ margaritæ, quæ nostris capitibus ornamento sunt, si tamen deuicti

Infirmorum vermes quasi rosas, ac orientales margaritas manibus susceptos effert.

à sen-

à sensu similia agere non horreamus: ipse vero postquam ad Cælos lumina intendit, summas Deo grates retulit, qui suis, in tantis necessitatibus, atque angustijs, ægris consistentibus opitulandi impertierat ansam; omnem itaque seclusa mora ab infirmo sordem extersit, lectumque restituit mundum, abiectis inde pristinis immundis culcitris, atque operimentis; ò virum siquidem Euangelicũ celeberrimũ, qui omnem humanæ superbiæ faustum pessundasti; nauseosos vermes merito gemmas reputasti orientales, quasi à Paradisi aula illuc transmissas suscepisti. Faxit Dominus aliquid de ipsius pefectionis altitudine in nos transfundi.

10 Si autem ægri se nequirent erigere ipse solus, quamuis etiam æger, & ętate grandeuus proprijs vlnis illos subleuabat, supra alterum cubile eos collocans, idque tanta cautela præstabat, ac si magni Principis natum tetigisset, quid assero Principis? Cum sibi videretur Dominum in manibus gestare, quodammodo, ac si Sanctissimus Simeon senex Saluatorem in vlnis portaret, non plagas, nec febrium fœtores horrens, quinimmo ore, & vultu, ac ceruice sua infirmi caput contrectabat, quasi suũ declinans caput supra illud sui Domini plagatum: & quod ceteri magnam sibi inferentes vim efficiunt seruiendo infirmis, ipse summa lętitia, cordisque spirituali dulcedine operabatur; eoque temporis exiguo spatio, quo semotus à proprio lecto infirmus, & alibi collocatus, vt eius reficeretur cubile, tunc studebat adeo cõmode infirmum collocare, ac si inibi continuo fuisset permansurus, eius caput in sublime reponens, totumque corpus ne frigesceret coaptans. Si autem infirmus se poterat erigere, ipse pariter quam opem, & operam indiguisset impendebat, illũ per lacertos sustentans, si vero nudis pedibus incederet, ipse suis demptis crepidis, seu calceis in pedes ingerebat ægroti, ne supra nudam tellurem plantas firmaret, nil pendens de proprio incommodo, ac dãno, & certe ipsius vlcerata tibia graue detrimentum patiebatur, & forte ille infirmus assuetus pedes gestauerat nudos; sed Camillus nil de hoc faciens, suum incommodum, alterius faciebat sane commodum. Visus est etiam interdum proprium pallium supra infirmi membra reposuisse, ne ab algore molestaretur, seu tædio aliquo afficeretur æger.

Qua attentione mutabat Camillus ægrũ de vno in alterũ cubile.

Quibus in eo casu rebus cũ magno sui incõmodo prouidebat.

11 Hospitalium loca non amplius illi videbantur horrida, & miserijs, ac putoribus cumulata, sed amenissimus Hortus omni florum suauitate redolens, ac pomorum amenitate largè redundans, & profecto inde Camillus summæ virtutis, & mortificationis, & beneficentiæ, atque diuinæ dilectionis suauissima poma decerpsit. Cum aliquando Romæ ad Sancti Spiritus Hospitale pergeret Bartholomæum Crucem obuiam habuit Domi nostræ medicum, ac beneficum, qui percontatus est Camillum, quo iret; quandoquidẽ sero iam properauerat, cui quidem respondit; se placidissimum pomarium petere, vbi varia colliguntur poma, omnisque generis fructus, floresq; pulcherrimi, quod locatum conspicitur iuxta arcem Diui Angeli, maiori curiositate captus est Physicus, sciebat enim inibi nulla sita reperiri viridaria, rursus quæsiuit, cuius esset huiusmodi hortus, tum Camillus quasi subsidiens, fœcundissimum hortum, atque amenissimam, ad quem propero Xenodochium est sancti Spiritus; id peculiari cum lętitia vir ille suscepit, magisque in eius deuotione, totiusque Religionis creuit. Quondam item Camillus interrogatus à quodam nostrorum Patrum; qui forte putabat vitã intra Hospitalia valde ærumnosam ducere, quo pacto in Nosocomijs vale-

Hospitalia ei visa sunt pomaria.

Requisitus quo iret qd respondit.

Interrogatus circa habitationẽ intra Hospitalia quomodo satisfecit

1640. ret, optime respondit, & quasi terrestri interesse Paradiso, cum spe tuta in Domino Cælestem illum, ac felicissimum nanciscendi.

De forma exterioris faciei P.Camilli.

12 SEd alia priusquã subnectam de P. nostro visum mihi est de ipsius forma corporis quædam subtexere; vnde magis quantum in eo diuina gratia fuerit operata innotescet. Pater Sanctius Cicatelli, qui Scriptor extat vitæ, & actionum Patris nostri Camilli in calce sui voluminis effigiem delineare faciei externæ satagit; postquam nimirum de ipsius moribus, & gestis erexerat ædificia. Asserit itaque eius staturam octo cum dimidio extitisse palmorum: & licet ipse dignouerim, ac pluries cum Patre nostro sermonem transegerim, atque sciuerim sui corporis adeo prominentem statum, nil tamen deforme, vel dissonum spectantium oculis obiecisse, at singula quæque mẽbra respondentia noscebantur altitudini; quare totũ corpus congruã respirabat concinnitatẽ, & eius altitudo arctuũ mentis altitudinem sanè annuebat.

13 Incessus autem licet ob latitudinem, & profunditatem vlceris in tibia aliquanto mouerentur inæqualiter, & claudus cogeretur incedere; attamen cum grauitate, & modestia extendebantur.

14 Manum iugiter vtramque sub pallio dum iter arripuit per vrbem obduxit, deorsum vsque ad pedis iuncturam defluentibus pallij alis, nulla sub brachio plicatione apparente, neque extra lacernam scapula exeunte, aut manu hinc inde iactata aerem reuerberante. Qui enim vel pallio sub axilla complicato, & extenso brachio, atque hinc inde ludente, vel pileo quadrato ad capitis latus detorto, siue incompositis luminibus, seu gressibus incedunt: hi profecto leuitatis se accusant manifestæ, & deordinati animi aperta inditia dant, dignique sunt acriter redargui.

15 Color vultus aliquanto subpallidus cernebatur ob assiduas vigilias, ac pœnitentias, maleque olentia Hospitalium loca; attamen sub eo pallore nescio quid deuotionis emergere perspexisset, qui attente eum considerasset; & ea pietas, quam in præcordijs claudebat, extra per vultum aliquo modo perfundebatur.

16 Eius caput oblongum, illud pileum texit, quod plerumque ex his erat, quæ alij veluti immunda, & vetusta repudiauerant, ante lumina petasi pinnulæ cadẽtes non modice impediebant videre, quandoquidem oculos ipse gestabat quoque fixos ad tellurem.

17 Qui aliquanta magnitudine, attamen non nimia, inclinantes ad nigredinẽ cernebantur, tanta gratia, & vt sic loquar maiestate, ac mansuetudine aperiebat, claudebatque, atque quædam qualitas, seu nitor ex eis effulgebat, vt mirificè corda, & animos intuẽtiũ ad se raperet. Superciliũ aliquali magnitudine, & proceris pilis inuertebatur, potius ex senectute hoc adueniente, quam aliunde, cum senibus contingat huius partis pilos longe protendi, forte quia tunc maioris indigiet oculus fulciminis, id enim tempus caligandi principia designat: quæ contra regularis disciplinæ normam calcitrantes acriter erigebat, Religiosis vero disciplinatis benigna, & amantia ostendebantur. Naturalis color non omnino albus, neque fuscus, sed bene inter extrema attemperatus fuit, magis ad album inclinans, quam ad contrarium: propendebat autem, vt vulgus vocat, ad oleastrum, quasi etiam colore sui corporis misericordiam designaret.

18 Caput parumper, vt dictum est eminebat, crines vero dum florida uixit

æta-

ætate; potius nigri, quam caſtanei fuere coloris, quos, & labore, & æuo maturante mutauit in albos; frons prominens aliquanti ſper viſa eſt, rugata tamen ob ſenectã. Facies vero oblonga, ſed corporis ſui proceritati decens. Naſus potius aquilinus, quam ſecus, faciei magnitudini decens. Barbam duxit eo, quo nos referimus modo ſupra pectinem ſectam, quam non admodum denſam pilis habuit; licet excederent in albedine capitis cæſariem; quare totius faciei occurſus modeſtiam, & ſerenitatem, & decorum reſpirauit. Vox grauis, & ſonora, lenis tamen cum humilibus, terrifica vero cum elatis, nimium eis pauorem incutiens, qui illius aſpectum, & vocis ſonitum vigili conatu euitabant. Os, & labia, quæ corpori perfecto conueniunt detinuit. Dentes, & molares integros poſſedit. In eius genibus duo viſi ſunt tumores ſeu calli; qui ex frequenti oratione gigni potuere; in extremis æui ſui temporibus aliquantulum inceſſit curuus, & licet id ſua non exigeret ætas, quoniã non occupauerat eum decrepitas, ſane laborioſa eius vita id ipſum certò potuit operari; verum ò ſumma Bonitas, ò Dei miſerentis largitas cum ſuis famulis: quando Camillus pauperibus ægris miniſter in actu ſe exhibuit, tunc extenſo corpore, animoq; valde hilari, & erecto illis ſeruiuit. Complura in eius corporis exenteratione anno *1625.* incidere digniſſima memoratu: eo quoniam, nec inſtans annus, & minimè vrget occaſio, illa recenſere, porrigenda (dante Diuina Bonitate) ſuis locis reſeruantur.

Natura Camillus taciturnus.

Erat enim Camillus natura taciturnus, inclinata ceruice, procedens cogitabundus, attamen cum in Xenodochium intraret, vt antea ſignificaui, quaſi priſtini moris mutata habitudine exhilaratus, omnibus ægris famulando, diuerſabatur, cum eis ratiocinabatur, at promptè miniſtrabat; hic non tantum ſibi videbatur, quaſi aperto in coelo ſpatiari, ob animi iucunditatem, quæ ex eo loco, ac miniſterio in eum redundauit, verum de ipſius gaudio participes ægri fiebant, atque etiam cœci eius aduentus odorem ſentientes geſtiebant, & vmbra Camilli, tantopere infirmos exhilarauit, omnes enim ægroti ſuæ præſentiæ emolumenta capiebant, omnibus beneficus ſe præſtando: attamen Camilli ſumma cura fuit grauioribus ſemper ægris præſto eſſe magis, vt ſatis diſpoſiti, atque parati, & cum tutamine Sacramentorum roborati, à languidis, marcidiſque membrorum arctubus migrarent è vita.

Quomodo intra Noſocomia exhilareſcit.

Dum cibos ægris ſuggereret, intente adeò id munus obibat, vt ceu alter Briareus, quem fingunt, optaſſet centum adhibere manus, centum ora, & oculos habere, quos ægris benefaciendo applicaret; dextra enim eſcam in os infirmi inſerebat, oculis vero circumuolitans, ne quid deeſſet, vel tædij quicquam pateretur infirmus, ore autem interrogans ſi cibus illi diſpliceret, quod ſi annueret, vel permutabat, ſi autem cauſa foret eius inappetentia, blande, vt ſumeret, ſuadebat, & hoc, vt Deo placeret, ſibique neceſſarium alimentum ne nauſeando repudiaret; inde principium, & anſam deſumere conſueuit ſeminandi de Cæleſtibus ſermonem, vel de aliquo amariſſimæ Dominicæ Paſſionis myſterio, vel aliter, iuxta ægroti exigentiam, ac idoneitatem colloquium ingerebat: nequaquam profecto infirmum præterijt, ni prius illum in anima, corporeque refocillatum ſineret, dum inde proficiſceretur interdum ægroti manus, aut pedes deoſculatus eſt, illumque apte componens in lecto, ne moleſtiam in quieſcendo ſentiret; & demum infirmi ſe commendans orationibus, inde vale dans ad ceteros adiuuandos ſe

Diſcedens ab ægro eius manus deoſculabatur.

conuer-

1640. conuertebat. Quomodo ergo ob tãta, tamq; ingentia beneficia non fuit pauperum, & ægrotorum turbæ amabilis? & quod maximi refert summo Deo? quo extuabat, quando ob euius dilectionem cuncta patrauit.

21 Narrarem, si scirem, vnde inciperem, vel quo terminarem orationem, narrarem, inquam, quæ in his locis gessit Camillus, si post eius præclara operationum vestigia irem; narrarem tandem aliquando aliquid de eo si arte, vel acumine mentis, vel ingenij dexteritate pollerem, at quoniam in cunctis defectiuus sũ, quo ad sapio tñ loqui nõ refutabo; vestræ humanitatis est quæcumq; dicuntur, vtcumque exponuntur ignoscere; sapientis enim est, & liberi animi ex limo imę locutionis aurum colligere, verum ad nostrum regrediamur institutum. Namq; Camillus quot excogitauit opera beneficentiæ, & quot valuit, quotque indiguerunt egeni, & ęgri tot præstitit extuantis caritatis affectu: maluisset si ei permissum fuisset secum dormire, secum comedere, secum pati, quamquã compatiebatur, & demũ nullo momento ab eorum lateribus se elongare, ita asserebat, & multoties operibus comprobauit; ipse etenim eorum aridum os colluebat frigidis lymphis, igne eorum gelida membra confouebat, manus, totumque corpus dum postulasset occasio tergebat, abluebat, pectebat eorum capillos, ab immundis vermiculis purgans; vnde fiebat, quod in suũ sinũ multi pediculi decidebant, ibique remanebant, à quibus itē non modice molestabatur, nec propterea quandoq; cessauit capita pauperum emundare, tondebat eorum cesariem, cauteria medebatur, vulnera fasciabat, præcidebat vngues è manibus, pedibusque, reficebat lectos, vasa immunda, plerumque exhauriuit, extersit, id exhibere pro Christo Domino non immundum, sed honorabile arbitratus est, verumtamē quid plura, haud vllum pietatis opus spirituale, vel temporale præterijt, quominus pro dilectione sui IESV pauperibus ægris impenderet.

Varia opera pietatis exhibuit infirmis, q̃ hic numerantur.

22 Cõsueuerat supra communem lanę tunicam in Hospitalibus, vel ea deposita, aliam lini nigri coloris gestare, id non tantum ob humilitatem, ac paupertatem efficiebat; verum ne turparetur vestis, qua per vrbem erat iturus Cum bis Summus Pontifex Clemens 8. Initio sui Pontificatus in Sancti. Spiritus Hospitale peruenisset, non erubuit Camillus ante eius pedes genibus inclinatus ea veste circumamictus illos deosculari; quo facto non magis admiratione, quam ædificatione Sanctissimus Pontifex captus, eum suscepit benigniter; quinimmo multa secum egit ad bonum Hospitalis regimen spectantia; vbi semel, & iterum singulis vicibus plusquam per horam ambo, omni alio secluso, quodam Hospitalis in cubiculo collocuti sunt, pluraque ex Camilli sententia fieri pauperum in emolumenta tum Beatissimus Pater, ac Pontifex indixit. Mos Camilli fuit quicquam semper secum afferre, vt ægrotorum aliquem in reficiendo, præsto esset, multa item vtebatur cautione, ne infirmis aliquo cibo nocuo læsionem inferret; quapropter octo artis medicinę Doctorum Concilium colegit, exinde quid nociturum, quidue profuturum infirmis, vt sciret, quorum ordines prænotatos tenebat in charta, iuxta temporum, atque ægritudinum diuersitatem, ibi quid ægris obesset, vel prodesset legebat, ne oberraret eis applicando cibos, seu in alijs operibus beneficentiæ, ne falleret, læderetque quemquam illorum.

SSmus Pontifex cõsulit erga regimē infirmorũ P. Camillum.

Collegium Medicorum cogit ne erraret in ministrando tēporalia ęgris

23 Sub noctem variarum onustus rerum per Hospitale migrabat, etenim prę ter suum SS. Crucifixũ, quē assiduo secum portauit, ac libellum commendationis animæ, tria præterea vascula ducebat, vestis in cingulo alligata; quo-

rum

1604.

rum in vno aqua benedicta continebatur vicissim ęgrotorum lectos aspergẽdo, præbens ad figenda oscula Sanctissimum Dominum Cruci affixum, in reliquo vero vasculo acetũ inerat, & tertium aqua cocta plenum trahebat, quibus instrumentis, & mentem, & corpus ægroti refocillabat, amplius manu vehebat scyphum stamneum, æneumq; catillum, quo facilius ægri dum os colluerent, foris aquam emitterent, neue sordescerent ipsi, aut humectaretur Hospitalis pauimẽtum; vnde quæ infirmus expuebat recipiebat catinus. Plerumque popinam Nosocomij adiuit, vt quidpiam coqueret, seu decerneret si infirmorum aptè cibi pararentur, suisque temporibus idonei redderentur, & hoc ne sui ægroti ciborum tarditate, vel inepto condimento detrimenti quid sentirent; item in officina pharmacopulæ repertus est non raro commendans, atque sollicitans ægrotantium remedia, multaque eorum secum ad Hospitale trahens; vnde caritas per omnium artes ipsum quasi manu duxit.

Varia instrumenta, & cibos vehebat refocillans ægros.

24 Munus etiam nutricis exercuit, namque infantibus (quasi Christum servatorem infantulum) blande contrectauit, pulte nutriebat, vice lactis, & quidem si fas esset loco lactis proprio cruore aluisset. Si quandoque fineret tẽpus, vacuum sub silentio noctis accensa lucerna, gradiens per lectos pauperum lento pede infestos cimices ęstiuis maxime noctibus cremabat, si cui hoc opus minimum apparet, & forte superuacaneum, non ita sane esse intelligat, sed magnum profecto pietatis habet pondus; quandoquidem huiusmodi animalia infestissimo morsu etiã sanos vigiles facit, quo magis egros eis abundantes. Si forte cum aliquo ægroto ignorante Italicum sermenem se obuiaret, vtebatur illius linguæ idiomate, quamuis eo non perfecte foret imbutus; hinc aliquando gręcè loquebatur, quem loquendi morem dum militaret in Dalmatia modicè apprehendit, nonnumq; Hispane, ac Latine, Galleque confabulari consueuit, quamuis non admodum polite; id enim efficiebat, vt facilius ab omnibus intelligeretur, atque lucraretur cunctos, obseruans illud Apostoli factus sum omnibus omnia, vt omnes lucrifaciam.

Dum cõcederet noctis tempus lucernæ lumine cremabat cimices.

25 Quondam Sancti Spiritus in Nosocomio; eo nimirum in diuersorio, seu valetudinario, quod amentium vocant, adesse Camillus reperit ægrum, sordibus tamquam veste contectum, amauisset repente ipsum tergere, sed plusquam communem requirebat attentionem, & morám, & operam, quandoquidem, vt squamæ obduratæ hærebant sordes, relicto itaque infirmo domum nostram petiuit, indeque popinam ingressus catinum sumpsit grandẽ, & non paruam saponis massam, mundumque linteum, quosdam item herbarum suaue olentium fasciculos. Cuncti Patres stupuere, quid illis instrumẽtis cuperet, ipse vero ad Hospitale tacitus, subtus pallium illa concludens peruenit, ibique calefieri aquæ caccabum positis intus herbis coquo imposuit, impletoque catino ęgrum nudo corpore in eius medio stantem locauit; nec inde illum abstraxit, quoadusque semoto omni nidore, ac stercore, omnique turpitudine ex eius membris, mundus totus redderetur æger, linteoque abstersit, refectoque cubile nouis operimentis, in eo vt placide quiesceret, pauperem deposuit, & qui prius ab immundissimis vermiculis, & putredine nõ modice molestia angebatur, atque dilaniabatur, tunc quasi de spinis ad rosas transisse visus est; Deo summo, suoque famulo Camillo tantæ pietatis ministro, quas valuit, exhibuit gratiarum dona.

Licet non perpolite, cõplura tamẽ tenuit idiomata linguarum.

pauperẽ excordibus mira pietate mũdat.

26 Camilli sermones frequentiores erant, & ardentes circa eximiæ huius

1604.

caritatis virtutem, quę altius in eius pectore infixa hærebet, & profundas adeo in eius corde firmauerat radices, vt de nullo alio pene loqui sciret, pręterquam de laude ipsius, vtebatur quamsæpissime Dominicis verbis, ad eā in aliorum, & suorum potissimum Patrum pectora inserendam; infirmus fui, & visitastis me, digna siquidem æterna salute verba, facientibus tamen ea, & illa Prophetę quamsępissime replicauit, hęc est requies mea reficere lapsum, & hoc est refrigerium meum, &c. Vnde Romę die Sanctissimo Pentecostes cum de hac supereminente caritatis virtute sermonem coram suis Patribus haberet, ex vultu ipsius quasi splendoris radius exiuisse visus est; ita pariter in Sancti Spiritus Hospitale dum eamdem egregiam commendaret virtutem, veluti Solē fulgere os illius intuiti sunt, idem in Sannctissimæ Annunciatæ Nosocomio de ipsamet virtute inter loquendum Camillo contigit; & ne tędio affecti redderentur sui ex toties replicatis super eadem virtute verbis, ac sententijs, collectas Beatissimi Ioannis Euangelistæ voces allegabat, dum ex hac in iocundam vitā migraret, non alia discipulis documēta, quasi locupletissimam hęreditatem, linquebat, præter hæc, filioli diligite alterutrum, & qui altissime de Diuinissimo Trinitatis mysterio senserat, ac dictauerat, & omnium Hęreticorum illo exordio sui Euangelij. In principio erat Verbum, &c. Caput contriuerat; multo siquidem altiora dicere poterat; sed compendio viam salutis ostendit subdens quoniam præceptum Domini est, etsi solum fiat sufficit. Conclusio demum Camilli in hoc discursu fuit nolle eos maiori, nec alio dogmate instituere, etiam si millies, & cēties foret ratiocinaturus, idem tamen semper inculcaret; quandoquidem Christianæ perfectionis summa in eo sita clauditur, vt etiam Apostolus vas electionis insinuat, & docet, finis legis est dilectio; humili exemplo item id cōfirmabat, se similem esse profitens Ruris Presbytero (vt in prouerbio est) qui extra proprium in alio legere ignorat Missale, & quasi olor dum moriat canam (asserebat Camillus) commendans, & vltimis notis proferens caritatē, eamdemque incessanter replicando finiam vitæ diem: & profecto, quę in visceribus continet homo hæc eructat, Camilli os extra charitatem nihil redolebat, & quid mirum? quando per eam totis diebus, ac noctibus; totisq; visceribus, atque conatibus indefesso calle, quasi per viam regiam, incessit.

Sententiæ, quibus vtebatur Camillus.

Lib. 3. c. 4.

Visa est Camilli facies rutilare caritatē cōmēdans.

Si autem intueretur quempiam per Hospitalia ad pietatis munia obeunda euntem, illum obseruabat, sanctèq; ęmulabatur, nullatenus in hoc munere admittens ab alio vinci, aut cuilibet secundum esse: ea quidem loca auri, & argenti mineralia appellabat, illa quisquis vult exposita, atque parata sēper habet; vt inde immensas Cœlorum sibi cumulet diuitias. Nostris verò piè certas prædestinationis coniecturas designans asserebat, vt semetipsos quicumq; scrutarentur, quo affectu in pauperem ægrotorum propenderent pietatem; si autem erga illos bene afficerentur, ipsis nempe hilariter ministrando, læto animo esse, subiungebat, ac se de prædestinatorum consortio, deq; Beatorum Collegio futuros esse, in Dei bonitate fiderent. Secus si se retraherent ab infirmorum ministerio, maximopere formidarent: Ministrum Infirmorum dicebat, non se inuoluētē in opere caritatis pisci assimilandum esse nanti extra suum elementum, qui cito moritur. Referebat etiam interdum se loco beneficiorum ab ægris deportasse alapas, conuitia, ac sputa, atque his similia improperia post exhibitam caritatem, ac propterea patientia, humilitate, oratione, & demum præcellenti caritate munitum

27

Aliospręcellere opere pietatis nitebatur.

Inditia prędestinationis Ministri infirmorum.

esse

eſſe oportet infirmis miniſtrantē, & quo difficilius eſt inſtitutum, eo perfectiores, ac maioris cum Domino vnionis expoſcit operarios, atque potiſſimum habere expreſſum operę pretium eſt, quem æger repræſentat, mundi nimirum Redemptorem, & non ad illos animum intendere, quibus impenditur famulatus, putridis illis quippe, ac cito corruptioni ſubiciendis membris ſolum eſſe cor intentum.

More Sanctorum Patrum priſcæ ætatis collationes habendos inſtituit; etenim in publicis, atque priuatis colloquijs de infirmorum famulatu intermiſcendos volebat viciſſim ſermones, interrogans modo hunc, nunc illum patrem, quo pacto ægris ſubminiſtrandi cibi, ora colluenda, lecti reficiendi, pedes tempore algoris calefaciendi ſint: interdum ſcamna, tabulas, culcitras, & omnia ad cubile neceſſaria componendum in medium duci iuſſit, quibus allatis ſterni lectum præcipiebat, ceteris Patribus, tum nouitijs ſpectantibus; vt quicumque noſceret, apprehenderetq; quoquomodo, qua dilectione, atque attentione torus foret ſternendus, poſtmodum in eo noſtrum aliquem, locari, atque cubare indicebat; alter vero, ceu cum aliquo grauiter ægrotanti colloqueretur, fidei proteſtationes prodens, atque ad patientiæ, ſpei, & ſuorum facinorum pœnitudinem hortaretur, ad Sacramentorum item aliquando dignam receptiouem diſponeret. Itaque Camillus non ſecus ac generoſa, & ſagax aquila ſuos pullos, nimirum Religioſos, ſolem intueri; hoc eſt sblendidiſſimam caritatem exequi optime his inuentionibus pijs erudijt.

Docet modū ægris ſeruiendi.

Et non tantum verbis, atque præceptis, ſed quod efficaciſſimum eſt viuis exemplis ſuos inſtituebat; iugiter primus inchoando pietatis opera (vt alias relatum eſt) & longe poſt ceteros manus à caritatis maſſa remouebat. Cuncta (aiebat) à miniſtris infirmorum munia, & obedientiæ exercitia accurate eſſe abſoluenda; ſed infirmorum miniſterium maxima vigilantia, atque attētione eſſe peragendum. Quod ſi Camillus ægritudine præpeditus ad ægrotos pergere nequiuiſſet, affectu tamen pio ab eis non aberat, & vtcumque potuit beneficia eis impendit. Si vexatio dat intellectum, amor dat iugiter modum, ſemitaſque bene operandi, ac proinde dum retardaretur à morbo, ſociū ad Noſocomium tranſmiſit; vt ſuo nomine aliquam caritatis operam exhiberet, annuens; vt alicui ſpecialiter deſignato ægroto ſubſeruiret, lecti numerum, & ſitum indicans, poſt autem ſocij regreſſum nominatim ab eo expoſtulabat, ſi æger comediſſet, ſi omnia quibus indiguit opera pietatis impendiſſet, ſi lectum immutatis linteis ſtrauiſſet, & munda ſubucula eum refrigeraſſet, ſi cibos æger ſuſcepiſſet, ipſe vero ſi ei ſubminiſtraſſet aptos, atq; opportunos, & tandem in eius præcordijs præter Dominum, ſuoſque pauperes aliud dominari non ſiuit; hęc autem, & alia ab ſocio tanto ſcrutinio requirebat, poſt eius regreſſum, quantum audiſtis.

Exēplo magis ſuos inſtituit.

Retardante eum ægritudine ſocium ad Hoſpitiū ire deſtinabat.

Cum magni hanc virtutem faceret, ac extolleret, ſuos è regione Religioſos in ea torpentes aſinis macie confectis, ſed tamen ſerico ornamento cōtectis, æquiparabat, quid iuuat (clamabat) ſuperinductam Religioſi geſtare tunicam, ſi caritatis pinguedo in viſceribus longe abeſt, & ſterilitatis, ac maciei dominatus in horum cordibus, atque torpor graſſatur; dignos ſubiungebat, magno ploratu eſſe huiuſmodi Religioſos, vt fieri (ſic aiebat) conſuetum eſt in mea patria, vbi magno eiulatu defuncti planguntur, ipſemet interea proprijs manibus ſigna eadem à fœminis fieri conſueta, quæ comas

Aſſimilat infœcūdos caritate Religioſos aſinis

euel-

1604.

euellunt, ostendebat; vt insinuaret quali sint deplorandi luctu hi remissi in caritate Religiosi.

31

Cum aliquando ad Hospitale Sancti Spiritus tenderet, procumbentem in transitu Pontis Diui Angeli adinuenit grauatum doloribus ægrum, quem protinus eleuauit, secumque ducebat ad supradictum Xenodochium, pariter mulier ante proprias fores erat verrens viam, stetit Camillus, mulierem rogauit, modesteq; redarguit, vt quæso quiesceret, neue tantũ excitaret puluerem, ac turbinem, quia secum ducebat ægrotum, illum indicans, ac si diceret, si non me reuereris, hunc ægrum, quem Dominum ęstimo, honora, quocirca cessauit mulier, viamque prosecuti sunt, voluisset Camillus, vt omnes sicut ipse tanti penderent infirmos, quasi mundi seruator essent, & vere repræsentant.

Rogat mulierẽ ne impediat transitum pauperis puluerẽ excitãtẽ.

32

In mensæ communis lectionibus si forte occurreret à legẽte aliquod caritatis exemplum, seu doctrinã proferri, manu supra tabulam dato signo, & interpellata lectione, excitataque Patrum attentione, lectori imponebat, vt iterum quod iam protulerat referret; tanto enim amore in harum rerum intellectione capiebatur; vehementer optans in suorum Patrum pectoribus etiam inseri, si vero decuisset plusquam semel, & rursus idipsum repeti indixisset. Cum enim principio Quadragesimalis ieiunij Concionatoribus sermonem habere de operibus pietatis incidit; quando nimirum Dominus die nouissimo de Cœlo veniens ab iustis, & scelestis viris misericordiæ, opera examinaturus; tunc enim omnes seruus Dei Camillus ad concionem auscultandam mittebat, ipse vero illos sequebatur, si casu eueniret prædicãtem, ad alia audientium animos conuertisse, præter misericordiæ opera, & maxime si circa infirmos nil egisset, tum pene mœrẽs, inde proficiscebatur, defuisseque arbitrabatur rutilantem in ipsa concione caritatis carbunculum; quamuis alias erudite allocutus fuisset. Hæc eadem in Religione fixa mansit consuetudo; eo quippe die, quamuis aliæ se interponant occupationes, Domorum Superiores ceteris postpositis negotijs, vt audiant Concionantẽ, omnino transmittere suos Religiosos.

In lectione mensæ dum incideret doctrina, seu exemplũ caritatis repeti signũ dabat.

Fer. 2. post cineres omnes cupiebat ire ad concionem.

33

Si quilibet ex suis Hospitalium fętores horreret, vel accedere ad grauiores recusaret, ab eo veluti duce strenuissimo, ac prouido dexteritate quadam erudiebatur, hoc modo; cum tali quippe se se copulans per Hospitale illum trahebat, per nauseosiores ægros, loca q; fœtidiora ipsum ingerẽs (cuncti .n. vehementer illum reuerebantur) horum cubilia simul vertentes, & manu tractantes, Camillus vero suis palmis infirmorum immunditiem contrectabat, ac si flores tangeret, & ad socium dirigens sermonem aiebat, en Frater hæ sunt ministrantium infirmis deliciæ, atque coronę, vtinam è vita cedam manus inuolutas in his misericordiæ operibus tenens. Cum ad Hospitale contenderet ipse vna, & sui, non lento, sed celeri gradu incedi volebat, sin aliter, qui primus ibat tarde ambulasset, cum ad Nosocomium peruenissent graui correptione illum mulctabat.

Quomodo suos erudiebat cõtrectare grauiores ægros.

34

Semel cum Sancti Spiritus Xenodochium adiissent, vocato fratre, qui vię dux extiterat, hæc prodijt verba, heus frater quam testudineo gressu processisti; & siquidem euolare suos auebat, vt citissime ad eis inseruiendũ peruenirẽt. Die quodam Principi Apostolorum vinculis sacro magnus de Cęlo descẽdit imber, pluuia sane non obstitit, quominus ad Hospitale contendisset, quod pene milliario à domo nostra distat, quo bene madefactus appulit,

Quo celeri passu cupiebat ire nostros ad Hospitale.

ita

ita ut opus fuerit bina abſterſoria linea adhibere, vt ſcapulas, & brachia aliquã-tum protegeret, atque ab aqua ſiccaret, nihil profectò ſibi læſurum putabat, dum ſuis dilectiſſimis ægris adminiſtraret.

35 Si propter aliqua vrgentia Religionis negotia ad palatium Vaticanum pergere opus foret, & quamuis formidaret ne agendorum hora laberetur, nihilominus antea in Hoſpitale, oblitus negotiorum, introibat, & aliqua raptim pietatis opera impenſa, illinc ibat, non arbitrans id opus impedimentum fore, ſed cauſam, quidquid optaret, adipiſcendi; at ſi adeo vrgeret res, factumq; ſaltem per Noſocomium tranſibat, aue dicens ægris, tanto enim in eos æſtuabat amore, quod ſi neque id vrgentia cauſæ permitteret, flexo itinere prope Hoſpitalis Sancti Spiritus menia viam dirigebat, quaſi per aliquem agrum odore fragantem diuertiſſet, vt illo tranſitu, veluti cœleſti odore recrearetur; etenim adeo miſericordia illum Dominus ornauit, vt ſuauiſſimum odorem maleolentiam putaret, nidoreſque fœtidiſſimos amenam redolentiam arbitraretur. Hinc cum Orthonæ in Aprutio diuerſaretur porrectum eſt illi, vt ſe tergeret, odoratum linteum, repente non ſecus ac putridum vermem à ſe remouit, ſocioque tradidit, à quo quęſitus, quid beneolens linteum abs te depulis? Et ſi bonos, addidit, nauſeat P. S. odores, malos autem Hoſpitalium quomodo feret? at ipſe ſubiunxit, illos mihi ſuauiſſime redolere, hos vero infeſtiſſime. Vnde ad comprobationem; ſi interdum ad Noſocomium graui capitis dolore captus diuerteret, opera exhibere pietatis incipiens, penitus omnis dolor ab eius vertice euaneſcere, ſentiebat: profectò pene incredibile eſt, qua diuerſitate intra Hoſpitale operaretur miniſtrando infirmis, ac extra illud, in eo ſiquidem tamquam adoleſcens florentiſſimus, & ſolertiſſimus pauperũ famulatui intendebat, foris autem refertus magnis doloribus cum difficultate propria membra trahebat.

Si oportet p gere Camillum in vaticanũ primitus pietatis opera aliqua obit.

Reſpuit ſindonem odoratam.

Lib. 3 c. 4.

Quaſi mutatus in adoleſcētē operabatur intra Hoſpit.

36 Noſtrorum quidam eius ſenectutis, atque ægritudinis mireſceſcens, rogo te, ait, Pater, hodie inter tot acerbos calores ne tranſeas Diui Angeli Pontem, & periculo ne te exponas grauem aliquam incurrendi febrim, aut dolorem, ipſe vero protulit, non ne Sol, eiuſque ardor Dei ſunt creaturæ? etenim abſque diuino nutu nequeunt lædere, caritas quidem ſua non quærit commoda, & vtilia, aſt omnia ſuffert, concluſit inquiens, Frater hoc noſtri corporis iumentũ ſtimulis frequentibus agitare oporret; vt vltra, & celerius in Dei famulatum procedat. Et cum ei obiceretur Pater ſi adeo extenuatus continuas Hoſpitalis vigilias, & ærumnas proſequeris, fore puto, vt aliquando inter ægros demortuus decidas. O vtinam, ait, hæc mihi tam felix ſors contingat, & hoc eſt, quod ſummopere concupiſco, atque Dominum exoro, illa ſane eſt militis generoſi gloria, fungi nempe pro Patria, quod illi dulce eſt, atque decorum; glorioſiſſimum autem eſt infirmorum Miniſtro ægris inſeruiendo decumbere.

Quędã accuratè dicta P. noſtri.

37 Sæueritatem aduerſus ſemetipſum exercuit, leporem, & clementiam erga cæteros, cum enim per vehementiſſimos calores tempore æſtiuo deambularet, vt nimirum peteret Noſocomium (alio namque ire raro amabat, niſi forte ad aliquod pietatis obeundum opus) tunc enim rigidus ſibi fiebat, ſocio vero lenis: erat enim Camillus ſtatura procerus; vnde vt vmbra ſua tegeret ſodalem, ſe contra Solem opponebat, & ita ſolus ipſe reuerberantem Solem; pœnamque ſentiebat, & ſodalis, quaſi ſub pinguiſſima miſericordiæ olea eius corporis protectus operiebatur; vnde omnino illæſus à ſolaribus radijs reddebatur ſocius, quod ſi forte renueret comes, tunc illi addebat obedientiæ

1604.

vinculũ. Cum noctu excubaret simul cum alijs fratribus, valetudinarius excubiarum director, quandam ei tribuit infirmorum partem leniorem, vbi nempe minori defatigatione ægris ministrabatur (volebat enim etiam mereri suis se subditis subiacens) Camillus vero post aliquantam verborum mutuam reluctationem, sibi tribui voluit duriorem, ac laboriosiorem locum, vbi grauiores ęgri magis abundant. Quondam sub vesperum etiam si non modice descenderet pluuia, ipse domo discedens Nosocomium petiuit eo fine, vt sub maiori noctis silentio excitus surgeret, solo ouo ægrum, vt refocillaret, voluit enim potius se ipsum acriter vexare, quam infirmum ea carere refectiuncula.

Vt ouum ægro præberet per magnas trãsẽs pluuias Nosocomiũ petiuit.

Omnes enim Camillum ministrantem infirmis contuentes ab eius operatione, tamquam à viuis, atque raris exemplis eruditi, & bene docti proficiscebantur, ipsum in aliquo egregio caritatis exercitio æmulari studentes. Hinc quidam Patria Florentinus nomine Dominicus spectatæ virtutis vir per Sancti Spiritus Hospitale diuersans, inter debiliorum lectos ægrotorum ducebat aliquos hederæ fasciculos, aliaque quibus infirmorum cauteria medebatur, hic enim asseruit eam à Patre Camillo apprehendisse disciplinam, illam nẽpe exercendi caritatem, & subdidit, vtinam ex minimis Serui Dei Camilli discipulis dignus vnus aliquando inueniar. 38

Vere Camillus exẽplar ministrantiũ infirmis.

Quodcumque opus, vt prodesset ægris haud prætermisit, scamna, tabulas, ferramenta, vasa ænea, ac lapidea proprijs humeris vehens, nilque vile abhorrens, sed cuncta, illis famulando, honore digna arbitratus est; fiebat enim eorum, famulus, baiulator, frater, mater, genitor, nutrix, & demum pro illorum dilectione nouus Proteus in omnem se conuertens formam; ægris ministrando, vasa plerumque immunda tersit (vt alias dictum est) ea in humilitate magis Domino, vt placeret, & seipsum deprimeret, quam vt infirmis benefaceret, se exercuit; genus hoc sane pœnitentiæ grauissimũ, ac difficillimum, atq; valde periculosum saluti: ꝙ si Hospitalia quando munda sunt quampraue olent; eo autem tempore noctis cum ea vasa vertuntur intollerabilem spirant fœtorẽ. In Nosocomio Mantuæ toto tempore quadragesimali supra quoddam durum stramentum somnum carpsit, vbi sub dimidium noctis surgebat, singula ægrotorum vasa fimi tergens, vilissimumque famulorum officium supra se tollens, plura sunt in eo (vt opinor) admiranda potius, quam vt possit humana imbecillitas imitari; nisi cui Dominus dederit. 39

Immũda vasa tersit.

Si duo pietatis opera concurrerent, vnum ad animam, reliquũ vero ad corpus pertinens, prætermissa corporis operatione, animæ incumbere eligebat. Vnde suorum quidam Sacerdos per Sancti Spiritus Hospitale ora infirmorum refrigerando ibat; æger autem quidam audiri postulauit suam Confessionem, Camillus verò è manibus Sacerdotis euulso scipho, vt infirmi peccata auscultaret illi indixit: hoc quia quampræclarè sentiebat multo Deo gratiores esse spiritualis animę operationes, & beneficentiæ, nostroque instituto propriores, ægris autem citra dubium vtiliores. Si porro infirmos, aliquod perpeti, intuebatur, in quo nequaquam eis posset opem ferre, tunc perinde atque męsta parens, quæ illos procreasset, nimio dolore viscerum angebatur; hinc aliquando in idemmet Xenodochium cum maxima ægrotorum copia concurreret, nec satis essent cubilia, vbi locarentur, sed tamen supra paleas, ac fænum sternebantur, Camillus vero ipsorum commiserescens passionum admodum mœrebat, quare interrogatus cur tristis es? illico respondit, doloris interni panem comedo, tot Christi membra, supra paleas contemplans decumbere. 40

Quob. cõcurrẽtib. pietatis operibus electo corporili spirituali intẽdebat.

Mœrebat si nequisset occurrere pauperũ necessitatibus.

Ab

1604.

Ab Vrbe Neapolis Romam veniente Camillo, ſimul atque Noſocomij Sancti Spiritus ægri, eius aduentum agnouerunt, magna lætitia detenti ſunt, quidam vero noſtrorum Patrum ita protulit, nunc properauit, qui officinam ſupellectilium Hoſpitalis euacuat; profecto ita eueniebat; quandoquidem Camillus ne paterentur ægri interulas, linteos, aliaſque veſtes, puluinaria item, & culcitras, quamſæpiſſime permutabat. Qui autem à Medicis dimittebantur ab Hoſpitali, opitulabatur, induens ſuis manibus tibias caligis, & calceis, ſi gracili inceſſu procederent, baculum cui inniterentur ſubminiſtrabat, Si vero admodum debili eſſent corpore, tum medicinæ peritos precabatur, vt paulo amplius, donec ſolidius vires reſtaurentur, in lecto morarentur; cupiuiſſet, vt ægri eo tunc ab Hoſpitio diſcederent, quando nimirum proprijs laboribus, ac manibus victum ſibi comparare valuiſſent, propriamque artem excolere. Qualibet in vrbe eſſe oportere aſſerebat, conualeſcentium valetudinaria; vbi infirmi expulſo morbo refocillarentur, & viribus firmarentur, namque experimento cognouerat; proprerea quod nonnulli membris imbecilles à Noſocomio abierant, poſtmodum vero ob pauperiem in grauiores, & periculoſiores fuiſſe prolapſos febres, atque morbos, hinc vita demum vacaſſe. Ac proinde his, pleriſque aliis pietatis operibus à Camillo impenſis, ægrotorum nonnulli exclamantes ipſum benedicebant, eiuſque parentem, quæ illum in aluo geſtauerat, & à cuius vbere lac ſuxerat.

In profectione ęgrotorũ veſtiebat.

Benedictionibus cumulabatur ab ægris.

2 Itaque propter ingentes labores, & pene incredibiles, quos obiuit intra Hoſpitalia, ſpeciatim nouiter recepta Sanctiſſimæ Annunciatæ Neapolis, Incurabilium, & Diui Iacobi Hiſpanorum, in grauem morbum, & periculoſum in eademmet vrbe Menſe Iulij calculoſum nimirum incidit, & cum ſe viribus fractus, annis obſitus, ab vlcere quoque in tibia quam dire perturbatus, & ingẽtibus ærumnis oppreſſus inſpiceret, cæpit in eum voluntas inceſſere onere ſe abdicare generalatus, vt ſibi ipſi amplius, atque pauperibus inuigilaret; & ſiquidẽ, quos ipſe exhibuit labores in Hoſpitalibus perurgentes fuere, ſuorũq; vero Patrum non leues extitere; ac proinde noſtri non tantum in dies ingrauiſſimas labebantur infirmitates, atque adeo frequenter ad mortes; quæ quidem loca ceu acutum ferrum, aut venenatum poculum ipſos trucidabat peſtilenti, vel ſubtili febre, horum nomina deſcribere, ſimul, & caritatem minime curarunt (vt alias notaui) quorum proculdubio pietatis operationes commẽdari ab Sanctiſſimis, & ſapientiſſimis Auguſtini, & Hieronymi ſcriptis dignum foret. Tum equidem rutilabunt, cum eorum conſcientię, & acta ſupremo die vniuerſalis iudicij innoteſcent; quando Auctor vitæ Chriſtus Dominus ſentẽtiam prodibit, ad ſe iuſtos vocans, venite benedicti Patris mei percipite Regnum &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi mandacare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, infirmus fui, & viſitaſtis me. Reliqum eſt; quandoquidem ſupra facta eſt mentio Noſocomij Sancti Iacobi Hiſpanorum Neapolis, vbi noſtri diutius iuge domicilium continuere, nonnulla de ipſo, ac de Patrum operationibus non moleſte ſubtexere.

Excitatur in eo voluntas deponẽdi generalatum.

Obliterata notitia geſtorum quorumdã PP propter opera pietatis decũbentiũ.

43 Huiuſmodi Noſocomium nuncupatur Diui Iacobi Hiſpanorum, & Sanctæ Mariæ Victoriæ, in via (quam dicunt) Toleti cõſtructum, quæ admodum celebris extenditur: plura in ſui circumferentia complectens videtur dictum Hoſpitium, nimirum Illuſtre templum ſub titulo, & tutamine S. Iacobi, vbi honorifice Deo cultus exhibetur, & numeratur inter digniores huius vrbis collegiatas Eccleſias; Venerabile item Monaſterium cõplectitur clauſtrale ſacra-

De Hoſpit. Sãcti Iacobi Hiſp Neap.

rum

1604. rum Monalium, atque dignarum matrum cum Ecclesia magnifica sub vocabulo, & patrocinio Intemeratæ Conceptionis Sacratissimæ Virginis; in inferiori Nosocomij loco telonium conspicaris, ipsum inquam valetudinarium superius collocatum cernitur apertiori sub aere, quod scinditur duo inter ampla diuersoria, seu infirmorũ dormitoria cohęrẽtia tñ, vnũ habet in prospectu aquilonẽ, & à tergo meridiẽ, in quo ægri febrientes collocati iacent, secundũ non adeo longe patet, at in eadem planitie flectitur ad occasum, & hic vlcerosi infirmi curantur; adest itidem paruum valetudinarium lateri illius febrientium cohęrens, & ibi vulnerati decumbunt. Huiusmodi Xenodochium militum est Hispanorum, seu nationis Hispanæ, & sub regimine Gubernatorum, & maxime Excellentissimi Neapolis Proregis constituitur; quique in eo curantur milites sunt, mestruas eleemosynas ex proprijs stipendiis deductas contribuẽtes; numerus infirmorum iuxta bellicum motum crescit, atque decrescit, sed nunquam adeo minuitur, quin centenariam numerationem excedat; aliquando, sed non raro vsque multiplicantur, vt totum impleant Hospitale per latera, & intermedium, perque angulos quosque, omneque pauimentum ægri sternuntur in lectis: ita ut vix possit per illud incedi, & tum supra quadringenos sunt; quapropter interdum grauissima in eo mortalitas suboritur, potissimum tempore quando nauilia militibus onusta ex Hispaniarum oris proficiscentia illuc appellunt, qui propter longam nauigationem incommoda complura passi sunt. Istic interuallo quatuor circiter olympiadum assiduo nostri domicilium continuere, intra nimirum Hospitale in quodam dormitorio strato eiusdẽ Nosocomij in planitie, ibi sex Patres opera caritatis exercuere toto eo tempore, laicus præterea famulus, in culinæ opere Patribus inseruiebat; duo nimirum Sacerdotes, atque approbati ab ordinario Confessarii, Sacramenta ęgris conferebant, vtpote confessionem Sacramentalem, venerabilissimum viaticũ, & sanctam Vnctionem, reliqui quatuor, qui frequentius Fratres nostri erant, seu Studentes, siue Sacerdotes nocturnis, diurnisque vigiliis prope morientiũ cubilia inuigilabant; cum occasio his Patribus deesset animam exalantibus opitulandi, alijs misericordiæ operibus intendebant, vt est refrigerare sitientiũ ora, ac fauces, confouere frigida membra thermoclinio, aliquot grauiorum lectos componere, eisque fidei protestationes morientibus proferre consuetas, quoadusque mens in illis vigeret, spiritualia item colloquia sæpe interponere, docere eos christianam doctrinam, & ad Sacramenta digne recipienda disponere: hæc, & similia munera beneficentiæ præstabant, potissimum vt vitia detestarentur suadebant, inhonestatem quippe, & blasphemiæ detestabile facinus, ac proximorum iniurias, ad hæc facilius militaris choors dilabitur, & ne cui damna inferrent; cum scelerum, & præsertim violentiæ in pauperes erogatæ tandem seuerus vltor est diuina iustitia; non parũ siquidem emolumenti huic Nosocomio attulere toto eo tempore, quo ibi cõmorati sunt Patres, detenti tamen eiusdem Hospitalis sumptibus; ea sane ratione celsior ipsorum Patrum operatio eleuatur; quandoquidem magnis cum difficultatibus Sacerdotes reperiuntur, qui horum militum quippe calleant idiomata; quocirca nostri multoties ex vatiis regionibus illuc properarũt. Qui si in Hispanorum Regnis, loca, seu Domos nostri continerent, semota omni dubietate, multo essent emolumento toti eorum dominatui potentissimo; tũ in Hospitalibus, & extra, atque grassante pestilentia, & in opitulando desolatis eo in articulo mortis formidoloso animabus. Ob eundemmet, itaque

de-

defectum Patrum intelligendi Hispanum idioma, anno 1627. coacta desijt Religio ab onere detinendi memoratum Hospitale; quando etiam violentia mortis ex nostris complures consumpserat, eiusdem linguæ peritos, ibi ministrantes.

1605.

De Fratre Aloysio Gens.

44 PRæter ceteros, qui in hoc ministrando Nosocomio ardentissima febre captus est, ac defunctus, extitit Frater Aloysius Gens ex Flandria; hic; ab ingressu Religionis, qui circa annum 1610. computatur, professus est post probationis biennium Romæ, vbi receptionis initia fecerat, ad vsq; sui obitum assiduo inter Nosocomia Neapoli commoratus est (secluso paruo tempore, vt infra referetur) ibi quasi per periodum transibat nunc in hoc, modo vero in aliud Nosocomium, vbi maior vrgebat caritas, necessitasque ægris ministrandi: etenim si in Sanctissimæ Annuntiatæ Xenodochio maior infirmorum copia inerat eo se conferebat, qua cessante in aliud valetudinarium Incurabilium nimirum, seu in illud D. Iacobi Hispanorum contendebat; tanta enim patiendi, ac seruiendi infirmis cupidine æstuauit, & hoc circulo immortales, & maximi meriti coronas sibi comparauit, munus quod exhibuit intra hæc Hospitalia fuit spiritualis, ac corporalis valetudinarij, hoc est præsto esse ne quid ęgrotis ad animam spectãs, vel corpus deesset, vnde dẽptis paucis horis ad refectionem corporis necessarijs, vtpote cibi, & somni, reliquum temporis in infirmorum cura consumpsit, eorum cubilia lustrans, multaq; secum ad ipsorum conuenientia refectionem, ac refrigeria potabilia, & comestibilia ferens; vt arrepta occasione paratam haberet benefaciẽdi materiam, singillatim enim ipsius opera pietatis recensere mihi perdifficile est, satis est dixisse; idcirco assiduo illum per infirmorum lectos discurrisse, vt omnibus corpori, animoque beneficus esset, quod vero ipse per semetipsum valuit exhibere, hilari mente cunctis egenis præstauit, neminem nauseans, sed omnibus amanter obsequens, quæ autem per se nequibat agere, conuocato aliorum adiumento obiuit; vt etiam in alterius operatione comparticeps fieret meriti, attẽto ore medicos vtriusque artis comitatus est, vt dum viserent ægros obseruaret, quas tradi escas, vel medicamina curauerint, vt cuncta prompte, & apte suis temporibus subministrarentur. Si panis, aut merum, vel alia obsonia, vel quid pertinens ad cubile minus digne apponeretur, Dominos Nosocomij cerciores faciebat, vt remedia adhiberent, redarguendo inferiores ministros, vel illos è domo excludendo, quare non ab omnibus æquo cernebatur obtutu, sed hæc flocci fecit, vt ægrotos iuuaret; admodum mœrebat, dum cerneret aliquot Religiosos frigide opera obeuntes caritatis. Patri nostro Camillo admodum amabilis fuit, vnde in sua vltima ægritudine vocatus est Aloysius ob suam caritatis flammam Neapoli Romam; vt ei ministraret, qui vsque ad Patris nostri felicem transitum fideliter, & sedulo in illius famulatu perseuerauit, illinc rursus Partenopen petiuit, cœpitque pristina suæ caritatis exercitia prosequi, & demum cum in Sancti Iacobi Hispanorum Nosocomio ingens mortalitas, & ægritudinum multitudo abundaret, eò virtute obedientiæ se contulit, vbi propter assiduos labores, & loci illius, & febrium maleolentiam affectus est acutissimo morbo, inde domum nostram Sanctæ Mariæ Portæ Cæli delatus diem suum obijt, suffultus Sacramentorum muni-

1605.

mine 1624. ibique humatus iacet, dum in extremis conflictibus animam ageret cuidam satis probatæ vitæ fratri, ait, se vidisse, & audiuisse cum sui spiritus nimia oblectatione Angelorum canentes choros. Sed de his, paribusq; euentis nil affirmare audeo, vsquequo S. Mater Ecclesia sua validauerit auctoritate; ad illud nimirum sancta inuidentia trahor ad promptos caritatis labores, beneficentiamque cum egenis.

45 Hoc anno Mense Maij per manus P. Fundatoris habitum Religionis induit P. Fabritius Turboli patria Neapolitanus adhuc vitam ducens, vir virtute clarus, & sanguine, qui hucvsque Religionem ornauit ære hæreditario supra quinquaginta millia aureorum, de ipsius labore, & Collegio nouiter ab eo erecto in suburbio vrbis Parthenopes, vbi hæc scribendo immoror, distinctius propriis in locis sermo aperiet. Nunc sequentis anni, si placet, audiatur lectio.

Annus Domini 1605. Religionis 15. Nouæ Domus Bucchlanici, Et in Vrbe Teatina eriguntur. Subnectitur exemplum cuiusdam immisericordis viri.

1 ADhuc erat perseuerans in Summi Pontificatus specula Clemens PP. 8. qui iv. Non. Mar. vita vacauit, die vero iv. Non. April. currentis anni eamdem tenuit celsitudinis dignitatē Leo PP. XI. qui pariter v. kal. Maij functus est, at xvij. Kal. Iun. defluente anno eodem suffectus est Cardinalis Borghesius Romanus vocatus Papa Paulus Quintus; inter hæc tempora in sua patria Bucchlanici Pater Camillus domum Religionis fundauit; vbi aliquandiù in Ecclesia Sanctissimæ Annuntiatæ, & in domibus ibi adhærentibus nostri incoluere, illinc post aliquam temporis moram, Domi Honofrii patruelis Patris nostri Camilli commorati sunt, quoadusque in media oppidi platea Marchio Sancti Boni suum illi largitus est palatium, hic diruto eo vetusto à fundamentis ædificio, recentem erexit ædem Religio, quod hodie completum inspicitur vna cum Ecclesia nondum absolute constructa, profecto his in ædificiis magnanimiter, ea tellus se exhibuit, complurium aureorum milliaria pro construuendis tum Ecclesiam, cum etiam conuentum suppeditauit, at quoniam in hac nouæ domus erectione aliqua notatu digna sese intermiscuere libenter referam.

Cōstruitur Bucchlanici domus.

2 Dum enim nostri in domibus iam supradicti Honofrii subsiderent; Pater Camillus quodam in cubiculo pensum officii diuini persoluebat, socius vero ipsius in proximo Cœnaculo deambulabat, quem Camillus ad se vocans, ait, exi Frater cito ex hoc loco, & propera huc ad me, qui obsequens ad ipsum perrexit, & dum secum moraretur, repente Cœnaculi pauimentum integrum confractis tignis magno casu corruit, vbi si paulo amplius permansisset subtus ędificii ruinam discerptus, ac demortuus, effossus fuisset. Quinimmo quod maius est, superior domi nostræ ex eo diuersorio communes efformare officinas

Præcepit Camill. apparari officinas alibi quamdispositum erat.

decre-

1605.

decreuerat tamquam magis idoneum, & latius patens, ſcilicet refectorium, cellam pœnatiam, & popinam; at Pater Camillus contra obſtitit, & aduerſus etiam ſtructorum ſententiam vetuit prorſus hæc inibi functiones haberi, vel erigi; vbi proculdubio omnes Patres interijſſent, maximè quia hora prandij quando corruit iam inſtabat, & omnes in menſa aderant, verum in alijs officinis cibos, & mappas adaptantes; illud etiam adaugens nimium admirationem eſt, quod prætermiſſo eo opportuniori loco, oportuit deſcendere in ſatis, ſuperq; incommodas cellas, ibique ſtatuere, ac ponere præfatas officinas, totum id peractúm eſt, quoniam ita diſpoſuerat, ac præceperat Pater Camillus, non tantum quia tutior ſitus, verum quia ſic interius excitus expedire adiudicauerat.

Lib. 3. c. 24. In geſtis vitæ P. Camilli.

3 Aequale diſcrimen, ſed Pater ſolus Camillus incurrit eadem in domo; etenim in limine cuiuſdam feneſtræ innixus horas canonicas erat recitans, qui tactus interius ex eo loco intra cubiculum ſe recepit, & è veſtigio feneſtræ conuexum corruit, quod ex lateribus compactum ſteterat; tunc fuit ipſe ſuis auxilio, nunc ſibi ipſi, Domino illi interna commotione opitulante, ne illa lateritia, ac lapidea materies eius caput contereret, aperte notum eſt dæmonem adhibuiſſe omnem aſtum illis initiis, vt eam domus fundationem perturbaret, ſaltem ſi non valuiſſet omnino perdere, quod maximopere cupiebat, ſed potius ipſe corruit, eiuſq; machinamenta; at notabilius eſt, quod ſubditur.

Dum caput retrahit a feneſtra ipſius conuexum, repente peciperat.

4 In erigenda Bucchlanici noui Monaſterij fabrica occurrit; ſupra quoſdam cæmentarios, fundamenta dum iacerent, vetuſtum parietem à latere eiuſdem fabricæ ſtantem, repente collapſum cadere, atque in ipſos miſerando euentu, irruiſſe, illoſque operuiſſe, grandis erat parietis moles, quæ numero octo cõpreſſit, extemplo oppidani palmas ad ſidera leuantes, trementeſq; concurrerunt ad locum ruinæ, ne quidem veſtigium conſtructorum agnouerũt, prorſus eos contexerat, ac depreſſerat illa lapidum, & calcis vetuſta congeries, alij iuere vocatum presbyteros, ſi forte in aliquo prodeſſe quiuiſſent, alij ducem oppidi, alij Patrem Camillum commonefecerunt, Terræ Sindicus de ſepultura, & capulo cogitauit (erant enim omnes extranei) vt relatus eſt miſerabilis caſus Camillo, ad orationis præſidia confugit, & quoniam diſcumbebat cũ ſuis Patribus, non illico ſurrexit à menſa, ſed inibi inclinata ceruice quieuit orans parumper, poſtmodum ſubleuato capite omnes hortatus eſt bono animo eſſe, quia fidebat in Domino, nihil detrimenti paſſuros domificantes; immo omnes euaſuros incolumes, hinc à menſa ſeceſſit magna conſtipatus ſæcularium perſonarum caterua, ac noſtrorum, ad locum tandem deueniens, accerſitis alijs ſtructoribus, illàm materiei congeriem extrahendam iuſſit, quæ ſenſim euulſa eſt, ſubtus ædificantinm corpora (ò mira orationis vis, Deiq; Bonitas) non tantum viua, quod prorſus non expectabatur, verum penitus illęſa extraxerunt; immò vero gaudentes à ſe puluerem excuſſerunt; perinde atq; deſuper illos modicum pulueris euolaſſet, manus iterum, extemploq; applicuere fabricæ; quaſi per horam ſubtus parietis maſſam depreſſi iacuerant, vnus quidem ſtructorum non prætereũdus nomine Marcus, nequaquam infra repertus ruinam, ſed de ſuper ædificij fornicem, vbi in fronte grauem lapidis ſenſit percuſſionem, hic non niſi poſt dierum multorum curationem conualuit, iſte mane eodem contra Camillum ſuſurrauerat, quaſi operatios omnes in eos aſperos montes duxiſſet, pluribus vacuos commodis, at ſuę maledicentiæ pœnam retulit, ſed non quam dignam merebatur, inſuper cum

Lib. 3. c. 24. In vita P. Camilli typis edita.

De cœmẽtarijs oppſſis a ruina nullam tamẽ paſſi sũt læſionem.

igno-

1605. gnoraretur nominatim locus, vbi contecti ſiſterent cœmentarij, ſpeciatim ſitum Camillus deſignauit, quo effoſſo inuenti ſunt omnes incolumes, vt recenſitum eſt, ſed ad aliud rarum factum procedere fas dicit.

5 Ob aquæ penuriã ad Conuentus, & fabricæ neceſſitates ſupplendas efformãda erat ciſterna, ſed terra idonea calci immiſcẽda lõge aberat, illuc magnis expenſis, & incommodis decem milliaribus diſſita deferenda erat, quod profecto difficillimum, & magno diſpendio fuiſſet; Pater vero Camillus nihilominus in diuinum auxilium iecit ſpei fundamentum, ne conſternarentur edixit; quandoquidem Dominus neceſſaria oſtenſurus, quod profecto euenit; etenim cum die quodam vna cum Honofrio eius patruele ſeruus Dei procederet, intererat etiam ſtructorum vnus, ibant ſimul, vt laterum fornacem accenſam agnoſcerent, ſi illos bene incenderet ignis, dum progrederentur obſeruauit Camillus formicã portare ſubnigrã humum à caueis deſuper paruo ore, vt contemplatus eſt, annuit ſocijs, ædificij vero Magiſter viſa telluris qualitate cum ſtupore, clamauit, hæc tellus eſt, quam deſideramus, valdeq; opportuna extat; hic enim locus proxime accedebat Conuentui, vbi adſtruẽda erat ciſterna; quare ſatis commode ea vſi ſunt; & quod maius apparet, quoaduſque ciſternæ vas compleretur huiuſmodi humus perſeuerauit, quo abſoluto opere, & ipſa omnino deſijt, & quemadmodum eo in loco nunquam fuerat viſa, ita poſthac nequaquam apparuit, quod Serui Dei Camilli precibus tribuere.

Libro eodẽ & cap.

Signo formicæ oſtenditur tellus apta ad fabricæ conſtructionem

6 Ea tempeſtate alterius domus Religionis Teate erectio facta eſt à Patre noſtro, vbi illius vrbis Domini noſtris prope Ciuitatis muros nonnullas ædes cum Eccleſia vetuſta, ſed commoda, peculiaris autem venerationis apud vniuerſitatem illam ſub titulo Sanctiſſimæ Annunciatæ conceſſere, contiguum inibi adiacet paruum Hoſpitium, quorum ægris noſtri die, noctuq; miniſtrant, Sacramenta conferendo, & animæ in extremis laboranti officium commendationis exhibando, pleraque item corporalia miſericordiæ opera impendũt, & quemadmodum Eccleſiæ forma, & deuotio pulchra eſt (vt decet) ita habitatio aliquantum incommoda: verſa vice Bucchlanici nobilem cum templo poſsident noſtri habitationem; magno honore Patrem Camillum ſuum municipem ea tellus proſecuta eſt.

Erigitur Teate domus.

De quodam immiſericorde famulo, cuius exitus miſerandus.

7 ROmæ vocatus Pater Cæſar de Simonio noſtræ Relig. Sacerdos Prof. cuiuſdam famuli ad auſcultandam confeſsionem decumbentis in lecto, graui febre vexati, infirmi domum adijt: vt ſtatus nequam huius ſerui in patulo ſit; erat enim alias fidelis erga Domini cuſtodienda bona, ſed non erga propriam ſalutem, & alienam miſeriam ſubmouendam; pluries autem illi Dominus ſuus præcipiebat, vt erogaret eleemoſynas, & frequentius Religioſis, ipſe vero famulus multis ſuſurris in Religioſos iniectis, vel illa non integre elargitus eſt, vel denegauit, ſeu vina lymphis miſcebat, vel quid ſimile mera conturbans, & plerumque murmuri blaſphemias adiunxit, certo creditur herum hæc ignoraſſe. Demum lecto æger famulus adhæſit, Patri poſt multas preces, & cohortationes noluit confiteri, & quia morbus velociſsime, ac venenoſe carpebat vires, & volabat (vt ita dicam) ad interitum, idcirco non diſceſcit ab eo Pater, dum igitur ipſum rogaret, & precibus obſecraret, vt ſua

pecca

1605.

peccata panderet, ipſe vero infirmus contra rogabat Patrem, ne ei moleſtus foret; demum poſt multum fruſtra conſumptum tempus protulit æger,ſuggerente dæmone, vt parumper eum ſinerent quieſcere,& poſtmodum ſuper cõfeſſione verba facturos,id permittẽtes in aliud cubiculũ omnes ſe contraxere, vna cũ patribus, æger vero in aduersã parietis partem faciem conuertit, ſperabant enim omnes poſt aliquam quietem ſe pœnitentiæ Sacramẽto muniturũ,adiecta modica tẽporis mora,famula quędam introducta acceſſit,vt infirmi ſtatum recognoſceret, quæ cum vocaſſet ægrum non reſpondit, illum obſeruauit, & inuenit demortuum, claraque voce dixit, vt alterum Iudam Iſcariotem crepuiſſe ægrotantem, ſeruumque ſceleſtum, quo audito omnes contremuere, reuerſique ſunt Patres taciti, ac trementes, iuſtaque Dei iudicia formidanda prædicantes.

Seruus immiſericors impœnitens moritur.

8 Pater Scipio Carozza Caetanus, cum adeo periculoſe ægrotaret in Vrbe Romæ, ꝙ ex Medicorum præſcripto, non ſolum vitæ ſpem amiſerat, verum quoque Sacramentum ſacræ Vnctionis quamcito ei conferendum indixerãt; Pater vero Camillus eum viſum adijt,illumque ſigno Crucis in fronte dextro pollice lætificauit, ſecumque lepide locutus eſt; ne mœrore tabeſcas Pater Scipio quandoquidem bene diuino fauore valebis, id citrà moram,aut dubiũ euenit; etenim mane diluculo, cum medici regrederentur à febri ipſum exemptum adinuenere ſtupentes, idque precibus Patris Camilli, meritiſque adſcripſere, iſte pater comitem vitam habet,& vnus commemoratur,qui primitus Romæ profeſſionem emiſit, & deſcribitur in ordine vigeſimus.

P Carrozza in fronte ſignatus a P. Camillo ſanitatis gratiam nanciſcitur.

Lib. 3. c. 16.

9 Menſe Auguſti Pater Camillus ſupra triremes Meſſanam contendit,quo tẽpore celeberrimę, ea in vrbe nundinæ fiunt, ibi quamplures perſeuerantes ſuſcepit adoleſcentes, quos inter me admiſit, ſed cum oporteret ad eum regredi mane (namq; ſolum receptus in albo adſcriptus fueram) vt ſecum Neapolim pergerem, ibiquehabitum inducrer, relicto paſtore à meis ſiquidẽ abſtractus (quod flens dico) deprauatis itineribus, renui ad ipſum redire; at paſtor errantem ouem non deſpexit, ſed pio, ac benigno corde quæſiuit, deſtinauit autem Pater Fundator ex patribus quemdam,vt me ad ipſum reduceret, ſed diſceſſus proximus inſtabat triremium, eo integro anno in meis per uerſitatibus execrandis perſeueraui, (id vtinam flens dicerem,& ſcriberem) quoaduſq; recurrente poſtero autumno denuo admiſſus, ad vrbem Neapolis appuli habitu amiciendus, vt euenit.

In Sicilia multi nouitij admittũtur.

10 Inter defluxum iſtorum temporum ſeruus Dei Camillus magnam nouitiorum familiam aggregauit, quorum potiſſimam partem in vrbe Neapolis, & in Trinacria Meſſanæ præſertim ſuſcepit,quos per Hoſpitalia recepta nouiter diſpertiuit, nimirum Neapoli, vbi eorum ingens numerus commorabatur,paulo plus, minuſue octuaginta, ceteros per alia Inſubriæ iam detenta Noſocomia deſtinauit: & horum pauciſſimi ad profeſſionis diem peruenerunt, nam quidam à laboribus,& Hoſpitalium putoribus conſumpti emarcuere,quos fortunatos appellabo, qui relinquẽdo patriã,parentes,& omnia,vt manſueti agni vitam etiam amiſerunt in vere ſuæ adoleſcentiæ, non pauci difficillimã prægustantes inſtituti militiam Religionis, caritatis arma deponentes ad ſæculum rediere, reſidui vero profeſſionis Crucem ſuſceperunt, ſed non niſi prius per tribulationum, & ægritudinum fornacem tranſeundo, & multi ſuperſtites fuere, non niſi tamen prius ſanctæ vnctionis eis collato Sacramento, quare in vita, qui relicti ſunt,haud abſque grauiſſimis,ac periculoſiſſimis ægriitunibus.

Numerus nouitiorũ Neapoli.

Multi diem feliciter obeunt.

1606.

Annus Domini 1606. Religionis 16. Modus quem in suis itineribus tenuit Camillus, & quanta in eis passus est incommoda. Quo rerum apparatu Domos Religionis adibat, atque visebat. Ingenti infirmorum mortalitati in Hospitali Sanctissimæ Nuntiatæ Neapoli nostri occurrunt.

1

Frequētissimæ P. Camilli visitationes domorū Religionis.

PErpetuus mos Patris nostri Camilli dum Generalatus clauum regeret, extitit, pene irequrieto corporis motu Religionis domus lustrare; nunc pedestris, modo equitando, plerumque etiam maria tranando, perque flumina eundo; proinde non leuia, nec semel, sed quā maxima, & plurima, per terras, montes, ac rupes, & limosas valles traiciendo, & per aquas nauigando perpessus est dicsrimina, mortisque frequenter, à quibus Diuinitus ereptum esse creditur, vt nimirū suis ouibus peruigil pastor incumberet, & damna præcaueret, hinc sæpissime suorum Patrum, ac Fratrum, atq; nouitiorum mutationes per varia loca, ac Religionis ædes fieri disposuit; qui Romæ exempli causa extabant ad aliam domum ituros destinauit, & qui in Sicilia morabantur per diuersas domos, ac Prouincias transmisit, & ita promiscue absque personarum acceptione permutabantur; ita ut nemo neque domui, neque vrbibus, nec personis vllis affectu se posset naturali, seu carnali addicere. Etenim vnusquisque in accessu, seu regressu Patris Camilli, uel ante per epistolas dubius erat num ne eam Cellam, & vrbem oporteret repente linquere, & exteram petere; ex vrbe puta Neapolis, vel ex Trinacria, an contingeret ei ad Insubriam contendere. Hac via profecto suos in virtute celsæ obedientiæ exercitos voluit, pariterque hoc pharmaco defectus aliquot extinxit, & domus suæ Religionis satis prouisas tenuit congruentis familię subditorum numero. Veruntamen, quamuis singulas Religionis ædes sæpissime viseret, attamen Romam, & Neapolim veluti Conuentus Religionis principaliores, antiquioresq; vbi potissimū familiæ numerositas, & laboris plurimum, & Hospitalium triplex corona inerat, frequentius adijt, ac diutius demoratus est.

2

Absq; prænuntio domos nostras petebat Camillus.

Non epistolas, non internuntios ad domi præfectos, seu cuiuscunq; nominis superiores, quo erat peruenturus, præmisit, sui aduentus notificans horā, vel diem, vt sibi obuiam irent, seu pararentur exquisitè ad victum, & habitationem necessaria, at sibi assumpto socio desuper meritorias bestias insidentes iter dirigebant, qui (vt prouerbialiter dicitur) insalutato hospite, intra nostrorum domos, quo proficiscebantur adstare cernebatur; & ita subditos, & qui præerant, vigiles in obseruantia regularis disciplinæ tenuit, & intentos præsertim superiores in suarum ouuium vigilantia, atque in boni exempli odo-

rem

1606.

rē exhibendo conſeruauit, inferiores vero in obſequendo, quæ tempora quam felicia mihi liceat, & aurea nuncupare.

3 Anno autem ſuperiore plurimos ipſemet Camillus Neapoli receperat nouitios Meſſanæq;, quos(vt antea ſignificaui) ſecū Neap. detulit, quoſue per Hoſpitalia,& domos diſpertiuit Religionis, multos in Vrbe eadem detinuit Neapolis, illos hoc ordine deſtribuens, nonnullos ruri morari,deſtinauit, vt reficerentur poſt Hoſpitalium defatigationes,quibus viciſſim vtebatur,vt in aliorum labores intrarent, in eorum ſcilicet, qui per aliquam temporis intercapedinem nempe per tres circiter hebdomadas intra Noſocomium ſe in operibus caritatis exercuerant, & ita mutuo, ac promiſcue ad operationes pietatis deſtinabantur, & in animorum item honeſtam relaxationem ſpatiabantur:quibus omnibus tam intra Noſocomia defatigantibus, quam ruri quieſcentibus ſatis commode victus, & veſtimentorum neceſſaria ſuppetebant; Pater autem Fundator nunc vero ad hos, nunc autem ad illos contendebat, ſecumq; non raro cœnans,ſemperq; aliquid præter ordinarium menſæ apparatum, reponi coquo mandauit; verus amans Paſtor, & Pater ſuos iugiter confirmando, ac recreando in tyrocinio temporalibus, ſpiritualibus quoque, ſanctiſque rectionibus hoc eſt deuotis ſermocinationibus, atque hortamentis, vigil fuit.

4 Hoc porro anno Neapoli præpeditus P. Camillus in Siciliam non tranſiuit;verum eo ſub viſitatorum nomine Patrem Bernardinum Saractum domus Viterbij tum præfectum,& Patrem Octauianum Varianum tum temporis Cōſultorem Generalem deſtinauit, vita ambo caruere circirer annum 1636. hi quot idoneos inuenere perſeuerantes Neapolim ſupra triremes ſecum detulerunt, inibi Religionis habitum veſtiendos; Meſſanæ prope trigmta ea vice adoleſcentes bonæ indolis recepti ſunt, qui ſupra triremes Summi Pontificis nauigantes Non. Octobris Neapolis in portum appulere, qui omnes ſe contulere in agrum quemdam Religionis prope(vt nuncupant)arenulæ pagum,Sol iam reliquerat noſtrum hemiſphærium, quaſi per horam,& dimidiam quando eumdem in Agrum peruenimus; ante Lucano tempore ſuccedente; Pater Fundator Camillus ad nos contendit, ſermonemq;communiter de Cæleſtibus pluſquam trium quadrantium ſpatio habuit, ſcilicet in Oratorio ædium ruris eiuſdem conſiſtente, exinde rurſus ad alia pietatis opera peragēda Neapolim deſcendit.

Meſſanæ nōnulli Neap. adeunt nouitij.

Sermonē habet Camil. valde pium cum eiſdem nouitijs.

5 Tunc temporis in Sanctiſſimę Annuntiatæ Noſocomio iacebant febrientes ægroti ferme octingenti,& cum repleta vniuerſa Xenodochij eſſent loca, ſimul, & anguli, & cubicula,atque per medium valetudinarij poſiti etiam lecti, demum quoddam ſuperioris domi in parte valde amplum aperuere horreum, quod infirmorum ingens numerus compleuit; in tanta ægrotantium multitudine, magis,& amplius Dominorum Hoſpitalis claruit beneficentia,& magnanimitas; quamuis enim abſumi æs oportuerit valde excedens annuos Sanctiſſimæ domus redditus; ipſi autem ne ægris quid deeſſet,deligere maluere,domum ſapienter onerare magnis debitorum ſummis, quam in minimo à caritate conſueta illius pijſsimæ ædis deſiſtere. Namque quotquot acceſſerunt infirmi, neminem excluſit, ſed cunctos ſuis ſub alis confouit, quidue medicina præſcriberet, haud prætermiſit, & ciborum exquiſita edulia mane, & ſub veſperum optime parata ſubminiſtrauit,nec cubilia,nec lintei candidi,neue quid ſimile defuit vnquam ægris; itaque in vniuerſum (ne per partes diſcurrendo lectorem faſtidio afficiam) affluenter, & ſuperabundanter, ea calamitoſa tē-

Ingenti numero infirmorum SS. Annunciatæ ædes repleta eſt.

pe-

1606.

peſtate, & mortalitatis parente omnibus infirmis prouiſum eſt rebus in cunctis affluenter, atque ammanter.

6

His anguſtijs temporum, & vrgentibus neceſſitatibus Religio noſtra præſto fuit, & multos collegit præmaturos fructus locandos in Dei horreo, etenim cum eſſent domi noſtræ circiter (vt antea notaui) octoginta nouitij, totidemq; ferme profeſſi (excludo tamen eos, qui in miniſterio infirmorum Hoſpitalis Incurabilium, & Sancti Iacobi Hiſpanorum degebant numero viginti) pene omnes curam gerebant, his pauperibus Sanctiſſimæ Annuntiatæ ſubſeruire: nominatim inibi aſſiduo nocturnis, atque diurnis vigilijs incumbebant noſtrorum viginti, & octo; deſignatos ſibi obeuntes labores, ac vigilias, ſeu excubias tam interdiu, quam etiam nocturnas; ſub hac etenim forma tres quorum vnus erat reliquorum duorum dux, & caput eis partem vbi erant inuigilaturi conſtituebat, & hi tres à prima noctis cuſtodia vſque ad dimidium ſuis excubijs intendebant, quibus peractis alij ſubſequebantur ſub eadem ratione, ac directione vſque mane, donec omnes Patres aſſurgerent, perſeuerantes; iam de horum miniſterijs pauperibus impenſis, & de diurnis vigilijs ſupra multa commemoraui cum de valetudinarijs verba formaui; idcirco eadem hic repetere iterum fruſtra quid conabor?

Opera noſtrorum in tanta mortuorum ſtrage intra Noſocomiũ SS. Annunciatę

7

Pater noſter Camillus quouis mane poſt mentalem orationem fieri aſſuetã in Religione quotquot Patres domi noſtræ profeſſæ adeſſe reperiebat ſecum in dictum Sanctiſſimæ Nunciatæ Hoſpitale deferebat; ibique ſimul cum illis Patribus, qui intra idem Noſocomium morabantur ægrotorum lectos ſternebant, ac reficiebant excedentes numerum ducẽtenum, inde cibos ſubminiſtrabant, ſed ſpirituale prius, Sanctiſſimum nempe Viaticum ijs, qui erant communicaturi, ſub ea forma, qua ſupra demonſtratum vidiſtis, deinde temporalem grauioribus, ac imbecillioribus ægris eſcam porrigẽdo attendebant; exinde poſt pleraque tam ad animum, quam pariter ad corpus opera pietatis ab eis exercita, manibus non vacuis, ſed optima, & egregia caritatis myrram ſtillantibus proficiſcebantur, domumq; noſtram, vnde diluculo diſceſſerant, repetebant, quaſi ad nouum Hoſpitale, noua pietatis exercitia tractabant infirmis quippe Patribus, ac nouitijs miniſtrãdo, menſas aptando, quia tũ edendi hora inſtabat, aquam manibus fundendo, & vt ſibi ora colluerent eam offerendo, epulas item uehendo, atque dum caſus poſtularet in ora inſerendo; quælibet alia præſtabant, quæ tempus illud prandij efflagitabat. At ſi aliquantum latius hoc opus tractetur, ut decet, multa notabilia enucleabuntur, ac digna memoratu; nominatim Patris Camilli pietas, ſolertia, paternuſq; affectus innoteſcet, ut uidebitis, licet diminute, infra.

Quotquot domi noſtrę aderant ad Noſocomiũ P. Camillus duxit.

8

Erant enim domi noſtræ tam nouitij, quam profeſſi (ſed maior uidebatur nouitiorum pars) decumbentes in lectis ægri triginta, & amplius omnes peſtifera febri correpti, quam inſeruiendo ægrotis in dicto Sanctiſſimæ Annuntiatæ Hoſpitali contraxerant, poterat enim domus noſtra tum appellari unum ex publicis Ciuitatis Noſocomijs, at non quidem ex minimis propter aſſiduas Patrum ægritudines, plurimi enim recenter ægrotabant; alij uero uita fungebantur, & omnes quaſi oppreſſi à nimijs defatigationibus, & ceterorum in Hoſpitali ægrotantium putoribus, itaq; uehemẽtiſſimis, & ardentiſſimis febribus in lectis proſternebantur: unde ualetudinarium domus noſtræ ob nimium infirmorum Patrum concurſum amplius continere poſſe infirmos incapax ſe reddiderat; hinc oportuit duo cohærentia, ſed ſatis ampla diuerſoria pro lo-

Numerus noſtrorũ ægrotantium ob febres in Hoſpit. contractas.

candis

candis ægris conſtituere; Tum Patris Camilli nominatim Caritas non tantum erga infirmos Sanctiſſimæ Nuntiatæ (vt antea relatum à me vidiſti) enituit; verum maximopere erga ſuos infirmos patres, fratres, nouitios, atq; adeo oblatos mirificè coruſcauit. Etenim valde mane hoc eſt paulo ante, vel ſub auroram ad valetudinarium properabat, vbi, vel ipſe ſolus, vel comitatus ſocio (non enim relata, vel ſcripta ab alijs prodeo, ſed quæ proprijs oculis contuitus ſum, & quæ in me, tum ægrotante Pater impendit, vt poſteris pateant, litteris commendo.)

9 Itaque quando ægri ſub ſilentio poſt morbi labores, vigiliaſq; nocturnas eo tempore naſcentis auroræ aliquid ſomni, vel quietis carpunt, Ipſe Camillus vaſa fimi immunda ſiue ſolus, ſiue ſibi vnicum ex Patribus admittens comitem vertebat, lauabat, tergebat, proprijs locis locabat, hoc opere abſoluto, valetudinarium verrebat, & ab eo fœtores vt excluderet aceto pauimentum reſpergebat; at ſi alij ſtuduiſſent eum ab his diuellere humillibus exercitijs, tenacius ipſe inhærebat, non ſecus ac qui vehementer ardet in diligendo, hic obtrectantium ſuſurris aduerſus dilectum obiectis non attendit, vel ſi audit materia ſibi ſunt, eaq; ſibi facit occaſionem tenacius, & ardentius amandi, quem deperit; Interim (vt ad propoſitum redeam) dies illoceſcere dum inchoaret, vna cum alijs Patribus, noſtris ægris, farmaca, ſyropos, aliaſque non modici nutrimenti, ac refrigerij potiones ex gallina compactas, (quas nominant conſumatum) ſumendas ſuggerebat, poſtea creſcente die lectos vna componebant, grauiores infirmos proprijs vlnis Pater Camillus, & ceteri Patres, qui ſecum miniſtrabant, ſubleuabant, illos deſuper alios toros deponentes, poſtea ſtrato lecto in ipſummet à quo abſtulerãt, declinabant. Poſtmodũ hoc eſt poſt regreſſum ab Hoſpitali Sanctiſs. Annuntiatæ, paratis epulis, ac menſis ægri comedebãt, ſingulis infirmis ſinguli Patres deſtinabantur à valetudinario, quilibet ne quid ſuo infirmo deeſſe & incumbens; Pater vero Camillus circum omnes infirmos indefeſſo pede ibat cunctis quælibet neceſſaria, & opportuna ne abeſſent prouidens, verum ſi quid petijſſent actutum ſatisfactum iri curauit; ſiue in permutatione ciborum, qui enim non appetebãt ea eduliorum genera, alia ſuggerenda vice illorum inſtituit coquo, ſiue valetudinario; & quid recenſeo per coquum, ſeu valetudinarium? per ſemetipſum cuncta complere deſiderauit, vehementerq; amauit, itaque in omnibus complacere illis auebat; ſi quid vero ab re poſtulaſſent, lepedis verbis eos conquieſcere, ac rationibus commonebat, perſuadebatque: tempore antelucano (dixi) ſeruiendo apparuiſſe, ita ſero pariter valde poſt aliorum diſceſſum ægrotorum famulatum reliquit, nuſquam profecto ſe ab eis elongaſſet, niſi à neceſſitate ad alia fuiſſet vocatus.

Miniſteriũ quod exhibuit Camillus noſtris ægris.

10 Vnde propter ardentem caritatem penes omnes maxima exiſtimatione colebatur, apud infirmos præſertim, illud enim noſtri ſpeciatim ægri indubitanter obſeruarunt, ſi quem Pater Camillus expetitus ſigno Sanctiſſimæ Crucis muniret, ille incolumitati dabatur, referam, quid mihi hac tempeſtate contigit cum eſſem in eã coniectus ægritudinem, & peſtilentem febrim, vt impoſſibile mihi vitam aſſociandam putarent, & in eũ collatus infirmitatis ſtatũ inueniebar, quod me ſolum in quodam valetudinarij cubiculo conſtituerunt, remotis alijs ægris, qui mecum eadem in habitatione morabantur, ne illos mea ardentiſſima febri inficerem, ſingulis enim noctibus ſuper me Patres excubabant; ſubintelligens huius virtutis Patris noſtri

Lib. 3. c. 16.

Obtinet Auctor à P. Camillo incolumitatem.

1606. Camilli famam, in corde præfixi petere ab eo, vt me quoq; carachere viuificæ Crucis in fronte obsignaret, & quemadmodum trepidans id ex eo postulaui formidans negationem, ita intrepide credebam, quod signatus ab ipso fore vt conualescerem, statim atque poposci, vel forte, in postulando me fulciuit saluberrimo, & semper dignissimo, atq; vbiq; adorando signo Crucis, & repente in spiritum meum quædam adipiscendi salutem ingressa est dulcedo, quam paulo post meritis nostri Patris Camilli me nactum esse credo; ita suis precibus meliorem illam, æternamque consecuturum confido.

11 Et quamuis tanto in numero abundarent nostri ægri, atque bene valentes nihilominus fides Patris Camilli in Dei prouidentia nunquam defecit, neq; vnquam destituit illum Dominus, subministrans ei per pias, deuotasq; personas cuncta necessaria, quæque opus habebat; vnde sanis, atq; infirmis, nil aliquando defuit, neq; quoad victum, neq; quoad medicorum, vel medicaminum apparatum, quin affluenter prouiderentur, neue quoad indumentorum subsidia. Hinc ad euidentiorem Diuinæ munificentiæ ostensionem casum referam vnicum, qui inter hæc molesta tempora occurrit.

Nil vnquam neq. ægris, neq; beneualentibus illis initijs licet numero essent complurimi defuit.

12 Quodam mane, iam communis mensæ hora accelerauerat, vt post labores nocturnos, atque matutinos reficerentur, pistor vero, quoniam plurimorum erat creditor aureorum renuit panem iuxta morem domum nostram transmittere, subtus vero minister Patrem Camillum super hoc cómonuit, & propterea se non dedisse mensæ communis signum, quandoquidem panis deerat, cui pater subintulit, se amplius quid ageret ignorare, iam deposui (dixit) vacuam crumenam, ac pendentem in pedibus Sanctissimi Crucifixi stat: attamen tum ipsi fratri, cum etiam cellario oratum, vt irent Sanctissimum Sacramentum iniunxit, patres interea ieiuni post labores rei euentum expectabant, & hora prandij iam declinauerat, & ecce inexpectato ostij campanam satis alte sonum dedisse, quam omnes eo tempore cum admiratione Patres senserunt, ad Ianuam cucurrit Ostiarius, vbi reperit Excellentissimæ Dominæ Beneuenti vxoris Neapolitani Proregis quemdam aulicum, post se duos satellites seu alabardarios sequentes habentem, & mulum candidissimo pane oneratum, panno cum insigniis eius familiæ superinducto, quē in valuis ianuæ secretæ deonerauit, missamq; dixit aulicus eam panis summam ab Excellentissima Domina Prorege Patri Fundatori, vt pro se, suoq; viro, filijs, suaq; tota domo Dominum rogaret, insuper chirografum porrexit, ducentorum aureorum quantitatem recipiendã a Ciuitatis ærario; qui profecto euentus per domum, vt vulgatus est ingenti cum lætitia susceptus ab omnibus fuit, illumq; panem tanquam a Cælo demissum comederunt, Diuinæ bonitati, innumeras referentes grates, nominatim Camillus, qui voluit non modo domi nostræ dispertiri, atque adeo ad Hospitalium Patres partem dimitti, vt omnibus diuina innotesceret gratia, cunctiq; participes de ea fierent.

Peculiaris Diuinæ prouidentiæ casus.

In vita P. Camilli lib. 2. c. 11.

13 Et quidem in tanta infirmorum, & aliorum Patrum copia toto eo tempore, quod per biennium, & supra cucurrit, nil defuisse omnino certum est; nec ægris in tanta multitudine, neq; sanis Patribus, vt iam significatum notastis, quod peculiari Diuino tutamini sanè tribui posset: tantus quidem nostrorum in dies numerus vita fungebatur, vt, ne timore corriperentur viciniæ, campanis non pulsatis tumularentur, qui profecto, quasi tot puræ, ac teneræ victimæ Deo sunt oblatæ, quandoquidem pro pauperibus infir-

mis

mis ceu pestilentia vexatis, & ipsi similem pestilentem febrim contrahentes decessere; quorum nomina partim abs temporis vetustate, partim ab incuria in obliuionem demersa iacent; sed viuere inter cęlestia regna confidimus, horum plurimi, qui mortalem breui interuallo temporis exuerunt vestem, nouitij extiterunt, supra numerum duodenarium supputati, omnes enim adolescentes floridæ ætatis relictis omnibus, vt Deo, suisq; infirmis famularentur, interiere, istorum pleriq; Messana venerant; qui cum essent viribus imbecilles facta aeris mutatione in tanta deterioritate inter hæc nimirum hospitalium loca vel pessime ægrotarunt ad mortem, vel mortui sunt pro infirmorum ministerio, quibus æstuanti dilectione subseruierunt. Inter hos, qui eodemmet in Nosocomio magnis, & indefessis operationibus famulati sunt refertur infra narrandus frater.

1606.

Multi nouitij ob ministerium infir morũ intra SS Annũciatæ Hospitale decessere.

De Fratre Octauio de Lellis.

14 FRater Octauius de Lellis nouitius ex Samnio receptus est in Religionem anno Domini 1605. & quemadmodum Patri Fundatori sanguine deuinctus, ita imitatione propinqus in opere pietatis, exiguo tempore magnam messem sibi cumulauit, hoc est plurima caritatis opera sibi congessit; Iste ante Religionis ingressum principaliora, quæ possedit, Religioni irreuocabili donatione largitus est, præter reliqua quemdam agrum, vbi miranda facta est postea nimirum 1612. fabarum multiplicatio, vt suis referetur locis (Octauius enim de propio viuebat patrimonio) & cum à ceteris eius consanguineis significatum fuerit, quid nõ in professione sua bona ab se abalienaret? etenim si forte habitum dimisisset, sua sibi suppeterent; eo animo respondit Octauius in Dei seruitute me addixi; vt si oportuerit mea membra intercidi non à Diuino famulatu, & ab Religione me seiungam, & quidem post susceptum habitum tanto feruore, qui mirabilis ab omnibus spectabatur, pauperibus ægris inseruiuit; vt numquam sibi requiem quasi concederet, dieque noctuq; omnibus eorum necessitatibus ministrando in temporali, atque spiritualibus; Non vulgari lætitia Pater Fundator detinebatur, contuens Octauium adeo peregrino, & ardenti zelo pauperibus inseruire, cuius actiones prius, ac postea eius decessum alijs nouitijs, ac professis, vt exemplar proponere consueuerat. Demum inter hos ærumnosos labores, & perpetuas vigilias nominatim intra Sanctissimæ Annũtiatæ Nosocomium exhibitas, & ipse grauissime ægrotauit post annum circiter cum dimidio ab habitus susceptione; de ipso plane enunciare fas est illud sapientiæ breui, expleuit tempora multa, munitus itaq; venerabilibus Sacramentis, emissisq; antea quatuor votis eo nimirum modo quo ei licuit: propterea quod eius professionis tempus non maturauerat, simplici quippe promissione Deo, ac Beatissimæ Virgini facta, assentiente tamen, atq; præsente Patre nostro Generali, ac Fundatore, a quo nimium ob suarum virtutum splendorem vniceq; diligebatur, ex hac vita læte migrauit, vt suæ caritatis, & obedientiæ susciperet Coronas ab eo summo bono, a quo nullum prætermittitur irremuneratum bonum; Corpus ipsius non sine lacrymis Patris Camilli speciatim sepulturæ datum est in Ecclesia Sanctæ Mariæ Portæ Cęli Neapoli, cuius exemplaria caritatis pęnes multorum animos adhuc viuunt; decessit 1607.

Æstuãtis caritatis zelo ægris obsequia præstitit.

15 Inter anni præsentis defluxum ab sanctissimo Patre nostro militantis Ec-

clesiæ

1606. clesiæ Monarcha Paulo PP. V. Religioni nostræ, qui protectoris officio fungeretur Amplissimus, ac Eminentissimus Cardinalis Gymnasius designatus est, modo Sacri Collegij Cardinalium Decanatus præeminentia refulgens, hucusq; ter ducto decennio, & amplius, in Religione protectionis regimen tenuit, qui anno 1639. in suprema decrepita functus est.

16 Euenit inter hæc tempora Neapoli Domi nostræ, dum subminister mane dato signo Campanæ surgendi à somno, per cubilia Patrum diuerteret, lumen vt incenderet de more, ad Cellam Patris Camilli tum Generalis officium peragentis deuenisse, eamq; percussisse, neminem tamen respondentem sensisse; at quoniam a Patre illi fuerat demandatum, ne dies præteriret, quin illum expergeret, lumenq; tribueret, propterea claue, quæ infixa ianuæ hærebat ostium adaperuit cellæ, at Patrem non in cubili iacentem, verum genuflexum prope quamdam Sanctissimi Crucifixi Imaginem supra solum ad duos, vel tres vsq; palmos eleuatum intuitus est, manibus, oculisue ad cælum intentis, menteque in estasim rapta, quod cum stupore admiratus est, itidemq; obseruauit eius vultum miro splendore clarescere, inde post aliquantulum magno cum silentio digressus est, sed cum a cubiculo excessisset, festinanter superiorem Domus adijt, & quæ viderat prorsus enunciauit; Præfectus autem vetuit ne aliquem hac de re loqueretur, non ignorans hujusmodi sermonem Camillo displiciturum, post vero vnam cum dimidia circiter horam ad eum idem frater ducendi causa ei munda penicilla pro medendo tibiæ vlcere regressus est; quem Pater eo quod lucernam, vt ceteris Patribus non accenderat, coarguit, causam tamen ei assignauit, asseuerans illum supra pauimentum spectasse eleuatum, propterea, ait, Paternitatem vestram ab ea non sum ausus exturbare oratione, ac spiritus eleuatione, quæ sentiens P. Camillus, quasi erubuit, noluisset eò in statu videri. Dona enim Dei quo magis poterat, occulebat, ne palam exposita, damnum faceret amissionis, vanaue forte irreperet iactantia; attamen sub præcepto sanctæ obedientiæ eidem fratri vetuit in posterum ne cum aliquo super hac re verba faceret, quod sub stricto silentio donec vixit Pater obseruatum est; aliud mirabile legitur hoc tempore Neapoli à Patre nostro perhibitum, quod subnectitur.

Lib. 3. c. 14.

Mirabilis in oratione inspicitur P. Camillus.

Vetuit sub præcepto S. obedientiæ ne cui diceretur quod in eo spectatur.

17 Propter aliqua negotia Neapolim conuenerant Io. Bernardinus Buccelhanici, & Iacobus sibi consobrinus, quos intuitus Pater Camillus per Vrbem Neapolis dispatiantes, occurrit illis, postq; mutuas salutationes ad sui Conuentum vt die sequenti pergerent, rogauit, simulq; ad cœnandum inuitauit, quibus repugnare ingrati animi visum fuit, quapropter annuerunt, hora iam decurrente cœnæ posteri diei Domum nostram properarunt, sed non destiterunt admirari fuisse à Patre Camillo recognitos, quoniam ab ineunte ætate, vsq; ad id tempus nequaquam simul conuenerant, neque etiam se fuerãt vnquam intuiti: Ingressi itaq; Domum humaniter à Patre nostro complexi sunt, & cuidam nostrorum Patrum nomine Blasio consociandos, atq; ducendos ad mensam tradidit, quos idem Pater perduxit in quoddam cubiculum, ibiq; strata mensa cibos parauit; prius enim quam reficerentur, Pater ad eos accessit, deditq; supra dapes benedictionem, subitoq; profectus est, currebat autem tempus quadragesimale, & vnicuiq; pro edulio subillati fuere ex brassicis, & ex leguminibus dapes, & aliquot paruos pisces; Cuiq; ex his rebus singulæ appositæ sunt patinæ, (vt ceteris Religiosis eo tempore distribui solet) inter comedendum mente recogi-

In processu Buccelh. fol. 225.

Lib. 3. c. 16.

Mirum eduliorum crementum.

tabat

tabat Ioannes per ea quæ de Patre noſtro mira intellexerat; ſe aliquod viſurum magnum; interim edendo omnino catinos euacuarunt,quos ſeorſim ante ſe eadem in menſa depoſuere, defatigati enim ex itineribus comedendo patinas prorſus emũdauerant;erat autem in eo cubiculo præter memoratum Ioannem, & eius conſobrinum nomine Bernardinum Cœnantes nemo, niſi Pater præfatus ſecum ſtans, & poſt allata edulia nunquam ab eorum diſcedens conſpectu, qui viſum erga catinos dirigentes, iterum plenos eiſdem cibis, atq; fumantibus cum ſtupore conſpexerunt,ac ſi tum menſæ fuiſſent appoſiti; vnde viciſſim præ admiratione hinc inde oculos agitabant, ſi forte quiſpiam præter ipſos ibi adfuiſſet, ſed nemo quidem præterquamquod prę-fatus (vt dixi) Pater, qui principio eſcas eis attulerat, & vna ſecum commorans aſſiduo intererat;hinc hilares, non tantum propter corporis refectionem,quam ciborum ob incrementum admirabile, Deum in ſuo famulo Camillo benedicentes, grateſq; agentes receſſere ſimul.

18 Mediolani Frater Ioannes Mileti noſtræ Religionis profeſſus vehementiſſima febri corripiebatur, ſpes ei vnica ſupererat Patrem noſtrum intueri, quẽ illuc quantotius peruenturum opperiebantur; cum aliquando audijſſet vehementius conſueto pulſari campanam in lætitiæ ſignum aduentus Patris noſtri, tunc ipſe Frater iocundo corde factus eſt percupiẽs manus Patris deoſculari,qui de more cum oraſſet ante Sanctiſſimum Sacramentum,vna cum calcaribus in valetudinarium perrexit, dictumq; Fratrem magnis febribus captum adinuenit, q̃ Patrẽ rogauit, vt ipſi ſuam impertiret benedictionem;quandoquidẽ ſtatimatq; eã obtinuiſſet, ſe optime valiturum ſperabat,qua benigne collata,Pater hæc edidit verba, ne formides Ioannes;quoniam bona potieris valetudine, tempuſq; tibi ſuppetet reſarciendi errata, hinc illico meliorauit, pauciſq; delapſis diebus omnino ſanus proſilijt è lecto.

Lib. 3. c. 26.

De cuiuſdã Fratris incolumitate.

19 Pluſquam ſemel de aduerſis Patris noſtri Camilli itineribus generatim mentio facta eſt, maxime vero in exordio inſtantis anni, nunc æqui, boniq; conſului in calce eiuſdem anni aliquot ſuorum itinerum meminiſſe,cum irrefragabile ſit argumentum, quæ in abſtracto deſignata ſunt, experimentali indigere ſcientia;hic vero habenda ſolum ratio eſt terreſtrium demigrationum, namque plura ſuperius, varijs nempe tempeſtatibus, de periculis imminentibus in ſuis per equora nauigationibus, me narraſſe, reminiſcor.

20 Adeo exarſit Camillus pro totius Religionis augmento defatigare,vt nunquã ob aliquam cauſam, vel periculum ſe retraxerit ab itinerando,ſiue propter tempora hyberna,& horrida,vel ob nimios in æſtate calores, ſiue propter graſſatores, vel locorum periculoſas demigrationes. Vnde Genuæ à quibuſdam ſui,ac Religionis ſtudioſis,nobilibuſq; perſonis; hæc ſuſcepit verba, Pater Camille R. Veſtra iam cucurrit ad ſenectam; & à tibia propter vlcus valde infeſtatur, ceſſet ergo tantiſper à tot itinerum laboribus,ac diſcriminibus; vnde poſſibile, facileq; eſt, vt aliquando mortis incurrat caſum, quod nefas eſſet, non aliam illis reddidit reſponſionem, præter hanc, Illuſtres Domini, nunquam itinerando mei corporis in Domino fidens, pertimui iacturam, ſubireq; pericula, neque mea in commeando conquiſiui commoda,verum Diuino adherere iugiter beneplacito,meæque prodeſſe Religioni, at ſi forte cõtingerit per iter in aliquam me decidere foueam, ſiue collabi ab rupe,ille caſus repentinus non mihi præcipitium, ſed cæleſte donum foret. Interrogatus autem quotiens cecidiſſet per viam, aſſerens ſatisfecit,innumeræ fuere vices

Quoties cadens de beſtia grauiter ſit periclitatus.

1606.

in quibus à sella corrui, periculosæ quidem, & cum vitæ discrimine triginta circiter, semper sub bestiæ ventre oppressã substetisse læsã tibiã; attamen, etiamsi grauissimus extitisset casus, & cum nimio dolore speciatim vlceratæ tibiæ abundantisq; sanguinis effusione, attollens uerum ad misericordiarum Patrem lumina, omnis mœror, atque discrimen prorsus aufugit, arreptumq; ut antea prosecutus sum uiæ cursum.

Grauis læsio in tibia illi occurrit in Insula Aenaria.

21 Ob frequẽtes agressiones sui morbi calcularis ex Medicorum consultatione in Insulam dimissus est Aenariam; ubi se ab illius morbi nimio rigore dixerunt saluũ fieri: illuc contendit,& cum ea Insula lapidum,& cautum multitudine abundet; casu, cum esset ipse senex, & ægrè ob tibię dolorem progrederetur, euenit, cruris offensi frontem, uiuum, & ingentem lapidem, à quo molę frumẽtarię fabricantur, offendisse, tanto cruciatu diuexatus est,& cruoris effusione, ut ipsum intuentes admodum mærerent, atque compatiebantur, Camillus quasi Aenea statua, prout nihil sensisset constans stetit, oculis tamen eleuatis Domino se offerens, circum autem spectantes, ut ne mœstitia afficerentur consolabatur; itaque de sua pœna materiam composuit aliorum miserendi, flocci sui corporis iacturam faciens, immo potius cuncta lætabundus pertulit.

Cadit ab equo in vrbe Aquępẽdentis.

22 Simile quid ei occurrit cũ equitaret aliquando apud aquã pendentem, propeq; flumen peliam transiret, mulus cui insidebat, tum repente decidit, ipseque uero subtus, & speciatim tibia, à qua tanta emanauit sanguinis copia, ut itinerariam cocream compleuerit, stillauitq; sanguis per uiam quoadusq; cauponam adirent, Camillus uero prout nil perpessus esset non sibi condoluit, uel lamentatus est, nec aliorum sodalitium, ut curaretur, præpediuit, sed toto itinere illius uox nil resonabat præter Innocentissimi Iobi auream sententiam sit nomen Domini benedictum.

Modus quẽ tenuit morans in Cauponis.

23 Sed pulchrum, & notabile est modum recensere, quem per itinera, & inter Cauponas obseruauit, dum equitaret, vel pedestris incederet: tum vel silentij obseruator fuit, quod ei facile, & à natura pene inditum fuit, nempe pauca verba, & illa spiritualia, vel in proximorum emolumenta promere, vel quid cæleste meditari,& hoc liberius executus est, siue Sacratissimi Rosarij partes exsoluere, nec quispiam coram se profana commiscere eloquia ausus est; quandoquidem eius sola Venerabilis præsentia id odit: cum demum in Cauponæ diuersoria peruenisset, ac si in Aedem sui ordinis, vel oraroria accessisset ea modestia, temperantia, & circumspectione se componens: quare statimatque deposuisset calcaria, atque itinerarias cocreas, Diuini Officij pensum exsoluere quamdeuote inchoabat, indeq; Sanctorum Litanias vna cum sodalibus decantabat, & apposita mensa inter edendum spiritualem lectionem interponi sæpius voluit, quæ frequens fuit doctissimi, ac Religiosissimi Fratris Aloysij à Granata Ordinis Sacri Diui Dominici, cuius doctrina, ac libris frequentius, ac liberius Camillus vtebatur, ac fruebatur, assiduo secum ex eius voluminibus tomum aliquem ferens, ac voluens.

Post maris procellam quomodo Deus illi prouidit.

24 Dum in quodlibet oppidum, seu Ciuitatem intraret, interrogare mos illi fuit, si inibi Hospitium adinueniretur, eò si tempus concessisset euestigio properabat, si vero locus ipsi concederetur, illic hospitabatur, gaudens in illis morari habitationibus, vbi pauperes, & ægri diuersarentur, ac mendici, etsi occasio permittebat, in aliquo eis ministrabat; Cum Roma vt Neapolim peteret, in quodam phaselo adnauigasset post duorum tempestatem dierum in

op-

1606.

oppidum quod nominatur, ſpelunca, prope Taracinam condita, conceſſere, anaui humum deſcendere, totam enim diem ieiuni tranſegerant, quoniam vigilia ipſos Sacri Paſchatis Spiritus ſancti appræhenderat, nil enim illic adinuenere, quo famem extinguerent; vnde extenſa ſuper florida prata mappa, quædam panis fruſtula ſemicorrupta, quæ in phaſelo remanſerant Camillus adduci iuſſit, & aliquot mala aurea, ac Maſſilica; Pater vero Camilus poſt relatas Deo grates, q ipſos in portum reduxerat tutum, omnibus impoſuit diſcumbere, direxitq; Fratrem Curtium Lodi, vt à Caupone aliquantum meri mercaretur, qui dum vinum à dolio extraeret, adoleſcens formoſi aſpectus indutus habitum Religioſi manu calathum gerens piſcibus confertum ſuperuenit, quem vendere auebat, ſuſpenſus cogitabat Caupo nñ ipſos cōpararet, cui idem Frater Curtius ſubdidit, eam ſuo nomine, vt mercaretur, quos partim aſſos, partim vero frixos ad Patres detulit, cuncti lætabundi multiplicatis gratiarum redditionibus Deo, benedictionem illam ſuſcepere, qui abundanter poſt grauē freti turbationem a Domino fuerāt refecti, adueſperaſcens vero oppidi Gubernator Patri noſtro Camillo retulit, adeſſe illic Hoſpitium, vbi eorum pars ea nocte quieſcere poterat, optima quidem ſubdidit Pater habitatio audiens loci qualitatē; hic vero sūmopere cupio inhabitare, illic quāuis ſatis incommode totam noctem tranſegere inſomnes, propter loci, & lecti ſiniſtram cōditionem, ſed Camillo ſatis dexterā, qui patiendi cupidiſſimus inhiabat; albeſcente die ſacroſanctum Camillus peregit Miſſæ Sacrificium, poſtmodum ſompto baculo cui innixus cum aliquot ex ſuis, qui ipſum pedeſtres voluere, an ſequi potuere, uiam Neapolim uerſus carpſit, ſuiſque pedibus quamuis maleſanus, & læſus in tibia eouſq; peruenit, quique itineris tractus forte milliaria excedit ſexaginta, reliqui autem Patres viribus graciliores ab eadem vecti ſunt cymba.

C.19. lib. 3.

Pedeſtris multa itineris ſpatia peragit.

25 Sed regrediamur aliquantiſper ad ea, quæ paulo ante præteriuimus, dum in Cauponis cœnaret; ſi forte lectio commode haberi nequiret, quia pauci, uel lapſi inueniebantur ſodales, inuiolabile Camillus tum obſeruauit ſilentiū, neque oculos circum parietes egit, ne in ipſis nimirum turpia legeret ſcommata, neue indecenter ſimulata cognoſceret; quando enim fama erat, uel ſibi notum fuerat in aliquo diuerſorio honeſtius hoſpitari, quamuis alias incōmodiore, relicto proprio commodo in hoc ad commorandum tendit, quia ſcilicet in eo Hoſpitio Sanctorum Imagines, & non illa indecora, profanaq; ſpectabantur ſimulacra; hinc eandem ob rationem, quemdam Cauponem Religionis ſuæ participatione nobilitauit, propterea quod in ſua taberna, & per cubilia Sanctorum picturas affixas continebat, & fontes luſtralis aquæ; unde ſuis præcipiebat, ut cum illinc tranſirent, inibi hoſpitarentur; amplius inſtituit, ut prætermiſsis inhoneſtioribus Cauponis, ubi decentiora dormitoria, & ſimilia caſta munimenta reperirentur, demorarentur. Si uero Hoſpitij locus incapax foret, uel cubilia, itaut omnes nequirent recipi, ipſe ſibi inferiorem locum delegit, uel ſumpto ſtramento, poſitoque deſuper pauimentum inibi cubauit, conceſſo in integrum lecto ſodali, uel derelicto cubiculo in aliud ueniebat ineptius; ſed redeamus ad ſingularia, quæ uiuaciora ſunt exempla.

Vbi aderāt honeſtæ cauponæ licet minus commode ibi hoſpitabatur.

26 Dum ſemel à Sanctiſsima Lauretana Aede regrederetur, in medio urbis ſpoleti à beſtia ſuper quam ibat corruit adeo graui caſu erga telluris faciem; ut nequiuerit ultra deſuper illam ſe continere prę nimio dolore, ac læſione,

unde

1606.

Graue pati. tur damnũ dum ab Æ de SS. Laureti regreditur.

vnde coactus est, binas conquirere cistas, & in unam se immittere, in reliquã uero fratrem Curtium Lodi ipsius socium, & utrumque usque Narniam sic deduci; quinimmo dum in medias Spoleti platea decidit, neminẽ illic digno scens, vbi se recipere, ac lassum, & fractum corpus quiescere non indicabatur, sed benignus, atque amantissimus Dominus nimis opportune seruo suo consuluit; etenim quidam Pilearius, cuj nomen Ignatij datum fuerat à propria exiens officina Camillum domum suam reduxit, nimiaque caritate prosecutus est, donec refectus illinc commode proficisceretur, quinetiã tanta erga ipsum, uniuersumque nostrum ordinem affectus est dilectione, simulac audiuit à Fratre Curtio Lodi Camillum esse Religionis Fundatorem, vt quotiescumque sui Religiosi illò iuissent, iugiter, quoaduixit, ipsius domus omnibus patuit Hospitium.

Aliud incurrit discrimẽ reuertẽs ab ea SS. Æde.

Lib. 3. c. 19.

27 Iterum cum ab eadem Venerabilissima Aede Lauretana regrederetur cũ aliquot ex suis intra carpentum maius discrimen incurrit, etenim adeundo rupem quamdam, in descensu, qui facilior, at periculosior est, auriga vt celerem currus impetum, & equorum moderaretur, fræna reprimebat, & habenas quamvehementer ad se trahebat tanta vi; vt eas omnino fregerit; vnde equi in præcipitium manifestum corruebãt, & carpentum nõ regebatur amplius ab equis, sed ab suis rotis, ductum se in varias partes dilacerandum currebat trahens, & iumenta, & sessores in interitum, auriga uero amissis habenis, uitæ damnũ imminens contuens se deiectum à sessione humum iuit: eo tunc maior mortis timor coegit omnes, æquandus profecto hic casus cuicũque fluctuantis pelagi tempestati: obtulit Camillus euidentem mortis necessitatem Domino, & repente cum omnium admiratione, atq; inexpectato uisũ est Rhedam, & equos stetisse absq; personæ alicuius detrimento, sedataq; est prorsus omnis præcipitij illius procella, cuncti immortales gratias Domino exhibuere, speciatim Camillus, cuius meritis, ac precibus creditur, Diuinam eis Bonitatem cõtulisse tutamen, maxime quoniam anno superiori inibi præceps fuerat dilapsa quædam una cum uiatoribus Rheda, & uniuersi à lapidibus confracti, & contriti mortui, sepultiq; iacuerunt.

Lib. & c. cit.

In nimia procella dũ aduesperascеret recipiuntur à quodã ingenuo viro.

Lib. 3. c. 19.

28 Bononia aliquando una cum aliquot ex suis Nouitijs Ferrariam petebat, item intra carpentum aderant duo Prædicatores Ordinis S. Dominici, declinante iam die tanta aquarum copia descendit, ut nescirent quo se amplius cõuerterent, & pluuiæ in momenta ingruebant, quapropter cuiusdam rustici hominis Ostium pulsarunt, qui post longam reuerberationem rustice quoq; respõdit se nullo modo uelle eis aditum patere, ulterius procedere, erat ire sũmersum propter de Cœlo missam tempestatem; sed ecce, ò summa Creatoris Bonitas, coram eis quidam miræ uenustatis, & gratiæ apparuit adolescẽs, affirmabat enim illius pagi se esse procuratorem, qui simulatq; patentibus ianuę ualuis currum, & qui in eo erant Patres introduxit; cumq; se refecissẽt, ab igne ad mensam optimis uinis, & exculentis paratam deuenere: adeo adolescentis præsentiam, caritatemq; sunt admirati; ut suspensi aliquantum raperentur; utrum ille cælestis fuisset Angelus, an homo mortalis; meliores lecti epulis, & ignis refrigerio successere: Prope solis ortũ multis pio adolescenti relictis gratijs profecti sunt; uerum dum irent alia superincidit eis periculosior scylla.

Euadunt mortis discrimen ob Camilli preces, qui in Rheda vehebantur.

C. & lo. cit.

29 Nimirum oportuit quemdam transmeare tabulis coagmentatum pontem; Camillus autem quasi cælitus illustratus cunctis edidit hunc sermo-

nem

nem deſcendamus à Rheda,quia ſatis periculoſa eſt traiectio iſtius pontis, & ſubbito ſiſtere indixit aurigę;reliqui vero Fratres Diui Dominici obſtabāt nullum adeſſe contra affirmantes diſcrimen,demum Camillus nolo inquit Deum tentare, & citra moram à Carpento reſilijt ſupra Telſurem, at in medio pōtis tractu, rota vehiculi exiens extra tabulas in vacuum à latere pependit,hinc iudicare liceat,quali in diſcrimine forent omnes,aquæ vero in magno cumulo,& impetu fluebant; Camillus autem, qui retromanſerat proximam eorum omnium ſubmerſionem contuens à Domino precibus obſecrauit præſidium, nomenque IESV, Sanctiſſi næq; Virginis, pariter Aurigam vocauit, vt Rhedam firmaret,atq; ſiſte exclamauit,quæ modo mirando conſtitit,ne in aquas, vt proculdubio caſus minabatur, viatores, & currus euerterentur;Patres vero iam dicti Prædicatores repente ſupra pontem ſe ſe proiecere, Deoq; ſummo meritas pependere gratiarum redditiones, ſeruoq; ſuo Camillo, magnaq; illū poſthac veneratione proſecuti ſunt,qui & ſeipſum,& ſecum cunctos ſua prouidentia, & oratione, ac meritis ab aquarum ſuffocatione exemerat, dolentes ſe illico Patris noſtri non obtemperaſſe conſiliis, demum Ferrariam abſque perturba tionis rei alicuius veſtigio conuenere.

30 Denuo cum Bucchlanico Neapolim proficiſceretur prope Caſtrum Nouū ſupra gelu tranſiēs equus prolapſus eſt ſub ſe trahens Camillum,ſubtuſq;veterum tibiam eius vlceratam deprimens, adeo illam ſui corporis pondere,& aggitatione aggrauauit, vt nullatenus ſe contutari valuerit; inibi animum exalare periculoſum fuit, quam poſtea quadraginta dierum ſpatio ferme demortuā geſtauit; eius porro ſocius preærat; at Dominus, qui ſuos non deſtitutos præterit, concionator quidam ſubſequens Canonicus Lateranenſis vna cum eius famulo ſuperuenit,qui ab iumētis deſcendētes Camillum iniquiſſime ab equo vexatum eleuarunt ſumma pietate, conſtitueruntq; ſupra ſellam,interea Sol occubuit, & aer maximis frigoribus rigebat, viæq; tramitem amiſerant, hic opus eſſet totam noctem ſub dio protrahere euidenti mortis cum diſcrimine;inter hos lethi timores, rurſus ſe Domino commendans Camillus ex illis deſertis locis quidam florentis ætatis adoleſcens coram eo ſtetit,& ſi pauperum habitu, & dilacero indueretur, nudiſq; plantis incederet, præſentia tamen, vox, & aſpectus gratus, iucunduſq; fuere, qui ſumpto equi fręno, ipsū ad directam reduxit itineris ſemitam,conduxitque prope Hoſpitium, affirmabat poſtea Camillus dum pręiret adoleſcens inter argenteum Lune pallorem ſcintillare vidiſſe ipſiuſmet adoleſcentis capillorum fila, quaſi aurea, fulgorē vibrantia; vnde fortaſſe ſupernus Angelus, vt quondam adoleſcenti Tobiæ, Dux illi itineris pręfuit, & ſub forma pauperis habitus; quandoquidem Camillus cunctorum pauperum ſemper extitit amantiſſimus,illis nimia obſequēs pietate.

Diſcrimen maximū incurrit ob caſum ab equo

Loc.ſup.cit.

Creditur ſuperne opem nactum eſſe.

31 Sæpius notabilem quandam euaſionem Camillus repetebat,in quo Diuina bonitas ipſum à ſeruitute immunem effecerat; vt nimirum ardentius in eius dilectionem raperetur, & eo magis ab ſe id factum pluries replicabatur, quia non apparebat ex ſemetipſo, verum à Nauclero inſtrumentaliter ortam eueniſſe ſalutem,libertatemque, ſed ipſe, ſuiq; Religioſi ſpeciatim nacti ſunt. Roma itaque vna cum Patre Paulo Cornetta,cuius antea meminimus, atque alijs ex ſuis Religioſis,Neapolim equitando contendebant, cum vero Firmias perueniſſent; iam memoratus Pater Paulus morbo correptus aderat; vnde coacti ſunt relictis iumentis ſupra cymbam adnauigare, prima nocte intra Clanij

Loc.qui ſup.

Eripitur pene miraculo à Turcharū manibus.

1606.

ora sub turri simul cum alia Comite cymba constitere,antelucano autem tempore omnes nauigantes; & nautæ nauigationi se aptarunt, ille vero nauis ductor, qui Camillum, & suos vehebat, quammaxime restitit, omnium uoluntati se opponens,atque allegans pertimescere piratas,cuncti subridebant, ipse tamen obduratius in sua confirmatus est sententia,nec ullatenus,siue ab alterius phaseli duce, siue nautis,siue à nauigantibus,uel à quopiam alio dimoueri ualuit,ut à littere solueret phaselum; unde alter Nauclerus inpauidus,sed temere discessit, qui non dum milliario vno cum dimidio sulcauerat undas,& ecce improuisa Turcharum manus cum trireme uehementi impetu illos aggressa est, atq; apprehendit, redigitq; in seruitutem,unde propterea Camillus innumeras Deo, & assiduas referebat grates; plerumque item aiebat cum sui tot itinera per equora peragrassent,nusquam Deo protegente, neq; inimica cohors, neque undarum uiolentia eos subegerat,uel submerserat,

Lib. 3. c. 19.

32 Dum rursus per Aprutij plagas equitando Camillus, & cum ipso simul ex suis Religiosis duo iter carpesserant(urgebat uehementer hyems, & uniuersa telluris facies magnis albescebat niuibus) à directo uiæ Calle aberrarunt, & ignorabant per quam semitam mulos dirigerent, unde destitutus humano cõsilio Camillus ad Dominum erexit ceruicem, & mentem; quandoquidem ultra procedere certissimo se immiscebant periculo grauissimi damni;dum itaque anceps orando staret, uocem à longe audiuit dicentem,ne per istam procedite semitam, longe amplius contremuit, & cupidior loquentem hominem uidere Camillus auebat,& fari, ut ostenderet quorsum erant processuri,intentius interea Seruus Dei orabat,quãdo ecce uir ante illos sub forma aratoris se exhibuit iugum super scapulas ducẽtis,qui Camillum admonuit,& socios,nequam uiam arripuerant,sequerentur;etenim si quatuor antea passus(subdidit) dedissetis in ingentem foueam præcipites ruissetis, uitæq; simul iacturam fecissetis;& demum ostenso illis recto uiæ tramite nusquam apparuit, tanto vehemẽtius obstupuere, quia neq; tẽpus, neq; locus, neue aliqua alia rõ poscebat posse tum frangi tellurem aratro;unde subintulit Pater Sanctius Cicatelli, qui facti istius Scriptor est, fortasse ille dignatus est docere Patrem Camillum rectum iter,iugum baiulans,qui nos in suo Euangalio instituit afferens,iugum meum suaue est, & onus leue, & forte itidem,ut planius innotesceret, oportere Camillum,suosq; Patres iugum ferendo ærumnarum incedere per semitam asperi itineris,hoc est quarti potissimum uoti ministrando totis uisceribus pauperibus ægris nullius morbi genere exoso.

Euadit opere, vt creditur superna ab imminenti discrimine mortis.

33 Transiens pariter Seruus Dei cũ aliquot ex suis principio ueris prope lacunas urbis Pisarum, qui Genua profectus erat, ut Romã adiret, à recto calle diuertit, & cum bestiarum corpora,quibus insidebant in cœnum uentre tenus intrassent, sodales subclamarunt, Pater hic nos in luto, & in his aquis mersi iacebimus; Pater uero itineris ignarus ad Dominum conuertit lumina; ab eo,qui alias illum æqualibus in euentis constitutum contutatus fuerat,opẽ implorans (sed ò immensa Dei clementia) coram illis stetisse uisus est, nimij decoris adolescens super equum sedens,qui appræhensis dextera habenis iumenti Patris Camilli, illum à cœnosis aquis eduxit, reduxitq; in rectam semitam,atque monstrauit quoquo uersus erant ituri, & repente ab eorum obtutibus disparuit, nec prorsus uisus est, maxime existens loci situs æquabilis, & rasa, atq; ampla planities sternebatur, unde per multum loci spatium quiuisset uir ille cerni,potissimum super equum cõsistens;unde arbitrati sunt, cę-

Eodem quo supra loco.

A Cœno liberantur ne ibi mergerẽtur.

litus

1606.

litus fuisse protectos ob merita Serui Dei Camilli, qui prorsus ab eis instantibus defensi sunt periculis, quare si vlterius, vt prodiderat vir ille processissent, ibi mansissent immersi; hinc stupentes socij ampliori, quam antea amplexi sunt veneratione patrem nostrum, illumq; vt magnum Dei famuulum posthac reueriti sunt. Hoc factum accidit præsenti anno Mense Aprili, reliqua vero, quoniam non habēt assignatum, distinctumq; tempus à patre Sanctio idcirco hic simul extenduntur.

34 Prosequens eādemmet Camillus viam Romam versus quid simile illi cōtigit, nempe inter medios Aquæpendentis campos, vna cum iumento; seu vt clarius, maiusue quid fatear subtus decidit bestiam, cui non ab semetipso, qui valde à bellua opprimebatur, neque à sodalibus cum longe abessent, & in experti adolescentes, iuuamen adhiberi poterat. Camillus igitur ad consueta orationis præsidia recurrit, & ò mirabilis res, coram eo stetere quatuor validę fortitudinis iuuenes, cū antea speculantes socij, atq; mœrentes neminem inspexissent; omnes enim hi quatuor vnanimes, vnaq; vi leuiter eleuarunt a terra Camillum simul, & equum, absque prorsus vlla læsione, stetitque Pater, vt antea desuper sellam suum carpens iter, atq; Deum summum de tot sibi collatis beneficijs laudans, florentes vero iuuenes, qui sub aspectu rusticorum hominum Camillum adiuuerant non amplius decerni potuerunt, quāuis planus esset loci situs; vnde illud decantare liceat psalmistæ, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Loco citato.

Euadit mirabiliter vitę discrimen.

Psal. 9.

35 Et cum se ab humano adiumento Camillus destitui cerneret subbito diuino quæsito auxilio in ipso omnem prorsus collocauit spem, omnimodam in eo fiduciam reponens, à quo remedia sentiebat præsentanea. Vnde aliquādo cum Sol ad occubitum festinaret, & suo itineri duæ æquales obicerentur viæ, ignorās quam ingressurus esset, prius orauit, armauitq; se SS. Crucis vexillo, Diuinissimum I E S V nomen, & Deiparæ aduocans, seq; inclinans socio. ait, Frater duæ sternuntur nobis oppositæ viæ, vna fallax, & altera certa, nosq; ad vrbem, domumq; nostram perducens, equos igitur stimulemus, claudamusq; nostri sensus oculos, & quem ipsa iumenta capesserint Callem, tuto gradu sequamur, Diuinam bonitatem nobiscum affuturam sperantes, vt animo excogitarunt, ita opere compleuerunt, calcaribus pungentes equos valido impetu illam viam tenuerunt, quam belluæ vnanimiter carpserunt, & profecto optimum assecuti sunt iter, & absque errore, quo tendebant appullere.

Clausis oculis, quod iumēta tenuerunt, psecuti sunt iter,

36 Rursus cum per Samnij itinera equitaret pariter tres se se obuiam simul fecere viæ æquales, & cum infallibilis penitus ignota occultaretur; qui vero manifestaret certum viæ tramitem aberat, Camillus aliquantisper suspensus stetit orans, postmodum se viuificæ Crucis signo communiens, inuocatoq; nomine dulcissimi Saluatoris I E S V, & amantissimæ Virginis Mariæ, & repetito Psal. versiculo Deus in adiutorium meum intende, Domine in adiuandū me festina, sodali ita protulit, hæc non errabilis via est (ostendens per quam erant ituri) pungamus ergo equos, & incedamus per eam, quo peracto tute ad itinera recta perrexere.

Tres vię cū se obiecissēt certam mediante oratione Cam. designant

Lib. & c. cit,

37 Iterum per easdem Aprutij semitas equitans Camillus vna, & socius, certæ, ac fallaces se obiectarunt semitæ, tum Seruus Dei ab incertis certū delegit iter, Domino nimirum se commendans totis præcordijs, declinauitq; su-

Facta prius oratione equos stimularunt, & tutum iter nacti sunt,

pra

1606.

pra sellam pectus, spiritu autem celsa tenebat, & post parumper eleuauit se, impulitq; iumentum calcaribus, in Dei nomine procedamus asseruit socio, tu tumq; iter inuenit, facileq; quo auebant, peruenere.

Alterũ euadit mortis discrimen.

38 Transiens itidem per montes Aprutij peruasurus erat culmen Montis Carusi, per eum enim vehementissimi impetunt venti quamsæpissimè, inibi supra iumentum se reperit Camillus, tanta siquidem vi irruerunt in eum, tantumq; absuit, vt ipsũ, suffocassent, & iã eius respirationem præpedere inchoauerãt vacillantem in sella, Camillus autem quid ageret optime nouit, se Domino repente, & ardenter obtulit, indeq; validum putans profugium supra tellurem se demisit, umum rependo, sic totum periculosum viæ spatium confecit, & ita incolumis Deo miserente euasit: expedit enim post cordis eleuationem ad Cœlestia, siquæ media humana præsto sunt illa capessere, quando vero nulla suppetunt, se omnino, & fiducialiter in Diuinam deicere protectionem, optimum, & tutissimum est consilium, ita in suis operationibus, periculosisque euentis Camillus sapienter exegit.

39 Deniq; per id tempus Bucchlanici Sacrum Missæ ad peragendum dum Camillus exiret à Sacrario Sacerdotalibus paramentis indutus, manu Calicem regens, præcedensq; æditimus de more campanam pulsauit, quæ, fracto à quo fulciebatur, ligno decidit ante pedes Patris Camilli; hæc siquidem mira res adiudicata fuit, nimirum non læsisse, neq; Patrem nostrum, qui profecto si pedem paulo antea impulisset, illiso capitis vertice necem non effugisset, vel si æditFuus retrorsum pedis plantam aliquanto segnius fixisset, eademmet percussione interijsset, hinc Deo relatis gratijs ab omni læsione immunis Venerandum, & Incruentum Missæ Sacrificium quamdeuote absoluit.

Aliud narratur periculũ

40 Huius anni intercapedine infrascriptum emanauit diploma, non posse quippe ex nostris quemlibet ad quoscunq; transire Religiosorum ordinem, etiam Carthusianorum; ita supplicante Patris nostri Camilli vigilantia.

Quod

1606.

Quod Clerici Regulares Congregationis Miniſtrantium Infirmis ad quoſcumq; alios etiam Carthuſianorum ordines, & Religiones migrare nequeant abſq; Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali.

PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Romanum decet Pontificem vniuerſo gregi Dominico, Diuina inſtitutione præpoſitum, Paſtorali ſolicitudine prouidere, vt Regularium Ordinum recte inſtituta conſeruentur, & eorum diſciplina, nulla ex parte detrimentum patiatur, ſed quæ pro eorum regimine conſtituta ſunt, ſi temporis proceſſus ita opus eſſe oſtēdit, prouidere, corrigere, aut mutare, prout conſpicit in Dño expedire.

Sane dilectus filius Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium Congregationis Miniſtrantium Infirmis nuper exponi nobis fecit, quod in litteris Apoſtolicis erectionis dictæ Congregationis, eius Religioſis profeſſis, tranſitus ad ordinem Carthuſianorum tantum nulla etiam alia ad id Sedis Apoſtolicæ licentia requiſita, permittitur.

Quoniam vero præcipuum eorundem Clericorum inſtitutum eſt infirmis Hoſpitalium, & alijs Chriſtifidelibus morientibus die, nocteq; donec anima Creatori reddatur, ac præterea peſtilentia laborātibus, miniſtrare, eiſq; omnibus ſolemni voto ſe obſtringunt, quæ quidem quoniam non leuia onera videntur, multi Religioſi occaſione accepta prædictæ permiſſionis libere ad Carthuſianorum ordinem tranſeundi, ad laxiores commigrarunt Religiones; proinde timeri veriſimiliter poteſt, ne in poſterum in dies plures idem facere procurent.

Propterea ad huiuſmodi malum prohibendum, & dictam Congregationē conſeruandam, dictus Præpoſitus Generalis cup. ipſis Religioſis, tranſitum ad quoſcunq; alios ordines, & Religiones etiam Carthuſianorum eorumdem ſine ſpeciali noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, licentia prohiberi; & ideo nobis humiliter ſupplicari fecit, vt ſuper hoc opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalis cum ſuperconſultationibus, & negotijs Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum. Religioſos eiuſdem Cōgregationis Miniſtrantium Infirmis ad ipſum etiam Carthuſianorum ordinē, ſine ſpeciali noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Cardinalium ſuperadictæ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium licentia, firma manente prohibitione generali tranſeundi ad quaſcunq; alias Religiones pręter Carthuſianos, quæ in dictis literis Apoſtolicis, & ſeu conſtitutionibus, eiuſq, Congregationis (miniſtrantium infirmis continetur) tranſire auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo prohibemus.

1606.

Non obstantibus præmissis litteris, ac constitutionibus, & ordinarionibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die decimasexta Maij millesimo sexcentesimo sexto, Anno secundo.

41

IN prænotata Pontificia facultate nostris inhibetur transitus, nedum ad quoscũq; alios ordines, seu Religiones, vt alias restrictio facta apparet, verum quoq; ad Carthusianorum, ad quem primo loco liber accessus patebat: modo virtute pręsentis Apostolici rescripti (instituti pondere considerato, necessitate, ac difficultate, quæ maximi sunt momenti, viriumq; corporis valdè corrosiua, indeq; ingentis meriti) nobis inquam, ne ex hac occasione ad familiam Carthusianorum transeundi ad aliam deueniendi, daretur ansa, laxiorẽ Religionem; idcirco penitus occlusum est ostium; nullam siquidem posse nostros, nisi Apostolica accedente auctoritate Religionem, siue ordinem quempiam ingredi. Hoc anno Pater Io: Baptista Nouatus in Religionis militiam admissus; postea vero ad generalatus assũptus est præfecturã: mihi quoq; omnium infimo hac tempestate 1606. renasci, in Relig. Dei miserentis bonitate concessũ est, prout in hunc Orbẽ ex materno exire corpore accepi 1586 v. kal. Oct. Et cũ vna supra triremes Rom. Pontif. Messana decedẽtes Neap. deuenissemus pene, vel fortasse plus triginta, admissiq; omnes ad habitũ; attamen soli sex ad profitendum vocati accessimus. Inter quos adfuit non reticẽdus P. Io. Baptista Marrapodi Messanensis, qui veluti carbunculus rutilat in opere pietatis ministrando ægris Pręfectus in oppido Burginoui tempore pestilentię 1630. iste quemadmodum mirabilis fuit in opere obeundo beneficentię, ita pariter inter pestilentiæ atrocitatem miris modis, & gloriosis succubuit, qui velut decus, & lumen Patriæ, ac Religionis nostræ celebrandus; de quo Cęlo annuente suis locis scripta loquentur. Quoue tempore receptus quoq; fuit pariter Messanæ ex eiusdem Diocœsi oriundus P. Franciscus Corradus, ipsius opera misericordiæ erga languentes notanter in Hospitijs micant, veluti Sol inter astra, quæ in memoria nostrum omnium nunquam interitura clarebunt: bino lustro, & biennio ministrauit in eis Florentiæ q̃ppe, Romæ, Neap. & demum propter eorum dilectionem, ac famulatum tabem incurrit, de qua à putredine corporis ad felicitatem Angelorum pie credimus transijsse 1618 de ipso flante Domino sermo instaurabitur. Nequaquam memoria P. Io. Baptistæ Ansaloni obliuioni tradenda; hac eadem tempestate recepti, qui vita, moribus, gestis, ac familia satis nobilis Messanensis, sed clarius infra innotescet.

42

Dũ typis hęc dãtur (vt alibi, sed indistinctius tradidi) viij. Kal. Nouem. 1640 facta multorũ PP. ex nostris ꝑcessione, subsequẽte pariter A. R. P. Prouinciali Frãcisco Antonio Viola Neap. & A. R. P. Pręfecto domus nostrę S. Mariæ Portæ Cęli, Alfonso Metio Salẽtino ad incolendũ adire Hospitiũ SS. V. Nunciaræ Neapolis ibi in sacello, vbi Augustissimum veneratur Sacramentum absolutis Sacratissimæ Virginis Litanijs ingenti cum lætitia ab vniuersa domo recepti sunt, à Dominis speciatim Gubernatoribus: quorum nomina subnotantur Perillustris Dominus Franciscus Capycius Tomacellus, DD. Franciscus Flotillus V. I. D. Octauius Formosa V. I. D. Franciscus Antonius Valletta, & Nicolaus Mazella. Ne dum ab eis lætanter excepti sunt; verum & magnifice, lauteq; in omnibus ad vitam necessarijs recogniti: qui benè nouerant quanta

fue-

1607.

fuerat facta iactura erga pauperes, tam in spiritualibus, quam temporalibus ob nostrorum carentiam Religiosorum sit summæ bonitati in omnibus gloria, & ingens laus.

Annus Domini 1607. & Relig. 17. Caltagirone, & Burgi noui Domus recenter suscipiuntur. Se abdicat Camillus munere Generalatus. Quædam teferuntur pietatis opera ab eo intra Nosocomia, & per Domos priuatas erga moribundos exhibita.

1 IN transitu istius anni tametsi Camilli mens in se abdicãdo munere Generalatus versaretur; attamen non frigescebat in propaganda Religione; vnde duas erexit domos,& quamuis eius animus versaretur, quomodo se humiliaret, ex altera vero parte studebat, quo pacto Religionem eleuaret. Mense itaq; Decembri præcedentis anni rogante, & instanter postulante Illustrissimo Domino Alexandro Sforza Burginoui Comite, eò se contulere Pater Gromatius de Martino Neapolitanus, & Pater Alfonsus Metius Galatinus, vt Domum erigerent, principio igitur decurrentis anni ab eodem Illustrissimo Domino habitatio concessa est, vbi Ecclesiam constituere sub titulo Immaculatæ Conceptionis; & certa pecuniarum summa ab eodemmet Illustrissimo Domino in alimentorum subsidium quotannis Patribus eleemosynaliter erogata est cum pondere tamen missarum aliquot.

Erigitur Domus Burgi noui.

2 Initio fundationis nonnulli oppidani visi sunt nostrorum illuc ingressum non grate suscepisse, sed non multum temporis spatium dilapsum est; quando Religionis nostræ patens, & præsentaneum agnouere iuuamen, vnaq; percepere;etenim postero à nostra receptione anno pene tota illius oppidi gens ægrotauit, cui Patres maximo emolumento in spiritualibus,ac itidem temporalibus fuere; quædam autem familia ex principalioribus loci eiusdem,quę inibi ne admitteremur super alias mussitabat, tum ingruente communi infirmitate, & ipsa grauissime ægra decubuit; vnde ferme tota morte consũpta est, nostriuero, quo magis ea aduersata est,eo maiori prosecuti sunt dilectione, adimplentes, quod per os Apostoli præcipitur benefacite his, qui oderunt vos:in ipsorum maxime transitu animas orationibus comitantes;& dum plebs illa non satis bene spiritualia ponderans(vt scribit electionis vas, animalis homo non percipet ea, quæ Dei sunt) formidaret aliquam rerum temporalium facere iacturam, beneficium notabile temporale, ac spirituale suscepit; quandoquidem plures etiam ad nostrorum instantiam fiebant piæ largitiones, & eorum etiam in domibus, plerumq; corporalis misericordiæ opera exhibebant,illis indigenis Patres ministrando.

Recensitur de quodam famil. nobis in ea Fũdatione obstãte

3 Præterea dum quidam Religiosi feruentius se opponerent ipsi quidem si-

ne

1607.

Opp onũt ur etiam quidẽ Regulares.

ne multa à Domino non sunt prætermissi: etenim paulo post compulsi sunt Oppidi illius Cœnobium deserere, alijs Religiosis celsioris meriti, & Regularis disciplinæ studiosioribus in eorum locum succedentibus. Plurimum siquidem vtilitatis omni tẽpore Burgumnouũ ab nostrorum assistentia nactum est specialiter anno 1630. quando per totam Galliam Cisalpinam immanissime depopulata est, quasi efferissimum monstrum, pestilentia, sed alibi de hoc sermo est interferendus.

4

Construitur Domus Caltagirone Regni Siciliæ.

Deposcẽte item Vrbis Caltagironis Regni Siciliæ Fidelissimo Senatu missus est Pater Franciscus Antonius Niglius tum in eodem Regno Prouincialis ad inibi erigendam Domum, vbi paulo post nostris data est Diui Ioannis Euangelistæ Ecclesia, vna, & plures Domus vrbis in medio consistentia, & pro Patrum alimentis ea summa pecuniarum annua designata est in suffragiũ eleemosynę, quæ singulis Patribus numero duodecim respondet iuxta quantitatem sexaginta aureorum, & pro fabricæ constructione Ecclesiæ nimirum, & Monasterij quingẽti ẽt quotannis designati sunt aurei: vbi item memorabile templum, & Domus incepta, & ad aliquam formam vsque adhuc redacta apparent, faxit Dominus, vt facile ducantur ad perfectum.

5

Cũ cur Camillus abrenuntiauerit generalatui.

Pater Fundator Camillus iam destinauerat à Generalatus moderamine desistere, non animo tamen quiescendi à laboribus, quia planum est non inferiores post cessationem ab officij onere sustinuisse, quam antea, neq; amplius ab itinerando ne turbaretur; quandoquidem post Generalatus munera multa confecit locorum spatia, vt infra innotescet, licet ob sui humilitatem, & ad perueniendum, quo auebat, vtpote ad renunciationem sui oneris, & dignitatis his paribusq; vsus sit rationibus; verum potissima causa extitit, sicut postea ipsius operationes manifestè indicarunt, vt Dominicum quippe adimpliret documentum, oportet (dum ait) adimplere omnem iustitiam, exemplum nimirum suis relinqueret non tantum boni, & optimi pastoris, oues curando, & a luporum incursionibus tutando; sed æternum quoq; posteris tribueret humilitatis, patientiæ, & caritatis monumentum, formam perfecti subditi obediendo etiam popinæ famulis; quamuis non reticendum puto eius ab Generalatu cessationem, seu renuntiationem, maiori, ac prudentiori displicuisse Religionis parti, & discipilnatis intollerabilem visam esse, at indisciplinatis non itẽ, (dominante in paucorum pectoribus ambitionis spiritu) seulaxiorem cupientibus pastorem; si tale merentur nomen, qui ouium curam negligunt; etenim nimia prælatorum indulgentia, & ipsis, & subiectis præcipitium meditatur.

6

Non sine cõsultatione, potissimum oratione deponit pensũ officij Cam.

Priusquam Camillus se à munere Generalatus solueret, multas, instantes, & assiduas præmisit ad Dominum preces, & plures item abs tota Religione habitæ sunt, multæ præterea consultationes Illustrium doctrina, moribus, & prudentia personarum, & præsertim Religiosorum magni nominis præcessere, & interpositæ sunt, suo in hoc fidere nolens iudicio, & quamuis dehortati sint ipsum quamplures maxime regularis disciplinę cultores, & ad prosequendum munus suum sollicitarent; attamen inter has discrepantes sententias, suę voluntati magis facere satis, & humiliati delegit, vt amplius se diuinis addiceret contemplationibus, infirmorumque famulatui, & ita prodesse suæ Religioni nobilius maluit exemplo, quam verbis, potissimum quia vires corporis iam confractas trahebat.

7

Demum ad Sanctissimi pedes se contulit Pauli PP.V. cuius tum annus Sũmi Pontificatus decurrebat secundus, constans dum Beatissimus Pater pende-

ret

1607.

ret Serui Dei Camilli hoc animi decretum, putans Dei eſſe volitum, id negotium Eminentiſſimo protectori noſtro demandauit, conſideratis, & examinatis itaque ab eo, quæ circa Patris noſtri Camilli renuntiationem licuit perſcrutari, ſoluit eum ab onere Generalatus, hac nimirum moderatione. Conuocati sũt totius Religionis Prouinciales, totumq; conſultæ noſtræ corpus in palatium Ampliſſimi Cardinalis gymnaſij noſtri protectoris 2. die Octobris defluentis anni (ibi .n. comitia perhabita ſunt) qui non ſine animorum, & vocũ diſcrepantia; aderãt complures autem renuentes, atq; clamantes nolebãt permittere à Camillo Religionis clauum in alium eſſe tranſmittendum, ſed in ipſius, qui Fundator erat, meritiſſimis manibus deſinendum, vt regeretur, at quibus (vt dictum eſt) ambitio, & vitæ laxioris via amabilis erat (nam clauſis oculis ducimur per ſemitas præcipitis ſenſus) Patris Camilli renuntiationi annuebant, quorum partibus Camillus aduerſum ſemetipſum fauebat, complures allegans rationes, & conueuientias, ſuaſq; in medium proferens ægritudines, ætatemq; longeuam, valdeq; vexari ab vlcere tibiæ. Demum prolixam poſt diſcuſſionem: præſidente eodemmet Eminentiſſimo Cardinali gymnaſio, & præmemoratis Patribus, Patre Camillo in eorum medio, humiliter inclinato conſiſtente, & non ſolum dignitatem Generalatus abrenuntiare diſputante, verum, & quaſcunque exemptiones, ipſi potuiſſent quacuncunque ex cauſa contingere, non ſine multorum, qui illum vehementer amabant, lacrymis eius accepta eſt renuntiatio; in cuius locum ſubrogatus eſt Pater Blaſius Opertis ſiculus tum Prouincialis Neapolis, admodum benemeritus de tota Religione, cui libenter onera Generalatus ſuſtinenda conceſſit Camillus, itaq; iij. Id. Oct. Anni iſtius confirmatus eſt, atque approbatus per Apoſtol. Breue ſub nomine, & titulo Vicarij Generalis vſq; ad ſequentem annum; eò tunc conuocatis Generalibus Comitijs per ſuffragia ſecreta electus, & acclamatus eſt Generalis totius ordinis, vt infra patebit. Interea Camillus eodem ſub veſpero cum omnes ad menſam conueniſſent Patres ex animo nouiſſimum tenuit locum inter Patres Sacerdotes, quamuis adoleſcentes, quaſi eſset eorum infimus, ita ſe reputans ob humilitatem; plurimi vero in eadem menſa, eius modeſtiam, & abiectionem contemplantes non abſq; lacrymarum guttis panem comederunt, ipſe vero sũmopere gaudebat anſam reperiſse, quam iampridem expectauerat, ſe nimirum ſubiectandi omnibus etiam Religionis tyronibus. In hoc intermedium capitulum quotquot acceſſerunt patres hoſpites Camillus omnium pedes abluit, & deoſculatus eſt, quemlibet deprecans, ne in ſui muneris abdicatione aduerſaretur.

Habentur comitia ante Camilli renunciationẽ ſui muneris.

Diſcrepãtia volũtatũ in dicta depoſitione officij.

Deponit officium Generalatus P. Camillus.

Sufficitur P. Blaſius Opertis.

Quomodo depoſito P. Camillus officio õbus ſe ſubiecerit.

8 Præterea poſt depoſitionem officij ſero eiuſdem diei omnibus domi patribus palam indicauit, ſe amplius nullo fungi in Religione munere, & propterea velle æſtimari, tractariq; prout vnus ex communibus Religionis patribus, minimiſq; Fratribus, & quæq; in cubiculo pro ſuæ neceſſitatis vſu detinebat, obedientiæ, ac domus ſuperiori expoſuit, res ſiquidem mirabilis, quamuis tot luſtris ſuam moderatus fuiſſet Religionem, nil tamen poſſidebat, quod extremam non redoleret pauperiem; vnde oportuit tunc multa ei valde neceſſaria ſubminiſtrari, quibus ipſe ſuperior deſiderio patiendi libere ſe expoliauerat; non ſolum hanc ſuam ab onere Generalis abdicationem Romæ patefecit, atq; adeo per aliquot Religionis domus propalare per epiſtolas concupiuit ab ſe directas, vnde quidem litterarum exemplar extat, quas manu propria exaratas Florontiam tranſmiſit.

Minutiſſimas res exponit totã ſuperiore.

Admodum Rèuerendi Patres, ac Fratres.

Pax Christi.

IAM arbitror ad vestras perueniffe aures me onera Generalatus demisisse, & id nimia cum animi mei lætitia; confido enim in Domino, fore vt in Dei gloriam, bonum Religionis, & specialiter meum redundet, vos omnes itaque mei memores estote in orationibus, & pro tanto à Domino obtento beneficio grates exsoluite, vt demum vinculis officij absolutus, illud maius, quod à me exposcit Saluator noster IESVS vtile referam; assiduum quoq; quem me semper amantissimum habuistis patrem, cognoscetis, & Dominus de Cœlorum Sedibus suam ęternam vobis impertiat, sanctamq; benedictionē. Valete Romæ prid. id. Oct. 1607. vestrarum omium Reuerentiarum, & Fraternitatum in Domino Frater. Camillus de Lellis, insuper in his ostensionibus suæ renuntiationis, singulos adhortatus est ad exactam successori generali deferendam obedientiam, atq; Regularium omnium obseruantiam ordinationum.

Exēplar litterarū post eius abrenūtiationem.

9

Quamuis sanctissime, & æquissime, atq; magnis laboribus, vigilijsq; seu vigilantijs sui muneris pensum Pater Camillus administrauerit, & egregia facta operatus sit, non tantū Religioni vtilia, verum quamplurimis egenis, & mendicis, atq; infirmis; potissimum vero his, qui animam in extremo conflictu agitabant; eius tamen successor Pater Blasius Syracusanus mirificè ipsius vestigia secutus est in propaganda Religione, bonos, & caritate decoros non tantū diligendo vehementer, verum reliquis in honoribus præferendo: at quoniam Pater Camillus ingentem aggregauerat tam Romæ, quam Neapoli familiam ob subsidia pauperum per vrbes morientium, & in Nosocomijs, vnde expensas non exiguas exhauriuit, eorumdem etiam ob subueniendas inopum necessitates; proinde plurimis debitorum ponderibus hæc domus præsertim Romæ onerata subdebatur, atque adeo pulularunt ista debitorum grauamina ex assiduis infirmitatibus contractis à nostris in obeundo eiusmodi ministeria pietatis; verum est, nil in sui emolumentum Camillum conuertisse, qui summa pauperie iugiter vitam protraxit, quiq; pro alendis suis, atq; egenis suarum venarum ex incisionibus sanguinem extraxisset; quare Pater Blasius suscepto Vicarij Generalis gubernaculo studuit à tot debitorum oneribus domum specialiter Romæ oxonerare; hinc profectus est Parthenopen, inibi à nonnullis Ill. personis aliquot obtentis eleemosynis summam congessit vltra tria millia aureorum, quos Romam transmisit; profecto hic pecuniarū cumulus primo ingressui muneris magno subsidio illi Domui fuere: his pręclaris initijs tāquā optimus proprię familiæ dux semper inuestigās fuit deinceps reparare, vbi maior vrgeret necessitas; idcirco iugiter animo intendit, quoquo modo in hac parte leuamen afferret Religioni, illamq; à debitorum grauaminibus immunem redderet; hinc modo Neapolim, nunc vero Romam peragrauit istarum potissimum domorum, vbi maior vrgebat necessitas, præcipuam curam gerendo, quoadusque transacto semestri, creandi Generalem propinquaret hora.

Onera Religionis pro pauperū subuentione.

Nouus successor post P. Fundatorem multis pecunijs opitulatur domui nostræ Romæ.

10

Et quidem Deus O. M. seruos suos cum suis pariter alijs famulis copulat, vt vnus alteri adiumento sit, sic Moysi Aron, sic Eliæ Elisęum socium dedit, ita tot Sanctissimis Religionum Patriarchis perfectissimos item concessit alū

11

nos,

1607.

nos, vt vnus vni rei, ac ſimpliciſſimæ maximè incumbens, quæ eſt Deus, alter cum proximis magis verſaretur, ita quodammodo Patri noſtro Camillo contigit, cui Patrem Blaſium Dominns conceſſit, qui profectò principio Religionis eleemoſynis, rebuſq; neceſſarijs admodum iuuit. Erat enim Pater Blaſius grauitate vultus venerandus, paucorum amicus verborum, & illa ſpiritualia, tantaq; cum grauitate, & efficacia prodibat, vt in ſui venerationem quæcunq; traheret pectora, eius perſona ad iuſtam ſe erexit altitudinem, magis ad grandiorem inclinans, quam aliter, ſatis mole corporis repletus, eiuſq; deuotio, quem ab ipſius modeſtia, atq; ſermone redundabat magis eum amabilem reddidit, vnde plurium Perilluſtrium Dominorum, & Eminentiſſimorũ etiam Cardinalium gratiam, & amicitiam adeptus eſt, quæ non in ſui, ſed Religionis ſiquidem emolumenta conuertit; veruntamen ipſius vita, & mores in die obitus ſui ſermo narrabit; modo quæ neceſſaria ſunt explicabo, quantumq; ſcilicet ſui muneris ratio popoſcerit, in lucem exibunt.

P. Blaſius vnus ex Ill. P. noſtri alumnis.

12 Inter hæc temporum interualla hoc eſt à Menſe Octobri, quo Vicarius Generalis effectus eſt P. Blaſius vſq; ad Martium poſteri anni, Generalium Comitiorum intimatio publicata eſt, quæ ſex menſes eadem Comitia antecellit, & inchoando à die intimationis, per totum hoc ſemeſtre fieri vocalium ſubditorum locales permutationes ſuperioribus interdicitur.

Indictio proximorũ Comitiorũ, & electionis noui Gener.

13 Memoratus itaq; Pater Blaſius Vicarius Generalis nunquam deſtitit quominus omne Religioni iuuamen afferret, & quoad ipſius vires, & prudentia potuit, omnem operam, & vigilantiam adhibuit. Vnde cum in Sanctiſſimæ Annunciatæ Noſocomio Neapolis ex noſtris duodetriginta magnis oneribus defatigati continuo morarentur, operatus eſt, hoc iugum, & quidem non leue à ceruicibus domus noſtræ tollere, vnde aſſiduum in eo famulatum abſtulit; attamen tam die, quam noctibus ſingulis excubias, & viſitationes noſtri frequentarunt: nocte qualibet tres patres eo adibant, qui inuicem totam in tres ſibi diuidebant vigilias ægris famulando, hic modus miniſtrandi infirmis plus minuſq; anni dimidij à nobis detentus eſt, donec poſtea rurſus idem famulatus, vt ſupra continuus, & habitatio iugis in dicto valetudinario ſumpta eſt, adiectis, vt innoteſcet infra aliquot moderaminibus. Nunc lubeat intexere exercitia aliquot Patris Camilli, atq; ab eo exercitas virtutes, potiſſimum poſt Generalis abdicationem; tranſeundo per annorum ſeriem ſubſequentium vſq; ad ipſius felicem ex hac vita tranſmigrationem.

Demitur iugis habitatio intra Noſocomiũ SS. Annunciatæ.

14 Pater Camillus poſt depoſita inſignia generalatus non ad otia ſe conuertit, neq; ſua commoda quæſiuit, neq; Miniſtrum, vt ſibi famularetur, quo profectò ob ſuas ægritudines, & ſenectam valde indigebat, ſed excogitauit, & æſtuauit, idq; operatione compleuit, quomodo, & ſummo bono, & ſuis ſuperioribus locum Dei gerentibus, & pauperibus, maxime derelictis ægris in Noſocomijs ſuum famulatum impenderet, atq; ſeipſum in omnibus humilitate ſubiceret, ſenſumq; rationi ſubigeret; itaque Domini verus miles, & ſeruus euaſit, prælatorum obſequentiſſimus, & totius Religionis viuum exemplar, vniuerſis inſuper pauperibus, quibus cum verſatus eſt beneficus; illud ſeruatoris noſtri dictum in pectore ſeruans niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, illud ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Vnde P. Camil. per viã depreſſionis proprij corporis, & intellectus incedens, ſtuduit in omniũ virtutũ cultura proficere, gẽmaſq; sãctarũ cogitationũ promere, fructuſue optimarum operationum prodere tempore nõ interituros.

Exercitia poſt Generalatum P. Camilli.

Ex

1607.

Ex Vrbe Roma post renuntiationem Pater Fundator Camillus Neapolim profectus est, vbi per aliquod tempus in Nosocomio Sanctissimæ Annunciatę pauperibus ægris ministrauit; ibi assidua commoratione manens; inde Genuã se contulit, & pariter in maius Hospitale transiuit, vbi ardenter ægris famulatus est: mos Camilli fuit, vbicunque locorum se reperiret; statimatq; valetudinarium petere, quod suum nidum appellabat, suasq; delicias, illic siquidem magnam spiritus pinguedinem captabat, & tamquam in florentissimo viridario spatiabatur. Hinc Genua cuidam Patri scribens de suo illum commonefaciens statu, hæc interposuit verba. Genuæ, ait, commoror in meo Nosocomij nido ingenti cum oblectatione, gustuq; spirituali; fidens, Dominum mihi futurum esse propitium, vt reliquos ætatis meę dies inter has Cælestes Domus consumam; deinde cupiens id ipsum patri eidem persuadere subdidit, ò beati, felicesq; qui digni habentur de hoc perenni, ac dulcissimo fonte degustare, nimirum inter hæc loca Deo, & ægris seruiendo, diuersari.

15

Post renunciationẽ migrat per diuersa hospitia.

Ostendit feliciter manere intra Nosocomia

Pariter Genua Panormum ad alium patrem quamdam misit epistolam, quasi idem replicans, subiungesq; asserit in meo concupito iam demoror Xenodochij Nido Diuina bonitate: quapropter immortales ei rependo grates, qui sua immensa clementia in hoc mihi complacere dignatus est, spero adusque mei obitus diem in illo perseuerantiæ donum concessurum, tuis precor, vt me tuteris orationibus; Pater mi non superest tempus, vt frustra teratur, quisq; studeat propriæ saluti; agitur de extremis quammaxime sibi aduersantibus, de igne nempe æterno, & inextinguibili, & de felicitate perenni, de dæmonum societate ferocissima, & Sanctorum, atq; Cælestium Angelorum amabilissima familiaritate, tractatur de Deo Opt. Max. intuendo, fruendoq; vel eius beatifica visione, æternaq; priuari, quando hæc appropinquabunt? tempus adest, & forte sub hac nocte, siue crastina luce: Beatus, qui vigilat suę incumbens animæ, vt saluetur, ò fortunati infirmorum Ministri, si industrie hoc talentum negotiabuntur, quod illis Domiuns negotiationi exponendum tradidit, quod est laborare in hac frugifera, ac sancta vinea Hospitalitatis, primitus nimirum bona, & honesta conuersatione, exinde misericordia erga Christi Domini pauperes.

16

Per litteras ostendit lætitiã sui incolatus intra Hospit.

Cum autem ex valetudinario domum iret, vt ibi per aliquot temporis interuallum pernoctaret, quod raro contingebat, Præfectum, ac Superiores obsecrabat, vt omni semota erga ipsius personam obseruantia, si sub noctem morientes inciderent, eum excitarent; quandoquidem libenter surrecturum dicebat sub qualibet noctis hora, vt eos in extremo conflictu dimicantes adiuuaret; at quoniam Pręfecti id committere non audebant, tum ob reuerentiam eius personæ, atq; adeo ob suas infirmitates, & senectam, interdum se modesta excusatione tegebãt; ipse vero quasi super hoc læsus dolebat non vocari, & expergisci sub maiori noctis silentio. Genua transactis aliquot Mensibus Mediolanum contendit, quasi vastiora penetrans deserta, & nouam Prouinciam difficiliorem exercendi caritatem quęritans: eo cum appulisset, simulatque in Nosocomium concessit exercens in eo quasi mare magno, erga pauperes omne pietatis genus. Cum autem extent aliquot epistolæ eius caritatem, pœnitentiam, atq; patientiam exprimentes, quæ hic exercuit, proinde non pigeat illas interserere, pudeat tamen nos propriæ frigiditatis, & torporis in Dei famulatu, & proximi benignitate, at ipsius flagrantia desideria, & operationes prodantur, vt æmulemur: deueniendo ergo ad litteras Frater Ta-

17

Sollicitat Pręfectos, vt eum sub noctẽ excitẽt

dæus

dæus Alterius sic Romam cuidam ex nostris Sacerdoti scripsit.

18 Pater iam noster Camillus diuina gratia salute corporis potitur, & adeo se conteptui dedidit, vt quilibet de ipsius vita stupeat, & admiratione nimia capiatur, quoad enim defatigationes tam assiduę sunt, vt minime illum, neque oculis sequi, possimus, feruenter, atque instanter pauperibus in Hospitali benefaciendo singulis noctibus ad excubandum surgit, somni non amplius, quam horas quatuor capiens. Ipse Sanctissimum Viaticum ægis confert, oleoque benedicto inungit, ad sepulturam mortuos comitatur precibus, qualibet die sermocinatur in medio valetudinarij dextera Diuinissimum Cruci affixũ Dominum extendens: hucusq; Frater Tadæus, qui supra.

Quæ egit Camil. Mediolani intra Hospit.

19 Et licet in tot angustijs, pœnitentijs, & difficillimis pietatis operibus detineretur Camillus, quæ primo aspectu amarissima apparent, & terribiliora, atque pene importabilia; nihilominus ipse huiusmodi statum, & sortem felicissimam appellauit; quemadmodum genera auium amphibiorum, vt sunt anates, & similes inter nimirum niues, & gelu gestiunt, & inter gelidas limphas pennas, & alas lætabundæ quatiunt, sic pariter Camillus inter tot nidores Hospitalium, & ærumnosa exercitia exultabat, quia ardebat amore cœlestium: vnde hanc suæ vitæ conditionem in Nosocomijs adeo fortunatam æstimauit, vt diceret, quod illam, quacumq; alia mundi dignitate, nulla excepta, haud permutasset. Hinc cuidam Patri suo familiari, sic scribit, Reuerentia tua singulariter pro me oret, vt Dominus dignetur efficere (è Nosocomio Mediolanensi litteras direxit) quod ex meo felici statu fructum illum colligã, quem suum concupiscit Diuinissimum Cor, & aliud esse profecto credi nequit, quam, vt ego ad Summum Religiosæ perfectionis ascendam; & noscat Reuerentia tua, quod Dei fauore, & gratia, adeo hoc statu gaudio, vt sane neque pro vniuerso mundo illum commutarẽ, aut linquerem, absq; vlla, cuiusq; status exceptione. Exultabat siquidem cum Apostolo dicens gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Et illi alij præterea inhærebat sententiæ, arbitratus sum omnia tamquam stercora, vt Christum lucrifaciam.

Ostendit lętitiam non vulgarẽ ministrãdo ægris.

20 Et cum omnia fecisset in pauperum beneficentia, nihilum se patrasse putabat, itaque postquam satis complacuisset ęgris, subbito machinabatur, in quo rursum illos sibi magis deuinceret beneficijs, quapropter in eodem Mediolani Nosocomio quamdam paruam sibi comparauit ferream palam, & exhibitis ceteris ministerijs, tempus suppetens, ea pauimentum radebat, sordes omnes ex ipso auferendo, vt hoc modo valetudinarium siccius seruaretur, & infirmi e lectis surgendo, ne pedes supra immunda firmarent loca.

21 Contigit quosdam Nobiles viros Camillo beneuolos, & deuotos eum adijsse visum, & speculantes, vbi reperiretur, forte inuenerunt sub lecto cuiusdam infirmi inclinatum abradentem infixam tellurem pauimento eo instrumento ferreo, emundando nimirum turpitudines soli illius: si tanta cura eum tenuit verrendi, & abradendi pauimentum subtus cubilia, quantam creditis maiorem adhibuisse in eorum stratis componendis? illi quidem prosapia illustres viri hęc spectando: maius dixerunt profecto est, quod Camillus operatur, quam rumor scit de eo circumferre. Et merito, quandoquidem magis operosa est caritas, ad cuius ardentem operationum splendorem lingua peruadere, & calamus nescit. Pręterea optime pauperum patrocinabatur causas; etenim Camilli cura fuit, ne quid eis deesset, vnde plerumq; apud Dominos, & Mi-

Inuenitur accurate radere sub lecto ægri.

Attentus pauperũ procurator.

1607.

nistros Nosocomij assistebat, vt necessaria infirmis suppeditarentur, tum ad victum, quam ad indumenta spectantia; vt puta tempore hyberno prunæ in medio Hospitalis, operimentaq; cubilium ne deessent, togæq; quando a lectis eriguntur iufirmi,& ne quid simile abforet præsto fuit, Gubernatoribus, & æconomis suggerendo, vt his opportunè pauperes prouiderentur; vnde eorum aliqui veluti tædio affecti in aliquam excandescentiam irrumpebant, minimè pendentes continuum Diuini amoris,suorumque pauperum ignem in pectore Camilli conflagrantem. Non tantum in his, quæ leuia apparent procurator pauperum constitit,atq; adeo maiora agressus est negotia; etenim Dominis Rectoribus Nosocomij Mediolanensis suasit, vt mulierum valetudinarium prorsus ab illo virorum segregaretur, & Neapoli parua cubicula in Xenodochio SS. Nunciatæ de medio tollerentur, qua via asserebat, foré ut redderetur luminosius, sanius, & mundius Hospitium, atque infirmis commodius ministraretur, magnaq; in parte maleolentia dimoueretur. Veruntamen, quam vitæ normam Camillus coluit post sui muneris abdicationem, dum Romæ in sancti Spiritus Xenodochio diuersaretur interserere congruum est; id enim præsens materia postulat.

Multa tractat,vt agatur intra Nosocomia.

22 In regressu à Cisalpina Prouincia Romā ab Reuerendissimo Patre Generali Camillus obtinuit sibi designato socio ægris in Sancti Spiritus Hospitio famulari, in quorum quidem famulatu hunc tenuit morem admirationem potius inducentem, quam spem posse omnino imitari, habito tamen respectu, ad suorum non vulgarium ægritudinum langores, ætatisq; grauedinem. Sub vesperum itaq; cuiuslibet diei eò se conferebat, vna(vt dictum est)cum sodale, inibi intra cubiculum se recipiens, quod illi ab Hospitalis priore concessum detinuit valde angustum ex tabulis compactum,intus,sed supra idem Nosocomium,vnicam, & exiguam admodum fenestram continens respondentē flumini Tyberis; hic absque vllo ornatu, aut tegumento Conopæi, aut depictis tabulis lassa membra strauit, & ceu volucris ibi suum sibi nidum composuit, quasi ex paleis fragilibus, vt facile posset impelli, expelliq; ex loci incommodis ad volandum, vt sibi raperet victum æternæ mercedis, operando nimirum in medio tot egenorum ægrotantium, & in tot pauperum Cateruis, ibi scilicet Domino vnice ab eo dilecto famulando in suis membris.

Quam vitæ seriē tenuit intra Hosp. S.Spiritus.

23 Consuetum illi fuit post breuium horarum quietem, hoc est quatuor,non excedentium quinque, festinum surgere, & ad valetudinarium descendere: ita tempus diuidendo luctabatur, primitus coram Venerabilissima Eucharistia genibus procumbens parumper orabat, surgensq; per omnes infirmorum lectos ibat, si quem vero grauatum febri spectaret, interrogabat si ue ab ægro,si concederet morbus, seu à cohęrentibus infirmis, num forte omnibus vallatus esset Sacramentis, quod si aliquo indigeret,sollicite,vt subministraretur operabatur, vel ipse suggerebat, & si animam in extremis a corporis compagibus exeuntem inueniret, ibi firmius hærebat orando,donec migraret è vita, seu potius ad vitam, talem non adinueniens occupationem, facta omnium infirmorum circuitione, & compendiosa visitatione, ad suum centrum redibat, vtpote ad Altare Augustissimi Sacramenti, siue Beatissimę Virginis Deiparæ,in ipsam enim summa veneratione, ac deuotione ducebatur, & inibi per integram horam (vt mos est in Religione) mentaliter perorabat; namque interpellatim tota nocte vnam, & alteram horam cum dimidia genibus procumbens, sed mente eleuata contemplabatur cœlestia; Dum

Quo ordine cū infirmis procedat.

enim

1607.

enim morientes adeſſent, coram eis Dominum obſecrans omne tempus conterebat, iuxta quos aſsiſtens poſt ſuſcepta Sacramenta, poteſtationes fidei eis faciendas obſeruauit; vnde etiam indulgentiarũ Theſauros per deoſculationẽ alicuius imaginis, vel medaliæ inuocato Sanctiſsimo nomi ne I E S V, & Mariæ adipiſci ęgrum ſategit: ſecundum præterea ægroti exigentiam verborum ſemen, & conſiliorum medelam adhibuit, deprecationeſq; ad Dominum fudit.

24 Itaque cum oraſſet, vt ſupra, per horam; iterum vigilantiori oculo lectos infirmorum ſingulos luſtrabat, linteos componens, & operimenta: ſi frigora inſtabant, ipſorum pedes calefaciebat, & cubilia, inde interulis calefactis pauperum algentia membra confouebat, ægra quoque corpora veſtibus, ac pannis circumamiciebat; ſi autem calores æſtiui vrgerent, peragrando Hoſpitale, quatringentos tum ægros continens, ipſe æneo vaſe aqua frigida completo faucibus ariditate ſiccisſimis refrigeria non modica ſuggeſſit; huiuſmodi potus ſubminiſtratione feſtiuiſsime ſane Camillus in die nouiſsimo ridebit Redemptorem audiens. Edentem verba, ſitiui, & dediſti mihi bibere, qui tot pene innumeris ardentibus febri, & æſtu infirmis, atq; uociferantibus, ſitim benigna manu dulcis limphæ cyatho reſtinxit: expleta dicta refocillatione, ſeu refrigerio alteram aggreſſus eſt non inferiorem, quam ipſe refectiunculã appellauit, talis enim hæc fuit; igni torrebat nonnullas panis buccellas, optimo vino immerſas proprijs manibus in languidorum ora ſuggerendo, alijs autem potabilia oua parabat, nonnullis ſorbitiunculas ex pectore gallinæ confectas ſubminiſtrauit; rem quamlibet iuxta ægroti neceſsitatem, & exigentiam morbi ſuppeditans; complures ſiquidem viribus deiecti hiſce refrigerijs adeo ſubleuabantur, ut quaſi rediuiui conſiſterent firmato eorum corde, ac roborata cadente naturali virtute; ſi alio indigerent adiumento, uel refocillatione, uel medicamine præſto erat Camillus illud conferendo; vt nihil horum deeſſet ægrotis. Interdum hęc eadem à pijs, ſibiq; deuotis perſonis poſtulauit, emendicauit, obtinuit, ſubminiſtrauit egenis, ægrotis. Cum hæc abſoluiſſet non ſedit, aut ad lectum recurrit, ſed properante hora (hoc eſt ſub auroram) conferendi ægrotis ſyropos, & pharmaca, aliaſq; potiones aſſociatus reliquis Miniſtris, hortabatur infirmos, vt ea ſumerent animoſe, illis opitulans lepidis uerbis, manibuſq; ſuſtentans eorum corpora, ut facile caperent, & poſt ſuſceptas, ne deicerent, partem mali punici, ſeu mali aurei in ipſorum ora ingerebat, grauioribus ægris aſsiſtens, ne illa euomerent, ſuadebat inſuper famulis, ut patienter, atque peramanter ea medicamina ſuppeditarent infirmis. Interim albeſcere inchoabat dies, & tempus dandi ægrotis Sanctiſsimum Viaticum decurrerat.

Quot modis ſtuduit ægros refocillare.

25 Camillus uero prænuntius per quemlibet illorum diuertebat ſingillatim interrogando ſi tranſacto noctis dimidio bibiſſent, uel quid ſumpſiſſent, ſi crimine aliquo tenerentur aperirent Confeſſario, & quamdeuote rerum omnium factorem, prolemq; Virginis in ſui cordis habitaculo, ut hoſpitarentur adhortabatur: dum fieret p̃ Hoſpitiũ ſanctiſsima Communio, ipſe ſequebatur prouidus, Cœleſtem Panem Angelorum deglutirent ægri, aquæ potum porrigens; ante quoq; Communionem illorum ora colluere ſtuduit quando puta neceſsitas urgeret propter copiam bilis linguam, uel palatum admodũ inficientis, poſt uero Cœleſtis Panis ſumptionem, eis quædam pia verba promere aſſeruit, tempus eſſe nimirum idoneum petendi gratias, & nanciſcen-

Sequebatur SS Viaticũ cũ purificatione.

1607.

di peccatorum indulgentiam, ac remiſsionem, & negotia tractandi propriæ ſalutis cum Dño, aiebat. Exinde aliquot illorũ cubilia, qui maiori ope indigerent ſternebat, mutabatq: quamuis in compoſitione horum cubilium nidorẽ pene intollerabilem ſuſtineret redundantẽ, tum ex corpore infirmi, tum ex lecti immunditijs; cuncta ipſe æquanimiter tolerauit, & lætabunde, pro illius dilectione quæcunq; ferens, qui pro noſtra reparatione mortẽ ſubijt immaniſsimam in patibulo crucis.

Magis nocte operatus eſt quã lucente Sole.

26 Interea iam Sol Orbem illuſtrauerat, & Camillus, paucis horis ſecluſis, ferme integram noctem in operibus pietatis, & beneficentiæ inter cæcas tenebras duxerat, à nemine præter quamquod à parietibus (humane dico) lumine, & ſenſu carentibus, & ab aliquo ſemidormiente, & rudi famulo obſeruatus: quando uero potuit eſſe ſpectaculum hominibus interueniente diei luce, tum interpellans operationem, quaſi maſſam auri accumulaſſet, optimarum ſcilicet operationum, & caritatis, cubiculum repetebat; vbi tibiam ſibi medebatur, & exinde Diuini Officij penſum exſoluit, tamquam quietiori in loco à tumultibus, & lamentis ægrotorum ſemoto: hinc etiam miſſæ præparatione exacta ad Noſocomium deſcendebat, Sacroſanctum Sacrificium, & incruentum Deo Patri offerens pro totius Eccleſiæ propagatione, ſuæq; Religionis adiumento, atque cremento, necnon pro ægrotis, pro illis notanter in vitæ terminum coniectis: relatis demum gratiarum oblationibus Deo ſummo poſt celebrationem; iterum totius Hoſpitalis infirmos viſebat, aliquod eis impartiens beneficium. Accedente autem prandij hora, grauioribus, cibum ingerens intra hos, opitulabatur, ſeu diſcurrendo per egenorum ſtrata, aliqua poma, comedentibus ægris, vel bellaria obtulit; vt facilius cibi bolos deglutirent. Demum uero quatuor, ſeu quinque lectis debilium ægrotorum refectis; tum ſatis lætus, & bono opere ſatur domum noſtram una cum ſibi deſtinato ſodale adibat: plerumque noctibus ante diem Dominicum, uel feſtum aliquod ſollemne domi noſtræ conquieuit, eo ſane fine, ut interdiù verbi Dei pabulo reficeretur aliquo in templo; atque ſero noſtrum Superiorum colloquijs intereſſet, & culpam propriorum defectuum cum ceteris panderet ſubditis genuflexus.

27 Nec putandum eſt, licet ſe totum in opere pietatis immerſiſſet, in alijs uero corporis conflictationibus remiſſe ambulaſſe: quin potius propria membra vexare apprime ſtuduit, & exinde deſcendere, ad pietatis exercitationes, vt ore Apoſtolico inſtituimur, caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar: quotidie duris flagellis ſe diuerberauit; feria ſexta vero, & ſabbato amictus cunctis ueſtibus delu per nudas tabulas obdormiuit; vt ſcilicet leuem ſomnum caperet, & magis experrectum affligeret corpus: per aliquod temporis in cœna non ſumpſit, niſi panis fruſtulum, & unicum uini cyathum, interdum autem hoc quoque paruo refrigerio ſe abſtinuit, hac ſua abſtinentia, ſeu ſtricto ieiunio putauit, leuiori ſomno teneri; quandoquidem corpori ſuo etiam minitatus eſt, ex quatuor nempe ſomni horis, quas quieſcens terebat, unam uelle illi adimere; ut puta expeditior tempore longiori ſub noctem ægris ſubminiſtraret.

Præter opera pietatis corpori ſuo addidit afflictiones cõplures.

28 Veruntamen huiuſmodi pœnitentiæ genera, & beneficentiæ labores deuincebantur à cruciatibus, quos in tibia læſa ſuſtulit: cupit enim (ut claret) infirmam tibiã aſſiduo ſterni ſupra cubile, quã ipſe indeſinenter defatigando vexauit: hinc indignari vehementius cæpit, ipſamque nimium defatigatam

ma-

1607.

magno angore trahere, raptare seu potius, coarctabatur; quapropter fateri non erubuit, pluries per cubiculum more animantium, vel ceu infantes palmis, & plan tis deambulasse; Camillus vero loco blandiendi, quinquies postquam surrexisset è lecto, graui ictu pedis planta læsæ tibiæ humum præmebat; quocirca si grauis fuerat dolor, grauissimus tũ sæuiebat, vimq; illam cruciatus ipse exprimere non sciebat. Aliquando etiam ab ægris inspectus est hoc modo pedibus, manibusq; per Hospitale terram rependo incedere, quoadusq; ita carpens lecti innixus columnæ paulatim insurgeret à tellure; ægri siquidem cõmiseratione permoti, & tanto territi spectaculo dixere, Pater Vestra Paternitas indiget maiori, quam nos quiete, & lecto; pergat quæso & se ponat intra cubile, cumq; fuerit nacta salutem nos poterit optime adiuuare; quibus ipse respondit. Fortasse filioli nescitis, quod ego vestrum omnium sit famulus? itaq; oportet, me omni studio, labore, & industria eniti, vt vobis deseruiam, ad hæc dicta stupebant, lisq; cessauit.

Aliquando raptans tellurem p Hospit. gradiebatur.

39 Aliquando in eodemmet Nosocomio, inter noctis tenebras, casu extincta lucerna, dum omnia offunderentur nigrore, crus vlceratum ferreum vas prunarum offendit; inde ob diram percussionem cecidit Camillus in faciem, quã præter dolorem commaculatam, valdeq; læsam aliquandiù sensit; attamen sensim surrexit, nec inde discessit; sed vsq; ad sextam cum decima hora vehementissimos Cruciatus tollerans in eodem Xenodochio ministerijs infirmorum consuetis incubuit. Et licet tamdiù, tot aggrauatus doloribus, vigilijs, ac defatigationibus, & adeo laboriosis operibus intendisset; attamen plerumque Adrianæ Molis horologium criminabatur, quasi celerius consueto horas pulsasset; maluisset enim dũ operibus pietatis applicitus reperiretur duplicari diem, vt quondam tempore Fortissimi Ducis Iosuè. Hinc animaduertendum est quanta cum dilectione operatus sit Camillus, quantoque intus æstuaret pietatis ardore.

Licet graue sensisset percussioné nõ tñ cessit ab opere pietatis.

Insimulabat horologium quasi citius pulsans solito.

30 Dominus in suo Euangelio nos instituit asserens iugum meum suaue est, & onus leue, arduum est intelligere, quomodo si iugum est, suaue sit; si autem onus leue, facile enucleatur veritas, si iugo aliud addatur iugum, & oneri alterum iũgatur onus, quippe amoris, vt sapientissime Diuus Aug. amor meus, pondus meum, amor enim si magnis ponderibus adaptatur leuissima reddit, exemplo erunt volatilium corpora, & pennæ, ambo enim deorsum tendunt, sed superinductis pennis auium in membra; statimatq; per aera eleuantur, ita pariter Patri nostro Camillo omnia facillima extitere; quandoquidem vehementissimo ferebatur amore erga summum bonum, eiusque infirma membra.

Amor magnus onera reddit facillima.

31 Et demum ad exprimendum aliqua in parte Patris nostri internum affectum, quo in eo Xenodochio ministrauit ægrotis, licet subnectere cuiusdam æpistolæ fragmen, quam vni Religioso sibi familiaritate obstricto misit P. Petrus Franciscus Pillizonus vir probitate morum notabilis, de quo alibi meminimus: hæc inquam post obitum patris nostri Fundatoris, eadem in epistola exarata leguntur. Non audeo erga affectum internum verba intexere, quo ægrotis in Sancti Spiritus Xenodochio ministrauit, quandoquidem simile esset, ac velle Solis rotam, splendoremq; obumbrare; sed omnino reticeri nequit, neque desinimus admirari. Etenim dum se alicui infirmo adiungebat, vt ei suã operam, & famulatum impenderet, tum ceu gallina super illum incubabat, & infirmabatur, ueluti ceu mater erga quem vnice diligit filium suum ægrotan-

Amor, quo ministrauit ægris.

1607.

Mira de eo recẽſetur in quadã epiſtola.

rem, tota ſe expanſis brachijs deſuper eum inclinat, & proprio alitu, ac ſpiritu quaſi vellet illum rurſus reſtituere ad vitam, vt olim ipſum infantem conſeruauerat, & aluerat intra viſcera, ac viuificauerat. Non ſatis erant Camillo manus, nec brachia, non lingua, ſiue oculi; verum ad inclinationem ſpiritus totũ corpus deflectebat, vt totis viſceribus illi deſeruiret, & opitularetur; hinc diceres quodammodo euiſcerari, dum in miniſterio alicuius ægroti intenderet. Priuſquam ab illius lecto decederet cuncta manibus tractabat non ſemul, & iterum, ſed centies, modo puluinar, nunc culcitras, nunc caput infirmi; nunc vero inchobat à lateribus attrectare an commode ſiſteret æger, modo à plantis, nunc remeabat ad verticem cuncta ſpeculans, ſi nimirum apte, & concinne compta extarent; modo vero interrogabat ægrotum ſi quidpiam cuperet vel ei deeſſet; itaq; ab occulta vi trahebatur, quaſi à magnete ferrum, pari modo conglutinabatur, cui inſeruiebat ægroto, & neſciebat ab eius præſentia ſecedere, ſemper pauens ſi in aliquo ilii minus idoneè ſeruiuiſſet; vel forte quidpiam ipſi ægro abforet, uel quid amplius concupiſceret: inter hæc miniſteria dabat ęgris item ſalutaria monita, ſiue illos hortãs ad dolorum tolerantiam, ſeu ad flagitiorum deteſtationem; hæc quidem exigua ſunt ad aperiendum maternarum viſcerum affectum, erga vnicum, uniceq; dilectum, grauiterque ægrotantem natum, qualis erat illa amoris paſſio ſane Camilli. Quicunque intuitus tunc fuiſſet Patrem noſtrum vni ægroto ſeruientem de ipſo ſiquidem hoc Iudicum formaſſet; ſane Pater Camillus non in Noſocomium deuenit, vt omnes indiſcriminatim amaret, ac ſubſeruiret infirmis, ſed ſolum peculiari huic, adeò intenta operatione, ac mente illi addictus miniſtrabat; inſuper arbitratus quilibet fuiſſet præter hoc negotium à nullo alio Camillum detineri cogitato, atque affirmaret, multum illi in deſiderio eſſe, atq; plurimi ſalutem huius infirmi pendere; nihilominus eadem ſolertia, idemque affectus, eademmet ſollicitudo omnium infirmorum ipſum deuixerant, ac ſi vni eſſet famulaturus, eo quod ſingulis eandem prorſus adhibuit clementiam, miniſteriumque, ac dilectionem. His extremis vitæ ſuæ temporibus, noſcat Reuerentia tua plurimos obſtipuiſſe, quomodo penè non comedebat, & tibiæ vulcus affluenter purgaret, nihilominus tot vigilias inſomnis protraxit, & tot labores ſuſtinuit in Hoſpitio S. Spiritus à dimidio quippe noctis vſque mane donec ægri panſieſſent. Nouimus bis, uel ter in medio valetudinarij cecidiſſe (nõ numeratis alijs vicibus, quia ignoramus) & adeo grauem dediſſe aliquando percuſsionem, vt cum diſcrimine vitæ fuerit caſus; attamen ei ſpiritus, amorque cœleſtium uires ſuppeditauit ad proſequenda pietatis inchoata opera; atque etiam ex ore ipſius percepi, aliquando adeo ſe male à dolore tibiæ tractari ſenſiſſe, vt ei impoſsibile poſse e lecto ſurgere videretur; attamen ſibimet vim inferens paulatim à cubiculo deſcendebat in Noſocomium parietibus innixus, & ibi manu lecti columnas tenens ſurgebat, ne præ corporis debilitate collaberetur, & tranſactis quatuor, vel quinque lectis, quaſi exardeſcens amore militię ſpiritualis, quam agreſſurus erat, generoſior fiebat, vireſq; ſibi ſuppeditabantur, adeo ut pondus nocturni laboris, diurnique ſuſtinere poſſet, quibus peractis, ab Noſocomio S. Spiritus domum reuertebatur noſtram (vt notum eſt Reuerentiæ Veſtræ) in deambulando uero quotiens pedem extendit, totiens ſydera contemplabatur (ut dicitur) ob diros cruciatus à pedum callis ſibi inductos: hucuſque pater Petrus Franciſcus: præmiſſa litterarum particula tepidis, ac remiſsis ſane parit terrorem, proficienti-

bus

1607.

bus autem Regiam pandit viam mira patrandi; his vero qui plura patrasse putant, tanquam in nitido speculo contemplantur, quam longe superantur, ac vincuntur à tot ingentibus,& egregijs facinoribus à Seruo Dei Camillo propter illam summam bonitatem in pauperum ægrotorum emolumenta exhibitis.Ne mireris si tam minuta legas, nec legeres si non patrasset. Deus enim nobis illum exemplar constituit, vt sequamur, & de paruo quod agimus erubescamus.Inter anni huius intercapedinem occurrit sequens actum.

32 Quidam à natiuitate cœcus æger fabriens iacebat in Nosocomio SS. Annunciatæ Neapolis,hic prima noctis vigilia se per lectum reuoluens ab ardenti febri deturbatus supra pauimentum decidit, erant enim in valetudinario Patres excubantes super infirmos; vnde opitulati sunt, quem cadentem viderant ægrum; discurrebat etiam per cubicula Pater Camillus visendo nunc hos, nunc alteros infirmos, qui transiens illinc vocatus est à cœco, Camilli bonitatem, & transitum à ceteris Patribus sensit ipsi opitulantibus cœco speranti ab eo suarum se consecuturum remedia ærumnarum, Camillus eius miseriæ compatiens digitos cœci nati oculis admouit, qui statim illos adaperuit, lumenq; vidit, quod nusquam fuerat intuitus, & febrium etiã ardore confirmatus est,itaque adueniente luce magno iubilo Solem contemplans sanus ab Nosocomio secessit, Camillus tamen Patribus inhibuit, qui præsentes steterant sanctæ obedientiæ virtute (adhuc autem Generalis fungebatur officio)ne cui manifestarent, quod inuiolate seruatum est, quoadusq; felici morte detentus lumina clausit, vt in eius vitæ processu continetur Neapoli condito,nomen erat ægro Io: Iacobus de Lauria.Subnectam alia notabilia, quæ Pater Camillus intra Nosocomia specialiter Sancti Spiritus cum ægris morti proximis operatus est.

De cœco nato illuminato tactu P. Camilli.

Lib. 3.c.5 in princ.

33 Ex nimia cura, solerriaq; qua infirmis Camillus ministrauit concessum obtinuit à Domino, ut multorum conscientiam, eorum etiam, qui in peccatis obdurato corde perseuerauerant scrutaretur, & agnosceret; unde confessi piè morti succubuere, hinc pauca interponere decórum est.Dum enim P.Camillus coram Sanctissimo Sacramento intra Sancti Spritus Nosocomium oraret, repente ab oratione discessit, petiuitq; ægri cuiusdam Torum,& ad os infirmi inclinatus hęc protulit,Frater animaduerte ne in te aliquod crimen inhæreat, quod in Confessione minime manifestasti, neue propterea ad tartara, æternaq; incendia post breuemhoram præceps irruas;æger uero iam constitutus in extremo conflictu animã agitabat,eiq; assistebat quidam Fr.nomine Dominicus, illi munus commendationis animæ exhibens, qui propter hæc uerba subrisit, ac simul etiam indignatus est, arbitrans, fuisse impertinentia, talia nimirum morianti, & à sensibus derelicto viro depromi; quandoquidem os habebat spuma,ac pituita oppletum, iam suffocabatur; vnde frater ille mussitando, ac susurrãdo secessit, mansitq; Camillus solus cum ægro, qui pro ipso Dominum deprecatus est;restituta infirmo mirabiliter fuit loquela, & protinus postulauit Confessionem, accurrit Camillus ad Sacerdotem nomine D. Petrum, qui item non sine murmure infirmum adijt,audiuitque Confessionẽ, beneficiumq; absolutionis cum stupore impendit, æstimauitq; posthac Patrem Camillum ex Dei seruis magnum esse, superstitit vita infirmo trium horarum spatio, qui publicè nostris patribus indicauit se quinquennio male fuisse confessum, ac reticuisse inpudenter flagitia confessario, & inter cetera manifestauit cum sui nimio robore, ac dolore stupro quinque contaminasse soro-

Lib. 3. c. 26. erga finem.

Moriens reuiuiscit, ac confitetur.

Quidam male confessus ad pœnitentiã ducitur.

res,

1607.

res, delapsis demum tribus horis omnibus communitus Sacramentis deuote vitam finiuit, non exiguam linquens admirationem apud astantes ob gratiam, quam nactus fuerat à Domino,& maximam erga Pater Camillum venerationem, qui extiterat efficax instrumentum Deo auctore, vt tam nefarius peccator pœnitentiæ donum concederetur, & Sacramenti absolutionis particeps fieret.

34

In eodem S. Spiritus Nosocomio hora noctis consueta post examen conscientiæ, suasq; deuotiones cubitum iuit Camillus, at incessit quædam in eum mentis vexatio, iterum in valetudinarium descendi, & propterea rursus indumentis contectus eo deuenit ad quemdam grauissime morbo iactatum ægrum, à quo poposcit vtrum ne confessionis Sacramentum recepisset, affirmauit æger, negauit tamen fuisse illi Diuinissimum Viaticum, sacramq; collatam vnctionem; tum repente ad Sacerdotem contendit Camillus ad monefaciens, vt sine inducijs ea conferret, quoniam protelandi hora non permittebatur, quibus collatis, nedum dimidia effluxit, quando ille infirmus è vita decessit. Hi,similesq; casus frequentissime P. Camillo se obuiam fecere, & mœrore sane tabescens erat contuens multorum in his locis repugnantiam Sacerdotū in administrandis Sacramentis; at ille nullo sane habito per sonatū respectu, eos redarguebat, tenaciterque insistebat, vt omnino conferrentur, Diuinam, quandoque eis interminatus vltionem, & se Dominis etiam Hospitij eam relaturum incuriam dicebat;proinde si Deum non timerent,homines reuererentur, & obseruatum est Camillum prudenter gessisse, & quasi de Cœlo illuminatus; nam quod ipse affirmauerat ita contigisse effectus ostendit.

De quodam cui Sacramenta collata inde cito decedit

35

Vnde cuidam Sacerdoti admodum vecordi in administranda sancta Vnctione infirmis in medio valetudinarij obuiam facto dixit Domine Martine (ita appellabatur) faxit Deus, vt cum hoc Sacramento decedas, quando adeo repugnanter illud confers, & plures infirmi eo carentes ob tui tarditatem,mortem oppetunt, vt prædixerat Camillus,ita contigit; etenim non longo dierum tractu, hic Presbyter ægrotauit, qui non suscepto hoc Sacramento suorum dierum finem terminauit; vacuus siquidem hac sacra vnctione, ob defectum, & ignauiam cuiusdam Sacerdotis ipso segnioris.

Prædicit cuipā Sacerdoti se absque extrema vnctione obitu rū,quia in ea administrāda segnis erat.

Loco s.cit.

36

Cum prætergrederetur Sancti Angeli Pontem Camillus vidit senem pene moribundum, qui consuetis pietatis visceribus ipsum eleuauit, duxitq; ad S. Spiritus Nosocomium, & refocillato corpore, ad mentem refocillandam intendit, rogauit à Confessionibus Patrem, vt illum auscultaret, dæmon vero se interposuit Confessario suggerens; postridie mane posse confiteri, arbitrans latum suppetere tempus; Camillus vero mordicus institit, & effecit omnino audiri senis Confessionem, & à suis absolui reatibus; demum post aliquam,& non mediocrem repugnantiam contulit ei beneficium Sacramentalis absolutionis, & suscepta mox extrema, sacraq; vnctione modicissimi temporis inter iacturam animam expirauit, cunctis admirantibus, atque stupentibus, speciatim Confessario, qui repugnanter auscultauerat illius Confessionem, malueratque in crastinum, vel longius prorogari, putans illum diu superuicturum.

Lib s.c.s erga finem.

De sene, cui collatis Sacramētis expirauit.

37

Occurrit insuper quemdam ægrum triduo phernesi laborasse, item grauissime morbo agitatum extitisse, ad illum properauit Camllus, quem vocauit, vt suorum criminum ad pœnitudinem induceret, à cuius voce quasi à tonitruo perterritus æger, atque experrectus ad se se reddidit, cui subdidit Ca-

In vita, & gestis Serui Dei Camilli Lib.3.c.s.

millus

1607.

millus vis, vt accerſam Confeſſarium, & tum conſcientiam pande, maxime reſpondit iam ſanus mente infirmus, accerſito Confeſſario, Sacramētalem adeptus eſt abſolutionem, cui conferendum eſſe inſuper, ait Camillus, Venerabiliſſimum Viaticum, & ſacram Vnctionem; Sacerdos vero nimium reluctans, reſpondit, nullam cogere neceſſitatem, ſed expectandum eſſe craſtinum, inſudauit ſane Camillus, quoaduſque flecteret ſacellanum, vt conferret ægroto Sacramenta, poſt aliquam non leuem verborum digladiationem Camillus demum vicit; vnde poſt ſuſceptam Sacratiſsimam Communionem, Oleumque ſanctum infirmus ſpatio breuiſſimi temporis ceſſit è vita, præter illorum omnium, qui adſtabant expectationem, & priuatim ipſius ſacellani, quem Camillus, poſt acrem correctionem, meritamue, dereliquit, aſſeuerans oportuiſſe ſine contentione ipſi fidem præſtare, qui annorum quadraginta transitu, illi fuerat addictus exercitio. Tot longis temporum ſpatijs pene innumeros ſuis orationibus, ac vigilantijs ſalutem nactos eſſe potiſſimum animæ, cum beneficio Sacramentorum decedendo, quibus caruiſſent, ni Camilli cura, & vigilantia eos adiuuiſſet; quando inceſſanter horum pauperum ægrotorum bonum animæ principaliter Seruus Dei, quammaximi ſfecerit.

De alio maxime à morbo iactatu, q Sacramētaliter cõfitetur.

Qu modo difficulter obtinet à Sacerdotibus conferri Sacramenta.

38 Phyſicus recognoſcens in dicto Hoſpitali S. Spiritus Romæ infirmos, cuidam demandauit, vt datis veſtibus, iret ab Hoſpitio, quaſi eſſet omni morbo liber; cum vero iam vellet proficiſci, ipſum præpedijt Camillus, affirmans, & inſtans illum eſſe lecto reddendum, eiq; Sacramentum Olei ſancti adminiſtrandum, omnes ſtetere ſtupentes, ac pene ſubſannātes, quomodo qui bene ſe habet, inungendus eſſet extrema Vnctione, quæ ſane confertur ægrotis, non ſanis, & demiſſis à Medicis, ſed quibus deſperata eſt omnino ſalus, omnes ſubſiſtere, ipſemet ægrotus extra ire oppugnabat, veluti ſolutus à morbo, ſe omni ex parte ſanum eſſe inculcans; attamen quia Noſocomij Prior, cui nomen fuit Nicolaus Grillus Camilli verba permagno æſtimauit (admodum illum reuerebatur) iterum iuſſit infirmum quamuis renuentem ad lectum reduci, ipſique collato Oleo ſancto (res profecto dictu difficilis, ſed re uera facilis, quemadmodum accidit) expirauit infirmus intra quadrantis vnius terminum. Hucuſque demonſtratum eſt, quæ operatus ſit Camillus inter Noſocomia, congruum eſt, nunc dicere, quæ patrauerit in animæ commendatione; quando vtrumque ipſe quoque æque principaliter complexus eſt.

Eodem cap. & lib. cit.

Quidam dimiſſus ab Hopit. iterū in lecto decumbit iuſſu P. Camilli, qui cito moritur.

39 Nunquam tepuit Camillus in beneficentiæ opere, vbi vrgere vidit neceſſitatem, modo inter Noſocomia operans, nunc per domos priuatas; verum diutius ſe exercuit intra Xenodochia, quia maior in illis videbatur ineſſe lucrandi occaſio propter ægrotorum frequentiam, & vbi amplius noſtra caro, & ſenſus queunt mortificari, tum ob varios langores, & genera infirmitatum horribilium, & omnem, prout cuique libet, longiori tempore exerceri fas eſt benignitatis operationem, ſiue ad corpus, ſeu ſpectantem ad animam; & vbi etiam ægrotis non pręſto ſunt, nec coniux, neque proles, neue familiares, nec vicinia miniſtrans, aut conſolationibus comitans infirmum, ſed deſtituti his, ac ſimilibus adminiculis maiori profecto indigent ope. Non tamen deſunt difficultates, perq; difficiles in opere commendationis animæ, æquæ profecto, & quandoq; maiores, nimirum in profundiori noctis ſilentio, quando & homines, & animantia dulcijs ſopor capit, ſurgere, & pauperum vdas tabernas petere compellimur; vbi & hyeme rigente ignis deeſt, ſolus fœtor, & gelidus aer dominatur, atque tempore æſtiuo intentiſſimi calores, nulla in

1607.

his locis aura flante;quapropter Camillus Nosocomia consueuerat appellare, mediterraneum mare;& quietius; animæ vero commendationem per domos priuatas vastum Oceanum, ac turbulentius; quandoquidem, vbique mortes, vbique redundant ægritudines; hinc auebat, nostros, huic operi laudabiliter incumbentes, esse omni morum venustate decoros, ac eruditione, vt possent iuxta infirmi exigentiam, necessitatemque remedia, & auxilia conferre idonea, ad tollendam nimirum ab ægrotorum animis quamcumq; ignorantiæ nebulam (vt in exordio huius voluminis notaui) vnde Camillus non paucas consumpsit noctes, & labores in hac exercitatione potissimum ascendendo ꝑ fractos domorum gradus, quod illi propter tibiæ vlcera,& pedum callos valde ærumnosum fuit, adiecta item senectutis ætate alijs comitata ægritudinibus, ac molestijs: numquam propterea ab hoc opere retrorsum abijt;sed veluti quicumque floridę ętatis adolescens, & amplius, laborauit, nequaquam permittens ab aliquo suæ familię Religioso in virtutum exercitio, & in labore antecelli; proinde plura aduersa pertulit, noctu deambulando ad obeundam huiusmodi caritatem, & quo asperius rigebat tempus pluuijs, ac niuibus, vel sęuiret æstu, tū ipse alijs se præferens per plateas quęrendo ibat sub nocē morientium tuguria, ad quę vocatus celeriter semper accurrit, unde descendendo ad particularia.

Actutū occurrit ægris in peculiaribus domibus exalantibus spiritum.

40

Romæ occurrit regredi domo cuiusdam moribundi septima noctis hora, densę tamen tenebrę illam omnino excęcauerant; Camillus vero extincto lumine gradiebatur, at in media via grandis trabs extendebatur,pro termino posita sternendi lateribus semitam,cui adeo dire impegit tibiæ vlceratę frons, vt procubuerit supra tellurem, ceu cadauer, illum sane maiorem, quam credi potest cruciatum sustinens,vnde post aliquam moram adiuuante socio surgēs, sensim, & quo potentiori valuit modo domum nostrum adijt; interim ex eius ore nil resonans audiebatur, nisi benedictus Deus, sit nomen Domini benedictum; caliga, & calceus repleti euasere cruore, liquit vestigium sanguinis totum per iter; ex hac quidem percussione adeo mansit exacerbata tibia; vt nusquam posthac (prout ipse affirmauit)illam tulerit sedatam,vt antea, sed assiduo dolens vrgebat;non propterea destitit Camillus quominus mane facto properaret ad Rhedarū Nosocomium, quod Dei dono adscripserunt, neque propterea in futurum remisse hoc in ministereo se exhibuit:immo ardentius complexus est; his enim duobus velis, nempe opitulando ęgris in Nosocomio, & per domos particulares animam exalantibus,soluit cymbam sui desiderij.Studuit etiam suos huic muneri peruigiles incumbere, & omni hora paratos esse, maximi pēdens, quanti referat in illis extremis opem implorare à Domino pro exeuntibus ex hoc miseriarum carcere, atque monita illis salubria suggerere:vnde aliquando dum vel plueret, vel Cœlum turbatum,ventos, & imbres minitaretur demittere, ipse vocari interdum aliquem Patrem mandauit,ut periculum faceret,quomodo parati irent ad iuuandos ægros,uel eos hoc stratagemate ad detinendos in hoc opere exercitos, & tum postquā indumentis tectus esset Pater; iterum dormitum,ut iret sudebat, non amplius opus esse asserens.

Adeundo q̄dā moribundū aerē percussionē incurrit in tibia.

41

Camillus uero quamuis ethera tonaret, ningeret, seu acriter fulminaret deposita omni formidine, & contempto quocumque incommodo expedite ad moribundi domum currebat. Vnde Romę dimidię noctis hora, cum duo ex Patribus in quadam peculiari domo munus commendationis animæ exer-

Cū feltris ad morientis domū contendunt.

centes morarentur, pluuia tamen grauis de Cælo, quasi tempestas, descendebat: quapropter ipse ceteris parcens subditis, iussit sibi adduci ex officina supellectilium binas penulas, seu feltra alba ingentia, & acuminata habentia caputia, quibus ipse Camillus, & socius contecti abiere, & ita ad moribundi ædem bene madidi peruenere, quos cum inspiceret gens, quæ in ægri habitaculo assistens erat, vehementi timore, ac pauore correpta stetit, quid noui futurum putans, forte essent aliqua phantasmata, vel monstra protendentia quidpiam erga infirmi lethum, arbitrata est, quibus ipsi protinus se expoliarunt, & illa indui fecit Pater Camillus, qui moribundi animæ opitulando astiterant Patres.

42 Similiter cum aliquando Romæ nostri vocati essent dimidiæ noctis sub silentio, vt Hostiarij Vrbis Portæ Diui Pauli spiritum exalantem Domino commendarent, aer enim valde aduersus instabat, & imber ingens erat descendens, viæq; admodum cœnosæ, & pluuiæ collectæ, non paucos, nec leues aquæ cursus formabant; Camillus vero arbitratus est magnum lucrum ipsummet ire, propterea sibi eam coronam acquirere decreuit; vnde expergefacto socio simul adiere, hinc tenebræ noctis, & pluuia desuper, & cœnum per semitas illos omni ex parte madefactos reddidit, proinde ad moribundi domũ satis à molestia temporis afflicti se contulere, conficientes itineris paulo minus duobus milliaribus, vtpote gradientes aliquanto distantius à Basilica Sãctæ Mariæ Rotundæ, nempe ab ędibus nostris incedentes, adusq; præfatam portam Diui Pauli: totam noctem sic madore confecti Camillus, & socius coram moribundo orantes perseuerarunt, donec albescente die domum regrederentur.

Quæ patiũtur dum ad moribundũ pergunt.

43 Ad inflammanda suorum pectora in hoc ministerio commendationis animæ ista promere consueuit, filioli mementote à Domino vocatos esse, vt curam eius patrimonij; quod sunt hi moribundi, exhibeatis, suo pretiosissimo redempti cruore. Ne obliuiscamini in illo terrifico mortis certamine sæuiter assistere complures dæmonum legiones ignitis vnguibus, & rostro, vt illius morientis anima perditum eat in ignem, qui nescit finem, neque vsquam intermissionem admittit. Insuper in memoriam reuocate huiusmodi institutũ Angelicum esse; nimirum coram moribundo assistere Angelorum Choros, nobis suggerentes in interiori mentis auditu, quæ verba moribundo sint cõmunicãda, & ꝓpterea dedecet pigere, interdiù, noctuq; per gelu, & pluuias, perq; furentes ventos, & per ꝗlibet aduersũ corpori euentũ q̃n trãseamus, vt illis opitulemur. Hæc sunt quidem (aiebat) nostra officia matutina, ac serotina, hæc nostra cilicia, & frequentes super terram dormitiones, & hũc demũ nostrę Crucis tropheum, quẽ hilariter portare cogimur, & non coacte, ne assimilemur illi Cyrenæo, merita nostrorum laborum amittentes.

Doctrina Camilli ad instituendos suos in animę commẽdatione.

Probatũ est in pręludijs

44 Ipsi quoque aliquando contigit sub densis tenebris nocturnis incedere, & inter deambulandum extingui candelam; vnde se se per luta immittere oportuit, perque aquas decurrentes, & in foueas interdum cœno, & vnda repletas incidere, & sic magnã noctis partem coram protrahere moribundis ꝑtermitto imbrẽ, quẽ susceperat, venientẽ de Cœlo. Et nonnunquam occurrit ad ostiũ domus nostræ peruenisse, vbi fractum reperit campanulæ funem, ibi opus fuit non exigua temporis mora expectare extra ianuam; interea grauis pluuia desuper cadebat; vnde ex hoc sumpsit occasionem ista suggerere verba socio, Frater hæc sunt optima lucra, & cum Domino fœneratio, si postquam longo

tem-

1607.

Optabat post susceptā iniuriā tēporū etiā à Ianitore contuentus iniurijs lacessiri.

temporis spatio extra ianuam ostiarius nos detinuerit; exinde veniens asperis verbis depellat, & baculum in manu stringens, supra verba multis nos flagellet verberibus, propterea quod à somno illum exturbauimus, in hoc quidem innotesceret nos dignos esse infirmorum ministros, vt olim Seraphicus Pater Diuus Franciscus Fratri, sibiq; socio Leoni afferebat; In hoc sane nos oportere lætari; vnde Dominus his præmijs, & valde præclaris meritis,atque coronis dignos nos constituat, & ornet.

45 Indixerat aliquot monita Camillus in moribundi cubiculo obseruanda; nimirum verba scurrilia, & impertinentia, vt eliminarentur, neq; risus, neque plantus admittendus, cum id tempus hæc excludat,tamquam importuna,sed orationes, & preces instantes pro morientis necessitate fundendas ad Dominum, & verba interserenda tam infirmum animam agitantem, quam circumastantes ædificantia, & ad pietatem ducentia; vt sæpe sanctissima Domini Cruci affixi imago ante morientis oculos, & os spectanda, osculisq; socianda apponeretur: vetabat fieri longos, subtilesque discursus, ceu infructuosos cibos huiusmodi infirmis; sed breues habendas esse, quasi iaculatorias orationes, & illas siue de Diuina spe, ac dilectione, siue de vitæ anteactæ pœnitudine, ac peccatorum detestatione, de fiducia Diuinæ pietatis, de sufferendis æquanimiter cunctis ægritudinibus,& illius potissimum agoniæ doloribus, diabolicis suggestionibus parui faciendis, seminandas: cum sint hæ tartareæ belluæ omni mendacio, atque dolo repletę;idcirco nunquam audiendæ, sed actutum detestandæ, & à corde, menteq; propellendæ infirmi. Inuocando sæpenumero Sanctissimum, Diuinissimumq; I E S V S nomen, quod Saluator interpretratur, & Beatissimæ Deiparæ MARIAE, suiq; Sancti protectoris. Et aliqua interserenda verba in fraternæ dilectionis signum, condonando nimirum cunctis quamlibet suscepisset ab eis offensam; & si cui ipse irrogauerit veniam libenter petat.

Obseruāda a nostris in moribūdi lectis pręcepta.

46 Aliqui curiose scire cupiunt, cur nimirum alij dum moriuntur diutius in agone perseuerant os torquentes, spumam per genas, totoq; vultu diffluentes, oculos hinc inde agitantes, & toto corpore se concutientes è pectore voces quasi mugitum emittunt, alii ex diuerso placide, serenoq; aspectu veluti non sentientes lethum è vita discedunt paucis adiectis supremis agitationibus,ac spiraminibus, hi tanquam agni, illi ceu flexuosi serpentes decedūt; vana siquidem est, & inepta existimanda huiusmodi peruestigatio; etenim promiscue venit mors, & vt loquitur Ecclesiastes vniuersa æque eueniunt iusto, & impio, bono, & malo,mundo,& immundo &c. & sicut æqua mors, ita pariter, & dolores, qui præcedunt interitum indiscriminatim capiunt iustos, & impios: & quemadmodum in morbos varios cadimus, ita pariter mortis agones fere morborum sortiuntur qualitates, aliæ vero ægrotationes cito interimunt, aliæ diutius nos angunt; nonnullæ paulatim vires carpunt;& sic veluti per extinctionem ægros interimunt, alij sane morbi vehementi impetu irruunt, & adeo conturbant humores, & sensus,vt non nisi his terrificis signis, & ostensionibus mortem inferant ægroto; vnde redarguendi sunt, qui sinistra ferunt iudicia super hos moribundos à morbo sæuiter vexatos; præsertim cū legamus etiam sanctissimos viros, quandoque in illo animæ secessu à corporis ergastulo signa dedisse terrorem inducentia, vt de Illuminatissimo Ioanne Taulerio eius vitæ narratio declarat;hæc enim interdum Clementissimus Dominus fieri permittit, vt sic nostra expurgentur crimina, & scoria nostrorum

de-

1607.

defectuum in igne. & quaſi per ignẽ harum afflictionum, quæ per varios, grauesque dolores patienter ſi ſuſtinentur, emundetur; reddaturque (vt ſic loquar) ad purum, dignaque anima ingredi in illam requiem conſtituatur. Illud certum eſt, optimumque pręſidium intente tum incumbere orationibus.

47 Hinc inſurgit alia, & noua difficultas, vtrum ne videant in illis extremis moribundi aliqua portenta, vel monſtra, vel infernales vultus, ſeu iucundos angelorum aſpectus. hoc item inutile eſt, & ſuperuacaneum inquirere, cũ in Diuino ſit ſeruatum beneplacito, quid ſit in illo lethi termino euenturum; planum eſt aliquando moribundos ante obitum extantes, tamen in limine mortis, mentis, & ſenſuum compotes vidiſſe, & audiſſe angelorum decorem, ac ſimphoniam, tentatores quoque dæmones, & interdum occurriſſe præſentibus Patribus; quorum duo adducam exempla, alia ſuis locis transferenda duxi.

An moribũdi portenta, ac monſtra ſpectent in limine mortis.

48 Virgo quædam Romana, cui nomen Dorothea in Vrſi vico (vt appellant) incolens quotidie Diui Petri Baſilicam petere conſueuerat, in cuius medio dextero nempe in latere introeuntibus, conſpicua eiuſdem Principis Apoſtolorum locata ſtatua ænea apparet, præſeferens grauem auctoritatem; ac venerationem parieti adiacens, extendens aliquantum dexteram manum, pedẽq;, quæ in actu ſtat benedicendi, vt Summus Pontifex, & Caput omnium Pontificũ, hãc à cunctis illuc concurrentibus poteſt cõmode oſculis amplecti; totus vero corporis ſitus ſedens quieſcit. Huc puella cum pergeret extemplo ad id præcurrebat ſimulacrum, & caput plantæ dexteri pedis ſubmittebat, eique figebat oſcula, huiuſmodi fundens preces, ſeu proteſtationes; Ego Dorothea conuoco in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Beatæque Virginis, ac Diui Petri, omnes creaturas, voſque ſpecialiter dæmones in teſtes, me velle in confeſſiõne Catholicæ fidei, quam nobis hic Beatiſſimus Petrus Caput omnium Apoſtolorum ex Dei mandato dereliquit, decedere, qua proteſtatione abſoluta, ſtatimatque Apoſtolorum Symbolum recitans, illinc proficiſcebatur, multis in ea deuotione annorum decurſibus perſeuerauit; tandem inſtante ipſius vitæ termino, viſus eſt ei ante oculos immundiſſimum ſpiritum adeſſe, qui virginis illius animam commaculare nitebatur, contra fidem orthodoxam, quam tandiu illibatam conſeruauerat; conſuetas, falſaſque ſeminando ſuggeſtiones, ac verba; cui illa reſpondit ſe iam per tot luſtra fidei confeſſionem edidiſſe coram Sanctiſſima Trinitate, & in præſentia Principis Apoſtolorum, in cuius ſignum ſub eius pedibus ceruicem humiliauerat, quid igitur à me vlterius ſæua beſtia exquiris? fidemque veram à me præripere contendis? Illius ſponſæ Chriſti dæmon vafer non valens ſuſtinere amplius conſpectum repente deluſus, victuſque à puella euanuit, qui ſub humana ſpecie apparuerat; Interea vocatus Pater Io. Baptiſta Contronibus Neapolitanos noſtræ Religionis Sacerdos profeſſus, in hoc munere commendationis animæ indefeſſus adhuc ſenio confectus ſecum omnium admiratione, diu, noctuque exercens, cubiculum ægræ ingreſſus eſt, quam ceu contendentem audiuerat cum alio ſibi aduerſante, quæ interrogata, retulit, cum iniquo hoſte habuiſſe verba; ſentiens Patris greſſus, vlterius non eſt viſus, Deo addidit Pater grates eſſe referendas, quæ te à dæmonum dolis immunem exemit, fiduciamque in Diuina bonitate habendam, ſubiunxit; itaque optime diſpoſita, munitaque Eccleſiaſticis Sacramentis, præſente præfato Patre, animã ſuo Creatori reddidit. Quæ tamdiu magnis honoribus, ac veneratione

Exemplum cuiuſdam virginis dæmonem in tranſitu ſpectantis.

1607.

petram illam profecutas fuerat, fupra qu i fundata ftat Dei Ecclefia, pio corde credendum eft, fingulari honore in cælos ipfam fuiffe introductam, eodem cælorum Clauiculario adiuuante.

49 Mihi quoque contigit dum officio commendationis animæ Bononiæ cuidam mulieri impenderem, à dæmone oppreffę, hæc affiduo turpibus, ac affiduis vifionibus infeftabatur, non per imaginationem, aut phantafmata, fed ab hofte veternofo fenfibiliter paffa eft, modo ei apparens fub vnius animantis, nempe lupi afpectu, feu canis, vel felis, fiue venenati ferpentis, vel fimilis monftri, ita vt opus erat irrequiete aqua luftrali, illa fugare, quæ monftra ab eadem muliere, perfecte mentis compote, indicabantur, digitoque defignabantur, vbi perfidus fe oftendebat, & fub qua forma; & adhibita luftrali limpha, ftatimatque abibat, Dominum enim credimus ea via, ac monftruofitate à proprijs delictis eam emundare voluiffe, quæ aliquandiu fcortorum abominandam fortem fecuta fuerat; fed poftmodum cum parente, per longam temporis moram, vitam duxit honeftam, in qua reperta eft in ægritudine, cũ hac itaque depreffione, & diuturna flagellatione fuorum pœnitens peccatorum, pluries Sacramentum fufcepit abfolutionis, Auguftiffimique Viatici, & fanctę Vnctionis; & demum fatis deuote diem extremum vitæ claufit.

De quadam muliere in extremis vana monftra intuente.

50 Perge redeamus ad caput, illud plerumque obferuatum eft, qui vitam protraxere laudabilem, & honeftam, etiam tranquille finiuiffe illam, & qui perturbate, & abfq; difciplina dies fuos confumpfere, in obitu fuo quidem fatis tremebundos, ac pauidos uifos effe deceffiffe, quia fecum trahunt priftinas paffiones, & deprauatos habitus. In his euentis Pater Camillus inftituerat nunquam difcedendum ab orationibus, & aliqua dicebat Dei uerba femenanda effe, quamuis appareat extra fenfus, & prorfus citra omnem fenfationem iacere infirmum, quia vtiles funt faltem circumftantibus, & dæmones infeftantes terrent diuina eloquia, ac Pfalmodiã. Vnde eadem mulier, quæ fupra à tenebrarũ rectore obfeffa, dum matutinas horas cum focio perfolueremus ipfa flebili uoce lamentabatur, hæc proferens, & replicans uerba, quare me reuerberatis, fermone loquens hetrufco fatis polito, cum ipfa alioqui fimplex effet muliercula, & præter naturales notas, & accentos nil fciuiffe. Camillus vero in his æqualibufq; euentibus plerumque repetebat Dulciffimum nomen IESVS, & Gloriofiffimæ Virginis Deiparę, & Sancti Angeli eiufdem Cuftodis tanto ardoris affectu, vt inflammaret quoque eorum, qui aderant, pectora, & orando poftulabat à Domino inenarrabili cordis gemitu, ne migraret è vita infirmus, quin perfecto fuorum peccatorum dolore pœniteret: & licet ipfe vteretur fimplicibus verbis, & communibus non aurem abftrufarum fententiarũ, & fimilitudinum oftentatione; attamen tanta cum efficacia, & deuotione, ac pietate ex illius ore prodibant, vt quilibet eum aufcultans ex animo cupiuiffet in eius præfentia, & cum ipfius affiftentia mittere fuum Creatori fpiritum, plurimum fidens in eius ignitis interceffionibus, & ita à plurimis non tantum vulgaribus perfonis defiderabatur, ac vocabatur in eo difcriminofo vitæ conflictu, atque adeo à primatibus perfonis eius afsiftentia in morte fuit inftanter perquifita.

Difplicet dęmoni admodum Diuinorum editio verborũ.

51 Hinc Illuftrifsima Domina Maria Mendozza plerumque fari confueuit, in deceffu fui coniugis tum famnitium Proregis aliam ei non remanfiffe in præcordi˜s, nifi tantundem memoriã obijffe Proregem eius coniugem afsiftente in tranfitu illius Patre Camillo, & quidem occafio non mediocris in-

ter-

terceſſerat huius lætitiæ; etenim quando ægrotauit Dominus Petrus Bazanus ipſius coniux adeo ardentia malignæ febris in eum inceſsit, vt ipſius omnino conturbauerit mentẽ, & in phernesim coniecerit; vnde iam dicta Dña ad P. Camillum direxit cum epiſtolis tabellarium, & miſſos, vt ſecum ad Proregẽ ducerent; qui tum Pater in oppido Sancti Boni diuerſabatur in eadem Prouincia, diſtante tamen ſpatio itineris integri diei à Theate; internuntio ait Camillus, iampridem huius Domini ægritudinis caſum præuideram; & ex templo iam prefatum Proregem adijt, quem in ſtatu ſuæ vitæ extremo, & delirantem adinuenit, quod magis lacrymabile fuit; quandoquidem pœnitentiæ Sacramentum non ſuſceperat; vnde Camillus ad ægroti cubile accelerãs magno mœrore captus eſt, miſerabili infirmi conditionem contuens; vnde lumina in Cœlum direxit pro illo ad Dominum feruentes effundens preces, ſupraque ægri caput dexteram extendit, res ſiquidem miræ conſolationis ad ſe ſe reuerſus eſt iam dictus Ill. Prorex, qui continuo confeſſus eſt, ac Sacratiſsimum Viaticum ſuſcepit; exinde in priſtinum phernesis ſtatum redijt, hinc intra quatuor, ſeu quinque dies in delirio perſeuerans mortem obijt, iugiter in eius cubiculo pro ipſius animæ ſalute Dominum obſecrante patre Camillo. Procul dubio vere amauit uirum ſuum hæc Ill. Domina quando ſtuduit ſeruum Dei Camillum in ſui coniugis infirmitate, & delirio aduocari, de Cœlo remedia, quærens, vtinam omnes in hoc eam imitentur mulieres coniugatæ.

Exemplum Ill. Matronę uocantis in deceſſu ſui cõiugis P. Camillum.

Lib. 3. c. 6. in medio.

52 Interdum annuebat Camillus, per ea, quæ oſtendebat quaſi inſpicere dum hoc munus commendationis animæ obiret, Benigniſſimum Chriſti vultum, ſuæq; Dulciſſimæ Matris, ac Virginis Mariæ, corumque Angelorum, & aliquando etiam infeſtiſsimos dæmones cernere, quos pijs orationibus, & aqua luſtrali, atque aliquot Pſal. verſiculis, alijſq; paucis Scripturæ ſacræ ſententijs confundebat, ac fugabat à moribundi præſentia. Rogatus aliquando Romæ ab Illuſtriſſimo Comite Fabritio Sorbolone ſibi admodum familiari, ac deuotione addicto, vt in auxilium cuiuſdam moribundi accurreret nomine Leonis Poſterlæ Mediolanenſis, vbi poſt recitatas Sacratiſsimæ Virginis Litanias, manus, & brachia aliquantum ſurſum erexit, eleuatam quaſi in eſtaſim detinens mentem; hinc ſe toto corpore euexit, quaſi cerneret morientem in grauia coniectam certamina, & à plurimis accuſatoribus, ac falſis teſtibus inſimulari; vnde in hæc verba vocem edidit Domine Leo, en adeſt ſuprema hora ex hoc fallaci diſcedendi ſæculo, omnem idcirco loca ſpem tuam in Domini miſeratione, qui pro tui ſalute è ſuo Sacratiſsimo Corpore totum effudit Sanguinem, & emiſſo cruore etiam aqua ab ſuo diuiniſſimo latere effluxit, vt te ſuperabundantiſſime, atque amantiſſime abſtergeret, ac reciperet in ſui gratiam; en quomodo cicatrices ſuas demonſtrat; en tibi ſacratiſsimum latus patenter oſtendit; ecce quomodo ſpinis redimitus inſpicitur, fortiter dimica, & in nullo huic fallaci draconi ſuccumbas: conuerſus deinde ad diabolum ait diſcede hinc ſatan, cum hac Dei creatura non eſt ibi pars aliqua (illum interea aqua luſtrali explodendo) ſi enim deliquit, aſſeuerabat, fragilitate, vt homo, peccauit, pœnituit tamen ſuorum facinorum, & Dominus ſua benignitate illi pepercit; vnde rurſus genibus procumbens protulit Litanias cunctis domi perſonis flexis poplitibus reſpõdentibus, ac pro moribundo Dominum deprecantibus, quibus abſolutis iterum conſolari cæpit morientem his dictis, age nunc Domine Leo, teq; animo

Lib. 3. c. 6 circa mediũ.

1607.

lætanter erige, fidenterq; perge,en Beatiſſima Virgo in tui tutamen deuolauit, en adeſt, eamque benigniſſimam inſpice, & Seraphicum Patrem Diuum Franciſcum genibus coram ea decliuem, qui pro tua exorat ſalute, en tota Cœlorum cohors ſimul pro te auxilium ab ea poſtulat, vt à filio veluti potẽtiſsima patrona coronam gloriæ immarceſcibilem nanciſcatur pro te dimicante in hoc extremo, & periculoſo conflictu: demum extollendo lumina Camillus Cœlum verſus profundiſſime faciem ſupra pauimentum actutum declinauit,quaſi aliquam maxime auctoritatis perſonã alijs inuiſibilem fuiſſet reueritus, interea feliciter æger expirauit; Camillus poſt parumper ſurrexit. & coram demortui conſpectu complicatas ſimul ſtringens manus, oculoſque item erga exanimatum corpus defixit, lætaque protulit, ò felix huius Domini ſpiritus, qui per manus Sanctiſsimæ Virginis tranſijt, iſtius modi verba adeo vxoris defuncti,& ceterorum affinium, ac familiarium pectora demulſerunt,vt potuere ſane extinguere cordis dolorem ob amiſsionẽ cari coniugis, & conſanguinei, piè arbitrãtes Diuina innixi bonitate, & per verba, quæ a P. Camillo perceperant, illam in Cœlos aſcendiſſe animam: eo magis ſunt confirmati, quoniam non antea Camillus hunc virum agnouerat, prænouerat tamẽ Beatiſſimam Virginem,Diuumq; Patrem Franciſcum habere patronos, vt confirmarunt poſtea aſtantes mulieres, affirmando quolibet die, Beatæ Virginis Officium paruum recitaſſe, atque iugiter cingulum Diui Franciſci præligatum tuliſſe ſupra lumbos. Inſuper quotidie per horæ interuallum in honorem, ac venerationem Deiparæ Virginis, ac Diui Franciſci genibus inclinatus mente orabat. Valde ſiquidem iuuat dum corporea ſalus nobis eſt Comes, bonis operibus comparare Beatiſſimæ Virginis, & Sancti alicuius patrocinium; vt in mortis momento; unde pendet æternitas, noſtras per eos, quamuis non dignas,ſua tamen benignitate Dominus IESVS exaudiat preces.

Refertur in vita P. Camilli prælo expreſſa lib. 3. c. 6.

Aliquando P Cam. viſus eſt quaſi Sanctos fuiſſe intuitum.

53

In oppido Buchlanici ſua patriæ viſum adijt quemdam nonagenarium, in extremo vitæ articulo, & in vltima decrepita conſtitutum: dum eius cubiculum ingrederetur Camillus huiuſmodi edidit verba; hic mala beſtia præſens cum auctoritate aſſiſtit, & indignans ſuper eam, ſimulatque vexillum imaginis Sanctiſſimi Cruciaffixi Domini, quod ſecum gerebat, extulit, aſſeuerans hinc exitura es, & priuſquam ad ægri cubile accederet, toties demum circũluſtrauit, reſumens ea verba hinc erumpe, mala beſtia, quoaduſque inimicus humani generis eam domum dereliquerit. Inde Camillus infirmo appropinquauit, quem ſicut annis obſitus adinuenit, ita inueteratus in peccatis; petiuit enim ab eo ſi iam fuiſſet confeſſus, minime reſpondit,neque quod fœdius eſt, confitendi propoſitum in eo aderat; idcirco quid mirum ſi in illa domo dæmon inhabitabat, quatuor dierum ſpatio defatigauit Camillus, vt ad pœnitudinem ſuorum facinorum induceret ſenem, & ad ſuſcipiendam Sacramẽtalem abſolutionem, tandem aliquando Deo miſerente, multumque inſudãte Camillo ſatis contrite confeſſus eſt, ſumptiſque alijs Sacramentis tempore obitus ſuſcipiendis deceſſit, miſericordiam implorando à Domino.

Cõfirmatur alio exẽplo præfata doctrina.

Loco citato paulo ſuperius.

54

In eodem Bucchlanici oppido dum ingrederetur domum cuiuſdem mulieris nomine Freſca, quæ filiam ætate ſeptem annorum grauiter ægrotantem in lecto detinebat, ſuauiſſimam odorum fragrantiam Camillus in eo cubiculo adeſſe perſenſit, vbi puella iacebat; quod reticere nequiuit, hæc ediſſerens, ò quem Paradiſi iucundum odorem hic ſentio; ex ea re occaſionem arri

puit

1607.

puit, perdeuotum texendi de cœlesti gloria, breuemque sermonem, quodã modo ostendens illi inuidere puellæ, quæ ipsi tempore præibat in gloriam. Nihilominus à parente rogatus est Camillus, vt suum pallium supra puellæ corpus deponeret, quod negauit asseuerans non oportere, quoniam puellula ire auebat in gloriam visum Saluatorẽ cum Virgine Matre, id credimus euenisse, quandoquidem intra biduum vita spoliata remansit.

Sensit in cubiculo cuiusdam puellæ suauem redolentiam.

55 Optabat P. Camillus à nostris, & pariter indicebat, vt post obitum cuiuscunque personæ, priusquam ab ea nostri discederent, recitarent coram defuncto ter Psal. Miserere, & intra id tempus ne tangeretur, neque occluderentur infirmi lumina, quamuis appareat mortuus, cum non raro contingat decipi in hoc mulieres festinantes, nondum exuta à corporis compagibus anima, infirmi oculos obserare, velleq; ipsum contrectare, & contegere mortuorum indumentis. Insuper inhibuit nolle fieri nostros, in eo exercitio, & articulo mortis diuinatores, & efficere supra moribundos prognosticon, lethi horam præfigendo, cum res sit incertissima, & eruditissimi quique ex medicina dum ausi sunt mortis horam infirmo definire decepti sunt, & eorum ars in hoc fallax visa est, & ludicra: hinc de semetipso P. Camillus referebat exemplum, quod sibi in sancti Spiritus Nosocomio contigerat, nimirum vna nocte cessisse e vita sex, vel septem in eodem Xenodochio moribundos, & dum vellet in omnium obitu se præsentem, & assistentem exhibere ab omnibus veluti deceptus est, nam absque illo omnes animam exhalarunt, & dum festinaret ire ad vnum, mortem interea obibat alter, & ita dum omnes vellet acquirere, hoc est omnibus interesse, omnes simul perdidit, in nullius scilicet morte (vt dictum est) præsens astitit. Itaque mane hoc factum narrare coram Patribus ad omnium institutionem perrexit, vt ne sibi fiderent, suæq; experientiæ, asserẽdo hac nocte, vel sub auroram, aut meridie, seu in occubitu Solis infirmi defecturam vitam, sed remedium tutum afferebat id, scilicet esse, patienter, & perseueranter coram ægro assistere orationibus. Quando ipse qui tot lustris in hoc munere intra Nosocomia, & extra se exercuerat diu, noctuque, tum vero ex septem moribundis, neque quidem vnum, se præsente, expirasse. Et re vera vsque adhuc obseruatum tenui, quosdam infirmos ex aliquot signis indicasse circa horam, vel minus velle expirare dantes extrema suspiria, multis nihilominus horis, & quandoque integros dies, ac noctes eodem in statu perseuerasse; alij vero e contra, loquntur, & per cubile se se vertunt, & erigunt, comedunt, aliasq; peragunt naturales functiones; attamen repente decedũt, & interdum assistentium oculos fallunt, ni cordatè assistant, & qui isti exercitio incumbit, testem adduco, num verum fatear. Sed antequam annus sequens nos capiat, quædam à Patre Camillo vni nostrorum Fratrum obtenta recolatur gratia.

Eodem lib. & cap. prope finem.

Sicut certa mors, ita incertissima est eius hora, & ideo assistentia suppleatur.

56 Frater Vincentius Falcus Neapolitanus eadem in vrbe, ardentissima febri captus, & àpostemate in brachio detinebatur in lecto adeo periculose, vt idem Phisicus obseruato illius pulsu, ob nimium fœtorem putridæ febris aceto digitos se abstersit, Pater vero Camillus securius deinde ipsiusmet ægroti pulsum tetigit subiungens, age Vincenti, bono animo esto; quandoquidem cito auspice diuino præsidio conualesces, ad ea verba non mediocriter gauisus est infirmus, sperans veram Patris Camilli futuram prædictionem, vt contigit; etenim mane repertus est cum ingenti eiusdem medicinæ Doctoris admiratione, ac stupore derelictus a febri, & apostema pene nullum sui reli-

1607.

querat vestigium; vnde prorsus ab vtroque, & febri, atque apostemate succedente mane posteri diei confirmatum supra iam dictum fratrem agnouerunt.

Sanitatis gratia à quodam ex nostris. meritis P.Cam. obtenta.
Lib. 3. c. 26.

Primo mēse extremi huius ingressus in Hospitiū SS. Nunciatæ nostri geminum, dignissimumque partum in eo peperere Domino: primum fuisse quemdam vltra montanum diu lapsum in hæresim, ad veram autem Religionem conuersus vitam terminauit pristinos detestando errores, susceptis tñ Ecclesię Sacramentis; alterum fuisse Turcam, qui multis olympiadibus perfidi Maumethi sectam erat consectatus, hic suscepta Christi Domini fide, & Augustissimo Viatico gloriose vicit Tartareum hostem, & moriendo fidelis mortem vitasse credimus. Recensui hæc bina exempla, quæ mihi fuere relata fortuito; dum eò adirem, quæue fideliter scribere pia curiositate adorsus sum viij. Kal. Decemb. 1640. Quandoquidem frequentes sunt inibi similes contingentes, sed felices euentus, qui singuli si attente vellent numerari librum citra mendacij maculam complerent, notanter si de his, qui in ipso extremo mortis agone ad pœnitentiæ lauacrum recurrunt, fieret sermo, nusquam deficeret; eò quoniam pene haud præterit dies, siue hebdomada, quin aliquis, vel quia respuit confiteri, ad digne suscipiendum absolutionis Sacramentum disponatur, & recipit, vel quia in præteritum indigne illud susceperat; iterum reintegrat confessiones, & pœnitet præteritorum facinorum, in hoc diuina operante misericordia, addito quoque Patrum labore, qui ægros operibus misericordiæ, & lepidis verbis, ac rationibus, ad sacram Confessionem disponunt, trahunt, ac præparant. Lege, quæ scripsi super hoc nuper in calce præcedentis anni. Quoque inspexi nostros ibi tanta ministrare pauperibus ægris festiuitate, vt non diceres in loco versari putidæ qualitatis, vt sunt Nosocomia, sed inter amenos, virentesq; hortos; itaut de ipsorum participans lætitia lætabundus illinc decessi: sed ad nouum annum reuocemus scripta.

57

1608.

Annus Domini 1608. Et Religionis 18. Nouus Generalis creatur, Et quæ in suo Regimine notabiliora acciderint referuntur, Inde pariter nonnulla recoluntur erga Patris Camilli humilitatem, & tollerantiam in aduersis.

1 PRincipio mensis Octobris Patrem Blasium Opertis Patria Syracusanum ad vsque mensem Martij fluentis anni sub titulo Vicarij Generalis totius Religionis rexisse gubernacula iam tẽpore Superiore relatum est. xiv. Kal. April. de more Romam conuocatis comitijs vniuersæ nostræ Religionis absque vllo strepitu, & voluntatum discrepantia electus est pręfectus Generalis, quæ dignitas, seu pondus, vel timenda sublimitas prima, & præcipua in nostro ordine: patres in hac electione bene opinati sunt fore, vt ab noui Generalis prudentia, & industria Religio in obseruantia Regularis disciplinæ non decideret; verum vt relicta à Patre nostro Camillo fuerat perseueraret, & in temporalibus reperiret plura subsidia, ac leuauima; quãdoquidem opus fuerat initio Religionis, quod semper difficillimum est, aggregari vna cum multa familia debitorum etiam cumulos; at quoniam id anno proxime elapso expositum est; iterum replicari frustaneum puto; quam summam, vtpote pecuniarum, & quæ temporalium præsidia rerum Romam transmiserit ab Vrbe Neapolis iam antea notatum est, & per temporum successiones ea iugiter auxilia illuc deportari continuauit; vnde non tantum eam domum satis prouisam omni re stabiliuit, atque adeo complura debitorum onera ab ipsamet semouit, & demum hac via imperturbatam gubernar studuit, iddem pariter Neapoli effecit, plurimis debitis illam domum exonerãdo. Itaque iuuare, in quo potuit Religionem non torpuit.

Creatur P. Blasius nouus Gen.

2 Interim in Nosocomio Sanctissimæ Annunciatæ Neapolis tametsi assidua cohabitatione non assisterent nostri, nihilominus iam nocturnas vigilias peragebant moribundis opitulando, & die visitationes, & caritatis opera quamplra (vt dictum est) obibant; Armarium item intra id Nosocomium continebant; vbi uaria, atque idonea instrumenta ad exequendam erga pauperes ægros pietatem claudebantur, hic modus ministrandi infirmis eo loco pene semestris perseuerauit; at Domini Xenodochij eiusdem Gubernatores; qui ad obeundum id munus primores vrbis Neapolis viri eliguntur, quęque dignitas ex nobilioribus Ciuitatis eiusdem æstimatur, & sane talis est propter amplitudinem, diuitias, iurisdictionem, exemptiones, atque præeminetias, aliaque priuilegia eiusdem Sanctissimę domus, de qua suo loco plura narraui: perpendentes inquam iam relati Domini Nosocomij Gubernatores; quantũ emolumenti tum spiritualis, cum etiam corporalis ægri amisissent, & quanta cum difficultate sæculares, & idonei presbyteri exquirerentur, vt in eo Sa-

Auctores, vt ædificaretur cellæ in Hospit. qui extitere.

cra-

in promotione Generalatus Patris Sanctij Cicatelli Romam Prouincialis Neapolitanæ Prouinciæ ad Generalia comitia conceſſit, vbi Conſultor Generalis creatus eſt, & comes præfati Generalis, quod munus per ſpatia ſex annorum ſatis laudabiliter percurrit, qua peracta adminiſtratione, Neapolim ſuam patriam redijt, vbi aliquot annorum decurſibus prope decemnio vitam vixit laborioſam impetitus à podagræ, atque chidagræ cruciatibus, qui ferme aſſiduo illum diuexabant, hoc morbo quoad uixit aſſociatus, quam patienter ſuſtinuit doloris vehementiam, ſpirituali lectione, oratione, & ſpecialiter Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione mitigans: enixus eſt mane quolibet diluculo aſſurgere, quamuis acriter cruciaretur à podagræ aculeis, & Sanctiſſimam Hoſtiam ſuper Altare Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Incruentum Deo Patri immolare. Demum ſæuiſſime agitatus ab ea decidit in lectum immobiliter, vbi per aliquot menſes decumbens, ac denique ſuſceptis Sacramentis animum efflauit: paulo ante Cœleſtis panis, hoc eſt Sanctiſſimi Viatici ſumptionē, deuotum ſuper illius veneratione, dignaq; ſuſceptione, ac reali Chriſti præſentia habuit ſermonem, præſentibus patribus, à quibus etiam veniam petiuit, ſi quem forte verbo, vel exemplo offendiſſet, obijt 1635. menſe Maij, anno poſt eius ingreſſum ad Religionem vndequadrageſimo.

De P. Iacobo Mancino.

6 PAtri Auguſtino ſucceſſit in officio Prouincialis Neapolis pater Iacobus Anellus Mancinus patria Neapolitanijs, ſacræ Theologiæ profeſſor; etiā ipſe per binas olympiades miro zelo, ac prudentia eamdem domum rexit, aliquanto amplius defatigauit, quam præfatus pater Auguſtinus, quia vires ei validiores ſuppetebant, memoratus enim pater cum eſſet ſenio confectus nō tamen corpus in otio demerſum ſeruauit, ſed admodum geſſit defatigatum. Etenim in auſcultandis fidelium Confeſſionibus aſſiduus fuit mane quolibet, poſt meridiem vero, per domos particulares viſebat infirmos; ſingulis diebus feſtiuis nimirum ſollemnibus, & Dominicis poſt prandium in noſtra Eccleſia Sanctę Marię Portę Cœli Neapolis ſermocinabatur, ſub veſperum autem, quam ſomni partem ab oculis demere poterat, in componendo conſumpſit; vnde valde vtile, ac commendabile volumen poſteritati reliquit pręlo exprǽſſum, quod inſcribitur practica viſitandi infirmos, in ea plura complectuntur, non tantum ipſiſmet ægris vtilia, verum Parochis, ac Sacerdotibus exhibentibus hoc munus; varij in ea practicabiles caſus conſcientiæ mira breuitate, ac claritate expoſiti, ac deciſi inſpiciuntur, & multa ad dignoſcendum infirmi ſtatum quando ſtat morti proximum intermittuntur, opus ſiquidem non modo perutile, verum valde pium; tandem, & honeſtis laboribus, & annis confertus, hoc lacrymabile reliquit ſæculum migrans in æternitatem Eccleſiaſticis ſuffultus Sacramentis anno 1634. extremis quadradeſimę diebus, nimirum die veneris Sancti; eius obitus quemadmodum magno detrimento, & iacturę illi domui fuit, ita omnes patres mœſtè tulere.

Scriptor libri caſus conſcientię.

7 Itaque principijs huius anni noſtri rurſus ingreſſi ſunt aſſidua cohabitatione in Sanctiſſimę Annunciatæ valetudinarium, non duodetriginta, vt antea demorabantur, neque cum tot oneribus, vt primo loco ſuſceperant, ſed maxima in parte adempta ſunt opera temporalia, & tantum duodecim incolunt, quibus

1608.

De quadam societate ægris ministrante in SS Annunciatę Hosp.

satis commode pro victu ac vestitu à præfatis Dñis subministratus est usus. Hic patres promiscue incolunt Sacerdotes, ac Fratres, siue ad Sacerdotium destinati, siue non, sibi distinctas, seu diuisas habentes à superioribus operationes, tum spirituales, cum etiamtemporales; quoniam super hoc antea satis, occupatã Lectoris detinui mentē, ibi spectari à cupiente plura queunt. Est itē in hoc Xenodochio, quædam Societas personarum, neque ex rudi uulgo, neque ex primoribus viris, sed ex populo honeste viuente, hæc cum sit ibi vnica, & sola non tantum diebus festiuis, ac dominicis pauperibus ægris opitulatur, plura exercitia caritatis obeundo, cibos nimirum intra os ingerendo grauioribus, aliquot cubilia sternendo; verum quædam munuscula, seu cibaria ad acuendum infirmi appetitum dispertit: quotidie enim ante prandium ipsorum sodaliū aliquot intersunt, vt dictis ægris modo, quo dictum est supra famulentur. Intra idem valetudinarium commodum detinent oratorium, vbi prius, seu post exhibitas pietatis opera vna clauduntur, & officia, atq; orationes, & similia suæ regulæ exercitia peragunt, proprium corpus flagellis duriter verberantes; insuper multoties iuxta Congregationis vires prandia, siue panes ad alendos derelictos in carceribus pauperes mira pietate intra cophinos ducunt. Et quidem mirabilis est horum pietate decorum hominum labor; quandoquidem non tantum quia quotidianus est; verum etiam quoniam parui pēdunt inter febrium periculosos fœtores ministrare: prudenter eo tempore, suarum domorum, & officinarum suspensis negotijs, operantur: nihilominus à Domino proteguntur; quandoquidem nemo quoad scio propter huiusmodi opus decessit, aut grauiter ægrotauit; maxime cum aliquando, nominatim tēporibus ingentium calorum, pestilentes eò concurrant febres, & numerosissimi ægri, non propterea dicti congregati, aut tepeant in aliquo, aut ab opere pietatis discedunt.

Opera pietatis eiusdē Congregat.

De P Io: Babtista Ansalono Messanensi.

HOC Anno Mense Decembri professus est die nempe Sanctissimę Cōceptionis Neapoli præter reliquos pater Ioannes Baptista Ansalonus, & Pater Franciscus Corradus, de hoc sequenti Tomo, si vitam largietur Deus dicam, prout nouero; ambo Mamertini natione, ambo in sæculo, & in Religione viri præclara virtute. Fuit itaq; memoratus pater Ioannes sanguinis nobilitate ex primatibus non tantum vrbis illius, verum Regni totius, educatus sub curis virtuosis à parentibus, & displinis, illum agnioui (vt dicitur) à teneris vnguiculis, nunquam dissolutum, nunquam ludentem cum cæteris pueris, nunquam cum alio familiariter conuersantem; præterquamquod cum altero aliquanto se maiore Germano Fratre, qui Scholas Reuerendorum Patrum Iesuitarū pariter adibant, modeste sicut in accessu, ita inprofectione à ludo litterario procedebant, itaut illum arbitratus fuisses puerum ætate, sed mente maturum senem, ac Religiosum. Extitit nobili intellectu: non plusquam latinas litteras in sæculo appræhenditcum aliquot ornamentis Rhetoricæ, & poesis, quia adhuc puer, sed in eis quamuis impubes mirifice profecit, suis coæuis antecellens, decimum sextum annum agens, vel circiter Religionem ingressus est Messanæ inde Neapolim venit, vbi sui nouitiatus biennium expleuit; modestiam, morumque moderantiam, & ampliorem, quam à sæculo traxerat

8

con-

1608.

conseruauit, humilitatem virtutum omnium fundamentum mirifice coluit, omnibus se subiciens, & quamuis nobilissimus extitisset, & in ea facultate, quam meminimus satis eruditus, tamen nunquam in eis iactabundus se prætulit, neque suam, vel disciplinam, vel progeniem cum alijs comparauit, sed humiliter, & prudenter quidquid erat, & sciuerat contexit. Toto tempore sui Tyrocinij infirmis in Nosocomijs Neapolis ministrauit mira modestia, & ardenti charitate, itaut laudaretur ab omnibus: cuncta sustinuit in nouitiatu, & mortificationes, & labores, & ægritudines, & Hospitalium putores, & vigilias æquanimiter; quamuis esset delicatæ complexionis; qui demum in decursu anni istius admissus est ad professionem (vt indicaui supra) & sicut arbores, quæ si rectè diriguntur à principio, rectitudinem consecrant quoadusq; in terra fixis radicibus stãt; immo potius, ac vehementius stabiliuntur; ita pater Ioannes magis, ac magis, post professionem quatuor votorum sollemnium emisã in virtutibus, quas duxerat in Religionem, & seruauerat nouitus, professus enituit. Per aliquot annorum curricula in Religione liberalibus disciplinis Neapoli operam nauauit, & mirificè in eis profecit, exinde Siciliam profectus est, vbi electus rexit Domum Caltagironis præfectus, postmodum ad Generale Capitulum delectus; hinc vna cum ceteris patribus capitularibus Romam contendit ad electionem Generalis, & consultorum; vbi strenue partibus fauit patris Francisci Pillizoni Mediolanensis viri integerrimi, & prudentis, in creatione Generalatus; sed demum aliter res euenere; etenim p. Sanctius Cicatelli Præfectus Generalis creatus est; ipse vero Genuã missus, inibi agnita est eius virtus, sufficiẽtiaq; quare præfectũ domi illius elegerunt, & multorum insuper decursu annorum confessiones audiuit sacrarum Monialium, sub cuius disciplina, & consilijs non parum eædem sacræ Virgines in regulari obseruantia creuerunt. Demum anno 1629. in præfectum domus nouitiatus Panormi promotus est, ad quem honorem, seu onus noluisset euehi; vnde à Domino auditus, & exauditus est, Genuæ Mense Aprilis anni memorati corporis vestem abiecit, & Diuina bonitate immortalem induisse arbitramur, receptis Ecclesiæ Sacramentis; puto, subijciens me saniori iudicio; & infallibili veritati, quæ noscit omnia, Sacerdotem illum propter suam omni tempore honestissimam conuersationem, & vixisse, & interijsse Virginitatis laurea ornatum. Dum superuixit præter alias virtutes se applicuit impense in casuum conscientiæ studijs, in quibus adeo profecit, vt ad eum continuo fluxu eruditione non mediocri viri accurrerent propriam, & aliorum conscientiam moderantes iuxta P. Ioannis Baptistæ consultationem.

Multa notãtur de præfato P. [illegible]

9

De P. Iacobo Seuerino.

ANno 1606. vna cum alijs Nouitijs receptus Messanę Neapolim venit P. Iacobus Seuerinus Messanensis, & illinc à P. Fundatore Genuam transmissus est; vbi habitum induit Religionis, potius vltrà Quadragesimum, quam citra ætatis suæ annum agebat. Prius quam ad habitum admitteretur extitit sacellanus ea in vrbe in arce, quam dicunt Saluatoris, quæ in ostio portus Messanæ se extendit, & curuat, illumque terminat à parte maris. Hic P. Iacobus nedum Sacramentales auscultabat Confessiones, verum & Sacrosanctum Missæ Sacrificium quotidie peragebat, atque cum magno Populi illius emolumento animæ sermones, & conciones habuit; quare naturalibus, ac

Theo-

1608.

Pietatis opera inibi obibat, quòd Hospitium licet primo loco ab eo receptum sit; attamen exinde secessere nostri, quod rursus nouus Generalis suscepit; prout pluries animaduersum est. Quæ enim patrauit Camillus post Generalis abdicationem intra Nosocomia superiori anno visum est, operę nunc pretium est, hoc decurrente anno, quæ sustinuerit mala, & aduersa videamus, inchoando ab intrinsecis. Animo notandum est, pluribus annorum decursibus, quinque gestasse in corpore suo infirmitates, quas ipse Dominicas misericordias appellare consueuit.

14 Prima fuit vlcus (de quo sæpe mentio facta est) in dextero crure, pene totam tibiam occupans, incipiens quippe supra pedis iuncturam, & ferme vsque ad caligę ligaturam se erigens, à lateribus vero suram etiam tangens, quod quidem mirabile visu apparuit cunctis, non tantum intuentibus, & medicantibus, atque adeo peritissimis Chirurgis, erat enim nimis profundum, & quædam foramina, ac paruos tumores cōplectens, & multorū capax filorum, q̄ librā quotidie maciei scatebat, sorbens filim, ac fasciam, & caligam, fluens vsq; ad calcem, quem assiduo ferebat madidum, natura sua accerrimi humoris, ac putridi videbatur; vnde quasi iugem ob dolorem inęqualiter passus mouebat coactus, hinc aliquantum claudicabat; ex eius ore hoc percepi, cum ad eum accederem, qui tum post medicamina crus fasciauerat, miraculosum pene est me superuiuere posse, adeo crudelis est plaga, & tantam scaturit purem quotidie, vsque ad libram, cum ego tantum cibi quasi non sumam. & cum putridæ naturæ esset vlcus, putorem tamen nullum efflabat, immo suauē olentiam, & ex muliere quadam Ianuensi, quæ vlceris ipsius fila, & fragmina telæ, ac fascias abluebat relatum accepimus, aquam vnde illa omnia purgauérat nullum emisisse grauem odorem, immo potius iucundum, quamuis aliquandiu ea limpha in pelui mansisset, linqueus tamen in fundo quandam veluti superficiem flaui coloris, forte ex vnguento, cum ipse nudis, albisq; filis, & vnguento basilico illud mederetur.

De forma vlceris P. Camilli.

Lib. 2. c. 15

15 Nec mirandum est, si adeo latè, & infestè se aperuit vlcus, cum motu Camillus irrequieto tibiam diuexasset, interdiu, & noctu, per tot itinera, ac toties lapides, trabesque in via offendisset cum graui plagæ læsione, nec tamē studuit medicorum curationi, aut quieti, vnde non mirum si graue augmentum susceperit, ac detrimentum; mirum est sane quomodo cum eo potuerit tot labores sustinere, immo quomodo tanto tempore superstitem in vita fuisset, id non equidem accidisse arbitror absque Dei summa prouidentia; vt infirmus nimirum infirmorum compateretur passiones, & angores, atque æger ægris ministraret, quando incolumes, & viribus potentes refugiunt applicare manus ad opera pietatis; atque adeo, vt ex hoc eius patientia, & caritas magis, magisque rutilaret, & demum ex viro ferme semiuiuo tot Dominus monstra per eum patraret, hinc in eo summa bonitas, & potentia renideret. Camilli plaga siquidem magna fuit apud omnes vrbes, quo properabat, veneratione, etenim certatim Nobilissimæ Matronæ honori habebant fila proprijs digitis ex candidissima, ac subtilissima tela conficere, atque parare; & proinde ex eis pure madidis aliquot posse obtinere felices estimabantur; ea in suis, & ceterorū parentum, atq; agnatorum vlceribus, & ægritudinibus adhibentes. Nedum dexteram tibiam adeo conturbatam gestauit (vt iam dictum est) verum; & sinistra in extrema cruris parte prope pedem alia affecta erat plaga, lata quantum manus se extendit, de qua longè, latèq; scribi posset, at eius

Nobilifs. Matronę certatim aucebāt fila adaptare applicanda P. C. plagæ.

1608.

descriptio, quasi ab acriori malo absorta reticetur.

16

Cum interesset Pater Camillus Theate, vlceris linamenta ab illius prouinciæ Viceregina, alijsque sibi æqualibus Dominis fiebant; Romæ vero (ne latè vaget oratio) à quibusdam quoq; Reuerendis plerumque Matribus Monasterij Turris Speculi parabantur; atque etiam à Domina Prudentia Diaz; Interdum autem non dedignabatur proprio labore, & manibus gaudenter illa conficere ex mundissima, & subtilissima tela, Excellentissima Domina Ducissa Sforza ob memoriam quā Patri nostro deferebat deuotionemq;. Camillus vero eam plagam sibi de cœlo missam affirmabat, vt se perpetuo, tamquam tenaci cathena deuinctum intelligeret in ministerio pauperum ægrotorum; vnde mos illi fuit, dum ipsius vlceris recordatio fiebat promerere, tāgēti plagæ locum, Deus Opt. Max. hoc vlcere mediante, in Ecclesia sua sibi complacuit hanc nouam, pro infirmorum adiutorio, erigere Religionem. Sed tempus est, vt ad secundam (vt ipse appellabat) misericordiam deueniamus, hoc est ægritudinem; & si paulo minorem supradicta tempore extitisse cognouimus, non tamen cruciatu, causam vero iucundiorem incurrendi illam, quia etiam si vlcus ipsum traxerit ad hospitale, hæc vero dum in ministerio implicaretur ægrotorum eam adeptus est, illa necessario ipsum impulit ad Xenodochium, istam vero voluntarie munera pietatis exhibendo, & se Domino sacrificando in ministerio suorum pauperum amantissime suscepit.

Excellētiss. Ducissa Sforza suis manibus liniméta plagæ Camilli parauit.

17

Dum enim Camillus laicus æconomi, seu Domi Magistri Romæ in Nosocomio Sancti Iacobi Incurabilium officium obiret, ob assiduas defatigationes, & vigilias, nocturnasque somni interruptiones, vt ægris presto esset, cæterasque corporis afflictationes, intestinum visicæ proximum sibi crepuit; adeo ut oportuerit formato ferreo cingulo, illud incessāter supra carnem deferre, & quamuis ab vlcere in tibia quasi à compede cruciaretur, atrocē modo zonam ferreā sentit, p̄ter morbi ipsius pęnam; ex hoc itaq; circulo ferreo, & ipsa rima, seu scissura intestinorum, duplicem passus est cruciatum, qualem ipse interdum reticere nequiens affirmabat, credi à nemine posse quantam hic morbus pœnam, & molestiam infestat, nisi qui experitur, ipse verò eam reddidit grauiorem, nimiumq; adauxit, puta assiduis laboribus, & excubijs intra Hospitale exhibitis, & extra; adde aduersam, & praue olentem Nosocomij auram; quam ferream laminam, ita gestauit incommode, vt ēt pellem excoriauerit, & plurimum dolorem induxerit, quod data opera Camillus effecit, vt maior inde sibi porrigeretur doloris occasio, hanc quoque asserebat de Cœlo accepisse ægritudinem, & ferreum, crassumque cingulum ducendo, dignosceretur, se veluti pauperum ægrotorum futurum esse mancipium, & nullo tempore ab eorum ministerio emancipatum iri. Quo cruciatu per aliquot lustra aggrauatus est, donec è vita decesserit, quippe à 27. ætatis suæ anno, vsque ad 65. quando functus est; itaque secundo anno in eum hæc infirmitas ingruit, post ipsius scilicet ad Dominum conuersionem; vnde in similitudinem illius languidi probaticæ piscinæ à Domino sanitati iam restituti, triginta, & octo annos accinctus circa lumbos eam crucem, seu ferreum cinctum nimio dolore portauit. Propter hanc intestini scissuram, seu rupturam, & vlcus in tibia remanet Camillus à lumbis deorsum vehementer læsus; sed num in hoc conquieuit eius cruciatus nequaquam, verum etiā in planta pedis tortus est aliquot callis, quæ est tertia, sic ab eo celebrata Diuina misericordia.

De cingulo ferreo, quod assiduū gessit propter fracturā in inguine.

Adorsi

18 Adorſi ſunt Camillum in pedibus duo magni, & vetuſti calli, qui ſuperaddito tibiæ dolore vehementisſimè illum cruciabant, adeo ut non poſſet omnino multoties incedere, quia ſibi videbatur duobus clauis in pedibus tranſuerberatus, nonnunquam ægerrime gradiebatur, & tum quaſi ſupra viam ſentibus, & æneis aculeis conſperſam pedes ponere tremens cogebatur, & quoties tunc paſſus dimouebat, quaſi vacillantes, toties ab acutisſimis ſtimulabatur ictibus, quam non modico tempore ægritudinem, ſed quinque luſtris ſuſtinuit gratabundus, nimirum in ea contemplans amariſsimos ſui Domini in pedibus cruciatus, & clauo confosſis: itidem contemplabatur, ſe non fixurum in hac vita, & ſupra hanc tellurem deſideria, non valens in ea firmare plantas, verum in æternis erigere cogitatus manſionibus oportere, & humus, quæ peſſundatur, ſi adeo illum extorquebat, minime eſſe diligendam, vnde maiori cupidine ſe direxit, & mente eleuauit ad ſempiterna complexandum, imaq; flocci pendenda; hinc facillimum mihi eſt vobis perſuadere in ſuis itineribus quam ſenſiſſet doloris vim; etenim plerumque à ſella equitando diſcedere coarctabatur, & euulſa ferrea, ſeu lignea ſtapia, eius loco ſudariola, vel lintea fragmenta accomodare: vt aliquanto pedem firmaret, ſuperadiecto linteolo ſtupa, vel fœno appoſito, & ita q̃uis non ſine dolore, paulo quietius tñ pedes ſiſtebant. Dominus enim Camillo læſis ceteris corporeis partibus manus dereliquit integras, & inoffenſas, vt eis iugiter indefeſſo calle in pauperum emolumentis vteretur; nunc ad quartam tranſitus mihi faciendus eſt ipſius ægritudinem, ſeu potius (vt ipſe dicebat) Cœleſtem miſerationem.

Pœna tertia ſunt calli pedibus hærētes.

19 Sciendum eſt porro dum Neapoli Domi noſtræ Pater Camillus incoleret, in cubiculo morabatur ex humidioribus, & frigidioribus Domi, ipſe vero ad ſenectutem decurrerat, & multis, vt ſupra viſum eſt, ægritudinibus depreſſus, poſitis ſuis item pœnitentiæ, & operum pietatis exercitijs; vnde in aliam periculoſiorem, & atrociorem valetudinem impegit, nempe calcularem, adeo in ipſum ſæuiter inceſſit; quod ſi per aliquot paucas horas, vt phyſicus protulit amplius eum afflixiſſet, proculdubio interceptus ex eo morbo cecidiſſet, cubiculum tamen, & lectum ob morbi violentiam circumibat, corpus præ nimio dolore contorquens, & animus valde mœrens, cumq; nequirent calculi exire, frigidi tamen ſudores ex eius vultu ſtillabant, quam ea vice ſpatio decem, & octo dierum pertulit ægritudinem, & quid inter tot dolores, & vitæ diſcrimina eius pandebat os? nil ſane præter hæc dicta, ò pauperes ægri in Noſocomio, quomodo tot dolores ſuſtinetis, carentes auxilijs, quæ mihi ſuppetunt? & quomodo vitam ducitis aiebat, inter Xenodochia, tot ægritudinibus, tot febribus, ac plagis circumalligati? ò viſcera caritatis, ò mater miſerationis, Camilli vita horis dimetiebatur paucis, & ipſe propriç oblitus vitç, ceterorum çgrotantiũ commiſereſcebat; eiecit demum calculum Diuino adiutorio, quaſi oliuç os, ſeu ſemen, & viciſſim per temporum interualla ſimiles lapillos expurgauit maximo cum ſui cruciatu; ita ut oportuerit etiam aliquando inſtrumento ferreo à virga magna vi, & ſanguinis effuſione extrahi, quam profecto çgritudinem bina pertulit olympiade; ex hac afflictione, & grauisſimo, ac periculoſiſsimo morbo illud per ſe retulit documentum, tamquam à Domino edoctum, oportere nimirum ſe paratum eſſe, abſq; vlla ſenſibili oblectatione, etiam ſpiritali omnium Creatori inſeruire, & per amariſſimas Sacratisſimç Pasſionis ſemitas incedere, hinc aiebat tum verç dilectionis Diuinç iudicium eſſe; cum anima extra ſpiritales delectationes, immo

De morbo calculari, quā paſſus eſt Camillus

cum

1608.

cum ariditate ardentius bonum operatur; & vehementius Deum diligere conatur, & proximum.

Vltima, & quinta miseratio Diuina (vt ipse dicebat) seu ęgritudo, quę Camillum extremis vitę suæ annis depręhendit, ciborum quædam extitit nausea adeo corporis temperiem vltimis temporibus eius senectutis perturbauit, & stomachum indignata est, vt omnem escam prorsus abhorreret, hæc infirmitas quamquam magni facienda erat, tamquam ipsum ad interitum trahens, veluti non multo postea intercesſit, nihilominus quoad potuit Camillus eam contexit, ne in manus medicorum ſcilicet incideret, vnde fieret, vt multa illi pœnitentiæ, & operum pietatis inhiberentur exercitia; quapropter secum occultam patienter tulit tamdiu, donec aliter agere non valens, illam manifestauit, decumbens in lecto, hæc quidem infirmitas de ipso triumphauit, vel potius, ea mediante, Camillus de hoc mundo triumphator emicuit, mortalem hanc abiciens vitam; quæ valetudo ipsum duobus cum dimidio annis comitata est, adeo sæuum in eo patiens effectum, vt triplicem pœnam in ipsum induceret. Primam antequam comederet, tum poterat cum Iob exclamare priusquam comedam suspiro, tantum quidem horroris sola cibi recordatio in illum inferre potens erat. Secunda extitit in ipsomet sumendi actu escam, quam profecto carpebat, magnam sibi vim faciens. Tertiã perferens fuit non vulgaris amaror, dum sane, quod magno horrore, & natura aduersante, ac repugnante susceperat, & non modica violentia in ventriculum demiserat, protinus alio, & nouo mœrore, cum totius corporis afflictione euomere arctabatur, quam profecto non solum patientissime tulit ægritudinem, verum & gratanter, intelligens iam diem nouissimum suorum propinquare laborum; vnde plerumque seipsum inter hanc ciborum inappetentiam repræhendebat, asserens, non ne tibi Camille complacuit, quando suauiter escam gustasti, modo sustine patienter, & libenter, atque adeo etiam cum dolore, sume cibos tibi oblatos, & confide has amaritudines suauissimas reddituras; hinc etiam non sine Dei prouidentia hoc contigisse sibi persuasit, vt nimirum spreto omninò sæcularium rerum, & mundi sapore, ad illum cœlestium deliciarum totis visceribus mentem dirigeret, at quoniam de hac eius suprema ægritudine facienda est iterum recordatio, quando nempe ipsius felicis interitus meminero, idcirco. quæ nunc posita legistis, satis esse noscite. Illud certum habeto, amplius operatum fuisse Patrem Camillum his aggrauatus dolorum voluminibus; quam antea, vt posset cum Apostolo proferre sententiam, Cum Infirmor tunc fortior sum; & ceu adolescens incæpit feruentius virtutum exercitia colere; assolent enim pecudes declinante die festinantius, & auidius herbas ore carpere, quia superuenturam vident noctem, atque etiam id à natura didicit Camillus, bonis operibus propinquante nocte sui obitus latius pinguescere.

De quinta valetudine, quæ fuit inappetentia.

2. Cor. 12.

20

Sed perge ad alias non minus molestas afflictiones decurrat oratio, & quo magis intrinsecas, & spirituales, eo intensiores sunt, & acriores; etenim inter triticum electum sæpius zizania germinat, ipsi fromento nimirum aduersa; Camillus enim cum esset bonus pastor, & agricola à Deo electus, nouis herbis indesinẽter se se opposuit vt euelleret, vel se in bonam segetem conuerterent, lupos item contra pugnauit, vnde vel mutando pellem, & mores, oues euaderent, vel cum eo nusquam pacis fœdera inirent, in hoc quidem graues ærumnas, tribulationem, & bellum suscepit, ac sustinuit, etiam laicus, quando

21

Suscipit spirituale bellum aduersus indisciplinatos.

viuen-

1608.

viuendi ratione mutata Deo Opt. Max. inseruire studuit, & post erectam Congregationem, ac Religionem; quare non tantum dissonantia verba, verum, & actiones peiores tolerauit, quales adamantinum etiā pectus penetrassent, Camillus verò in via Dei nouus miles, & pene inermis aduersus infectissimos in persequendo hostes dimicans victor euasit patientia.

22 Adhuc enim Laicus principio quippè suæ ad Dominum conuersionis anno siquidem 1582. sufferendo vicit, quando nimirum quinque socios intra Nosocomium Sancti Iacobi Incurabilium collegit, at errantes postmodum vero contuitus est, ipse tunc nullis suffultus humanis præsidijs; immo potius in eodem Xenodochio omne suum constitutum aderat adiutorium, siuè (liceat sic loqui) patrimonium; dura siquidem tolerauit; ibi enim contra se, vt expugnaretur, totum Xenodochium, & infernus mala suggerens impetijt, quandoquidem Domini Xenodochij non tantū impediere, ne simul vnirentur, verum sub grauissimis interminationibus inhibuere, ne post hac vna conuenirent, oratorium destruentes, quod formauerant (vt dictum est suo loco) Camillus, & Socij, q̃ aquarum aggregationem, seu innundationem forti animo, superantes, neq; desistere ab opere incępto, neque elanguit eam: neq; vindicem Deum, neq; homines obtestatus est, sed deuicta diabolica calumnia ex hoc viam adinuenit suum cordis propositum sectandi. Fuit nè minor ille contrarius euentus, quando in Ecclesia Diuæ Mariæ Miraculorum propter infestissimam aeris regionem grauissimè ægrotauit Camillus, & Curtius; quis crederet, vel suspicaretur post longas ægritudines fore, vt rursus vna copularentur, & tamen non tantum simul conuenere, verum adinuento pio homine omninò sibi ignoto Cisalpino habitationem magis idoneam suis sumptibus eis locauit; & quid illa afflictione grauius, quando absque vllo adminiculo demorans in officinis obscuris Camillus, & nequiens absque pontificia auctoritate eam viuendi rationem tenere, adinuenit Eminentissimum Cardinalem Montem Realem, & Sanctissimum Pontificem Sixtum V. addijt; quare incredibili facilitate duas assequutus est ab eo facultates, vnam approbationis Congregationis, & alteram deferendæ Crucis: vt hæc supergrederetur aduersa, & vinceret difficultates, non sine nimio animi effecit merore, patientia, & longa oratione, atq; motificatione.

Eluctetur multas difficultates.

23 Ante Apostolicarum Litterarum adeptionem quantas pertransierit difficultates, & ærumnas incredibile est, sed quoniam de his, in superioribus abunde supra, proprijsq; annis narraui, idcirco noua quærere, vel eadem replicare deuitandum puto, sed aliqua quando occasio poscit recordari non dedecere iudicabitis; In Religione item magna, & ardua sustinuit tam ante, tum verò post Generalatus abdicationem, qualis autem ingruit tribulationum impetus inter primam scilicet Bullam Pontificiam, & alteram, quando penè totam habuit Religionem multis temporibus sibi aduersantem, vbi plurimum laborauit, & lacrymatus est Camillus, donec per Clementinam, se, & suos intra Nosocomia per assiduam habitationem, infirmis ministrare induxerit, quæ lis post Bullæ huius secundæ emanationem sedatą resedit, non sinè tamen Camilli maximis afflictionibus, & pœnitentijs, ordinationes vero, & obligatio ministrandi in Xenodochijs à volente poterunt in ea legi, & consideratione pensari.

Exuperat alias difficultates erga domicilium intra Hospitia.

24 Inter hæc tempora aliqui Regularis Obseruantiæ minus dilectores, Camilli iugum rectè paternum ferre recusantes operati sunt per Apostolicam

1608.

Visitatio Apostolica erga gesta, & regimen P. Camillus.

visitationem examinari Religionem, circa modos gubernandi, & gesta Patris Camilli, huius visitæ finis in id terminos clausit; Patrem Camillum fuisse ordinationum, constitutionum Religionis exactè executorem, qui per eadem itinera nitebatur, & arctabat suos incedere, nil aliud illi Reuerendissimi Prælati Visitatores reperere: post hac manentes Admodũ Patris Camilli, & multorum ex nostris beneuoli, ac studiosi; vndè ea visitatio non in aliquod indignum factum, vel dictum Patris Camilli redundauit, sed in eius eximiã Gloriam; & Calumniatores (vt fas erat) delusi, ac deiecti sunt; & Regimen Patris claruit apprime commendatum, attamen ipse neminem horum calumniantium, siue læsit, siue contristauit, neque se infensum contra ipsos, vnquam ostendit, & si qui erant in dignitate constituti, non eos pro tunc à loco suo detruebauit, tolerans, & cuncta suscipiens à manu Dei. Sed magis indiuidua tangamus eius sufferentiam designantia.

Læsus non lædit.

25

Suffert fluxum liquẽtis Ceræ supra caput.

Venerat Pater Camillus ab Xenodochio Rhedarum, succedebat autem Dies Dominicus, hora vero mediæ noctis instabat proximè; sibi fieri iussit in capite Coronam, vt mos est gestari à Sacerdotibus; Frater autem Ioannes Antonius Mutio Ceream Candelam manu regens lumen præstabat, qui defatigatus stabat semidormiens, vnde incomposite cereum detinebat; hinc non modicam liquentis Ceræ ignitæ massam à Candela cadentem in caput Patris Camilli se se infudisse, nil interim Camillus, gaudens protulit, quoad vsque expleto labore, & perfecta barbæ tonsione, atque corona, non conturbatus, nec mœstus, tunc simplicem appellauit dictum Fratrem Mutium; adeò cũ pilis, & cute flagrans Cera, conglutinata stetit; vt non nisi post multos dies à dolore, & sorde se exemerit putabat enim Camillus patiẽdi cupiditate captus, esse conuenientius supra sui verticem liquentem Ceram dilabi, quam supra tellurem, & meritò, quandoquidem si supra pauementum decidisset, merito illo, exercitioq; patientiæ caruisset. Cũ verò casu corruisset, seu tibibiam læsam lapsus exacerbasset, quamuis graue damnum incurrisset, ac memorabile, cito se erigens Dominum benedicebat, & gratias agebat, nil esse subiungens, ne ceteri adstantes ex sui pœna, pœnam aliquantam sustinerent, indeque actutum proficiscebatur.

26

Minas non leues sustinuit.

In verbis verò ignominiosis, & minis, ceu scopulus inter vndas Camillus perstitit immobilis, adimplens Apostol. verba caritas omnia suffert; In Xenodochijs sæpe improperijs impetitus est, varias ob rationes, seu quia vitia aliquorum non sustinens eos libere redarguebat, vel quia pauperes cum vexarentur, protegebat, seu quia ardentius quam ministri cuperent necessaria in subsidium ægrotorum postulabat, vel quia famulis, seu reliquis altioris ordinis ministris displicebat Camilli præsentia, & vigilans oculus, seu alijs de caussis, qua propter ei significatum est aliquando, vt ab Nosocomio abscenderet, secus ictũ per fenestram deiecissent, & quodam in loco ob eũdem suum zelum à quibusdam peruersa mẽte hominibus audiuit, hac in vrbe Pater Camille scopli roboant; his inanibus, & similibus insanis dictis, non stulte, sed eloquenter responsa referebat, nimirum modeste tacens, & æquo animo sufferens.

27

Romæ in Sancti Spiritus Nosocomio patientiam ostendendi Camillo fetalis obtulit occasio, etenim in quemdam rusticum hominem, & infirmum impegit, qui suum cogitatum nullatenus, nec verbo, nec nutibus sciebat exprimere, neue quid vellet aliquo modo significare, & quo amplius loquebatur,

eo

eo magis se suo sermone inuoluebat, vndè Camillus eius verborum capere nequiens sensum, nec per se, nec per interiectos interpetres, res multas coram ipso apposuit, fortasse ex illis aliquam deligeret, quam auebat, sed rudis æger, & rusticus amariori animo factus, aduersus Camillum iracundè oblocutus est, ipsum ab se depellens, quasi ignauus percipere non sciret; sed patienter non ad verba indignatis Camillus attendebat, at vero ad eorum intelligentiam, quæ diceret, & cuperet infirmus, vt ei complaceret, vndè tandem aliquando post longum laborem, & industriam cognita re, quam auebat, è vestigio illi prorsus fecit satis, ac demum in discessu, quia protinus eius sensum, & voluntatem non compræhenderat veniam postulauit.

Quo P. Camillus studio rudi ægroto complacet.

28 In Oppido Bucchlanici Camilli Patria, cum requisitus, eò Religionis nostræ fundatum iuisset, & quodam in loco idonea, & satis commoda ei fuisset constituta habitatio, inde oportuit transferre domicilium in alias ædes penè dirutas, & ineptas, vbi diù antea nemo incoluerat, occasio quidem discedendi ab ea domo indè exorta est; quoniam incolæ, ob aliquot ciuilia iurgia, suggerente Dæmone, nobis se se opposuere, vnde aliqui secuti sunt partes, repugnando Religionem eo in situ domum ædificare, pars altera cõtra nos inibi consistere diffidebat. Demũ cum hæc fauorabilis sententia à debiliorum hominum defensa fuisset, suçubuit, vicit vero altera, hinc oportuit Camillũ, & suos inde discedere, & ad illas iam relatas valde sinistras proficisci habitationes; neq; enim indignationem hæc gens frçnauit, sed multum, ac varium fabricæ apparatum, vt lapides, calcem, & simile abstulere, sub prætestu illic statuisse monialium clausuram erigere, ac nouiter construere. Camillus verò cauens, ne illud Apostoli incurreret, dum ait; sol non occidat super iracundiam vestram, iræ locũ dedit; mira consuetudine, ac modestia illos placare dulci sermone, & optimis factis studuit, & ita à suis fieri præcepit, ipsis intus Ecclesias, & per Plateas verbum Dei sermocinans, ac sacrum Missæ celebrans, & in quo poterat infirmis, ac sanis subseruiens, cum omnibus indifferens, & sereno uultu tractans, ac si nil præteritorum occurrisset, quamuis multos illorum potuisset, & ei licuisset coarguere, sed patientia eos superare contendit, se superans, suos etiam patientia armauit, nè quemquam turbata fronte loquerentur, sed placide, ac de omnibus bene proferrent, ut Dei seruos decet; adeò ualuit hæc tollerantia, & æquanimitas Camilli; ut si qui antea ceù lupi ululauerant, ueluti mites agni se reddidere, non solum nostris in fabricæ constructione pecunijs auxiliãtes, eisq; concedentes quidquid petierũt, uerum proprio labore opitulatores sunt effecti, necessaria suis manibus, & scapulis, hoc est cœmenta ad constructores deportantes, optima sanè, & inexpugnabilis armatura, plusq̃ quoduis humanæ fortitudines robur, est patientia.

Deturbatur ab extruenda Domo & fert patienter.

Modestia sua rudes homines P. Camillus vincit.

29 Immò cum etiã aliqui Religiosi, quos iustis de causis memorare relinquo, in hoc se contrarij manifeste ostenderent, (quorum oppositio difficilliùs negotium facessit,) nihilominus ipse Camillus, & sui, cum his etiam semper prudenti quadam dexteritate tractarunt, eadem via ipsos deuincere nitẽtes, qua alios patientia, & beneficijs sedauerant; Immò Pater Bucchlanico discedens suis Religionis iussit, quasi prænoscens quid futurum occurreret, ut eos omni officio, ac beneficio prosequerentur, hinc aliquanto post omnes hi fermè Religiosi ægrotarunt; memores autem nostri præcepti serui Dei Camilli omnem operã pietatis erga illos impenderunt, non tantum manu eis ministrantes, uerum, & Gallinas, ac alias refectiones domo nostra ad illos detulerunt, qui de-

stituti

1608.

Quommodo p. Camillus, & sui beneficientia obtrectatores deuincunt.

ftituti prorsus adiumento carebant, adeò nostrorum iuuamina profecere, ut conualescerent, hinc iterum in illa loca properante Patre Camillo, ijdemmet Religiosi ad eius pedes procumbentes veniam postularũt, de his, quæ aduersus nostram Religionem profari ausi fuerant, eam fabricæ erectionem præpediendo, apperte fatentes, Pater Camille hæc vestra Religio certè Angelorum Dei potius nuncupari debere, quam mortalium hominum, quando vestri Religiosi tot viuæ Caritatis operibus nostram ignorantiam, atque imprudentiam deuicerunt, congerentes super capita nostra quasi carbones ignitos, quibus inscitiam, qua tenebamur conflagrarunt; his medijs, ad obtinendum desideria sui cordis, vsus est Camillus, eadem arma à suis etiam Religiosis, voluit adhiberi: de aduersarijs patientia, & beneficentia triumphans.

30

Sed multa in Religione post Generalis abdicationem tolerauit ex aliquot licet paucis Religiosis indisciplinatæ conuersationis (cum impossibile sit inter munda tritica zinzaniorũ non surgere molestiam) hi inquam eius animum acrius transuerberarunt, intentiusque, aduersus illos decet profari Isaiæ documentum, filios enutriui, & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me; & animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt; profectò eius sanam, directanque mentem, zelumque minimè intelligentes, & proindè in executione operis calcitrarũt, dum Pater in munere generalis resedit: modo quidem spectantes seruum Dei onere, & authoritate officij vacuum, maiori peruicacia eius paternis documentis, & correptionibus obstitere; quare contuens illorum aliquem ab regulari obseruantia, & famulatu pauperum ægrotantium discedentẽ modestè, tanquam Pater nostrorum omnium vniuersalis arguere, operatus est, at correptus non persistebat recipiendo, (vt fas erat) filialiter correptionem: verum non secus ac ferus equus directori inobediens, resiliebat; hinc terga vertens inmodesto vultu, & quasi minacibus oculis præteribat; aut stando, peiora patrabat, maioris impudentiæ verba fundendo talia, Pater Camille reminiscere, te non esse amplius generalẽ, & bene ageres, si tibi metipsi consuleres, neque nos tua indigemus redargutione; sed tuis inspicè factis, his dictis mussitans proficiscebatur, huiuscemodi verba, haud conuenientia, non semel, sed pluries suscepit, istorum pars illud puerorum, Eliseum spernendo, senserunt, quando vel ipsi verè fabula fuere in Cõgregatione ob suos indisciplinatos mores. Licèt ab aliquot regularis disciplinæ non amatoribus, Camillus impudentiam ferret libenter pro maiori patientiæ augumento; attamen cum merore istorum sustinuit indirectos virtutis, & obedientiæ calles, quippè inspectans animæ detrimentum.

Cũ suis magis offendit sufferentiã.

31

Veruntamen quemadmodum in uirtute sunt aliqui caput, duces, seù magistri docentes opere, & doctrina, ità è regione non desunt, qui uerbo, & exemplo dextruere nituntur, quod probi astruere chonati fuerant; horum omnium auctor, malorumque seminator surrexit quidam nomine Religiosus, & habitu, re, & uirtute uacuus, plenus tamen ambitione, edax, minus honestus, qui studuit quorundam in expertorum adolecentum ad se trahere fauorem, seù uoluntatem, hos aduersus Dei seruum irritando. seque apud eos extollendo; his armis instruere bellum aduersus Patrem nostrum non erubuit; sed ipse quoque sicut eius membra miserabiliter diù uixit, & functus est extra Relig. quamuis autem aliquando uisus sit prospero flatu adnauigare, qui sanè illum ad certam deduxit mersionem, sensitque profectò, quod enunciat Ps. deicisti eos, dum eleuarentur: seruus

autem

autem Dei Camillus illius tribulationis maximos impetus non reſiſtendo ſuperauit, ſed humiliter perferendo, exitum à Domino præſtolando: quod verum ipſe minimè operatus eſt vendicando, dum facile, commodeque poterat virga ſuæ auctoritatis, & muneris; ſenſit autem citò ille ſons vindex, iuſtumque Dei flagellum extra decedens Congregationem inter vincula; & ſi ipſius ſequaces de Camillo obtrectati ſunt male, iſte quidem peiora, & fecit, & dixit, calumniando quoque ſeruum Dei poſt eius decubitum; quando penes ſuperiores enixus eſt tollere pietatis ſtudium populi venerantis inhumatum corpus, vt citò nempe ſepeliretur; attamen ſerui Dei pietatem non velauit, ſed magis reuelauit, quando magna veneratione proſecuta eſt innumera gens cadauer; ſed vſque huc, ſatis pro modeſtia me duxiſſe credo, vt vos ſcire, ac iudicare poteſtis.

32 Nunc de illius humilitate, quæ altera cos eſt, qua Chriſtiana perfectio acuitur ſermo ſubtexitur. Quamuis enim Pater Camillus totius noſtræ Religionis Fundator, ac Moderator extitiſſet, & diutius laboraſſet, ac inſuper multis doloribus corpus oppreſſum geſtaſſet, nihilominus pluſquam quilibet alius virentis ætatis defatigauit, omnibuſque alijs ſe ſubiecit, atque vt anſa celſioris humilitatis ei præberetur, Generalatus Officio ſe ſpoliauit, ſic prorſus veluti nouitius in Religione cunctis gradibus inferiorem vitam duxit; ſponte, ac prõte omnibus ſe ſubiectans, & licet Pater Blaſius, primus poſt ipſum Generalis, epiſtolam totæ Religioni tranſmiſerit, vt maximo honore Pater Camillus afficeretur, illum ab inferioribus ſibi Superioribus eximendo, ipſe vero Camillus huic priuilegio cedens, aſſiduo cuncta viliora, vt in popina, & laborioſiora, vt infirmorum intra, & extra Hoſpitalia exiſtentium, munia, pleraque alia Domorum onera adimplens, in ſe ſuſcepit mira ſubiectione, minime pendens ſi adoleſcens, vel ſenex eſſet ſuperior, qui præciperet, ſed cuius perſonã exprimeret corde inſpexit; epiſtola iam memorata paulo inferius memoriæ traditur; nunc deuenire liceat ad ſingulares operationes, quæ ipſum celebrem prædicant.

De humilitate P. Camillus.

33 Fuit Camillo familiaris popina eam verrendo, non autem ad ſumenda ientacula, ſed patinas quoque, & cacabos, & alia id generis vaſa ad emundãda, frequenter item menſas ſtrauit, ac Refectorium parauit, ſeruiens Patribus dum cibos ſumerent incubuit, vnde eius exemplo idem reliqui Sacerdotes ſectabantur; potiſſima enim ſunt ducis exempla in acie tam ſpiritus, quam temporali: in humandis, ſiue noſtris, ſiue infirmis in Noſocomijs, ipſe ſedulo opitulatus eſt, vel alios, vt Clericus, cum eſſet Generalis, ac Fundator, Crucem deferens antecedebat, ſeu feretri Capulum, manu, vel ſcapulas ſubmittens, ducebat corpus. Noluit ſibi perpetuo ſociũ, qui ipſi miniſtraret, deſignari, neque deligere; quo tantum vſus eſt, vt comes eſſet in via, arbitrans indecorum, ab alio ſibi miniſteria parari, qui miſerandorũ pauperum famulatui ſe addixerat. Hinc cum inſpiceret aliquando ſocium eius cubiculũ adaptare, & faſcias vlceris ſui ſoli radijs exponere exſiccãdas, & alia ipſius habitationis munia peragere, illum redarguit, quaſi ab eo grauiter offenſus, ſimilia dicta prodens; quis frater tibi iniunxit, iſta vt exhiberes, mihi quoque ſunt manus, vt neceſſaria in noſtro cubiculo parem, ſi cupis beneficum eſſe, in valetudinario adſunt quidem complures maioris neceſſitatis ægri; quibus ſane admonitis prudenter, pieque reſpondit ſodalis, Pater mihi videor vni ex pauperibus famulari, dum tuæ Paternitati famulatum præſto, & veluti vnum ex

Noluit ſibi certum deſignari ſocium.

Obiurgat ſodalẽ ſibi miniſtrantem.

1608.

ipſis te reputo; his reſponſis, quia intereſſe humilitatis meritum agnouit, ſolummodo addidit, ſi ita me iudicauit caritas tua; æqualem quippe his ægris, non reſiſto: ſed in poſterum mihi ipſi neceſſaria paranda relinque, & quæ in mei cubiculo decreueris miniſteria exhibere, adhibe infirmis, maiori enim neceſſitate detinētur, & cumulatius, ac celſius ſpiritale tibi remanebit lucrum, ac meritum: & ita qui alijs miniſtrare optabat, non ſibi ab aliquo alio miniſterij operam impendi permiſit, niſi vrgenti alligatus neceſſitate.

34 Romę à quibuſdam ipſius ſtudioſis viris nobilibus dum rogaretur, vt ſecum ire vellet ad peragrandas nouē Eccleſiarum Stationes: tum autem Camillus intra Noſocomium Sancti Spiritus in opere pietatis erga infirmos exercebatur, indutus linea veſte, ac talari nigri coloris, qua ſæpe intra Xenodochia vtebatur, vt libentius, & humilius operaretur, non oblatam recuſauit occaſionem, & opportunam lucrandi Theſauros Sanctiſſimarum Indulgentiarum, atque viſendi illas Martyrum venerandas Reliquias, ſed è veſtigio in ſui habitationem, intra idem hoſpitale conſiſtentem, ſeceſſit, & depoſita ea linea tunica, laneam induit, tametſi laceram, & mu tis pettijs conſutam, inuolutamq; ſocius vero, quaſi ipſe rubore ſuffuſus, ait, Pater nonne pudet hoc vili tunica cum his comitari honeſtis, ac nobilibus perſonis, ad quem ſe conuertens Camillus prodit: parui refert mi frater Religioſum fractam, ac vetuſtam tunicam deferre per Vrbem, multum intereſt, lacerā animā non deturpatā, nec amictus recens virum Religioſum ornat, & decorat, ſed bene incorrupti mores, vitaq; exemplaris, & integra conuerſatio.

Corrigit ſocium erubeſcentem cū comitari ob laceras nimium veſtes.

35 Dum vero quicumq; ex noſtris, vel à viſendis ſeptem Romanæ Vrbis Eccleſijs regrederetur, vel hoſpes domum appuliſſet, ipſe præ ceteris locum occupans eius diligenter, & amanter pedes tergebat, & demum illos deoſculabatur, præceptum noſtri Saluatoris ſequens, qui in ablutione pedum ſuorū Diſcipulorum iniunxit, & vos debetis alter alterius lauare pedes, exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

36 Sæpenumero, quamuis Generalis, & annis, atque ægritudinibus obſitus, aſcito ſibi ſocio, & poſita ſuper ſcapulas pera oſtiatim per Vrbem panis fruſtula emendicauit; nil vile, & turpe reputans, præter Creatoris offenſam, iſtā quidem propter occupationem multos obiurgantes ſenſit Illuſtriſſimos Prçlatos. nominatim Eminentiſſimum Cardinalem Saluiatum noſtrorum Protectorem, à quo dum inſpectus ſiſtere iuſſit Rhedam, & vocatum commouit, aſſerendo dedecens eſſe Religionis Generalem, ſenem, & infirmum ſacculo ſuper humeros adiecto per Vrbem ambulando, eleemoſynas oſtiatim efflagitare, quam ſane correptionem ſponte, & hilariter ſuſcepit Camillus, & tacens ſuſtinuit, indeque ſeceſſit, quaſi plus lucratum fuiſſe reputans in ipſa obiurgatione, quam diu mendicando, optimum eſt corripi Religioſum propter humilitatis exercitia, indecorum eſt ſane, & turpe, propria, malaque ob facinora inſimulari.

Per Vrbem emendicans coarguitur.

37 Quod vſque modo aſſerui, non admodum reputandum cenſeo; multum vero, & ratum eſt, quod ſequitur, id quidem mirabilem Camilli extollit humilitatem, propriæque voluntatis depreſſionem; & opinor vnicum ſequētium rerum actum merito vices ſupplere, atque çquari aliquot annis, quibus Generalis clauum tenuit. Etenim exacto tempore muneris ſui prorſus oblitus eſt, (tamquam de flumine Lethæo bibiſſet) tot annis imperaſſe, & obedientiam ab vniuerſo ordine exigiſſe: nunc veluti in ea vltimus omnium mira ſubiectio-

ne

ne se subdidit, & sanè fateor, absque verborum extollentia, aut veritatis diminutione; nunquam tanta mortificatione tyronem me inspexisse in Religione.

38 Morabatur enim P. Fundator Neapoli iugiter diù, noctuque intus Sanctissimæ Annunciatæ Hospitium; Dominico vero die, à Præfecto Domus nostræ post prandium exercitia communia habebantur, ipse vero cum alijs adolescentulis nouiter Professis, qui in ipsomet Nosocomio ægris ministrabant Domum nostram S. Mariam Portæ Cœli vna properabat; itaque eo cum peruenisset complicatis manibus subtus pallium, demissa ceruice, defixisque oculis in terram, adiuuantibus pilei alis, vndequaque fluentibus, in aliquo Domus angulo solus, & silens expectabat, quousque Præfectus perfecta silentij hora campanulæ sono conuocaret cunctos, ad spirituale (sic vocamus) exercitium, quod protrahitur, duratque per integram horam; eo tunc Camillus assidebat tanquam vnus ex communibus, infimisque Patribus Superiorem Domus ordinarium auscultans, ante cuius etiam pedes genua flectens, propriorum defectuum culpam aperiebat, attendens pœnitentiæ à Superiore impositionem, miranda illam exequendo cum humilitate: licet per quamdam epistolam à præfato P. Blasio Vicario Generali cunctis nostræ familiæ directam Superioribus, ceterisque Patribus, ac Fratribus, in multis eximeretur, & varijs priuilegijs decorus fulgeret, quæ infrascripto tenore exaratur.

Blasius Opertis Vicarius Generalis, & Apostolicus Commissarius Relig. Cleric, Reg. Ministr. Infirmis.

Vniuersis Patribus, ac Fratribus nostræ Religionis Cleric. Regul. Ministrantium Infirmis, & singulis præsentes inspecturis in Domino salutem.

39 Diebus elapsis Adm. Reu. Pater Camillus de Lellis nostræ Religionis Clericorum Regul. Ministr. infirm. Fundator, deq; nobis omnibus Pater benemeritus, cum grauaretur multis annis, viribus fractus, & varijs subiectus ægritedinibus, libere pandit se amplius nō esse idoneum, vtpote ad onus totius Religionis ferendum, ac perinde, vt desiderio suo faceret satis, & propriæ quieti, atque pauperum famulatui, vt incumberet, in manibus Sanctiss. Patris Pauli V. munus suum deposuit, quod rexerat compluribus annis, tamquam Præfectus Generalis. Nobis itaque cum idem pondus super humeros impositum sit ab sua Sanctitate, ex animo complacere desiderantibus sanctis desiderijs huius nostri optimi Patris; vigore præsentium iuterposito consensu nostrorum Consultorum, amplissimam ei impertimur facultatem, quamlibet nostræ Religionis Prouinciam adeundi, & in qualibet ipsius Domo subsedendi, & inde pariter se transferendi in aliam, prout ei libuerit, Prouinciam, seu Domum nostræ Religionis; & vbicumq; se repererit auemus, & volumus; prout eius arbitrium fuerit; siue Domi commorari, siue intra Nosocomia, vbi nostri assiduo iuxta Constitutiones editas consistunt; itemque ex eo loco poterit rursus domum, velut ipsi placuerit, petere. Insuper ipsum declaramus, & efficimus ab omni prorsus iurisdictione, & auctoritate Prouincialium, Præfectorum, ceterorumque Superiorum, qui pro tempore adinueniuntur immunem. virtute quoque præsentium decernimus, ac declaramus ipsum esse tan-

Littere à P. Blasio Vic. Gen. totius Relig. directæ ad honorem, & exēptionem P.C. præstandam

tundem,

1608.

tundem, & immediate subiectum obedientiæ, nostræque auctoritati: atque adeo volumus, vt quilibet ex nostris quacumque in dignitate constitutus, illi eumdemmet exhibeat honorem, ac venerationem, nobis ipsis præstari consuetam, dum stamus in præfectura, & munere, quo fungimur. Itaque vbique locorum, quando occurret, vna cum reliquis nostræ Religionis Patribus interesse, veluti vniuersalis Pater omnium nostrum cunctis præcellat, & primo loco assideat, etiam ante quoslibet Superiores. mentis oculum etiam intendentes, & cupientes infirmitatibus, suisq; necessitatibus, itemque suæ admodum timoratæ, strictæque conscientiæ consulere, expresse illi indulgemus, quibuscumque non obstantibus nostræ Religionis Constitutionibus, aliisque laudabilioribus obseruantijs, absque vllo defectus timere, vt possit, & ei licitum sit, communibus tam spiritualibus, quam temporalibus non interesse exercitijs, de more fieri consuetis in Domibus nostris; quæ priuatim quoque prout ei visum fuerit, peragere, poterit, etiam extra tempora talibus designata exercitijs. Ceterum putamus superuacaneum fore amplioribus uerbis persuadere, qua reuerentia, atque dilectione debeat recipi, & honorari à quolibet ex suis spiritualibus filijs, & qua, qualique caritate, ac diligentia singuli coarctentur eius consulere necessitatibus, atque prospicere, & occurrere infirmitatibus, omni promptitudine ei subministrãdo necessarias res, atque opportunas victui, ac indumentis, Cumque euidentissimus sit amoris effectus, qua tota Religio ipsum prosequitur, certo credimus frustraneas esse commendatitias litteras, cohortationesque ad talem effectum. In quorum fidem præsentes dedimus, propria manu subscriptas, atque nostro communitas Religionis stemmate. Romæ Domi nostræ S. Mariæ Magdalenæ 8. Kalendas Nouembris 1607.

Blasius Opertis.

Et quamuis contectus sit, & roboratus hoc epistolarum præsidio, tamen cum semel se munere Generalatus abdicasset, vt subditorum humilitate frueretur, illas nihili fecit, ac si nullatenus emanassent. Vnde Mediolanum perueniens, Domumque nostram ingrediens Præfectum abesse reperit, tunc, & cõtinuo postulauit ab Ostiario, vt sibi datis portæ Conuentus clauibus, ipse vices ostiarij gereret, quia inseruire cupiebat, ne frustra videretur Domi illius panem manducare, quas obtinuit, post vero aliquod breue temporis interuallum Domum Præfectus adijt, signumque introeundi pulsando campanulã dedit, Camillus vero, qui sibi aperiendi onus asciuerat, manus vt apperiret clauibus applicauit, & cum sæpius illas hinc inde conuerteret, nequibant porro valuæ patere, Præfectus vero graui correptione clauicularium affecit, vocans illum rusticum, & infatuatum, omnino ignorans esse Patrem nostrum Camillum, qui tunc Domum appulerat; animaduertens autem postea Præfectus ea indignationis verba in Patrem Camillum redundasse, ad eius genua procubuit, veniam postulans, seque excusando addidit, cur onus assumpserat ianuam adaperiendi, at subridens, & de mortificatione gaudens Camillus ait Præfecto; ne turberis, clauesq; ostij suscepi, ne interim otiosus existerem; seque item illius subditum esse affirmauit, & vt talis voluit existimari, ac tractari, quasi vnus ex minimis illius Domus familię, at proinde ipso vt quocumque in ministerio Domus vteretur, protulit, omnique promptitudine se subiecturum fassus est; quare ad tantæ humilitatis verba obstupuit,

40

P. Cam. appellens Mediolani Domum illico sumptis clauibus ostiarij munus exercet.

ste-

stetitque domi Præfectus, atque eum ita exorauit. Iam dignatur Paternitas tua se omnium extimum reputare,& subditum esse velle, in hoc admitto humilitatem,vt me de meis erroribus,ac defectibus cum errauero commonefaciat,& arguat; id noluisset sibi imponi Camillus, tñ vt obsequeretur, annuit, & ne vinceretur in humilitate, sibi vt redderentur vices ab eodem Præfecto, ita postulauit,& Reuerētia tua meas exacte obseruet actiones, de quibus libere redarguat,& sub hac ratione suscipio conditionem, quod mihi iniunxit Reuerentia tua. Demum ne verba plus debito congeminentur, hoc proposito, & conuentione se inuicem Religiosa libertate admonendi de quotidianis, dū occurrent,defectibus,siluere:& ne obliuione depereat, quod contigit eodem tempore cum ipsomet Præfecto non incongruum subnecti putaui.

41 Deuenerat enim Mediolanum valde depressum, tum præter alia incomoda,quæ secum erant,vestem omnino laceram induebatur,vndique multis vetustis pettijs consutam;quandoquidem induci nequiuerat à Superioribus Domi vbi fuerat demoratus, vt recentem susciperet tunicā;gaudens vehemētius indutus contemptibilioribus incedere vestimentis. Illud sane molestius fuit, cum esset senex Pater,& visu gracilis,nec socium sibi ministrantem admittēs, totisque diebus,ac noctibus, cum pauperibus ęgris se commiscens, & seruiēs, pediculis scatebat, à quibus non modice affligebatur; Præfectus autem vsus est hoc stratagemate,vt ab eo tunicam immundam auferret, iussit patris nostri Camilli sodali,vt vestem eius,& alia, quibus indigebat indumenta, sibi traderet,dum Pater dormiret,his obtentis Magistro sutori ostendit,qui capta mensura supra illa restituit vestimēta,Patre Camillo super omnibus istis ignorante, mane vero sutor noua composuit,ita Præfecto Domus iubente, quibus confectis,dum iterum quiesceret Pater sub noctem,Præfectus sublatis vetustis,ea recentia supposuit: experrectus Camillus,& contuens noua indumenta,clamauit,vt quibus se spoliauerat, restituerentur; plus ipse dolens de laceris vestimentis sibi ademptis, & de recentibus subillatis, quam alter quiuis laicus mœreret propter noua sibi ablata indumenta, & turpia eorum loco suggesta. Camillus vero petebat vetusta tegumenta, quibus se exuerat, Præfectus vero noua offerebat; vnde curiosus,sanctusque dialogus exortus est inter ipsos;Camillus autem noua refutans indumenta, Præfectus vero illa suppeditans;tandem hac ratione vicit Præfectus,an non(asseruit) Paternitas tua quando istuc accessit, seque protestatus est, velle filium esse obedientiæ, & quasi vnum ex subditis à me tractari, subicique in omnibus, modo tuæ Paternitati iubeo, vt se his tegumentis operiat,quibus auditis obedienter se contexit;indutus porro Camillus noua tunica de communi panniculo, vt omnes nostri vestiunt, se contemplabatur,ac morabatur,& aiebat,quomodo ministrabo pauperibus, & caritatem intra Hospitale exercebo, hac recenti tunica? sane quidem optima propositio; nam ea loca personas desiderant, quibus familiaris sit mundicontemptus: & vestimentorum nitor odibilis. Sed deueniamus ad illam particulam, quando Pater Camillus vice versa, adstrinxit se velle de suis quotidianis culpis (vt iam supra dictum est) Præfectum commonere.

Vestem valde laceram induit.

Quo stratagemate supponūtur noua indumēta Camillo.

42 Elapsis enim aliquot mēsibus Camillus Mediolano decessit,dum .n. simul essent eodem mane, quæ profectionis erat, magna cum obseruantia, ac modestia,post multum verborum ambitum, vt sibi nempe parceret,propter ea, quæ dicturus erat, obsecrauit; Præfectus autem interim,animo meditabatur

1608.

Qua cautela Camillus Præfectũ domus admonet de quodam leui defectu.

aliquod non parui momenti aduersum se Patrem editurum, non omnibus Paternitas tua fidem omnino adhibeat, timido animo subdidit; quandoquidẽ nonnullorum mẽtis aciem passio deturbat; Ceterum libere Paternitas tua me redarguat, & quoad vsq; Pater ei ostẽderet suum conceptum, quasi pauidus lepus obseruabat, dicenda à Patre Fundatore, qui subiunxit, dum Reuerentia tua loquitur in ea verba, plerumque irrumpit, sic ego euaderem Cardinalis, queadmodum res ista haud dubia est, & negotium ita procedit, quæ sane in ore Religiosi dedecet, in his dictis respirauit Præfectus, aliquod maius contra se arbitratus audire, retulit Patri ingentes grates de correptione, & quidem (respondit) similia verba indigna sunt Religioso viro, & maxime infirmorum ministro, qui humili in statu seruiendo pauperibus subsidet, vt bene asseruit Paternitas tua, nec posthac talia dicta depromam, quemadmodum prorsus se abstinuit in futurum; sed prosequar quosdam alios humilitatis actus Patris nostri.

Sibi dissuadendi ne humilitatis exercitia ageret, quid respondit.

43 Tam antea, quam post depositum Generalis officium nusquam omisit Camillus communia humilitatis in Religione munia (vt paulo superius significaui) si fabrili domi incumbebant, ipse præ alijs opitulabatur constructoribus, necessaria ferendo, si ligna à via intus erant ducenda, ipse primus à media platea deportabat in Monasterium superinductus in his functionibus linea veste nigri coloris, si purgandæ essent interulæ, & dealbanda tela, ipse proprijs manibus illas detergebat, soliq; exsiccandas componebat. Dum enim in vna ex prædictis functionibus defatigaret à quodã ex nostris ipsius senectutis, & ægritudinis cõpatiẽte, & auctoritatis, audiuit, Paternitas tua quæso desistat hęc onera ferre, & tot indignas suę personæ occupationes obire, respõdit, absit hoc, vt aliquando me abstraham à cõmunibus Religionis functionibus, non enim dignitas Superioris imperio, & exemptionibus ostentanda, sed exercẽdo virtutem debet effulgere, & Superiori in opere humilitatis, & laboribus suam ostendere maxime conuenit auctoritatem.

44 Sub vesperum enim cum iret de more in Nosocomium Sancti Spiritus simul cũ socio, sibi deferebant refectiunculas, quibus in dicto Nosocomio reficiebantur, Camillus vero, ob sui humilitatem, sportam cingulo alligatam, vbi panis, & aliquid ientaculi inerat, ducebat; per iter interdum non sine notabili sui mortificatione, & humilitatis exercitio occurrebat caput Dominis Prę latis, & Amplissimis Cardinalibus detegere simul, & ostendere in apertione pallij sportulam. Aliquando etiam dum Sancti Angeli Pontem traiceret, obuiam illis venit quidam ferens lanceam, multaque velocitate gradiens, adeout socium impegerit lanceæ asta, hinc vini vasculum confregit, quod omnino effudit; illud enim animaduertit eum esse dæmonis astum, & quasi subridens, hæc promebat, ha nefarius hostis minime victor euades, non propterea Domum remeabimus, & à caritate quam instituimus hac nocte in Hospitali exhibere pauperibus, retrahemur, quocirca, quamuis sine mero eo accessere, bene enim imbuti vino caritatis, quod satis est ad supplendum, ne quibuscũq; incommodis, ac naturæ defectibus, succumbamus.

Aquam potant, ne caritatem prætermittant.

Ob lacera indumenta sæpius æstimatus velut vnus ex infimis presbyteris.

45 Modus suæ conuersationis, quamuis alioqui grauis, & modestus, attamen forma vestimentorum adeo lacera, ostendebat illum esse quemdam ex derelictis, ac pauperibus presbyteris, qua viuendi norma, & sub quo humilitatis pallio multa Dei dona contexit; hinc à multis abiectus existimatus est vir; ita videtur euenisse quondam, dum sacrum faceret Romæ in Ecclesia Sancti

Michaelis

Michaelis Archangeli, cuius festum recurrebat, ipsius enim Gloriosissimi Archangeli Camillus erat mirificè studiosus; absoluto demum sacrosancto incruento Sacrificio, vnus illorum, qui præsidebant, Sacerdotum, arbitrans Camillum aliquem esse inopem Presbyterum, & indigenam missæ eleemosynã, vt viueret, suggessit, decimam nempè aurei portionem, post receptã manibus, & relatas largitori grates, illam reposuit Camillus in eadem argentea patina, vnde fuerat abstracta, asserens his opus non habere ipsa die, ac vice; inde profectus lætabundus, adeo inopem quippe æstimari.

46 Singulari affectu induebatur vestibus laceris, ac vetustissimis, atque affectis varijs fragminibus panni, adeout magna vi, & industria oporreret illis priuari, aliquando tandiu detulit pallium, iam vndique fractum, & ob vetustatem decoloratum, vt opus foret, Eminentissimum Cardinalem Paleottum se interponere illo priuari; vt meliori vestiretur, quod non absolute est assecutus prima die quando ipsum admonuit, sed postridie imposuit socio, vt nouo pallio efformato, Camillo suo nomine imponeretur, & iuberent, absque vlla responsione, vel renitentia illo tegeretur.

Opus fuit Eminentissimi Card. auctoritatis nouo pallio tegi, deposito quã vetusto.

47 Neapoli aliquandiu, quadam tunica adeo vetustate consumpta incessit, vt omnibus eum cernentibus contemptibilis appareret; præter enim suam diuturnitatem, quasi marcida, aliquot etiam frustula panni albo filo affixa inerant; vnde suaderi nequiuit, vt alia superindueretur, quo circa coactus Superior virtute sanctæ obedientiæ illi imposuit, vt ea demissa, alia, sed recenti amiceretur, profecto non renuenter obtemperauit, cuilibet rei, suisque contemptibus sanctæ obedientiæ virtutem præferens.

Virtute sanctæ obediẽtiæ interiecta amicitur tunica recenti.

48 Quæ humilitatis honoranda virtus non tantum in semetipso coruscabat, verum cupiebat in suis etiam Religiosis præfulgere, ita in habitu, vt nimirum vili panno vestirent, interdictis omnibus curiositatibus, sicut in victu, vt communibus vterentur, pauperibusque consuetis cibis, & potibus, cellas item incolerent humiles, sed tamen proximas populi frequentiæ, qualibet hora vucati pro adiuuãdis morti proximis vt præsto forent, insuper cubilia paruam, & vnicam detinentia culcitram, voluit, & vt parce sumerent de mundi commoditatibus, semper aliquid sensibus demẽdo, atque illos contra reluctando; In barbæ etiam recisione, quemadmodum ipse, omnibus etiam suis, vt supra pectinẽ tonderetur, demandabat, p vt de more asseruatur, in singulis Religionis Domibus; semel autem audiuit, quemdam paulo altius barbam sibi reliquisse, extemplo vocato barbitonsore iussit se radi, similiter cunctis barbam abradi præcepit; quocirca contrarijs effectibus defectum repressit, atque destruxit, semper à seipso incipiens mortificationem, ac vilipensionem, qua restrictione, & exemplo iugum obedientiæ, & humilitatis facile parabat, & à cunctis suauiter imitatione tenebatur. Dum vero in quopiam uanitatis, seu superbiæ vestigium aliquod cerneret, non illum irrepræhensum præterijt.

In omnibus studuit exterminari superbiam et in suis.

49 Cum ruri adessent nostri leuandi animi causa; simulatque Pater Fundator intererat; in quodam enim myrto eiusdem pagi variæ animalium similitudines ex eodem myrto, oblectationis, & ornamenti ergo contextæ spectabãtur, inter quas inspiciebantur quædam elaboratæ Episcoporum mitræ, vnus vero ex Patribus cuidam ex his mitris myrteis caput inclinatum supposuit, lætusue contexit, quem intuens Pater, ipsum ad se vocauit, & per aliquam moram cũ fuisset illum contemplatus à plantis, vsque ad verticem, grauiter redarguit,

Quendã inferie affectãtem Episcopatum grauiter obiurgat.

pro-

1608. proferens ita, ò mirandus, ac celsus Episcopus, facies quidem Episcopalis, an non te pudet iactare his inanibus insomnijs, meditare potius, quo pacto virtutes, & speciatim valeas adipisci humilitatẽ; si iocosa adeo acerbe coarguit, quanto amplius, & acrius incusasset si serio honores, præeminentias, ac prælaturas intra, vel extra Religionem cupiuisset, & quid si consequi curasset?

Coarguit quendam ex nostris frigide admonentem manus ad opera pietatis, quę ipse prõpte exhibuit.

Rursus quidam ægrotus à quopiam nostrorum postulauit; rogans humilitatis sibi exhiberi officiũ, ille vero Religiosus admodum repugnanter trahebatur ad id peragendum, præsens stabat Pater Camillus, qui à manibus sui Religiosi munus abstulit, & ait, Frater mi, neq; ego, nec tu digni inuenimur hoc ministerium peragere, & ardenti pietate illud executus est, infirmus autẽ ei grates retulit, Camillus vero ex aduerso genibus procumbens ante infirmum, ipsi gratias referebat, nec inde surgere ausus, quoadusque æger protulerit, Deo summo referendas, quæ audiens surrexit Camillus.

50 Et quamuis optimam de omnibus conciperet opinionem, de se tamen humillimam tenuit, non tantum cunctis in virtutibus inferiorem seipsum arbitrans, verum appellare se consueuerat inferni titionem, Dominus, asserens, sua infinita clementia vti complacuit hoc inferni titione, quem etiam poterit ad sui gloriam excitare, & viuis flammis caritatis rutilantem reddere. Aliquando enim cuidam probatæ fidei viro adhæsit, qui Camillo proxime ad aures, ait, ò te felicem, ac beatum, Pater Camille, qui tot operibus incumbis, intra Nosocomia mira caritate languidis ministrans, in carceres item ægros, & in uincula coniectos consolaris, & obsequeris. Religionem magnis laboribus, & oratione fundasti, ac pœnitentijs, atque indefesse non desinis defatigare, attamen si in extremo mortis momento, diuina gratia carebis, in æterna supplicia decidens perenniter conflagraberis, quodlibet abs te peractum opus nil proderit, ista protulit vir ille, vt Camilli innotesceret humilis conceptus, qui statimatque respondit; Verissimum est, frater carissime, quæ pronunciasti, atque certissimum, de qua animaduersione, tamque salubertimo præcepto gratias tibi refero innumeras, indeque profectus est, postmodum ad sodalem direxit sermonem, ò quantum, ait, irrefragabile est, quod hic Dei vir asseruit; nil profecto iuuat, multis annis in Dei famulatu mancipatos stetisse, si demum à recto virtutum tramite deuiabimus, quod absit, oportet vsque ad uitæ calcẽ in bonis operibus perseuerantes ambulare, Dominumq; obsecrare, ut nos sua immensa bonitate perseuerantiæ Dominum impertiat.

Quomodo cuidam Camilli animũ tentanti respondet.

51 Cuidam Religioso ostendenti se admirari, quomodo uir, cuius professio fuerat mundi militiam sequi, & non eruditione coruscus, neque in sęcularibus negotijs, nec spiritualibus peragendis idoneus, ac uersatus, potuisset tamen nouam instituere Religionem, protinus respondens, inquit, frater totum Religionis negotium à Diuinis editum est manibus; non autem ex me, non idoneo, quique sum gehennæ pabulum, haud tamen difficile erit Domino, me sua dignum efficere dilectione, prout in eius fido bonitate, & alteri sibi asserenti paternitãtem uestram puto summopere gaudere, tam breui temporis intercapedine Religionem adeo propagatam cernere, at Camillus asseruit, Pater mi nunquam tales In meo corde uanæ locum adinuenere cogitationes, sed de omnibus bonis Domino grates rependo, tamquam bonorum operum auctori, & certo scito à me omne malum (si qui est) prodijsse, in efformanda hac planta, à Diuina uero Sapientia uniuersa bona, alij uero opinantes se felices, ac beatos esse, quia temporibus in Religionem fuerunt ingressi, quibus ipsum

Calcat iactãtiam quibusdam humilitatis respõsis.

agno-

agnouerant, ac secum fuerant conuersati, locuti, ac de eadem mensa participes: Camillus verò obiecit, quidnam filioli intuiti estis, nisi dumtaxat hominem claudum corpore, & anima, ac monstrum abominabile; erat enim in eius anima adeò firmiter humilitatis virtus infixa, vt nullatenus cor ipsius ingressum iactantia fecerit, ex quo se ad Dominum conuerterat; Est .n. profectò iactantiæ morbus cancer, cuncta corrumpens, ac deuorans bona, humilitas cōtra singulas sustentat, confouetq; virtutes.

52 Dum Bucchlanico Romam regrederetur Camillus, sequenti nocte post sui accessum ardēs caritate Nosocomium adijt sancti Spiritus, ac si Rure venisset, in eo cuncta laboriosa, & sibi assueta misericordiæ opera resumens; appulerat enim admodum iactatus ab itinere, præter suas ægritudines; hinc eademmet nocte in ardentem incidit febrim; mane autem Domum nostram ductus est, quistatimatque Confessarium accersiuit, suorum peccatorum generalem edicens confessionem, tanta humilitate, & contritione, vt præter dolorem, quē ostendebat, & lacrymas, quas effundebat petens à Domino veniam; alta insuper voce crimina pandit, adeo, vt à cunctis audiretur adstantibus, proferens item in sæculo commissa flagitia, conualuit tandem Deo adiutore. Præsentiēs de quodam Religioso, qui nonnullas periculosas spiritus regulas, & nouas, ac peregrinas doctrinas sequebatur, cogitante se amplius, quam alios esse illuminatum, cum reuera à spiritu superbiæ duceretur huic, Camillus ait, ah fili, quā bonum, quamque tutum est deiecto propriæ voluntatis spiritu per itinera mādatorum Dei, & humilitatis simul, & caritatis, cæterarumq; virtutum progredi, reliqum vero præter hoc æternum interminatur præcipitium, sane Pater mi, hac normam noui spiritus quidam sectantes misere interiere. Camillus vero in sanctæ humilitatis speculam ascendit, quasi vnus ex Euangelicis infantulis euadens, de quibus Dominus diuino protulit ore, sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnum Cœlorum. Sæpe enim, vt talis infans in manibus libellum doctrinæ Christianæ tenebat, eius sacra doctrina oblectatus: cōtinuo reputās, se veluti incipiēs in via Dñi. Alter longe à via Dei abfuit.

Aperte manifestat sua crimina et in sæculo patrata.

53 In extremis temporibus decurrentis anni Pater Blasius Generalis, vna & Patres Consultores seruum Dei Camillum trium domorum nempe Genuæ, Ferrariæ, ac Mantuæ Visitatorem statuere, qui lecto epistolarum tenore consultæ Generali sub hac forma respondit.

54 Recepi Patres Reuerendi vnam ex vestris epistolis, per quam mihi, vt Genuam transferrem, præcipiunt, hodie epistolam legi, cras discedam, non desinam, quominus cuncta recte procedant, & non quidem imperando, sed rogando, bene contingere studebo, enitar cunctis laudabilem exempli odorem mea conuersatione, & actionibus exhibere, &c. Tunc temporis P. Camillus iam intra maius Mediolani Nosocomium, pauperibus ministrans, diuersabatur. Genuam itaque adiens multis indigentibus remedio rebus, adhibuit; & demum in visitando cubicula tenuit subscriptum ordinem: mane sub auroram, quando omnes Patres surgunt ad orandum, & iam in locum conuenerant orationis; ipse tum, qui aderat in Nosocomio, conuocato Patre Hilario Superiore in dicto valetudinario illi imposuit, vt orantibus PP. per cubicula, eorūdem, diuerteret, & res quaslibet auferret, atque cerneret minutatim quid in arcis, & habitationibus inesset, deinde confunderet quasuis res, & in vnum vniret, eodēq; modo etiam ipse secedens Domum professorum perrexit, & post exactam visitationem vestes, libros, coronas, officia, & cuncta in vnam massam congessit,

Eligitur Visitator triū Domorum.

Modus, quo Cellas visitat.

1603.

itaque libros, & reliqua alia permutata sortiti sunt Patres, quod ideò effecisse creditur, vt suos in obedientia, et humilitate assuefaceret. Sed iterum eidē Reuerendæ consultæ Generali mittit epistolam ; vbi se excusans, & eximi nitens ab onere Visitatoris, quasdam in ea rationes allegat, quibus non idoneū se esse ostendit; alias item assignat, propter quas munus illud susceperat; tenor autem litterarum est, qui subnectitur.

55

Litteræ P. nostri, quibus se liberare studet ab onere Visitatoris.

Cuilibet rei præter istam profecto credidissem; nimirum Reuerentiias vestras me in hoc Visitatoris officum ingessisse; veruntamen duæ me ad id libenter præstandum impulere rationes, vna virtus in caula fuit obedientiæ, secūda arbitrans fore vt intercederet Dei famulatus, bonumque meæ Religionis. Ceterum notum est Reuerentijs vestris, me satis spatio viginti trium annorū, & amplius præcepisse, iam tempus propinquauit, vt mihi ipsi inuigilem, & id non causa euitandi labores, sed ob maiorem Dei gloriam, meamque salutem, atque Religionis bonum; certò scio totum hoc Reuerentijs vestris cognitum esse, atque discernere; nihilominus Dei arcana inscrutabilia sunt, me totum ipsum sanctæ obedientiæ submitto, atque diuino beneplacito; volo sciant me futurum perpetuo meis superioribus, meæque Religioni fidelem; paulò verò inferius subdens asserit, tibia aliquanto acrius consueto me diuexat; nimirum vlcus latius, & acerbius crus molestat, & hodie iam incępi illi quietem aliquā impertiri, vt paululum minuatur eius magnitudo, & dolor. Hinc etiamsi Pater Camillus senecta afficeretur, multumq; à doloribus, & ægritudinibus cruciaretur, & insuper, vt sibimet incumberet iam Generalatum deposuerat; attamen se humilians non renuit laboriosa, & communia Religionis officia exercere. At prius quam Visitatoris munus demiserit; res siquidem memorabilis occurrit inter ipsum, & Patrem Blasium Opertis Generalem, quam prætermittendam non iudico, quippe circa assiduam in Hospitalibus habitationem; hoc est erga modum, quo nostri tenebantur tot corporalibus occupationibus, ac defatigationibus intenti, singula tamen initium relationis sequentis anni narrabit, sed prius dandus est locus cuidam euentui.

56

Pandit sua crimina morti proximus orãte Patre Camil. Lib. 3. c. 5.

Mediolani hac tempestate, dum intra Nosocomium Pater Camillus moraretur, uisens quemdam ægrotum ad pœnitudinem suorum criminum induxit, qui in statu miserando peccati mortiferi iacebat, protinus accersito cōfessario satis deuote propria scelera pandit, & eadem nocte inopinatò vita vacauit. Quia valdè laborauerat Dei seruus Camillus pro corporea infirmorum salute; Deus enim Omnipotens, & Misericors condonauit illi, vt in anima potissimum ægrotantium opitulator foret, itaque in vtraque hominis parte de infirmis valde benemeritus existit.

AN-

Annus Domini 1609. Et Religionis 19. Pater Blaſius Generalis luſtrat Domos Religionis, eas viſendo. Patri verò Fundatori in Prouincia Mediolani trium locorum iam Viſitatori quędam occurrerunt. Extruitur Neapoli Domus Nouitiatus. Pauca ſubnectuntur P. noſtri de paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ præſtantia.

1 CVM autem Pater Blaſius multa ad ſui penſi directionem ſpectantia decreuerit, ac munierit, aliqua auxerit, alia verò non bona extinxerit in his duabus Religionis præcipuè domibus; vtpote Romæ, ac Neapoli, & non paucis debitorum ponderibus eas alleuiauerit, vt reliquis domibus moderamen inſuper adhiberet, per alias totius ordinis ædes iter carpit, exordiẽs à Romana Prouincia; & exinde tranſiens per inſubriã, animo vniuerſam Religionem peragrandi; poſt abſolutam aliquot domorum viſitationem Mediolanum ſe contulit animo quamcitius Genuam tranſeundi, in mẽte enim ſibi fixerat ex his duabus domibus onera perpetuæ cohabitationis in Noſocomijs tollere, vel ſaltem moderamen imponere tot defatigationibus corporeis, & minuere numerum in eis Religioſorum; retinendo tamen opus miſericordiæ ſpiritualis, vt eſt adminiſtratio Sacramentorum commendationis animæ, & amplecti aliqua etiam temporalia magis decentia Religioſis; & minus impedientia, ac diſtrahentia ſpiritum. Pater verò Camillus, qui zelo miniſtrandi infirmis ardebat, & cupiuiſſet, ſi ei foret poſſibile, relictis omnibus corporeis neceſſitatibus, ac ſi Aeneus eſſet continuis diebus, ac noctibus ægris miniſtrare, & ſuos voluiſſet tot Seraphinos eſſe, huic Patris Blaſij conatui ſe oppoſuit vehementer, & operatus eſt non tantum cum Dominis dictorum Hoſpitalium, vtpote Mediolani, & Geuuæ, ne permitterent noſtros Noſocomio abire; verum reſtitit eidem Patri Blaſio, vt cum Apoſtolo loquar, in faciem; dum medio itinere inter Mediolanum, & Genuam in quadam Caupona obuiam ſe haberent, & inſuper Pater Camillus Romam contendit, vt omnino illum à ſuis præpediret conatibus, ex hac porro ſpirituali concertatione ſortitus eſt nobilis effectus, ni fallor; quemadmodum antea noſtri admodum in temporali famulatu verſabantur; eo attemperato adauctum eſt ſpirituale miniſterium, & Patri noſtro complacitum eſt, non diſcedendo noſtri ab Xenodochio, & ſubditis etiam conceſſa eſt venia, ac mitigatio tot lucubrationum, ac laborum corporalium, & Religio ibi maiori decoro, & animarum beneficẽtia miniſtrat, & mors non adeo ſæuit in noſtros, vt ante hac. Regrediente Patre Blaſio Generali à viſitandis Romanæ, Bononiæ, & Liguriæ Prouincijs noſtræ

Peragrat P. Blaſius Rel.

Se opponit P. Camillus Ge. conatib. ab Hoſp. habitationem ſummouere nitenti.

1609.

ftrę Religionis, Neapolim appulit tempore æſtiuo, vbi in grauiſſimam incidit febrim, quæ & diuturna, & periculoſiſſima extitit,ſed demum euaſit incolumis:licet.n. aliquando Pater Blaſius in iſta, aliiſq; occaſionibus diſſenſerit à Patris Camilli ordinationibus; attamen conſiderans ab eo Religionis Fundationem pendere, optimamque ipſius vitæ ſeriem, ſe humilians Fundatori cedebat, quamuis tunc putaret à bono duci ſpiritu; veruntamen eodem ſero, in eademmet Caupona,etiamſi Pater Blaſius tum officio fungeretur Generalis, Patris Camilli meritò corā genibus procumbens de aliquibus ſuperfluis verbis, & cum aliquo iracundiæ motu depromptis veniam ab eo poſtulauit.Quare res indeſ ucceſſere tranquille.

2 Adepta itaque bona valetudine, iam dictus R. Generalis ardentiori cupidine ſe regulæ obſeruantiæ addixit, & ſtrictius cupiebat ſuos ſubditos illam amplecti, ac proinde quodcumque habuit in communi poſuit,vt ſubuculas linea femoralia, & ſingula, quæ vſu poſſidebat, retinens ſibi ſolummodo neceſſaria, idque ab omnibus fieri mandauit, ſi qui reperti ſunt ſimilia detinentes. Quinimmo depoſitis hiſce rebus vtebatur illis communitatis; exercitia verò ſpiritualia frequentiora conuocatis cunctis Patribus fiebant ab eo. Vidi in loco capituli cum eſſem tunc temporis recens in Religione, & anni vnius profeſſus: quaſi torūm,vndique velatum nigro panno pendente per latera vſque ad tellurem altitudine circa quatuor palmos,ſupra quem Sedes apponi iuſſit,iuxta erat quoque ſcabellum,in ſcabello Lector aſſidebat,Pater vero iam dictus Generalis ſupra ſellam, legebantur autem à Clerico Lectore, ſedentibus per ordinem cunctis Patribus, aliquot periodi Reuerendi Patris Fr. Ioannis Taulerij Ordinis Prædicatorum, quos ipſe Pater Blaſius iam eruditus in humanis, ac diuinis litteris, quaſi textum explanabat, & ueluti commentator ſuper lecta differebat multa ad Religioſam ſpectātia perfectionem,& de obligatione Religioſi ad illam adſpirandi : cumque eius perſona eſſet magna corporis mole grauis; attamen cum auctoritate erat coniuncta, vox quoque eius ſonora, atque terrifica,& efficax incutiens peruicacibus terrorem, venerationem in animos audientium, & in multis deuotionem excitabat, quam ſupra relatam uiuendi normam cum detinuiſſet per aliqua menſium interualla.Hinc tactus interius ad maius opus peragendum ex domo profeſſorum,ubi iſta exigebat, in locum receſſit,quem appellant platamonem Neapolis ſuburbium iuxta maris litora,

Exercitia ſpiritualia P. Blaſij.

Extruitur Neapoli Domus Nouitiorum.

3 QVoddam palatium Neapoli in ſuburbio Platamonis nēpe in radice Collis Luculliani Domina Iulia de Caſtellis, de qua alias mētio facta eſt cū laude, iam ſenex, & non proſperæ ſalutis ſibi emit,ibi cum tota familia diuerſans ubi P.Blaſius dicti Collis portionē,quę fretum reſpicit mercatus eſt,pretio quatuor millium aureorum prouenientium ex officio Portulani ab ipſomet P. Generali cum poteſtate alienanandi diuendito,& quamuis hæc officij alienatio foret difficillima ; quia Scipio Turbolus pater Fabritij Turboli adhuc in Religione ſuperſtitis, & Sacerdotis in uitam præfati Patris Fabritij memoratū officium emerat, & applicuerat; unde non ordinariis induſtrijs, ac laboribus, atque medijs etiam cum Prorege Neapolis, cuius familiaritate P.Blaſius utebatur, obtinuit ſupra iam dicti officij portulani ſucceſſionem , quoniam in Religione ingreſſus tum fuerat Pater Fabritius, atque profeſſus: ex eius itaque redempta pecunia ſignificata cliui portionem mercatus eſt ; inibi in loco, ſci-

licet

licet Platamonis in calce præfati Collis, & in planitie orę maritimæ prope palatium Dominæ Iuliæ de Caſtellis ex quibuſdam domibus efformare, atque conſtruere cæpit Conuentum, ſeu nouitiatus locum longe à ſalo minus lapidis iactu. Situs eſt conſpicuus, nobiliſſimus, & aeris regione ameniſſimus, temporibus niuis à nimijs frigoribus liber, tota die ab ortu nimirum vſque ad occubitum à ſolaribus radijs repercuſſus, temporibus autem æſtuantibus ab aſſiduis flatibus à mari ſpirantibus quippe à fauonio refrigeratur; habet enim à latere ſiniſtro, hoc eſt, priuſquā domum noſtram deueniatur arcem Caſtri Oui in quodam ſcopulo extructam, vndiq; à freto circumſeptā, in quam ſ3. arcē à litore per aliquot oblongos pontes introducitur miles; Caſtellum enim hoc munitiſſimum, & pene inexpugnabile ſiſtit; in cuius aduerſo litore Pater Blaſius ædem Nouitiatus inſtituit, continentē ante ſe amplam figuræ quadrāgularis planitiem à natura compactam, quaſi atrium nimirum ante fores; vbi aliquot vlmi ſati virentes conſpiciuntur, mare pulchrius ſua viriditate monſtrātes, & oculos ſpectantium frondium mobilitate, & vmbra laſciuius demulcentes, ac blandientes.

Deſcriptio ſitus Ædis Nouitiatus

4 Viſus etiam non ſolum ab vndarum leni fluxu ibi oblectatur, verum à ſcopulis adiacentibus, atque virentibus recreatur, ſubmiſſis, & in vndis demerſis, circa quos piſces nantes, tripudiantes, & velut iacula, mare penetrantes, oculos placide leniunt ſpectatoris. Item aſpectus à multis alijs terminatur cum ſuauitate Inſulis paruis, quæ mirifica à Creatore circumeleuantur pulchritudine. Cymbæ verò per hoc fretum, ſeu lepidū ſinum in numero non mediocri aſſiduo diſcurrunt, ſiue remis, quaſi tot brachijs nantes, ſeu velis tanquam alis ſecant vndas. Aeſtate verò nobiliſſimis viris plenæ hæ cymbæ ſupra ſalum placido motu meant, reſonantibus in eis choris muſicis, vocibus, & inſtrumentis proxima litora, & arbuſta reſpondere facientibus; vbi & piſcium, hominumque auditus vehementer, ac blande ſuſpendunt, itaut renaſci, & reſonare videatur, quam fingunt Parthenopen Sirenem ludentem per hunc ameniſſimum pelagi ambitum; ibi quoque ora feliciſſimi valde ab hiſtoria, & poeſi commendati Pauſilippi abluitur, hunc delectabiliſſimū Collē à dextris huius noſtræ domus mare circumcingit, quaſi arcus, caput flectens ad orientem vrbem verſus.

Cōmēdatur iucunditas huius oræ maritimæ.

5 Ante fores huius noſtræ Aedis, & Eccleſiæ aſſiduo confluunt Rhedę nobiliſſimis viris, ac matronis honeſtatæ, ac onuſtæ, qui ad fruendum ſuauiſſimis flatibus à mari expirantibus concurrunt, & ad libandam perfrigidam aquam conueniunt, quæ in ſubterraneis antris, valde ingentibus noſtri Conuentus magna in copia conſeruatur; itemque ad orandum in Eccleſia noſtrarum domuum coeunt, quæ magnifica eſt, vbi ſingulis diebus Dominicis poſt prandiū pluribus accenſis luminibus ſanctiſſima Euchariſtia exhibetur Populo; in ea enim poſtulationes, ac preces ad Dominum pro agonizantium animis funduntur; ſermo inſuper hiſce diebus ab aliquo ex noſtris Patribus de eadem materia in ſugeſto ad Populum habetur; mane verò multitudine Sacrificiorū incruentum ſatis idoneam occaſionē, ſacra auſcultandi, potiuntur occurrentes perſonæ. Mentem, & inibi Corpus, aſili opportuna commoditas, maris, aeris, & aquæ ſalubritas, ac refrigerium eblādiuntur; ſpiritus inquā deprecationibus, apparatu, ac magnificētia templi reſpirat, ac dilatatur; quocirca in dies magis, magiſque gentium concurſus, & Carpentum frequentia adaugetur, cuius numeratio, nequit deſignari, quoniam dum alia ſuccedunt, quædam ſecedunt.

Ibi frigidiſſimæ, ac ſalubres aquæ conſeruātur

Adeſt quoq; pabulū ſpirituale.

1609.

In hoc placido maris finu, quafi in aliquo deliciarum hortu, fibi complacuit Dominus, his adolefcentibus nouitijs domicilium figere, qui pro Dei dilectione proprias, ac paternas domos repudiauerant; ibi enim poft labores, ac vigilias, putoresq; Hofpitalium congrue refocillantur per aliquot hebdomadas, plus, minufue iuxta cuiufq; vires, & prout fuperioris prudentia pependerit; quamuis maior Nouitiorum pars fatius habitare in Nofocomiorum locis concupifcat, quam inibi, vt nimirum miniftrando ægrotis altiorem mærendi nancifcatur anfam. Sed finis adhibeatur loci tractatui, tamen priufquam abfoluitur, aliquid de Conuentus, ac templi forma pauca dicere liceat.

Inibi adolefcentes poft labores Hofpit. refpirant.

6

Conuentus enim habet à confpectu meridiem, & fingulæ Cellæ eo verfus cõftructæ apparent, indeq; feneftræ Solem recipiũt, & fubtus planities ampla circumftat, cuius terminus mare eft, & cum non præpediatur domus, feu conditio loci à montibus; Sol inchoat ab oriente valde mane percutere vfque ad occubitum eam Regionem, quæ plagæ fuburbium nuncupatur, Solis enim ardor attemperatur (vt dictum eft) à falubribus, qui iucunde flant ventis. Aedes enim licet contineant intus atrium, feu Clauftrum; habitatio tamen tota refpicit contra meridiem, & fretum, tria dormitoria in ea efformata eriguntur; nẽpe infimum, & fuperius, ac fupremum, in quibus dormitorijs; nimirum in ipforum capitibus, feu initijs, Cœnacula quędam conftructa fatis commoda videntur, ad recipiendas idonea quaslibet etiam Perilluftres perfonas, ac prælatos. In dies augentur huius loci ædificia potiffimum propter Collem fubminiftrantem vniuerfam conftruendi materiam; dempta tamen calce, omnia quidem ad Cœmentum neceffaria ibi parat natura; nimirum lapides nõ tantum apte probatos ad fabricæ molem; verum ad efformãdum ex eis ftatuas, & quodcumq; doctus lapicida fculpere intenderit, arenam item loci qualitas fuggerit ad cõponendam calcem, & lapillos ad fternenda pauimenta, aliaque multa fuppetunt conftructoribus, quæ memorare me non oportet; illud autem maius eft; nam cliuus facili negotio reciditur, non fecufac fcinditur glacies, & vere huiufmodi montes tellurẽ ex fe indicant fuiffe folutã; modo verò cõcretam; quãdoquidem in eius fectione intra vifcera vifæ funt chocleæ, & fimilia demortua animalia; annuentia dum vegetarent illuc penetraffe, & inibi adinuenta interijffe in terræ nempe concretione, fed de hoc quid verum fit, fanior exprimat mens; profequamur incæpta.

Forma Cõuentus.

7

Multa fuppeditat locus idonea ad cõftruẽdum.

Præter Conuentus ædificia, quæ fatis commoda, & pulchra funt, ternos compelectentia Cellarum ordines, vt dictum eft, in eadem fuperficie, & fub eodem muri afpectu confiftentes verfus auftrum. Anno tamen 1622. noui, ac magnifici templi iactus eft primus lapis ab Eminentiffimo Cardinali, atq; Ecclefiæ Neapolitanę Antiftite Detio Caraffa felicis recordationis, follemni apparatu, & Populi concurfu. Prouincialis noftri Francifci Antonij Viola Neap. labore, & eleemofynis perquifitis erectum eft Templum; iftud enim quoad fitum in latere finiftro ædium noftrarum conftructum ftat, habens eumdemmet profpectum, & æqualem fuperficiem quoad lineam vifualem, ac reliqua habitatio; fed magnificentior quidem, ac fublimior eiufdem templi facies fe erigit (ficut decet) figna, & loca oftendens, vbi marmora, fectique lapides, ac felecti funt locandi, quibus tegenda eft. Huius templi porro fores fatis amplæ patet; & quia interdum latrocinia in eo paffi funt noftri, laminis ferreis valuæ cælantur, ante cuius fores late fe extendit per quatuor capita platea, feu planities, de qua fupra etiam memini: a meridiano in fronte templum percutitur

8

Defcriptio Tẽpli Planam onis Neap.

tur à Solis radio, tranſuerſaliter verò ab eius ortu, & occaſu reſpicitur: ianua templi pergrandis eſt, ſupra quam perinde, atque oculus vitreus, ſeu feneſtra ſatis lata patet; hinc euenit, adeo luminoſum reddi, & quaſi Solis ædes totum ſplēdeſcit ab exordijs quippe lucis, vſquequo ſubveſperum declinet ad Aquilonem; altaria verò, ſeu ſacella tria ſunt, & ſex intra templi parietes concaue efformata perpolita arte Architectonica, ſatis apta non tantum ad celebrandum in eis, ſed etiam ad alia in his obeunda Eccleſiaſtica munia. Horum autem ſacellorum vocabula tribuuntur à ſimulacris, ſiue Saluatoris, ſeu Beatiſſimæ Virginis, vel Sanctorum, quæ in eis colenda locantur. In ingreſſu demum Eccleſiæ à dextro cornu primitus Diuo Franciſco Aſſiſij ſacellum dicatum cernitur, ſuccedit inde alterum ſacellum digniſſimæ, ac ſanctiſſimæ Annæ Genetrici Dei Matris ſacrum, tertio loco intueris ſimile præfatis alterum ſacellum Diuiniſſimo Cruci pendenti Domino adſcriptum ab ſtudioſa, ac deuota manu inſecto in ligno. His tranſactis ſacellis Eccleſię Crux nouiter conſtructa ſpectatur, & inde maius Altare; in Crucis enim finibus, nondum Altaria conſtituta videntur, cum adhuc rudis ſit ibi murorum materies; maioris autem Altaris Imago illibatæ Conceptioni Deiparæ conſecrata percolitur. Proſequēdo itaq; eumdem ordinem, introeuntibus templum ex leua parte fit obuiam ſanctiſſimi, ac inuictiſſimi Archangeli Michaelis ſacellum; poſtea verò in alio cernitur ſacello Imago Sacratiſſimi Roſarij ſatis venerabiliter locata, demum honorifice digniſſimum ſimalacrum Sanctiſſimæ Virginis ſub titulo puritatis cōſtitutū eſt, in ſequenti quippe ſacello, vbi extat quædā eius ſtatua, quæ aliquādo magna cum veneratione, & fidelium concurſu ſupra maius Altare deponitur, poſt ſacellum iſtud vacuum crucis eueniens cernitur. Templum enim habet latitudinis palmos quadraginta ſex excludendo vacua ſacellorum; logitudinis verò centum ſupra quindecim, intellige nauim Eccleſiæ; inter vnum, & ſecundum ſacellum inhærēt concaua in parietibus loca; vbi Confeſſionaria ſita ſunt, tota intra fabricæ ſtructuram conſiſtentia, quod valde ſanè decorum eſt non impedientia templum, & confeſſiones decentius auſcultantur.

9 In ædibus quoque noſtris grande horologium ſonans diſtinguit diurnas, nocturnaſque horas, laboreſque mortalium ſuo tinnitu, ac præcipiti curſu emulcet, quod ferme per totam eam plagam, & quoque ſupra Collem reboat; Inſuper circum clauſtrum circa variæ affixæ pendent complurium Patrum effigies in tela, qui vitam mira virtutum laude clauſerunt, omnes in proximum clementes admodum, potiſſimum erga infirmos claruere, quorum plurimi in peſtilentia, veluti agni ſeipſos propter Deum, ſuaq; membra, hoc eſt lue affectos immolauere, decedendo. Harum ædium memoriam, nempe completum Conuentum reliquit præfatus Pater Blaſius, itaq; tam hoc Cœnobium, quam etiā aliquot domus conſtrui fecit ex pecunijs (vt alias faſſus sū) Perilluſtris Dominæ Iuliæ de Caſtellis, ex quarum redditibus Nouitiorum victus ſuppeditatur; deinde ſuccedētibus annis, hoc eſt poſt dicti Patris deceſſum nouum, quod cernitur extructum eſt templum fidelium eleemoſynis.

Simulacra, quæ ſpectātur circum affixa clauſtrum.

10 Sol dum præſentē conficeret annum in Noſocomio Sāctiſſimæ Annunciatæ Neapolis quidam profeſſione, & natione Turca febri correptus, vt facilem obtineret ingreſſum in præfatum Noſocomium, ſe finxit Chriſticolam, & ſicuti ceteri loci eiuſdem infirmi ſacramentaliter confeſſus eſt, Venerabiliſſimūque Chriſti Corpus ſumpſit, neque pacto aliquo dignoſci poterat, qualis eſſet fidei, propter Italicum, quod callebat idioma, color item ſimilis gentis noſtræ

De quodam Turca, qui ficte ſuſceperat Sacramenta à P. Cam. agnito.

albus.

1609.

albus. Pater itaque Camillus per cubilia infirmorum discurrens, efflagitauit ab eo, si fuerat confessus, & communicauerat, vtique fassus est, quem Pater de sua iterum Religione ipsum interrogauit, quasi illius præsagiens infidelitatem, prompte Christianum esse subdidit; Camillus autem intelligens ipsum fuisse mentitum, iterum requisiuit ab eo, vt vera nuntiaret, qui post primam, & alteram interrogationem amplius se occulere erubescẽs illi, qui sua cordis aperuerat arcana, vere manifestauit se infidelem esse; propterea verò Sacramentis ficte imbutum esse, ne scilicet ab Hospitalis ingressu excluderetur; de grauissimo, quod perpetrauerat errore, ipsum obiurgauit Camillus, contemnendo nempe Ecclesiæ Sacramenta; vnde illi Maumethi falsi Prophetæ dogmata detestari persuasit, quod facile Camil. obtinuit ab eo, qui credebat desup reuelatũ sibi fuisse statum, & propriam conscientiam: totum hoc euenit hora 16. diei, summatim orthodoxæ fidei rudimenta edoctus est; quandoquidem ad interitum festinabat æger, atque eodem die sacro baptismatis lauacro munitur & quamuis eadem non hora, tamen intra eumdem diem ante Solis occubitũ, morẽ, & sectã, in qua tamdiu velut sus se reuoluerat detestans, acutoriq; vitę se commendans ad eum euolauit. Saluator enim noster à Iudeæis fixus in Cruce, dum deluderetur eodem tempore illos ad se pœnitentes traxit, de quibus ita legitur in Euang. reuertebantur percutientes pectora sua; modo cũ hoc infideli idẽ fuisse operatũ insinuatur; Dñm.n. contempserat ficte ad Sacramẽta accedẽdo, attamen ad veram fidẽ ipsum misericorditer vocauit, ò semper amabilis, & cõmendabilis Dei benignitas, qui de lapidibus suscitat filios Abrahã.

Lib. 3. c. 1. circa mediũ.

Nunc aliqua de votorum obseruantia (facta de tyronum ædificio mẽtione) Patris nostri subnectenda, vt proposui in fronte præsentis anni, plura superius de humilitate collegi Patris nostri Camilli, & litteris commendaui, vt scire, & scribere datum fuit, in præsenti de paupertate, veluti humilitatis legitima proles subdere aliqua fas sit; Camillus enim in omni re pauperem vitã dilexit, vt Dominicam nancisceretur beatitudinem, quæ inter octo, prima recensetur, Beati (indicit in Euangelio Diuus Matthæus) pauperes spiritu, in victu quidem, & vestitu, in habitatione, in omni loco, & tempore, & cum omni persona se vt pauper exhibuit, & extitit; quam nobilissimam virtutem non tantum iuxta Religionis regulam obseruauit; verum extremam sentire studuit. non modo Religiosus, atq; adeò Sęcularis, & Laicus. Hanc quidem didicisse omni tempore non ignoratur, & per eam Dominum illum traxisse scimus, etiam dum mundi militiæ vacauit; quando nimirum vestes ludendo Neapoli vsque ad subuculam inclusiue amisit, & postmodum in Vrbe Manfredonię stipem emendicando ab illius incolis efflagitauit; sed recurramus ad facta post eius ad Dominum conuersionem. Vt ad noua indumenta suscipienda induceretur opus erat superiores euadere Mathematicos, & vti astrolabio; multis nimirum, varijsque vti artificijs, adhibendo plerumque suam auctoritatem, & sanctæ obedientiæ præcepta interponendo, vel quandoque fieri quodammodo cogebantur latrones, vetustas, & irresarcibiles vestes, & pallium sub noctem dormiente Patre Camillo surripere, suppositis recẽtibus loco earum, nec satis erat huiusmodi prudens calliditas, quoniam expergefactus instanter sua vetera postulabat tegumenta, & non valens secus agere demum illis nouis nõ lęte amiciebatur, quibus si poterat (data occasione) libẽter exuebatur resumptis laceris, ac pristinis vestimentis, deniq; neminem permittebat ipsi præire in paupertate, & mundi contemptu, quamuis esset Generalis.

11

De heroica Camill. paupertate.

Fer-

12 Ferrariæ dum moraretur, ea domus graui rerum temporalium neceſſitate arctabatur, cuius Pater Camillus commiſereſcens prompto animo propria vendidit indumenta, quamuis vſitata, & pauperibus decentia; nihilominus abalienatis pretium ex Hæbreis ſuſcepit, deditque ſuperiori, non quidem ſperabat ex ea pecunia domus noſtræ dirimi poſſe pauperiem, vel aliquod iuuamen afferri notabile, ſed potius totum id operatus eſt, vt vetuſtioribus, ac vilioribus pannis tegeretur, & ita per vrbis plateas incederet, paruique æſtimaretur.

Sua indumenta vendit Camil. vt domi ſuccurrat. Præf.

13 Et licet pauperes tunicas, & alia tam interna, quàm externa corporis operimenta adamaret vetuſta, & multis fruſtulis conſuta; nihilo ſecius illa à ſordibus munda geſtare inuigilauit; vnde quamuis in Hoſpitalibus ferme aſſiduo verſaretur; attamen ſe vnguentis, pute, cæteriſque immunditijs coinquinare uitauit, ſeruans quoad poterat ſe liberum à ſordibus; hinc replicare ſæpius mos illi fuit, panniculos ſuper panniculos deferre ſupra tunicam honorificum eſt Religioſo; quandoquidem integritas morum, & virtutum honeſtas ipſum honorat, non autem veſtium curioſitas; vnde ſi qui perpolite eas compoſuiſſent acri reprehenſione corrigebat; denique ſubiungebat, ſordes in veſtibus admittere reprehenſibile eſſe.

Laudat mũditiam in tegumẽtis, nõ autẽ curioſitatem.

14 Non tãtũ veſtimentis cõtẽptibilibus, & multis pettijs affectis: verũ aliquãdo eis filo albo conſutis ferre gaudebat, & pati quoque propter eorum carentiã frigoris rigorẽ gloriabatur. Romæ integra hyeme, perfrigidaq; ſola interula, & induſio veteri vſus eſt ſubtus tunicã, abſq; thorace, peruigil in S. Spiritus Noſocomio noctes, dieſq; ducens, vbi aquilo ſatis ſentitur; quare non parum ab algore ſtimulabatur, adiecta ipſius ſenecta, & mala valetudine, ſed ab alio interius calore fotus ſublimius conflagrauit, à quo etiam deſideria ferendi algorem, dum vrgeret, ſuſcepit.

Nonnũquã albo filo cõſuta indumenta ferre amauit.

15 Præfectus Domi noſtræ Romæ Camillum contuens pallio, & tunica valdè conſũptis incedere; non tantum propter decorem eius perſonæ, ſed potius, vt iniuriam frigoris facile calore nouarum veſtium propelleret, vocato ſartore iuſſit deſumi menſuram, quem accedentem abs ſe remouit Camillus aſſeuerans illis non indigere; quandoquidem veſtis adhuc reſarciri permittebat, & pallium ſuperinductis alijs panniculi fragminibus vſui vtile foret; vnde tranſacto triennio locuti poſtea eſſent de recentibus tegumentis; itaque nullatenus paſſus eſt, noua ſibi efformari veſtimenta; quod penè ridiculum eſt, nam pallia iuxta noſtrorum vſus, quamuis fuerint recenter compoſita, vix trium annorum vetuſtatem, vel paulò ampliorem agnoſcunt, & vltra quaſi nequeunt deferri: Camillus verò quando conſumptum habuit pallium, tunc nouum iæſtimauit, & appretiauit, ſtatuitque, ac ſi recens eſſet, aliud velle poſt triennium admittere: maiori lætitia vetera ferre geſtiens tegumenta, quam alij nouis diſpatiari per plateas deſiderant. Plerumque clauſis cubiculi valuis proprio vſui conceſſa veſtimenta remendare viſus eſt; non expectans ſartoris operam; illos autem inſimulabat, qui paupertatis profeſſores iactabantur; attamen paupertatis incommoda ſuſtinere dedignabantur.

Quomodo refutat nouaindumẽta

16 Cubicula, in quibus diuerſabatur tum in Hoſpitalibus, quàm in Religionis domibus peranguſta videbas pauperiem redolentia, atque multotiens humida, & Solis radio carentia, in eis nihil præter imaginem cerneres Saluatoris Cruci affixi, & Sanctiſſimæ Virginis in papyro impreſſa parietibus hærentia; breue item cubile, ſimplici culcitra, & veteris lanæ operimento tectum,

1609.

Forma habitationis tā intra, quam extra Nosocomia.

ineptum nedum ad recipiendum Camillum proceræ staturæ; verùm quoque virum communis magnitudinis, alia ornamenta, in sui cubiculo non admisit, quamuis haud raro à viris Religiosis, & Laicis magni nominis viseretur; non enim in his exterioribus sua gaudia, sed in spirituali contemplationis sapore locauit. Habitatio inquam intra Nosocomia deterior fuit, non solum propter Hospitalis fœtores, atque adeo ob ipsammet, in qua subsidebat mansionem. In S. Spiritus enim Nosocomio, vbi diu ægris ministrauit, quoddam ligneum tugurium habuit, quodusque nūc stat, supra Tiberim angustum satis, & paulò maius lecto, continens fenestram, quin potius foramen, ad hauriendam aurā: in immensum sanè protraherentur scripta, si cuncta singillatim recolerentur; sed quisnā illa obseruauit? nec miror; quandoquidē, quasi accensa tęda supra candelabrum seruus Dei Camillus positus est à Domino, vt suæ nimirum Congregationi perfectionis lucem effunderet, & compluribus pietatis exercitia complectentibus effulgeret, multosque exemplo suo somno deditos excitaret, & flagitiosos.

17

Quemadmodum integerrime adamauerit parsimoniā, hoc est in cibis seruauerit pauperiem.

Etiamsi in vestitu parcus, & in habitatione parcior vixisset Camillus, in deprimendo tamen Gastrimargiæ spiritum, hoc est gulam valdè pauperior se exhibuit, tam in communi mensa cum ceteris Patribus, quàm extra, siue peragrando, siue ex occasione foris cibos, vel potum sumendo de sæcularium mensis. Domi enim nostræ nunquam sibi aliquid peculiare admisit parari; quinimmo ne à communi discederet esca; multoties etiam febres contexit, vtpote ne cibi, vel vina illi suppeditarentur exquisitiora; aliquando Romæ pene totam quadragesimam enixus est seruare strictim, quamuis præter suas consuetas ægritudines à febri detineretur, tamen coactus est extremis illius diebus ex præcepto Medicorum, & obedientiæ, quod vrgentius illum coarctabat, ipsam confringere: superfluum esse dicebat communia Religionis edulia concedere suo corpori, & valde damnabile, ac periculosum esse velle relicto cōmuni vsu alios, subministrari cibos. Cum enim Cocus in Refectorio circumduceret fercula supra tabellam iuxta morem, ipse submissa ceruice, & luminibus sumebat quæcumque sibi obuiam irent dapes; si casu contingeret singularitatem aliquam ei impertiri, siue in ferculo, siue in ipsamet patina, acriter Ministros obiurgauit, & quandoque impositis etiam pœnitentijs defectum emendauit. Romæ quoniam patina sibi semel delata fuit aliquanto reliquis mundior, & recentior, veluti grauem commisisset errorem, arguit ministrum latorem, subnectens, vt posthac ne similem incurreret defectum; quemadmodū, ait, æqualis debet esse portiuncula, ita pariter catinus non dissimilis reliquorum ferendus, atque in omnibus vniformitas seruanda est; alium verò parem defectum non verbo, sed pœnitentia iniuncta correxit; Messanæ dum frater quidam ministrans in triclinio attulit ei ferculum superadiecto, vel asperso modico pipere, seu cinnamomo, quem interrogauit, si supra ceterorum Patrum dapes illud collocasset; intelligens non simile condimentum adiectum fuisse reliquis, post increpationem superaddidit flagella, vt scilicet à se disciplina vapularet.

18

Quomodo solares radijs calefacit eius refectiunculā.

Interdum etiam, quādo nimirum intra Nosocomia in pauperum ministerio versabatur, refectiunculam ad solis radios calefecit, quam domo nostra secū detulerat, illam potius amaricatam, quam calidam, vel tepentem comedens, totum id ab eo peractum est, vt arctiorem vitam duceret, & nouā semper adinuestigaret viam in exercitio virtutis, & ansam. magis ipse incommoda, & pau-

periem

periem persequens, quam voluptuosi homines, carnis oblectamenta, & mundi illecebras expetunt.

19 Non semel tantum, sed quampluries eleemosynas pingues remisit elargientibus, dubitans ne per errorem ipsas erogassent. Romæ noster eleemosynarum quæstor à Nicolao de Angelis Consistoriali Aduocato sex Iulios monetę illius obtinuit, quos ad Patrem Camillum detulit, qui inter eos auream pecuniam pretio triginta Iuliorum inspexit; arbitratus est autem Camillus illam non voluntarie, sed ignoranter missam occurrisse inter alios nummos argenteos, quam illico arreptam procuratori tradidit restituendam suo domino; pro ut Sanctus fecit Tobias cum hedo, asseuerãdo, neque aliena tangere fas esse, statimatque redditus est aureus nummus, animaduertit errorem Nicolaus simul, & integritatem Camilli, animumque ab omni cupiditate alienum, quam liberaliter donauit, & ex eo momento perpetuus se constituit Domi nostrę beneficus, procuratori instituens, vt mense quolibet ad eum se conferret accepturus stipem. Insuper quando per Vrbem deambulantem Camillum inspiciebat, sistens, atque procumbens coram eo, non inde proficiscebatur quoadusque benedictio illi à Patre Camillo impertita fuisset. Vir sanè tantæ prudentiæ, & eruditione magnas ex ea actione argumentatus est in Camillo, & heroicas virtutes.

Restituit quandã pinguẽ eleemosynã putans sibi erogatã errore.

20 Simile occurrit cum Domino Camillo Rinuccino in eadem Vrbe, a quo idem quæstor receperat in stipem quamdam chartulam aureis nummis plenã, Dei seruus eadem dubitatione actus, restituendam iussit, sed ab eodem Domino maiori quam antea promptitudine concessa est eadem opima largitio, quam alijs quoque pecunijs adauxit, Patrum modestiæ vicem reddens, noua oblatione demum, vt pro ipso deprecarentur, dimisit illos. quidem si Camilli animus omnis fuit cupiditatis immunis, & erogante eleemosynas liberalior; quærentis vero stipem non mediocriter mœstus in reportandas totiens sponte oblatas ambulabat. Imposuerat item quæstoribus nostris, vt inter quærendam eleemosynam, ne nimium pauperiem, aut plus debito anteferrent; satis esse, dicebat, asserere benefactoribus nos inopiam, vel indigentiam pati, ac de pijs viuere largitionibus: nec oportere subnectere grauissima coarctari, seu pergraui necessitate.

Iterũ reddi iubet oblatam stipẽ.

21 Licet Camillus de pauperibus, & de Hospitalium locis esset optime meritus, attamen bona illarum venerabilium Domuum, veluti sacra tractabat, hoc est nil sibi asciscẽs, aut bonis earum per se vtens, multotiens oleum Domo nostra deductum, in officio commẽdationis animæ consumebat, eo quod per aliquam moram horas Canonicas coram agonizantibus recitabat, ad puram, nudamque animo intendens caritatem, temporalis emolumenti oculum omnino clausum seruans, Apostolicum dictum assequtus, gratius esse magis dare, quam accipere.

Etiã nostro oleo in Hospit. vsus est

22 Pecuniam penes se, dum esset in numero subditorum, continere omnino abhorruit, siqua ei pro refocillandis ægrotis suppeditabatur, statimatque à Nosocomij OEconomo seruanda, porrigebat, illa iuxta egenorum vtens necessitatem, emens ex ea successiue refectiunculas aliquot, vel domum regrediens ab aliqua ex nostris, repente si quæ vel pecunia, seu viaticum supererãt Superiori exhibebat, asseuerans malle cum dracone dormire, quam nummos detinendo, cubitum ire.

Nullatenus admisit pecunias penes se morari.

23 Si vero nostri damnum, quamuis leue alicui irrogarent, præter duriusculam

1609.

correptionem, & salutarem pœnitentiam, resarciri prorsus interesse studuit: vnde suos Religiosos cum aliquando Romæ post Hospitalium labores, vt refocillarentur, misisset in quemdam agrum Dominorum nuncupatum Magnanellorum extra Populi portam existentem, inibi quoniam ex patribus quidam contra Superioris præscriptum, aliquas ficus temere decerpsere, etiam si paucas, illasque comedère, illico iussit Domo nostra eo fasciculum deferri disciplinarum, quibus in gulæ punitionē mādauit præuaricatores se percutere disciplinis, sero autem certa quadam pecuniæ summa vineæ procuratori relicta, secessit vna cum suis, hinc eo die eorum cithara versa est in luctum, sed propria, non aliena culpa ob gulæ, & inobedientiæ reatum. Quidam frater pariter nomine Roccus, adhuc ab infirmitate non bene confirmatus, aliquantum per Vrbem fuerat dispatiatus, domum contendens nonnullas attulit radices, requisitus tamen à seruo Dei vnde obtinuerat, protinus protulit illas in quodam vineto euulsisse, ignorante vinitore, quas reddere eodem instanti iniunxit, obtemperauit obediens frater longum iter agens prætergresso nimirum Templo Diui Honophrij: idem alias socio præcepit, vt arundinem restitueret, repedanti vltra milliarium, quam inscio Domino ab arundineto abstulerat, vt itinerando fulciretur.

24 Decurrente anno 1600. iter agens Bucchlanicum, vna cum suis Consultoribus, pridie vero quam eò conuenirent, à semita errauerunt, vnde vt rectum tenerent tramitem, oportuit aliquot itineris spatia conficere, atque transmeare aliqua sata, & quoniā iumenta lætas segetes pessūdederant, quantum mœroris sensisset Camillus, exprimi difficile est; quasi equi supra ipsius pectus firmassent gressus, dolens de damno Dominis euenturo, quamuis nostri illi edicerent, nullum futurum detrimentum, quandoquidem in pristinum statum ascensuras segetes, iterūq; vernatum, attamen ipse accurate prospexit si forte agricolam inueniret; vt si quid esset irrogatum nocumentum, pecunia compensaret; interim quo solertiori dexteritate licuit, iussit, vt post se ab vnoquoq; traherentur equuorum habenæ, iter pedestrim conficiendo.

Quanta dexteritate ducunt bestias, ne aliena sata deuastēt.

25 In superandis reliquisque in conculcandis vitijs enixus est, & insudauit Camillus, remedia adhibens contraria, vehementer, atque audacter, veluti strenuus athleta dimicans: at vero in subiciendo turpitudinis vitium, hoc est incontinentiæ spiritum, ardentius obluctatus est; oratione quippe, abstinentia, vigilijs, pœnitentijs, Hospitalium, & carcerum squalloribus, diutius inter mortua, vel semimortua corpora diuersans: dempta enim comburendi materia emoritur ignis, sic pariter ablatis intemperantiæ, & impudicitiæ fomitibus venus improba non dominatur; Camilli enim somnus quatuor, & ad summum quinque non excessit horas, nusquam otiosus torpuit (cum otium sit hamus, in quo omnis vitij escam diabolus affigit, vt capiat vecordes) sed quambene applicitus perpetuo adinuentus est; mulierum nedum familiaritates vetuit; verum earum aspectum, & colloquia; vnde remedia contraria ad hunc hostem debellandum adhibuit; Dominus verò tutamen illi dedit, vt vinceret: quid igitur mirum, si suis Camillus in colloquijs effari interdum consueuerat se hominem nosse per triginta decursum annorum, quam acerbe ab iaculis venereis impetitum, illum tamen restitisse, vt parietem inflexibiliter (de se loqui iudicatus) dextera acriter interea proximum parietem percutiebat, subdiditq; sic erit itaq; si dęmon aggreditur constantem virum, eius repudiantem fallaces suggestiones, viriliterq; reluctantem: at quomodo eius non succumbet versu-

Acerrimus inhonestati expugnator.

tijs

1609.

tijs, mollis, & effœminatus animus? quandoque ad depellenda immunda cogitata, ſalubre remedium ſibi à P. Angelo ex Fratibus Cappuccinis Mãfredoniæ traditũ adhibuit, nimirum ſtatimatque locum in eius mente deſiderabant, in dæmonis faciem expuebat, & hoc documentum alijs ſeruandum tradebat: ſuos quoque nouitios ad peſſundandum hoc turpe vitium taliter inſtituere conſueuit Fratres cariſſimi aiebat, vigiles eſtote, ac ſolertes ad excludendum è cordibus inhoneſtatis flagitium, & ſordidas cogitationes, eo modo quo ab ignito vos elongatis ferro, & abhorretis illud contrectare, tam repente, & intente tentamenta quælibet vobis ſunt propulſanda, & ſicut accenſos carbones è veſtibus, excutite, occaſioneſue deuitate, atque in mentem hominis nouiſſima reuocate, æternum quippe ignem, ceteraſque pœnas ineuitabiles reprobis adſcriptas, diemque mortis quamcitiſſimam; atque in animum reducite amariſſimam Chriſti Domini Paſſionem, & cum Pſalmiſta clamate, Confige timore tuo carnes meas &c. hæc alios edocebat, tamen ipſe quamſtudioſe exequabatur, ſubnectens, neq; minima in hoc materia quælibet putanda eſt, ſed enixe pellenda ab animo, quãdoquidẽ, in eadem immorando ſimilitudine, nullã aiebat contemnendam eſſe ſcintillam, poteſt enim quamuis parua, & contempta in gentem conflagrare ſyluam, & plures, qui veluti firmiſſimæ arbores eleuabantur, ex hoc concupiſcentiæ igne combuſtæ miſerandum in modum cecidere.

Dicta quib. docet deuitandã eſſe incontinentiam;

26 Attentiſſima quidem Camilli cura extitit muliebria nedum commercia, verum etiam earum aſpectum ab ſe ſummouere; plerumque ne vano fuco comptas contueretur, relicto proprio itinere, conuerſuſque retrorſum, contrariam ſemitam arripiebat, ſiue à latere tranſuerſam viam capiebat, ſiue deiecto pileo deſuper oculos, ceu lumine captus iterfaciebat, aut nõ valens iſta peragere ne illis proxime accederet, ſiue per medium cœnum incedebat, ſiue citiſſimo greſſu earum præſentiam, & viſum declinauit, & odoratum, non ſecus, atque cetera reptilia baſiliſci olfactum necantem fugiunt, flocci æſtimans ſi interdum propter has, ſimileſque actiones, quaſi ruſticus reputaretur, immo poterat, & recte cum Apoſtolo gloriari, nos ſtulti propter Chriſtum; quidam enim ex ſuis Religioſis retulit ei, ſe per Florentiam præcellenti in rheda deuectam vidiſſe Galliæ Reginam, quem torue proſpiciens increpauit, & ego ait neque ſimplicem dimouerem greſſum ad quamlibet intuendam mulierẽ; quamuis autem adeo velociter earum fugeret conſpectum, attamen non inhumane, neque ferino more ſe geſſit, vt ſtulte aliqui opinati ſunt, namque ipſammet Reginam eadem in Vrbe inexpectato ſupra pontem (vt appellant) Rubacontẽ, obuiam habuit, Camillus autem ſiſtens gradum, diſcooperto capite, admodum reuerenter eam ſalutauit, lumina quidem defixa tenens humi, ſocius, qui curioſe illius vultum conſiderauerat, Camillo aſſeruit, Pater hæc Regina profecto permagnæ continet Reginæ partes ob nimiam venuſtatem, & benignitatis celſitudinem, quem acriter ſeruus Dei redarguit, & tu audes (ait) lumina fœmineos intendere in vultus? quod non licet contrectare, dedecet oculis contemplari.

Prorſus deuitauit mulierum occurſum.

Redarguit ſocium ob intuitũ, quẽ fixit in Reginam.

27 Quando vero neceſſitas poſtularet, aliquam matronam Religionis beneficam alloqui, id magna vi, & quaſi catenis tractus, admiſit, dolens familiariter, & cum ſola muliere ſermonem protrahere, quamuis honeſtum, & ad eius animam ſpectantem, attamen diſtanter adeo illam auſcultabat, ne ſcilicet alitu, vel tactu inficiaretur, Vnde cum rogaretur, vt quamdam viſeret Domi-

1609.

Migrant totum cœnaculũ mulier & Camillus, vt ab ea se elonget.

nam admodum mœrentem ob aliqua sibi instantia damna, & nonnullas patiẽtem ærumnas, cum ad eam pergeret, & simul verba facerent duabus assidentes in sessionibus: matrona, vt attentius serui Dei Camilli sermonem perciperret, illi herebat sessionem appropinquans, Camillus vero, ne haberet illam proximam, sedem ab ea retrahebat, vsque adeo hoc modo processerunt, vt maiorem cœnaculi partem sic sedentes commearint, quæ nouitas à Domi famulis, & Camilli socio, licet neque à muliere, neque à seruo Dei animaduersum sit, & si raro permitteret huiusmodi colloquia, verum non nisi adstantibus socio, ceterisque personis, & patentibus ianuis, his sane cauthelis non tantum mœrore confecta mulier remedia, & solatia suæ afflictionis reportauit; verum adstantes modestiæ, & honestatis exempla sunt admirati.

Vitauit sibi fœminas deosculari manus.

28 Eius manus fœminas deosculari perpetuo vetuit, dum autem contingeret illas anxie ob deuotionem deosculatum venire sub pallio, vel aliter remouit, ne ab earum manibus, vel osculis contrectaretur, seu candor ipsius pudiciæ temeraretur; at si fortuito absque illius animaduersione manui darent oscula, ipse modeste, ac studiose ea retracta, vestibus tergebat, quasi in sordes impegisset.

29 Semel Genuæ in paruo Hospitio, quædam magnæ auctoritatis Matrona, Patris Camilli id inopinantis dexteram deosculata est, quam suo more pallio tersit, illustris vero Domina hoc admirans obstupuit, petiuitque ab socio, qua ratione id Pater effecisset; quid est (ait) Patris vestri ista seueritas, qui tam accurate manum tergit, veluti imbuta veneno, comes vero arrepta occasione multa de honestissima Camilli conuersatione protulit, & quanta cum attentione, ne fœminarum dumtaxat conuersationem, & manuum deosculationes aufugeret, verum & ab earum aspectibus se penitus elongaret, vnde maximopere, quod male notauerat Matrona emendauit, seruum Dei mirifice commẽdans, eiusque integerrimum puritatis amorem admirans, augensq; erga ipsum deuotionis studium.

Quædã mulier minime obtinet posse Camilli dexterã deosculari.

30 Romæ vero quædam mulier seruum Dei Camillum extra Conuentus nostri ianuam opperiebatur, vt ipsius deoscularetur manus, ac benedictionem ab eo obtineret; domum vero perueniens Camillus præfatam offendit mulierẽ, apprehendere manum ipsius, cuiq; defigere desiderabat oscula, ab eoque benedici; Camillus vero sollicitior ostij campanulam pulsabat, vt ab illo se summoueret occursu, & quoadusque panderetur ianua, restitit tangi à muliere, patefacta verò, & introgrediens ait, Dominus nobis suã impertiat benedictionem, & euestigio nullis alijs intermissis verbis secessit; itaque non modo a manus deosculatione; verum omnino ab eius colloquio, & visu se abstinuit, non enim tum pietatis ratio ea in occasione immorari postulabat. Demum nisi vrgente caritate cum hoc sexu tempus minime contriuit.

Sæuiter redarguit sociũ, qui permisit sibi à fœmina tãgi manum.

31 Neapoli cum dispatiaretur simul cum socio, qui eleemosynarum quæstor erat, prope Ecclesiam D. Dominici media in via occurrit illis quædam Illustris Matrona iam ætate longeua in Rheda cum alijs Dominis, quam sistere præcepit, & vocato sodali P. Camilli ipsius manum apprehendit, illum interrogans de bona Patrum valetudine, de eleemosynarum concursu, deque alijs necessitatibus, interim procuratoris præfati manum sua dextra tenebat, seruus vero Dei Camillus præsens, & id spectans dolore perculsus stabat dextram sui Religiosi perstringi considerans ab alterius manu, nempe mulieris, quamuis valde annosæ, ac satis piæ, peracto sermone, seque ab ea matrona

socius

1609.

ſocius expediens ad Camillum acceſſit, qui illum in quoddam palatium duxit, vbi acri correptione eum emendauit; prætereà domum deuenientem etiã graui pœnitentia afflixit, propoſuerat enim à congregatione ipſum ſegregare, ni patres Oratorij, quorum fuit ſemper Camillus obſeruantiſſimus, pro eo imploraſſent.

32 Aliquando quid ſimile Genuæ contigit quibuſdam recenter profeſſis adoleſcentibus, qui de rebus ſermonem habebãt alioqui honeſtis, vnde vnus inter colloquendum hæc ſubdidit, iam ego matrimonium contraxi, Sponſamque accepi in ſui ſubaudiens ſenſu de profeſſione, per quam copulatur anima Cœleſti Sponſo, quod eſt ſpiritualis cognatio, vt in Canticorum Epithalamio eminenter exprimitur; Camillus verò quoniam exteriora verba nõ id reſonabant, illos modeſtè coarguit, at quoniam officio Generalatus ſe abdicauerat, conuocato, qui talia prodiderat, effecit, cum Domi Præfecto præter correptionem, vt pœnã diſciplinæ flagellatione lueret, non modo Camillus aperte redolentia hanc turpitudinem criminabatur; verum quælibet eiuſdem prauitatis ſuſpicionem inducentia verba.

Corripit nouiter profeſſum, qui ſe matrimonio copulaſſe protulit.

33 Quamuis hoc deteſtando vitium tam ſæuerus vixiſſet; attamen cum Religioſis, ac honeſtis, & inſtituti noſtri ſtudioſis fœminis, ſiue ægrotis non renuit, dum occaſio poſceret, eas, & viſere, & munus obire commendationis animæ, & ſpiritualis quoque, atque cœleſtis dilectionis verba, infirmorũq; redundantia beneficientiam interſerere; quandoque etiam ad Monialium Sacras Aedes adijt, vt Romæ contigit; qui rogatus celebratum venit ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Templo Venerabilium Sororum Monaſterij Turris ſpeculi, quo peracto ab eiſdem Illuſtriſs. Dominis Matribus inſtanter iterũ requiſitus, de diuinis verba fecit; vbi altum habuit quidem ſermonem non mundanam eructantem eloquentiam; ſed ſublimem perfectionem, ſpecialiter earum commendans erga infirmas ſibi cognatas pia miniſteria; cum hæ ſacræ Moniales ob eãdem cauſam ſtricta minimè arctentur clauſura; quominus vrgenti ex cauſa egrediantur, ac redeant poſtmodum ad Monaſterium: propter hanc cum ægrotis commiſerationem ſpeciali dilectione à P. Camillo reuerebantur, à quibus etiam plerumque ſubtiliſſima fila parabantur proprijs manibus, quæ tibiæ vlceratæ applicabat, vt paulo antea recenſui. Bononiæ quoque à quibuſdam illius domi deuotis matronis exoratus in Eccleſia exhortationẽ habuit, adeò efficacem, vt diſceſſerint omnes magnis obortis ex earum oculis lachrymis.

34 Extra verò neceſſitatem, vel pietatis exigentiam, prorſus earum etiam viſũ (vt dictum eſt) ſiue voces, vt fimum à ſe depulit, neq; Camillus earum præſẽtiam poterat ſuſtinere, neq; ipſæ, vt infectæ Camilli coram perſona ſtare quibant, vt olim euenit dum Mantua Ferrariam contenderet, vbi duæ minuſquam honeſtæ intererant mulierculæ, quæ cum aliquibus impudicis adoleſcẽtibus ludibrijs ſe implicuerant, verba caſtis indigna auribus edentes, hæc turpia ne cerneret, neue audiret Camillus pallio ſe contexit, odor verò malus illarum conuerſationis adeò in aures Camilli fluit, vt ſancta quadam excandeſcentia auferens ab ore pallium, quo operiebatur, & arrepto Sanctiſſimo Cruci affixo Domino, illum ante dehoneſtarum mulierum aſpectum extulit; eas exprobrando, & adoleſcentes coarguendo, terrorem Inferni, eiſque pœnas ſempiternas comminatus eſt, indignationem diuinam, quam incurrerant exaggerauit, quæ dicta talem in animo petulantiũ fœminarum, & prætet-

Quaſdã deterruit inhoneſtas mulierculas.

Lib. 3. c. 12.

1609.

teruorum adolescentum genuerunt stimulum, vt sistere in naui nullatenus quirent, vbi quasi igne aduri intra viscera patiebantur propter verba illius senis, (vt ipsæ fari cogebantur) quapropter coactæ sunt soluta integræ nauigationis conductione media in via humum resiliere; quidam postea Religiosi ibi adstãtes affirmarunt, dum loqueretur Camillus ex eius vultu quosdam quasi radios emanasse; vnde magnopere ipsius mirabilem virtutem sunt reueriti, & genibus decidentes coram eo, vt pro ipsis Dominicam Maiestatem deprecaretur instabant.

Dũ loquitur Cam. quasi radij ex eius vultu nicãt.

35 Insuper redarguebat acriter in hominibus, atq; in fœminis vanos cultus tanquam diabolica seminaria: vnde Bucchlanici cum tueretur suum nepotem calamistratis, siue comptis capillis iuxta patriæ morem ad se venientem, illum hortatus est, vt eos præcideret, quos efficere puer procrastinans, his illum increpauit verbis, vel scinde hos comptos, & vanos capitis pilos, siue desine posthac vocari de Familia Lellis, & Patrem graui reprehensione insimulauit, ipsum permittentem in filio fœminarum morem, & non magis ipsius animum imbuere virtututibus, & honestate studeret; plura super hoc referre exempla, cum sint pene similia, ratio non expostulat. Hoc sit satis pro illorum inductione.

Exprobrat comptos capillos in nepote.

36 Tripudia, sæculares cantus, & sonos adeo repudiauit, vt si quando non posset eos deuitare, tussiendo, vel excreando illos non audire, vel proprium auditũ perturbaret saltẽ. Iraq; dum illi occurreret Romæ in Ecclesia D. Mariæ Magdalenæ sacrum Missæ celebranti, vel alias graui negotio detento transeũtes huiusmodi nænias sentire, ne auscultaret tum præfatis conturbationibus arcebat auditum, si verò permitteret occasio, loco cedebat, intus domum se recipiendo, siue in cubiculum, si per viam transcurso itinere ab eis se euocabat.

Inimicus sæcularem cãtum, aut sonum audire.

Dum Venetijs Mediolanum regrederetur inter medium itineris auriga Rhedam firmauit aliquantum, æstimauit Camillus, & eius Comites Carpenti Orbiculam damnum esse passam, vel quid detrimenti euenisse; & propterea sistere in loco; veruntamen animaduertit ibi aliquas mulieres saltare, & ludere, ac tympana pulsare, atque canere, forte ob initas nuptias, vel alium lætitiæ diem, quando verò hoc agnouit Camillus acri voce aurigam coarguit, quod in his nęnijs spectandis tẽpus amitteret: illinc statim ire compulit; postea verò absoluto itinere consueta, sed gratuita largitione quam erogare cõsueuerat in fine aduentus in locũ, ipsum aurigam indignum effecit propter eam curiositatem, tot secum ducens Religiosos, nec in futurum amplius in suis transmigrationibus illo vsus est; sic eum erudiuit, qua nimirum cauthela Dei Seruos vehere oporteteret, & se quoque ab eo crimine arceret.

Quendam aurigã obiurgat Camillus, quia sistendo rhedam vanos auscultauit cantus.

37 Demum si sacrum Missæ ageret, & mulier aliqua proxime accederet ad Altare, signo annuebat socio, vt eã propelleret, ne tam vicina hęreret, quod si Minister negligeret ipse sistebat aliquantisper, quoadusque eo spectaculo sibi infesto liber sacrosanctum Incruentum prosequeretur Sacrificium. Veluti Romæ visum est, dum in Hospitali S. Spiritus Immaculatam Hostiam Iesum Christum Deo Patri offerret, casu euenit quamdam mulierculam petulantem se in prospectu Camilli celebrantis posuisse, qui Sacrificium prosequi abnuit, quoadusque vanum illud obiectum Comptæ Mulieris de medio tolleretur, quod certo erat suæ purissimæ mentis seuus tyrannus.

38 Propterea mirari desino, si miranda per eam operatus est Dominus (vt suis,

varijsque

varijsque locis clarè ostenditur per totum præsens volumen) quando in opere virtutis adeo enituit, speciatim in seruanda cordis munditie, licet fuerit à spiritu turpitudinis carnis ardenter, & assiduo tentatus, quoad vitâ duxit, (vt ipse de se retulit) nihilominus in hac perpetua lucta vicit, nec in leui cogitatu, neque in minima sensuali oblectatione locum insidiatori donauit; indeque non vulgaria beneficia suscepisse credo cõplures mulieres, tam dolore partus iactatas, quam sterilitate infęcundas, de quibus hoc in opere suis locis recensitum spectatur, quemadmodum etiam ægris magna perhibuit iuuamina, tam menti, quam corporeæ saluti, ob caussam arbitror id illis impertitũ, quandoquidem in excessu charitatis, & in iuuandis eis plurimum sudoris, & ærumnarum perpessus est, at modo ad ipsius obedientiam, quæ proprium est viri religiosi propugnaculum, transitus admittendus.

Obedientia rutilat inter ceteras virtutes.

39 Paupertate Camillus mundum calcauit, castitate carnis illecebras subegit, obedientiæ vero iugum deferendo de semetipso triumphauit, misericordia demum se omnium Creatori copulauit, de quo legitur in Psalmis, Miserationes eius super omnia opera eius; at quoniam de Camilli misericordia in pauperes copiose in descriptionibus superiorum temporum multa notaui, reliquum est, vt aliquid de ipsius obedientia memorię prodatur; licet plura viri fortissimi bello patrarint, & ense Orbem vniuersum domuerint, vt Cæsares, & Alexandri, seipsos tamen, hoc est proprios appetitus, & efferas concupiscentias sub rationis regula subicere, neglexerunt, & quamuis nonnulli mundi huius sapientes, venereas cupiditates, & actus turpes contaminosos, veluti rẽ fœdã, repudiarint; in reliquo tamen inflata superbia, propria voluntate, ceterorumque contemptores apparere maluerunt; vnde inopia huius virtutis, nimirum subiectionis obsequia præstandi Deo, atque maioribus obedientiam frustra elaborarunt, indeq; mercedem amiserunt, immo stulti facti sunt, pœnas eorum superbiæ dignas, reportantes sempiternas; sed deueniendo ad rem instituti nostri, quomodo Camillus effulserit in abnegatione propriæ voluntatis, illam Deo summo, suisque Superioribus, dum subditi vitam duxit, subiectando; prout sequens oratio aliquantulum indicabit.

40 Non parum excellentiam sanctę obedientiæ exercuit Camillus, quamuis ab anno 1584. ad vsque 1607. Religionis clauum dum direxit, alijsque iura dedit; profecto se constituit obseruantissimus earumdem constitutionum, siue ordinationum, quæ aliis obseruanda tradidit, & si ceteris remissionem aliquam concessit, sibi tamen nullam largitus est, sed nimio rigore singula opere compleuit; etenim si suis exempli gratia ordinauit sobrietatem, vel abstinentiam ipse quamstrictim seruauit, prior erat in opere obeundo, quam in pręceptione, prius manus ad labores, quam vox ad imperium abdhibuit, immo ipsius iussiones potius per effectum operis resultabant, quam per ordinationes, nam efficacissimæ sunt præceptiones, exempla maiorum. Sustinuit item multorum calumnias, sibi quandoque irrogatas, etenim ab insectantium linguis, plerumque dilaceratus, vt agnus tacuit, cum sibi inferrentur, neque rependit iniurias, an non erat hic obtemperandi modus? non resistendo quippe calumniatoribus; quinimmo lætabundus illis obsecutus est, qui cum malediceretur non comminabatur; quorum præceptionibus, & volũtati semper Camillus obsequẽtissimus se subegit; at vero quo pacto altis radicibus infixa in eius pectore perfecti obedientis virtus hæreret, statim aperte ostendit post muneris Generalatus dimissionem, immo potius propterea se illo exone-

Nõ resistẽdo obsecutus est etiam calũniatoribus.

1609.

rauit pōdere, vt celsos obedientiæ fructus ederet, suosque Religiosos, & alumnos viuis exemplaribus informaret: vt antea habuerant optimi pastoris formam, ita eximij, & obedientis subditi imitarentur normã, & sequerentur vestigia; sane vero in vtrisq; egregie se præstitit Camillus, in obediendo nimirū subiectus, & in præcipiendo valde modestus.

41 Simulatque subditi in locum post muneris abdicationem transiuit, ouanter totæ Religioni per voces, & litteras se vnum ex subditis esse patefecit, gaudens extremam post recenter Sacerdotes tenere sessionem: renuentibus illis, & cedentibus P. Camillo locum, nullo modo permittebat, sed reluctando assidere malebat posterior, & eodem sero Romæ Prouincialem adijt, vtensilium notam deferens in charta, cumque ei vnico verbo Pater Prouinciæ singula libenter concessisset; non propterea integerrima Camilli conscientia quieuit, quoadusque, perlectis singulis rebus, propria manu chirographum muniret.

Non quiescit donec P. Prouincialis sigillatim visis rebus vsum ei côcedat.

42 Domo non exibat, quin benedictionem à Superiore prius impetraret, si vero cubiculo abforet superior, illum totam domum lustrando, quærebat, & tum, obtenta benedictione, discedebat, idem reuertendo obseruauit; si vero Præfectus deesset, Ministrum adibat; at si ambo extra domum iuissent, à fratre Subministro, qui esculentorum curam tenet, veniam, benedictionemque poscebat, incredibili humilitate, ac si Generalis totius Ordinis ille frater fuisset, neque sodalem antemittebat, ad eam pro se postulandam, sed ipse proprio incessu ipsum adibat; neue de longinquo illam expectauit sibi impertiri, sed proxime accedens quadam genu inclinatione, & capitis submissione sibi conferri, hilariter opperiebatur, quam largiente tum Superiore statim, quo erat profecturus petebat, quasi illa optima totius itineris comes affutura.

Quæsito diligenter Superiore benedictionem humiliter postulatur.

43 Si celebratum iret in sacrarium æditus in nullo dissentitus est, quocumq; se induens Sacerdotali apparatu, quamuis peruetusto, neque ad agendum descendit sacrum, ni vocatus, nec aliquando quærulus visus est, siue hora esset inclinata ad meridiem, vel sub primo diei albore renideret, neque susurra intermiscuit, licet in quodlibet immissus celebraturus fuisset subobscurum Altare, non ambiens facere sacrum, neque in maiori, aut in commodiori sacello; neue curiosus extitit populi concursum expectare, vero deuotioni impensè incumbere, Diuinęque vnioni vacare pensum habuit, in hoc sublimi peragendo mysterio, cetera paruipendit: frequentius tamen si tempus, & occasio permitterent, in Nosocomijs Missam peregit: & tum si hora dormitionis infirmorum instaret, inhibebat Ministro, ne campanulam admoueret, vt nimirum ne ægrotos remoueret à somno.

In celebrãdo mira humilitas seruatur

44 In locis humilioribus eius obedientia sublimius claruit, namque in triclinio quod vocamus refectorium, & in popina, atque in loco purgandi vestes frequentius interfuit; in his enim officinis plerumque Camillus Superior, atque subditus subseruiuit, Patrum, Fratrumque, ac Nouitiorum lauans vestes, atq; interulas: nunquam discrepans sane aliquando se præbuit Superioribus; imo submissè obtemperauit illius exercitij Ministris, seu ducibus, quibus fuerat à Superioribus demandata ea defatigatio, tergens quęlibet vasa ad culinæ item ministerium applicita, mundans quoque scopa quamdiligenter à sordibus præmissa loca; detulit insuper Patribus fercula in tabella, ea tempestate, & ordine communis nēpe refectionis, prout illi iniungebatur: quoniam vero super his antea actus sermo plura coegit. Igitur hæc perfunctoriè sufficiant dicta.

Frequenter in culina, & refectorio subseruiuit, purgauitq; vestes Patrū & Nouitiorum.

Tanti

45 Tanti fecit obedientiæ virtutem, vt poſthabitis quibuſcumque actionibus, tãtum ad ipſius executionem feſtinauit, & quamuis ardentiſſimè fuiſſet addictus pietatis operibus erga infirmos, ita ut videretur quodãmodo in eos transformatus; attamen à quodam noſtræ Religionis, ſatis probatæ vitæ, Sacerdote Franciſco Corrado nòmine, requiſitus: Pater Camille ſi Superior Reuerentiæ tuæ aditum eundi ad Noſocomium intercluderet, quomodo ab hoc ſe labyrintho extricaret? cui promptè ſeruus Dei reſpondit, obedirem, & ſubintulit, ſi autem in hoc calcitrarem, & non obedientiæ imperio, protinus ceruicẽ ſubmitterem, tum Religioſum eſſe deſinerem, & belluæ nomen adipiſceret; quandoquidem cuiuſque Religioſi verus ornatus, perfectio, ac meritum in obedientia ſita ſunt: reſponſio ſiquidem digna viro tanta virtute.

Præfert ceteris virtutibus in Religioſo obediẽtiam.

46 Olim ſartor immiſſus à Superiore fuerat; vt ſuper eum noui pallij menſurã caperet, quandoquidẽ, quod geſtabat, ob vetuſtatem amplius deferri nequibat, Camillus vero amans paupertatis, illo vti cupiebat, nec vllatenus poterat induci, vt eo remoto, recenti ſe indueret, & idcirco à ſe propulſabat ſartorem, allegans eo non indigere, ſed illo quo vtebatur ſufficiens, & commodum eſſe, inter hæc verborum altercationem, ſiue ſanctam contentionem; quidam è noſtris fratribus in hoc prorupit dictum, ergo Paternitas veſtra renuit obedire? ad hæc verba quaſi tenaciſſimis vinculis alligatus, ita reſpondit, Si hoc omnino Superioris iubet voluntas, minime contradico, immo ſi iuſſerit, formetur quoque ex ſerico; quo circa nomen audiens obedientiæ prorſus quieuit, hilariter obtemperans.

Audito nomine obediẽtiæ abiecta ſua volũtate licet in humilitate ſundata, obtẽperat.

47 Aliquando iam ſibi ſuperinduxerat pallium, & ianuam ſui cubiculi claue obſerauerat, atque etiam in dormitorio cum alijs duobus colloquebatur Patribus, interim concaui metalli ſonitus auditus eſt, dans ſignum verrendi domum, ſtatimatque Camillus interpellato ſermone, veniam petiuit ab illis, non proficiſcẽdi cauſa extra conuentum, ſed ait, iam obedientiæ ſignum annuit, ire ad verrenda cubicula, ſacerdos vnus ſeruo Dei compatiens aſſeruit, an non aliquis ex fratribus poterit Reuerentiæ veſtræ opitulari, & mundare, atque componere cubiculum? Camillus vero quaſi offenſus, & veluti indignans ſic dicendo reſtitit, igitur veniet alius mihi deſeruitum? & non magis ego alteris inſeruiam; ſtatimatque ſumpta ſcopa, & depoſito pallio cubiculum terſit; exinde ea perfecta obedientia ad alia peragenda properauit negotia.

48 Singularẽ adhibuit cautionẽ in ſeruandis obedientiæ aliquot notabilibus præceptis, namque illa ſicuti in corde, ita etiam in charta notauit, etenim poſt ipſius felicem ex hac vita tranſitum nonnullæ ſunt adinuentæ chartulæ ſua manu notæ, vbi quædam Superiorum conceſſiones perfectionis actus importantes, inſcriptæ notabantur; quandoquidem etiam cum obedientiæ merito illos exequi maluit, quam proprio marte, id quidem optime abſque vlla facultate complere potuiſſet, exiſtens omnium Pater, ac fundator Religionis: memoriæ vero, quæ in eis notabantur chirographis ſunt infraſcriptę: nempe relinquendi ex ſuo arbitrio ſero cœnam, refectiunculam quoque die ieiunij quando ei libuerit, applicandi aliquot miſſæ ſacrificia pro Religionis neceſſitatibus, atque infirmis, item pro anima noſtræ Congregationis benefactorum: ſe diſciplinandi die quolibet; & feria ſexta, ac ſabbato dormiendi, eiſdem, ſicut interdiu ambulabat, indutus veſtimentis, facultatem in ſui cubiculum Patres, ac Fratres admittendi, qui illum collocuturi adirent; & ipſe in eorum cellis, quantum neceſſitas dictauerit, ſubſidere: præter reliqua deſcrip-

Multa in chartula notata ſeruauit ab Superiore conceſſa.

tum

1609.

tum signabatur, nempe, vt illi dum obuiam fieret per domum ex Patribus, vel fratribus aliquis, liceret secum alloqui, vt nostros valeret infirmos visere, & aliquando absoluta prima mensa, in secunda cibos sumendi facultas condonabatur; diebus Dominicis, ac sollemnibus audiendi sermones, seu conciones dabaturque venia; hæc siquidem penes se scripta iugiter ducebat, ne ob memoriæ defectum extra Superioris iussum, seu volitum quandoque ageret.

49

Quæ obedientiæ virtus sicut in Camillo alte refulsit, ita in suis vt emicaret, elaborauit, siquis enim in ea claudicaret, illum firmare, & in obsequẽdo exercere studuit, nemini in hoc parcens. Quidam enim ex Patribus cum esset destinatus ab eodemmet fundatore Romam petere, differre profectionem enixus est, vt Neapoli remoraretur; quapropter quibusdam vsus est medijs, se fingens præterea velle pharmacum sumere, & iam capere initiatus fuerat syropos, insuper adducens non posse discedere, prout medici definiuerãt; nisi antea suscepto pharmaco, alijsque subsequentibus immediate medicaminibus: animaduertit Pater Camillus hoc esse quoddam callidum subterfugiũ causa obuiandi Superioris mandato, cui Pater fundator, inquit, etiam si physicus pharmaci sumptionem scripserit, obedientia vero vtilius describit aliam potionẽ, vt nimirum sumpto mulo crastina luce valde diluculo Romam versus proficiscaris, quod ita seruare coegit obedientia.

Quẽdam ex suis non obstãte medici præscripto Romã mittit.

50

Inter hæc temporum spatia Romæ in Sancti Spiritus Nosocomio æger ductus est, figuli cuiusdam famulus labijs, & vultu fœde dilaniatus, totoque corpore sæuiter cruentatus; isti famulo quolibet mane à proprio hero onus demandatum fuerat onerare quemdam propium asellum fimo, illum ducẽdo in agrum stercorandũ. Die quodam cum obsonio consueto priuaretur à figulo, perturbari admodum cæpit, adeout excandescente bile, ac diabulo suggerente in Deum, illibatamque Virginem sacrilegam soluerit linguam blasphemijs: nec suo furori hoc modo satisfaciens, asellum diris verberibus impegit, sed non longe abesse Dei iustitiam suo damno persensit, quæ vt blasphemum puniret, ipsamet bellua vsus est, nam vapulatus asellus irruit magno impetu in verberantem, & anterioribus pedibus insiliens famulum super humum allisit, cuius profanum os, membraque sacrilega morsibus, & calcibus dilacerauit, contuditque, mortique proximum demum deseruit; non enim omnino interfectus derelictus est, vt palam, quas ediderat ore blasphemias enarraret, Diuinaque vltio innotesceret, simul & Dei patientia; itaque à Patre Cæsare de Simonio nostræ Religionis Sacerdote professo, ad peccatorum suorum pœnitudinem dispositus, ab eodem audita huius infirmi integra confessione absolutionis beneficium impensum est, qui deuote post dierum quinque dilapsum eodem in Nosocomio vitam (susceptis alijs Ecclesiæ Sacramentis) finiuit. Hoc exemplum cunctis loci illius gentibus acrem incussit terrorem, nequaquam Dei nomen, suæ Genitricis, ceterorumque Diuum temerandum esse, quandoquidem stolida quoque pro eo pugnant animantia, punitioneq; inducunt, necemque inferunt.

De quodam famulo blasphematore ab asello interempto.

51

In decursu pñtis anni vitam finiuit P. Antoninus de Amato Messanensis in humanis litteris satis eruditus, & vir à secretis excellens. eadẽ secutus est viã P. Andreas Gattula Neap. perillustri loco natus, cui erepta vxore à cõmuni lege mortis, relictis facultatibus, & faustu calcato sæculari pauperem nostrorum cõcertationẽ, & statũ delegit, in qua breui laudabiliter decessit, habitis Eccl. Sacramẽtis, quẽadmodũ præfatus P. Antoninus pariter professus, & sacerdos.

Annus

Annus Domini 1610. Religionis 20. Poſt præuium hiſtoriæ contextum, nonnulla ſubduntur circa F. Bartolomæi Falloretti vitam, & actiones, atq; P. Camilli caritatem erga pauperes extra Noſocomium. Ad hanc materiam reducuntur quædam exempla, quæ in calce currentis anni apponuntur.

1 ANnus decimus ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum Diuino fauore præterlabitur; & iam Pater Generalis Neapoli ſubſidens in Regione iam ſupra dicta Platamonis, nouis pauloante inchoatis nouitiorum ædificijs intenſus præſidet; non tamen in functione proprij muneris demiſſe interea agit, ſed frugi Religioſos, & experientia decoros præfert alijs, tepidos verò à sõni torpore expergiſci fatigat; quare vniuerſum ordinẽ iuxta rectitudinem diſtributiuæ æquitatis diſpenſare præfigit; qui verò duris ceruicibus obedientiæ à ſe excutere iugum audebant, ſalutaribus pœnitentijs, vinculis, ſi cauſa exigit, domorum mutationibus ſubiectos reddit, quos humiles verò conſiderauit, hos ſingulari beneuolentia ſibi deuinxit: quamuis enim hæc nouitioruum noua domus erigeretur, & in principio conſtructionis ſiſteret, tamen ibi Pater Blaſius Generalis quoddam ſacellum, ſeu paruam Eccleſiam, non tamen in congruam, ex antiquis ædibus conſtituit, vbi Patres ſacra Miſſæ facerent, & in illis quoque primordijs ſuperiorem in ea vna cum duobus, vel tribus Patribus deſignauit, qui poſt exhibitas in Eccleſia functiones, cœmentarijs, alijſque operarijs animo intenderent: ex primis huius ædis Superioribus extitit P. Thomas Nocca Neapolitanus, cui vita Comes eſt; hi enim ex eleemoſynis Dominæ Iuliæ ſupra memoratæ de Caſtellis ſicuti, & tota fabricæ machina ſuſtentabantur; huc autem, quia locus, & ſitus felicitate, & maris vnda nitidus, & viridantium collium amenitate admirabilis, ſummeque amabilis, aer verò ſaluberrimus eſt, reduci aliquot ægros præcipiebat Admodum R. Pater Generalis, maxime ſi qui ſubtili febri, vel tabe læderentur, vbi à præfata Domina Iulia notabili dilectione, tanquam pignora propria, diligenti curationi dabantur, quoaduſque, vel morbo fierent extorres, vel illos extrema mortis hora ſurriperet.

Sequitur magna æquitate adminiſtrare munus ſuum P. Blaſius Generalis.

2 Romam inter currentis anni ſpatium miſſus eſt Pater Franciſcus Corradus Meſſanenſis, vt inibi nouitiorum curam gereret, vbi Patrem Camillum intra Sancti Spiritus Noſocomium immorantem adinuenit pietatis opera pauperibus ægris obeuntem, ſub tanto enim præceptore, & exemplari idem Pater Franciſcus adeo profecit, prout eius egregia facta, ac dicta ſignanter intra

1610.

Nosocomia, vbi perpetuo dum vixit diuersatus est, exhibita, testificatur, sicut ipsius vitæ series in sequenti tomo, si emanare diuinæ visum fuerit bonitati, indicabit.

3 Idem P. Franciscus quasdam annotationes reliquit, siue ephemeridem, plura accurate ibi notantur dicta, atque facta, & signa, seu gratiæ, multaque euentura, præuisa, atque prolata à P. nostro: cuius testimonio tanquam à Religioso, ac Sacerdote omni exceptione maiori, libenter, & ex corde vtor; sicuti P. Sanctius Cicatelli vsus est, dum Patris nostri vitam prælo commisit: inquit enim iam dictus P. Franciscus in primordijs istius anni (hoc enim tempore scriptis notare gesta Fundatoris se applicuit) vidisse Seruum Dei Camillum admodum mœrentem, ac ceruice inclinata, atque luminibus demissis, vultuque, ac voce flebili procedentem, & demum paucissima verba edere, quem interrogauit quid causæ esset tantus mœstitiæ dolor, ad hæc fassus est Camillus, si homo extremum vitæ diem seriò contemplaretur, iugiterq; animo ventura mala teneret, nedum haud loqueretur, verum nec oculos sursum attollere auderet; subdit idemmet venerabilis Sacerdos Franciscus, si Fundator Religionis, & tantæ celsitudinis in perfectione vir, tam vehementi terrore percutitur ob diei lethi reminiscentiam, atque adeò sine fine damna formidabat, qui de me (ait) ò funestum peccatorem, qui hucusque nil boni egi futurū occurret? hinc subinfero si cælestis conuersationis viri Religiosi (vt olim Sanctissimus Hieronymus) nouissimā tubā iugiter insonare, quasi sentiebant, atq; adeò formidolosi futura timebant damna: etsi æneæ (vt sic loquar) columnæ ventorum impetu concutiuntur, quid de iniquis? qui de tepidis Religiosis? quid denique contra me, quorū pessimum, euenturum, sapienter iudicare poteritis.

Vt terreat Camillū cōsideratio exitus ex hac vita.

4 Hac tempestate tres nouitij quædam Patris Camilli ex vlcere extracta fila adhuc pure infecta siccanda expandebant Solis in radio; verum ex eis dum manibus tractarentur suauem odorem emanare sentiebant, mirificè ipsorum olfactui oblectantem, ac recreantem; omnes vnanimiter, & properantes eumdem P. Franciscum adiere, qui ipsorum Magister curam gerebat, lætiq; quod occurrerat retulere, quibus, vt reticerent, iniunxit, quia noscebat P. nostro displiciturum, talia de eo dici, ac diffamari; illos porrò commonuit ex hoc euentu, ne pauperum res posthac enausearent, verum ac si aromata forent, tractarent, illaq; contingerent; quando eo signo docti, quantū referat cum ægris beneficentia, nouerant.

Vide lib. 2. cap. 1.

Odorē emittunt suauem fila pure affecta, ex vlcere P. Camilli extracta.

5 Nunc aliud mirabilius factum narratur. Quidam enim cuius nomen non incongruè subticetur ex oppido Bucchlanici à quodam hospite natione Gallo viro superstitioso stimulatus thesaurum propè Bucchlanicum effodere, inductus fuerat; parauerant iam omnia ad illum eruendum, mediantibus tamen quibusdam incantationibus, simul enim ad locum conuenerant, effectumque tentauerant; at quoniā antiquissimæ, ac firmissimæ parietum compages, erant destruendæ, ferramenta, quæ secum duxerant euertere molē non valuerunt; quinimmò se fregerant, ineptaque prorsus ad opus se reddidere; attamen N. illiusq; Galli, ac sociorum obstinata voluntas nullatenus se retractauit, aut parumper inflexit; verum ad malum facinus ibat ardentior: itaque Francisco Vrbanuccio fabriferrario tradidit cudenda ferramenta, atque ad duplum firmanda, quibus possent quamlibet euertere tenacem molem: dum enim operi nefario se pararent, ac necessaria prompta haberet: media stans in oppidi pla-

De quadam epistola eodem die Genua Bucchlanico translata.

Lib. 2. c. 17. in vita P. Camilli typis data.

tea

1610.

tea N, mali auctor, quem nominare dignum non reputo, epistola in manibus illi tradita est, sed à quo porrecta fuerit non discreuit, nec quomodo ad manus eius peruenerit, quam stupens adaperuit, ex subscriptione nihilominus, & caractere satis agnouit à Patre Camillo fuisse directam, quod auxit terrorē, atque admirationem, illud extitit, quia firmatæ epistolæ dies, eadem erat, qua ad N. manus peruenerat. Litterarum tenor super thesauri negotium reuoluebatur, auctorem sæuere redarguens, & post redargutiones nouissime ait, ni desisteret ab ea peruersitate, se quamtotius diuina flagella experturum in eius animæ, corporisq;, honoris, atq, pecuniarum perniciem, quibus perlectis tremefactus N. multis ibi circumadstantibus personis litteras legendas, & in eis circumstantias obseruādas exposuit, qui postea super hoc facto fideles extitere testes (prout plane in processu) fabriferrarium repente admonuit talium ferramantorum opera amplius minimè indigere, Gallum longè demisit, & ab omnibus in eo negotio comparticibus se expediuit, nec cogitauit deinceps se tali immiscere facinori, omnino sui patrui Patris Camilli obtemperās correptioni, qui per Epistolam eum correxerat eo die Genuę manu scriptam, eodemmet die ad eum delatam, nescientem tabellarium, quamuis curiosè fuerit quæsitus, ac videri concupitus, piè creditur totum id Angelico interuentu contigisse ob merita Serui Dei Camilli ad præpediendum nepotis malum culpæ, & temporalium bonorum; litteræ verò à loco scriptionis adhusq; Bucchlanicum minus dierum quindecim spatio deduci nequeunt; ille verò nusquam id miraculum cunctis patefacere, & admirationi habere, destitit. Nunc subnectendā cuiusdam Fratris nostri memoriā censui, quamuis eiusdem obitus diem notatum non deprehendi, sed benè ipsius simplicitas, & optima cōuersatio in multorum notæ probitatis Religiosorum animis signata clamāt, & clarent, vnde merentur posteris ad exemplum traduci.

De F. Bartholomęo Falloretto.

6

FRater Bartholomæus Fallorettus Patria Insuber ex Bergomo Neapoli in Religione adscriptus est xvij. Kal. Decemb. 1592. ad professionem eadem in vrbe per manus P. Blasij Opertis, tum Vicarij Generalis admissus est xij. Kal. Decem. 1594. laicus vitam proprijs manibus laborans duxit opere nempe panificij, quem morem nequaquam prætermisit, nec nouitius, neque professus, neue robustus iuuenis, nec fractis viribus senex, sed in eo iugiter Domino, & Religioni famulatus est, quo in ministerio, siue obedientiæ exercitio plurimum in via virtutum profecit, idque institutum in Religione plusquam bino decennio tenuit, & cum domi nostræ Neapoli Religiosi eo tempore centenarium numerum excederēt, ipse solus pro omnibus panem coagmentauit, absque vlla vnquam, aut repugnantia, aut susurro, nec indignatione, sed lætabundus in eo perseuerauit: immò si quis in foribus per rimas obseruans adstaret, dum pastæ massam Batholomæus comprimeret, illius os audisset Deum laudans, ac benedicens, siue globulos Sacratissimi Rosarij persoluens, quando tantisper à manuum opere cessaret, siue illum aliquod spirituale carmen, vel hymnum modulantem audiuisses, manifestum interni gaudij dantem indicium: infirmis, Patribusque senio confectis, siue conualescentibus cura peculiari complacebat, panem eis aptiorem, & recentiorem porrigens, siue biscoctum illis suggessit, iuxta cuiusque placitum, & necessi-

1610.

tatis exigentiam; vnde facilè comprehenditur hos labores à visceribus prodijsse caritatis; communibus alijs Religionis oneribus, ni grauis illum retardaret occupatio, aut muneris sui pensum, intererat singulis, vtpote orationibus, & spiritualibus exercitijs, vbi tanta humilitate, & sui mortificatione manifestabat defectus, quod profecto exemplo, admirationi, ac deuotioni erat cunctis maioris prudentiæ, ac perfectionis Patribus.

7 Itinerando, si in aliquod Hospitiũ illi cõcedebatur ingressus, ibi ea nocte, ac si in Regia hospitaretur, demorabatur, nec otiosus loci illius panem manducauit; sed pietatis ministeria ægris, qui aderant, exhibuit; his in diuersorijs aliquando insomnis totam noctem duxit, pro moribundo Dominum deprecans, morientis prope puluinar assistens. quamuis mane antelucano tempore cæptum iter esset prosecuturus, quando diebus festiuis feriabatur Rus, ibat, non arbustis consitum, sed ægris, hoc est ad Hospitale, vt inopes, infirmosque consolaretur, ac ministraret; talibus enim refectiunculis optime Bartholomæi animus refrigerabatur post hebdommadæ labores.

8 Ad senectutem denique cum peruenisset à Domi nostræ Præfecto humiliter expostulauit seruitum ire in aliquod Hospitale; quamuis difficulter id permitteret Superior propter incommoda toti domui suboritura, demum putans infra breue tempus se pœniturum, domumque reuersurum, fratri Bartholomæo illo ire concessit, tamen diuerso impulsus spiritu eo secessisse, licet arbitrari, propter ea, quæ euenere, namque octo dierum intra moram post eius incolatum in Nosocomio Incurabilium Neapolis, vbi ægris in omni infirmitatis genere, & omnino eorum voluntati obsequia præstitit, ardenti febre correptus est, ab eadem denique raptus, domi nostræ (receptis antea Ecclesiæ Sacramentis) decessit, maximarum exempla virtutum, & sui desideria omnibus profecto dereliquit; eius honorabile corpus suscepit tumulus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Portæ Cæli: post hæc in quodam folio adinueni obitus diem anno fuisse *1616*. Nunc descendere libeat ad ea, quæ de Patre nostro Camillo narrare spopondi.

Camilli pietas ad oẽs se extendit inopes.

9 Camilli proculdubio profunda caritatis viscera, non tantum erga infirmos in Hospitali degentes se extenderant, verum indiscriminatim ad omnes egenos se protraxerunt, si non prorsus quantum eius ardens amor optaret, cunctis mendicis, & inopibus, attamen, quantum ipsius possibilitas tulit, opitulatus est: nam itinerando quoque minutas pecunias gerebat in crumena, vt commode obuiam euntibus mendicis stipem daret, aliquot etiam panis frustula deferre consueuit in pera ante equi sellam deuincta in marsupio, quæ duci à sodali imponebat aliquando ob eamdemmet dispensandi egenis attentionem.

10 In suburbio Diui Laurentij (occurrit enim hoc in anni defluxu *1610*) quemdam Sacerdotem adinuenit Camillus, qui supra iumentum regi nequibat, quem intuens illi adhæsit, & post aliquantulum solaminis, duobus ex suis Religiosis conuocatis, ipsi reliquit custodes, & ne aliquando elongarentur ab eo, imposuit, ne cadens ab equo damnum pateretur, quoadvsq; Aquãpendentem deuenirent, vbi Sacerdotẽ in cauponam Camillus duxit, gratum ei pecuniarum relinquens subsidium, eidem offerens cauponi (sicut olim misericors impendit Samaritanus) quidquid supererogauerit, in eius redditum proxime futurum, se cuncta satisfacturum, interea amanter, & accurate de illo paupere, ac infirmo presbytero diligentiam ageret. Quando vero lapsi Ca-

Mira caritate prosecutus est Sacerdotes.

1610.

millo occurrerent Sacerdotes, quamuis non ægri, illos interdum inſidere in ſui, vel in aliquo ſuorum ſodalium equo coegit, etiam ſi aliqui admodum renuerēt, quadam tamen ipſe vi, ac Religioſa coactione eos compellebat, deſcendens ab equo, vt aliquod ſuper eum conficerent itineris; nonnunquam etiam contigit quoſdam tam inhumaniter Camilli benignitate vſos fuiſſe, vt duobus, vel tribus milliaribus illum præterirent, ad quos oportebat claudicādo propter in tibia plagam velociſſimo gradu peruenire alicui arundini innitentem ſe, vel baculo, & ſæpe tranſire luta, & ſcandere montes; de hoc non equidem vnquam doluit, ſed æquanimiter eorum ruſticitatem ſuſtinuit; tanta enim veneratione Dei ſummi coluit Sacerdotes, vt vbiq; maximo honore, perpetuoque illos reueritus, ac peculiari deuotione obſecutus ſit, veluti Dei Angelos; plerumque dum illi egentes per itinera obuiam irent ad Cauponam, redducebat, ſolutoque pro eis pretio ſecum in menſa cœnare, cogebat, ac de lectis commode prouideri, idem ſi adnauigaret operabatur, nam expulſos Nauclero data pecunia in cymbam admittendos volebat,

11 Si ſupra triremes maria tranaret; ſtatimac in illas conſcendiſſet peruestigabat, ſi ægri inibi iacerent, quamuis infideles munera tamen pietatis per ſe, vel ſocium obibat; ſi verò poſtularet occaſio, propriam annonam eis conceſſit, ori ſuo illa ſubtrahens, multos itidem à verberibus interceſſor exiſtendo, ne vapularent, exemit: ſi Presbyteri, vel Religioſi remigantes inuenirentur, qui propter breuiarij carentiam, horas canonicas minimè perſoluerent, eis ſuum, vel pretio comparatum diuinum officium largiebatur quandoque; ſi verò venalem illud facerent, ob ſuos deprauatos mores: Camillo autem relatum eſſet, talis pater vili pecunia breuiarium prodegit; quapropter grauem meretur cenſuram, indeque perceptam pecuniam crapula conſumpſit; his tamen verbis nequaquam acquieſcens Camillus; verum ſuſpicabatur illud neceſſitate cogente vendidiſſe, alterumque ſubminiſtrauit; cum verò a triremibus deſcēderet, quod ei ciborum ſupererat in via inibi impertiuit inopibus, interdum quoque noſtra domo illis ſubuculas, calceos, femoralia, Thoraces, & ſimilia tegumenta, quoniam requiſita, & ab ipſo liberaliter promiſſa, eo tranſmiſit.

Magnā exercent cū remigātibus liberalitatem

12 Domorum ſuperioribus ſtrictim impoſuerat, vt die quolibet deſignatam quādam ante ianuam diuiderent panis ſummam mendicis, & inſuper dapes, & quidquid obſonij ſuperaſſet in menſa pauperibus eroganda iuſſerat; vnde Genua propterea q illius domus ſuperior, vtne fieret hæc panis diſtributio inhibuerat, graui obiurgatione correxit, ſubdens queādmodū domo ſua nō duxerat panē, neq; tellurē foderat, vbi maturauerat; ita pariter haudquaqā ſubtrahendum pauperi, & pari modo, quo ipſe erga ægenos ſe oſtenderat, ita experturum erga ſe Dominum certò putaret, eademque menſura, qua inopes dimetiebatur, ipſamet remetietur illi hora obitus: vnde pluries eadem in domo patres obſeruarunt, quoties conſuetæ fierent panis eleemoſynæ in valuis ianuæ mendicis, valde tum elargitionum abundantia domi noſtræ redundaret, è contra decreſcebat, ſi auara manu negabatur inopibus; plerumque ipſemet Pater Camillus proprijs manibus viſus eſt extra ianuam erogaſſe pauperibus panis, & dapum, ollam, manu regens, benedictionem, quæ menſæ patrum ſupererat, adimplens Redemptoris vocem, vbi præcipit, quæ ſuperauerint date eleemoſynam.

Iuſſit quolibet in domo fieri panum quotidie diſtributiones egenis.

Coarguit Superiorem cum inopibus auarū.

Conſuetum Camillo hoc fuit aſſerere, puſille in Domino fide, & panem

1610.

Erga detrusos in carceres nimiam exercuit misericationem.

præsentis vitæ decurrens in flumen eijce; quandoquidem propediem magno cum fœnore in æternitatis vita centies auctum, reperies, hæc docebat Camillus, & maiori promptitudine executioni mandabat. Si verò per iter, vel plateas nudum aliquando inuenisset egenum, vel adeò laceris, & cadentibus vestimentis, vt nequirent contegi carnes, domum nostram continuo vehebat; inibi alijs prouideri indumentis operatus est, siue proprijs accomodatis, ac refectis demittebat, addita cibi, & potus aliqua refectiuncula; haud quaquam cernere sustinuit egenos, in quibus Dominum intuebatur, nudis deambulantes carnibus, quos propria pelle si valuisset, contexisset, tanta commiseratione tenebatur. Non rarò diebus festiuis repletas pane sportas in carceres misit cum aliqua re pro obsonio diuidenda illis miserandis pauperibus; Cete ris autẽ diebus Patres eò destinare assueuit, ac fratres, qui pietatis opera illis impen derent; eorum nempe capita pectendo, atque tondendo, cum non essent tonsores, sed caritas artificiosa est; postea sanè verbum Dei suggerebant, prius terram corporis temporali operatione, postmodum animarum digniorem terram Diuino semine, hoc est, sermocinando, excolebant.

13

Quò pacto Seruus Dei Camill. tribuagrauiter ægris in lecto præsto ẽ.

Romæ duo Patres ad munus commendationis animæ obeundum vocati accessere in quamdam pauperum tabernam, vbi simul reperere in eodem lecto virum, coniugem, & quamdam aliam puellulam eorum prolem, pene in extremum mortis conflictum eiectos, propter vltimam pauperiem, ob quam ita redacti tabescebant, quos interrogarunt patres, quomodo vitam traducerent, responderunt flebili voce, tres dies decurrisse, quibus nullatenus cibum p̃sagiuerãt, iterum cum petiuissent, quomodo toto eo tempore, maritus potissimum, qui alijs grauior iacebat, quiuerat superstes esse, inquit mulier, ex his mammis, quas omni succo vacuas conspicitis in os eius aliquãtulum lactis expressi, de quo parũ alimenti suscepit; vnde vitam hausit. His dictis obstupuere, & post porrectum spiritualem cibum, & ad patientiam, & spem futurorum cohortationem domum rediere, factumq; continuo Patri Camillo retulere, extemplo pater consueto pietatis pectore excitus, & dolore cordis compatiens, multa iussit paranda, tum exculenta, cum etiam poculenta; videlicet panem delicatum, generosum vinum, recentia oua, vitulam carnem, ligna, carbones, & alia illis deferenda, quibus refocillati restaurari cęperunt; tamdiù in ista pietate perseuerauit, donec omnes sensim conualuerunt; si verò in ea miserandi status pœna stetissent ad interitum vsque peruenissent, & sæuessima fames illos interfecisset, Deus scit, si fortè desperantes diem obijssent, cum truculentissimus sit inedię, gladius. Serui Dei Camilli lingua in illa Psal. verba soluebatur, quæ quasi dulcissima esca in eius ore reuoluebantur, beatus qui intelligit super egenum, & pauperum, in die mala liberabit eum Dominus, subaudiens, & exprimens, per diem malam intelligendam esse mortis diem; mala quidem immisericordibus: lætam verò misericordiæ pectora, & manus ad pietatem porrectas habentibus; illud quoque Sanctissimi Apostoli Iacobi dictum sæpius prodibat, hæc est vera Religio visitare pupillos, & orphanos, & custodire se immaculatum ab hoc sæculo, quas sententias pene in quolibet spirituali exercitio, & sermocinatione replicauit. Tempore Sanctissimi Iubilei anni sancti non remisse, sed ardenter, vt docet Apostolus Hospitalitatẽ sectatus est, peregrinos, & aduenas mira dilectione complectens, eorum pedes detergens, & crura, quorum plurimos domum nostram deportauit; inibi singulari humanitate, & caritate obsequia præstans, nullam ab eis expectans remu-

ne-

nerationem, niſi futuram, & æternam Diuina bonitate recepturum. Tanta cōmiſeratione æſtuauit Camillus in pectore, ita ut aſſerere duceretur. Si pauperes deeſſent in Orbe terrarum, in antris, & ſubterraneis locis quærendi forent, vt præſto haberemus benefaciendi proximis, ac pauperibus occaſionē: vnde dici de illo fas eſt, quod de patientiſſimo Iob legitur, creuit mecum iſta commiſeratio; hoc eſt, quaſi natura inditam teneret.

Si pauperes abeſſent per antra, quærendi forēt.

14 Erga irrationabilia quoque animātia eamdem commiſerationem oſtendit, illis mirificè compatiens; præſertim quæ manſuetudinem exprimerent, cum enim aliquando per Samnij montes deambulando cuidam prope ſtaret foueę, agnum eo cecidiſſe cognouit ob mœſtum balatum, vt vidit Camillus ab equo proſilijt, ſeque inclinans illum eleuauit, poſuitque in ſinu ſuo, confouitque proprio alitu, quem ita duxit, quoad paſtorem reddendum reperit, mente tum reuoluebat ſeruatoris noſtri humilem in hac vita tanquam agni, conuerſationem, de quo memorat Iſaias tāquam agnum ductum eſſe ad occiſionem. Romæ verò cum reciſę cuidam feli fuiſſent vngues; adeò vt ſanguis effluerct a digitis, ob furtum quod in popina patrauerat; quem ita ſanguine madentem, & claudicantem animaduertens Camillus, quæſiuit auctorem; verum nequaquam adinuenit, qui pœnam profectò ſuæ inurbanitatis luiſſet; nihilominus medicari, ac faſciari felis pedem iuſſit, illius animantis commiſerando dolori.

Quemadmodum miſerationem etiā cū animantibus oſtendit.

15 In Inſula Aenaria canem fracto crure deambulantem inſpexit, qui ab alijs calcibus, & verberibus depellebatur, vnde ab inedia acute vexabatur, hunc, quamdiu Camillus habuit illic domicilium, cibo prouidit, panem illi dum comederet porrigens, ante vero ſuum illinc diſceſſum domi famulum rogauit, vt illius curam gereret, ita depromens, hoc animal Dei creatura cum ſit, nec poſſit (vt noſcis) eſcam quærendo, alimentum ſibi comparare, exhibe cum eo pietatem, quam apud Dominum eredito non ituram in vacuum, ego quoque vlcere in tibia laboro, & experior quanti referat præpeditos habere pedes, atque vtinam tam fideliter omnium Domino deſeruirem, vti Domino ſuo hoc animal fidelis, atque obediens ſe præſtat.

Cum quodā Cane claudicāte pietatem exhibet.

16 Rurſus ſeruus Dei Camillus quemdam ex noſtris Patribus contuens nitētem bacvlo formīcam interimere, illum ad ſe vocauit, vt ſineret illam viuere vitam, qua fruebatur à Domino conceſſa, contra vero Pater, necandam eſſe inſtitit, quandoquidem etiam aliquibus magnis Dei famulis inuiſa fuit, ob id, quia cibi auida, æſtate in hyemem coaceruat triticum, quinimmo, ait Camillus, idcirco illi vita condonanda eſt, quia nos docet prouidentiam futurorum, vt nempe æſtate præſentis vitæ, dum beneualemus nobis comparemus virtutes, bonaque opera coaceruemus, vt properante frigidiſſima mortis hyeme, tuti, ac fidentes recedamus, optimo meritorum cumulo congeſto, ita ſapiens nos inſtituit, mittitque ad formicam, prudentiam puta addiſcendam ab ea, quocirca a minutiſſimis quoque animantibus præcepta appræhendit, Diuinamque diſciplinam eliciebat, quorum exemplis alios etiam erudiuit.

Exēplo formicæ, nos inſtituit.

17 At vero ſi forent infeſta, & nocua perſonis animantia mordendo ſcilicet, illa viuere nō permittebat, præferens hominū ſalutem (vt ratio poſcit) cuiuſlibet animalis vtilitati; etenim Neapoli in noſtro rure aliquot canes ad illud cuſtodiendum, nutriebantur, hi enim ſub veſperum puerum ruri proximum habentem incolatum, inuaſerunt morſibus, genitor vero infantis damnum,

Enecari iubet Canes, qui dāna intulerunt.

Pa-

1610.

Patri Camillo manifestauit, qui villam eadem hora adijt, iussitque enecari canes, quocirca protinus interempti sunt, quamuis alioqui vigiles à latronibus immunem seruarent vineam.

18 Verum ad illud, quod magis vrget, redeamus, nempe proximi caritatem, speciatim infirmorum extra Nosocomium (de his enim aliquando etiam facta est mentio, sed omissorum fiat recordatio) per domos priuatas degentiũ; maximopere Pater Camillus optabat, vt nostri non expectatis supremis suspirijs, quando nempe anima è corpore migratura est, corpusque destitutum sensibus, sui status, & propriarum culparum nequit pœnitere, nec propria flagitia fateri, neque Dei verbum auscultare, neue tentationibus, opportunis remedijs, ac monitis resistere; vnde affirmare consueuit hunc esse maximum diaboli laqueum, vt eo in termino adinuenta anima indefensa, vinculis misera alligetur æternis, quod sæpe fit, dum vocantur Patres, ac Sacerdotes tempore, quando pene nullum supernæ vitæ remedium ægris adhiberi prorsus tempus vicinę mortis concedit.

Non expectanda sensuũ deturbatio ad cõuocandos PP.

19 Romæ summi Pontificatus Clem. VIII. temporibus, quidam seruus à pedibus ad mortem vsque ægrotauit, tum vocati sunt Patres, vt ei pium commendationis animæ munus impenderent, cum infirmi domum intrassent, & loqui cępissent, nomenque diuinissimum, ac dulcissimum I E S V inuocarent, ille contra quadam diabolica voce dęmonum nomina appellabat, expellebatque Patres, vt inde discederent; nihilominus eius verba nihil facientes, illi suadebant, vt abiecto eo perfidiæ clypeo, tutissimo fidei munimine se protegeret, aduersus rebelles hostes, & apostatas angelos, pessima suggerentes. Cum autem audisset hunc sermonem de fide habenda in Dei pietate, contra illos, ceu rabidus canis, se inuexit, tam turpiter, tamque nefande, vt videretur proculdubio, non ipsum, quia rudis, & idiota, & absque vlla prudentia, ac Dei timore duxerat dies suos, sed dæmonem eius linguam commouentẽ loqui, assistentes vero personæ nequiuere eius maledicta omnino auertere; proindę se supra thorum erigens, tergaq; euertens Patribus, cæterisq; astantibus personis, cunctisq; stupentibus, tria dæmonum nomina sibi familiaritate deuinctorum aduocauit; demum illos inuocando funestam animam in eorum manus sempiterne cruciandam euomit, fœdissima deformitate linquens cadauer, adeout à nemine nedũ cerni, verũ nec præsens, adesse nimio fœtore quisquã potuerit; oculi, ac lingua fœde manifesta dedere inditia suæ damnationis; intellexerunt deinde à vicinia scelestum illum, præter alia facinora, numquam Ecclesiam intrare visum esse, poterat forte concipere, sicut de alijs forte bona euenisse expertum est, post multas cohortationes, & Patrum visitationes, si aliquando prius vocati accessissent, ad veram resipiscentiam redactum iri; sed tempus repentinum, ac breue, atque inueterata, & peruersa ipsius consuetudo id minime concessit.

De cuiusdã famuli miserando interitu.

20 Genuæ cum accederent nostri, vt morientem viserent, quemdam senem adinuenere ad vltimam senectam redactum, quinque anni ad centum ei tantum deerant; hic enim auarissimo corde pecuniam tanquam idola venerabatur; vnde nostri Patres intellexere intra cubile quamdam auri summam detinere, & in brachio marsupium alligatum nolle deponere, qui prout permisit temporis breuitas illi suadere conati sunt, vt demisso extra lectum à se illo auro, quod in perniciem animæ suę cedebat; exinde confiteretur; quandoquidem certo sciret periculosissimo in statu reperiri exhalando animam cum

De morte infelicis cuiusdam auarissenis.

eis

1610.

eis inimicis hærentem in cubili: demum poſt nonnullas rationes, & allegatas ſcripturas ſenex obduratior factus, ita reſpondit, aliter certo ſcitote me agere nequire, & complexans aurum, quod ſitiebat, turpiter expirauit, & loco oſculandi Sanctiſſimam Cruci pendentis Imaginem, ad illa numiſmata conuertit animum, & oculos; à quo impio patrono nullum nanciſci valuit, niſi tormentum æternum, quia dilexit pluſquam Dominum fœtidum æs.

21 Romæ itidem Nobilis genere, ſed improba moribus fœmina, aliquandiu in concubinatu perſeuerauit, quo in piaculo, vſque ad altimum vitæ terminum apprehenſa eſt; denique dum expiraret vocati ſunt Patres, hæc propter vehementiam dolorum, & febrium, atque agonis terrorem, & magis ob elapſa, & præſentia ſcelera tremefacta iacebat, Patres vero eam ad peccatorum deteſtationem inducere conabantur, & ad lacrymarum ſalubre lauacrum: attamen ex illius ore alia non reſonare audita ſunt verba præter hæc, ego vror, & iterum clamabat, ego vror, inter has voces acerbas, cum nullę valuiſſent cohortationes, & auctoritates ab his male dictis illam retrahere; interea horrenda ſigna ſuæ damnationis indicans, animam fœde efflauit, vltimarum vero reſpirationum momento capitis comæ, quæ ſolutæ pendebant, veluti venenati ſerpentes ſeſe extulere, eleuarũtq; ſurſũ, itidē in eius vultu magnus tumor creuit ſpeciem igniti coloris præferens, ita vt omnes, qui aderant, etiam Patres hæc monſtra contuentes terruerint, corpus vero exanime manſit, horribile viſu, ac fœtidiſſimum, hæc ſunt profecto ſtipendia peccati, & ſerotinæ, ac infructuoſæ pœnitentiæ.

Miſeranda mors mulieris inuenta in concubinatu.

22 At ſæuior priori caſu Neapoli cuidam calceolario contigit, qui in ſtatu concubinatus pertinaciter ad calcem vſque vitæ perſeuerauerat, hic enim cum ad extremum ſui tranſitus deueniſſet, ducti ſunt Patres, vt pro eo Dominum obſecrarent in eo mortis valde formidoloſo certamine; itaque cum in vita indignus ſe reddiderat omnis Diuini ſubſidij tutela, illa deſtitutus in letho permanſit; etenim noluit Dei Sacerdotibus ſua crimina confiteri. Cum autem acceſſiſſent Patres ad moribũdum extrema dantem ſuſpiria, vellentq; officio ſuo fungi; lampas, quæ in medio cubiculi habitationem illuminabat, repente nullo exiſtente ſpiramine, vnde poſſet extingui, extincta viſa eſt, occuparuntque repente omnes tenebrę, iterum accenſa, ſecundo etiam demortua apparuit; Patres vero rurſus benedicto oleo eam accenderunt, hac via illuminans perſtitit, ſed callidus ſerpens, vnde arbitrati ſunt illud ſiniſtrum ſignum duxiſſe originem, nouum adinuenit: etenim repentino caſu omnia, quæ Domi aderant teſtea vaſa in fruſtra ſupra pauimentum redacta cecidere; ex inuiſibili manu, in faciem, caput, & in lectum execrandi infirmi magno cum impetu illiſa proprijs oculis contuiti ſunt; quare cum ita lapidaretur horrificas dabat voces, & lamenta, ac ſigna ſui peſſimi interitus, vnde tremefactis omnibus, ipſe miſerandam animam, miſerandis modis miſit (vt indicia oſtenderunt) in barathrum ſulphure oppletum, & igne.

De infelici moribũdo in cõcubinatus ſtatu decedente.

23 Et quemadmodum non vnam elegit viam, ſed innumeras Saluator noſter Chriſtus Dominus, vt nos ad rectum ſui famulatus tramitem pertrahat, ita Tartareus hoſtis laqueos complures parat, vt incautorum illaqueet animam, Quo circa Romæ quidam Nobili proſapia vir, præter cetera flagitia, quibus deuinciebatur, crapulæ addictus ducebat dies; vnde Domi miniſtri retulerũt, quod in condiendo hędum ſolum, decem conſumpſerat aureos, hic ſane cũ ad ſupremum redigeretur vitæ terminum, habuit Patres vocatos, vt illi aſſi-

De quodam Epulone miſerrime decumbente.

flerent morientis cum autem ipsum vellent, & inchoarent hortari ad bene ex hac mortali vita migrandũ, simul & vocaret Diuinissimum Nomen IESV, ac Deiparæ Virginis Mariæ, ipse contra, turbato vultu, ac pallido, & fœdo, transuersisque oculis blasphemias vomebat, nolens Sanctissimum Cruci affixum Dominum inspicere; præterea hæc subdidit desperati cordis verba, ego si ad inferna ducor à dæmonibus, quid enim vobis officit? quæ maledicta ab illius ore cancellari nequiuerunt, sed infelicissima anima præbens infelicissima signa, sic temere loquens, torquenda in æternum ducta est inferni tormentum.

Cuiusdã casus, qui dæmoni se addixerat.

24 Quidam pariter alius eadem in Vrbe Romæ inexpectato, ac mortifero accidente correptus est, dum enim extensus cubaret in lecto; sensim cernebant astantes personæ vna, & patres, qui ad ipsum spiritalem escam offerendam conuocati conuenerant, à pedibus extra cubile trahi, etiam si vellent impedire eam inuisibilem abstractionem, seu vim nequiuerunt, tremẽtes omnes ad Dominum se conuerterunt, misericordiam postulantes, suaseruntque infirmo, vt suorum pœniteret scelerum, & Sacramentum susciperet pœnitentiæ, ipse vero respondit, se frustra defatigaturos, quia nuper dæmonis se constituerat seruus, & ita in eius famulatu velle vitam finire, dicebat, qua in miserabili positione permanens, ad Aquilonem suæ damnationis cecidit, in digito eiusdem monstruosi cadaueris chartulam reperere alligatam, qua explicata, simulacrum turpe dæmonis, quem sibi herum vendicauerat, pictum adinuenere, casus ille corporis supra pauimentum, animæ casum prænotauit ad orcum.

Non opperiri debemus extremã horam ad conuocandos Sacerdotes.

25 Ex his, alijsque exemplis in hoc volumine appositis clare innotescit, quanti referat, & quanti sit ponderis, non expectanda esse infirmi extrema suspiria, vt Patres conuocentur, sed è vestigio irruente morbo ad infirmi cubile reducantur, id enim saluberrimum est, vt temporalis medicus, spirituali nimirum Sacerdoti, & Confessario succedat; propterea quod si corpus decedit surrecturum speramus, si vero anima in Dei odium cadit, nunquam eleuanda in gratiam scimus. igitur caue ne tibi occurrat simile inconueniens, sicut vni ex supradictis, & alijs innumeris, quæ in dies eueniunt, multa enim breuitatis studio subticentur, quo circa Pater Camillus cum animi ardore exoptabat, nostros incessente ægritudine ad infirmos esse deferendos. Non desunt insuper exempla, quibus in propatulo fit, plures etiam in limine mortis iacentes, propria crimina fuisse detestatos, & ad Dominum se conuertisse opera (instrumentaria tamen) Patrum: at vero Christi fidelis non se periculo debet exponere, & suam ad Dominum conuersionem ad mortis vsq; terminum protrahere, cum plane legatur, Qui amat periculum peribit in illo; illud equidem cras vt Sanctissimus Pater Aug. insinuat, complures perdidit; sed afferamus exemplorum testimonia super eorum conuersionem in mortis articulo contingentem.

De muliere cõuersa, quæ 30. ãnis haud Sanctiss. Altaris Hostiæ crediderat.

26 Genuæ dum nostri vrbis vicum quemdam præterirent, rogati sunt visere infirmam in extremum iam coniectam, ægræ domum subiere Patres, & maxime à pituita oppressam reperere mulierem, quæ repente intuens illos asseruit, Deus huc vos mittere dignatus est, nam triginta sunt anni, quibus Sanctissimæ Altaris Hostiæ non credidi, & huius enormissimi sceleris culpam nusquam in confessione aperui, vnde illius pœnitere cæpit, & confessa est magno cum dolore, & lacrymis detestans hoc, & alia flagitia, à mœrore occupata, vix

quin-

quinquies Nomen Diuiniſſimum IESVS, & Sanctiſſimæ Virginis MARIAE appellauit, quo in ſtatu, ac ſalubri diſpoſitione, ſuſceptoque Sacramenti pęnitentiæ beneficio ex hac vita ſeceſſit, ſi autem paulo amplius retardaſſent, vel ſi illinc non tranſijſſent Patres proculdubio ęternaliter mortua corruiſſet, ſed magnæ Dei ſunt miſerationes, ſuper omnia opera eius.

27 Romæ Patres varijs intenti negotijs per iter ſic appellant, delli Coronari, vocati acceſſerunt ad quamdam barbitonſoris officinam; cuius vxor arreptitia ſe in quodam domi cubiculo occluſerat, eo enim vir eius ingredi formidabat; deuenerunt Patres ad locum, ſtatimatque facto impetu, fractiſque ſeris ianuam aperuerunt, at vero mulier ſuſpenſa laqueo, pendebat agens animam, regebatur enim ſic penſilis (quod fuit cum admiratione obſeruatum) à quodam præminuto clauo inepto ad leue ſuſtinendum pondus, eo magis ad carnoſam, & pinguem fœminam; ſed callidum aduerſarium adeo ſub pedibus eleuatam, creditur, ſuſtinuiſſe, vt ita poſſet eam infeliciter iugulare, & inde pariter nequiret frangi, vel extrahi clauiculum trabi infixum: hoc Patres cum ſtupore admirantes eueſtigio reſecarunt laqueum, quæ repente ſemiuiua grauem dedit caſum, aſt tartareus inimicus poſtmodũ ad eius linguã aſcendens, validamque viribus reddens illam, ſacrilegas edidit blaſphemias, Patreſque maledictionibus laceſſiuit, quoniam ab eius vnguibus ipſam liberauerant, qui cõtinuo præceperunt dæmoni; vt in nomine, ac virtute viuificæ Trinitatis deſcenderet, ſeque in vngue pedum abderet, repugnanter obtemperauit hoſtis, mulier vero diabolicam proſpiciens fraudem, & imminentem propriam damnationem, ſuorum pœnituit peccatorum; hinc integre confeſſa eſt, & mutata viuendi norma ad meliorem frugem poſthac ſe ſerio conuertit, vnde nunquam talem moleſtiam, vel ſimilem amplius perpeſſa eſt, ſed honeſtam, ac laude dignam protrahẽs vitam, vſque ad extremum lethi tempus, laudabiliter functa eſt, vnde à Patribus bonam, & optimam gratiam adepta fuit, ne ſcilicet corpus cum improperio iaceret exanime, & anima ne cruciatibus æternis torqueretur. Sit Diuinæ clementiæ bonorum omnium auctrici ſempiterna laus, & benedictio.

De quadam muliere arreptitia, quæ laqueo ſe ſuſpenderat.

28 Bononiæ itidem quædam anus in lecto decumbebat moriens, cui Patres obibant munus commendationis animæ, qui dum loquerentur, ipſa ex oculis lacrymarum copiam emanabat, hæc nouitas nouæ aliquid ſuſpicionis ingeſſit in animum aſtantium, & interrogata à Patribus ſi quid in propria conſcientia pateretur moleſtiæ, ſuſpirans vtique, ait, & ad dolorem, & confeſſionem inducta, faſſa eſt ſpatio triginta, & duobus annis enorme ſcelus ob verecundiã contegiſſe dum confiteretur. ego (inquit) filiam habui, quæ ex illicito concubitu fœtum edidit, ne tamen turpiter tota familia noſtra denigraretur, ipſa vero iugularetur, ſuſceptam prolem non baptizatam, in puteum præcipitem demiſi; hoc à Patribus cognito, confeſtim in confeſſione audita eſt, qua vix perfecta, & impenſa abſolutione expirauit, tam turpis flagitij, totque, ſacrilegiorum, quæ patrarat, non modice dolens. In puncto enim obduratum cor deſcendit ad inferna damnatorum, & in momento dummodo ſpiritus intra corporis artus adſit, ſi vere reſipiſcit, liber euadit ab æterna cõbuſtione, vt pie cogitamus huic vetulæ contigiſſe. Interdum etiam fit, quoniam infirmi humiliter vtuntur opera Patrum, ac ſeruorum Dei, Deus vero vtitur potentia, ac ſua clementia eorum excitando pectora ad perfectam cordis cõpunctionem, & lacrymas, quæ expiant peccatorum maculas, illaq; aperiẽdo

Fæmina iam ſene, quæ 32 annis non fuerat confeſſa integre

in

1610.

in confessione, Sacramentalem suscipiant gratiam, & breui temporis interuallo eadem vrgente infirmitate ad bona transeant sempiterna cælorum.

29 Romæ quoque alia mulier dum extremo spiritu conflictaretur, & Patres nostri præsentes eius vicinæ morti assisterent, qui illam, vt de præteritis criminibus doleret, hortabantur, eorum verbis talem dedit mœrens responsionem; Pater iam viginti anni dilabuntur, & vltra, quod ego nefarium concubinatum cum hoc, quem videtis astare virum, exerceo, & licet Sacratissimam Communionem, & Sacramentalem absolutionem per manus Sacerdotis pluries susceperim, semper tamen ficte, & perseuerans in statu meæ perditionis, Patres vero; vt ne ouis, quę sanguine Agni immaculati Christi Domini fuerat redempta, periret, separato, & extra domum expulso delicti complice, eius lacrymabilem auscultarunt confessionem, qua peracta, & pœnitentiæ Sacramēti particeps effecta, in morte oculos clausit.

De muliere, quę diu in nefario cōcubinatu vixerat, conuersa.

30 Eadem in Vrbe quidam Nobili genere vir, à Physicis omni salutis spe destitutus expectabat, reciso vitæ stamine, in tenebras exteriores detrudi, propterea quod nonnullos prohibitos codices nolebat cremare, vel Superioribus tradere, ingrauescente morbo vocati sunt Patres nostri: quare agnito detestabili moriendi genere, omni studio, & oratione conati sunt, illum ab eo summouere proposito, ostendentes statum propriæ damnationis, & quam sæuissima ipsum opperiebantur tormenta, ni iuberet, vt vrerentur, vel abdicaret ab se eos detestabiles libros, post multum laboris, & postulationes a Domino, pręcepit tandem à Deo tactus ęger, vt liber execrandi Lauretini se coram exureretur, quem suscipiens Pater, & facto rogo, ac dilaceratis ex ordine folijs, quodlibet in flammam iaciebat, hoc adusto folio, alterum pariter succendendum proiciebat, completa tandem libri combustione, ait infirmus, (qui magno amore erga volumina illa ferebatur, quæque singulari studio accumulauerat, & non minori, ac vaniori curiositate ornauerat, se sæpe eorum lectione oblectatus;) Pater siquidem hodie magis operati estis, meam flectendo mentem, quam Alexander in subigendo orbem, & quando ardebant folia libri maximo dolore ego cruciabar, & nimia passionis flamma æstuabam, modo vero immortales Deo summo refero grates, & Paternitati vestræ, qui me in Diuina fidentem bonitate, ab illa incendij pœna abstraxit, reliqua vero volumina dispono, ac mando Superioribus, vt præsententur; demum peracta satis deuote suorum criminum confessione, valde, optimeq; dispositus diem obijt, susceptis antea reliquis Ecclesiæ Sacramentis, ab ægris in morte recipiendis.

Quidā recusabat cōfiteri, q̄m prohibitos codices penes se detinere machinabatur.

31 Fuit insuper aurifex quidam æger in limine mortis; hic enim à dæmone super omnia Fidei orthodoxæ axiomata, acutissimis argumentorum aculeis tentatus, nominatim erga Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, quamuis alioqui ipse omni eruditione vacuus inueniretur, nihilominus, quoniam responsionibus calidissimo hosti satisfacere contendebat, idcirco tantis cauillationibus eius mentem obtunderat, vt proximus esset desperationi; accedentes vero Patres nostri, ob eorum conspectum sedatior euasit infirmus, cum vero paululū perturbatum inuenissent, interrogarunt tantæ fluctuationis de causa, aperuit extemplo non inuitus æger; Patres autem aperuerunt, illas esse manifestas dæmonis fraudes, imprudenterque egisse eius falsis respondendo argumētis, sed paruipendendum, neque cum eo vnquam esse disputandum; maxime quia fidei articuli sunt firmiter credendi, non autem experimento, & curiosis

Quidam acerrima impetitur erga fidem tentatione.

ratio-

1610.

rationibus perueſtigandi; vnde poſt aliquot deſignatas rationes, & exempla concluſerunt, perſuaſeruntq; infirmo, in Dei bonitate fidendum, abiectaque omni formidine, omnique alio cogitatu, figendam eſſe in mente Dominicã Paſſionem, in qua tute noſtra locanda eſt ſpes: ita obtemperans effecit infirmus; & ſicut à multitudine aquarum paruus ignis prorſus extinguitur; ita omnino extincta ceſſauit quælibet importuna tentatio, & infirmus ſicut quiete declinauit caput ſupra puluinar, ſic deuote ſanctiſſimi Cruci pendentis Domini Imaginem deoſculans dedit ſpolia carnis terræ; animam verò in manus ſui Redemptoris exſoluit. Ita fideliter hæc expono, ſicut fideliter mihi relata fuere à fideliſſimis Religioſis.

32 Ex his quidem teſtimonijs ſupra iam relatis manifeſtum apparet, non eſſe Patrum, ac Religioſorum extimeſcendam ab infirmis præſentiam; immo potius optandam, cum afferat, & ſit plerumque medium æternam nanciſcendi in Cœlis manſionem; iuuat enim dum vires ſuppetunt cum eis habere commercia, & tum minime ægrotanti res inſueta apparebit. Vnde Seruus Dei Camillus frequenter ore promebat maximum eſſe dæmonis laqueum, opinari ex præſentia, & aſſiſtentia Patrum infirmo induci mœrorem, aut tædium aliquod, ſed magis hilaritatem, & ſi, quod vanum omnino eſt excogitare, quidquam faſtidij pateretur æger, pluris animæ ſalus facienda, quam corporalis quælibet exturbatio: interdum enim contrarium ſortitur, infirmos decumbentes in lectis mœſtitia captos, ſiue ab ægritudine, ſiue à conſcientiæ iaculis deriuante, patres noſtri, Diuina concurrente gratia; ſiquidem lætificarunt, quod plerumque experimento comprobatum eſt.

Non tædiũ, ſed lętitiam patrum aſſiſtētia ducit.

33 Vt cuidam viro ſanguine claro occurrit, qui a dæmone ſeductus os adeò occluſerat, vt nullatenus verbum emittere, vel cibum attrahere aſſentiretur, cum ipſe alioqui quampericuloſè iaceret in lecto: non valuere ab eo propoſito retrahere complurium Religioſorum cohortationes, & allegatæ rationes, nec minæ ſempiternæ damnationis: tandem aliquando ad eum acciti peruenere patres noſtri, & obſtinatam infirmi mẽtem perceperunt ab eiſdem Religioſis, & quomodo omne tempus fruſtra contriuerant in eo ſuadendo, vt ſaltem loqueretur: patres verò cæperunt de rebus ad ipſius ſpectantibus ſalutẽ habere ſermonem; infirmus verò, vt nuper ſe oſtenderat peruerſus, ita modo cum noſtris dedignatus vtilia ſentire, obduratior ſe exhibuit; tum patres noſtri omni mutata loquendi facie, ſæcularia verba iuxta ægri humorem introduxerunt, ſecundum illud Apoſtoli, factus ſum omnibus omnia, vt omnes lucrifaciam (nempe de venatione, de fluminibus, & aquarum ſtagnis, deque ludis, & ſimilibus: ad hæc oculos adaperuit infirmus, & ſe oblectari indicauit, atque à priſtino diſcuti letargo, ſubſequentes verba dixerunt, ſi audire reſonantia inſtrumenta, vocemque cantoris oblectaretur; adhæc ſoluit denique linguam, quæ hucuſque quaſi ligatam, vel clauo affixam firmauerat; vtiq; annuit; quo properante pſalte, ac percutiente fidem, voceq; modulante, ſedato corde euaſit infirmus, & pater tum abſque moræ interuallo de Cæleſti Beatitudine intermiſit eloquia, quæ ſanè inſtrumentum extitere appetendi vera, æternaque bona, ſicut muſica depellendi mærorem cauſa fuit; vnde ſatis contritè, & integre confeſſus eſt, ac ſuſcepit Eccleſiæ Sacramenta, & poſtmodum ſatis pie mortis ſomno obdormiuit. En ex hoc facile conuincuntur exemplo, qui inepte putant ærumnoſam eſſe in ægritudine Sacerdotũ aſſiſtentiam; cũ iſti gaudium attulerit ſenſibus, & menti Religioſorum aduentus.

Quidam inducitur ad pœnitẽtiam ꝑmiſſis Muſicis inſtrumentis.

34 Similis euentus cuidam ægro execrandæ auaritiæ addicto obtigit; quamuis enim esset vnus ex Populo vir; attamen diuitijs affluebat, hic mortifera tenebatur ægritudine, & arbitrabatur nũmorũ profusione ab ea liberari posse, assiduo medicos compellans corporales, oblitus spiritualium, nec de suscipiendis Sacramentis quidquam excogitabat; propinqui autem ipsius patres nostros accerserunt, qui in alio cubiculo detenti, eius infelicem statum perceperunt, vnde vt illi animæ prodessent, sanctam peruestigarunt deceptionẽ, dixererunt se velle fingere aduenas, medicosque famosos, si forte hac via ipsum, ad Sacramenta sumenda attraherent, ita effecerunt, vnde succinctis tunicis, et plicato vestis collari more sæculari, tectaque cruce, graui incessu introgressi sunt; quare sub hoc nomine medicorum ab ægro admissi fuere, qui oẽs ab se Religiosos excluserat: cæperunt post gratam salutationem pulsum attrectare, ac de signis ægritudinis locuti sunt plura; demum cum se professos esse non vulgariter in arte medica assererent, spoponderunt illum velle reddere incolumem, aspirante Diuino Præsidio, eorumq; tamen esse morem, priusquã aliquod medicamentum applicare instituunt, vt æger Sacramentum suscipiat pœnitentiæ. Ad hæc dicta paululum suspensus stetit ægrotans, tandem desiderio permotus recuperandi valetudinem, dixit se velle confiteri, ex hoc timore seruili, seu naturali, introducta est sensim vera (ex eo quod ostendit) dispositio, nempe propter Dei dilectionem de peccatis dolendum esse, itaq; accedente parocho, qui ad hunc effectum extra infirmi cubiculum detinebatur, satis deuotè confessus est (credo illi notam fuisse piam calliditatem) ex se petijt inde extremam vnctionem, & detestans cum lacrymis propria delicta, parua interiecta temporis mora, expirauit, assistentibus eisdẽmet *patribus*, linquens suæ salutis spem, & non vulgare gaudium in astantium mente, Deo referentium grates, qui per seruos suos tali dexteritate cor lapideum fregerat.

De quodam diuite, qua dexteritate allectus Sacramẽta suscipit.

35 Verũtamen si quando blanditiæ nõ prodessent, vti cõsueuere patres, aliqua seueritate in verbis, & in actis terrorem ostendentes, vt flecterent ad pœnitẽtiam, & cordis compunctionem miseram, & illaqueatam à dæmone animam. Ita cum quodam cẽturione valdè superbia inflato occurrit, qui propter quasdam intestinas simultates, & cum alio militiæ duce innatas contentiones, seu inuidiam, spem suæ salutis repudiauerat, calcitrando propria sacerdoti à confessionibus scelera pandere; sed cum vocati patres accessissent, frustra diù elaborarunt blandis hortamentis, denique nouam, sed contrariam semitam persuadendi adinuestigarunt, quoddã ex vicina Ecclesia Crucipendentis Domini simulacrum, plusquam mediocris staturæ duci fecerunt, interpositis quibusdam accensis facibus processionaliter ad infirmi cubiculum introierunt patres, & aliæ secum comitantes personæ, ita coram moribundo se exhibuere milite; Sanctissimum verò Crucifixum, & lumina ante eius faciem exposuere; Pater verò infirmum per Comæ cincinnos excitans, ab eaque somnolẽtia excutiens ait, non huc adueni, vt te ad pœnitentiam prouocarem, quia inhumaniter eam expellendo, te indignum reddidisti; verum æternalem tuæ damnationis sententiam, ab hoc iustissimo contra te vindice audires (interim imago SS.è Crucependentis Domini ante ipsius oculos detenta sistebat) cuius maledictio festina super te cadet perfide, ac scelefte, & omni commiseratione indignus; ecce tartareus ignis citò te vorabit, & sors tua erit cum damnatis, ad hæc verba prodita cum feruore spiritus à patre, vehementi tremore

Miles scelestus reiectis simultatibus ad pœnitentiam trahitur.

per-

perculsus est miles; hinc introduci terror futurorum, & ab illo spectaculo tremefactus confiteri quæsiuit, cæpitque dolere, ac plangere sua crimina, & omnibus ex corde parcere, ac iniurias remittere, instanterq; replicare confessionem; vnde illa dignus demum effectus est, sanctissimoque Viatico, & Oleo sancto, itaque hac munitus Sacramentorum armatura, nedum parua defluente mora, sed confestim decessit.

36 Par casus se obtulit cum alio moribundo, non iam milite, vt supra dictus, sed prædiuite, si illum superbia cæperat, hunc auaritia malorum omnium radix apprehendit, & cum ea carnis immunditics: hic itaque in detestabili concubinatus vitio, veluti immundum animal, diù stercora amplexatus est, & quoniam, quæ seminauerit homo, hæc, & metet, huius sceleris pestiferam segetem in morte demetebat detinens; dum ageret animam in sui cubiculo; immò ante cubile, concubinam, neque à tanto facinore se expedire meditabatur, mediante sacrosancto pœnitentiæ Sacramento, expulsa morbi spiritualis radice, hoc est peccandi occasione, neque Patrum cohortationes, qui illius decessui assistebant, quidquam proderant, nihilque valebant; eo demum vsi sunt remedio, quod adhibitum est in superiori exemplo; quare à præsentia Sãctissimi Cruci affixi Domini exterritus, & à patrum minis, Diuina eum excitante gratia, cuncta adimpleuit, quæ illius saluti necessaria fuere; vnde pristinam vitam retractans, susceptisq; singulari deuotione Sacramentis, deiectaq; domo meretrice, vitæ suæ supremum diem clausit: iste siquidem moribundus quemadmodum in corpore ad mortem, ita pariter in anima ad interitum sempiternum decurrebat, vt claret, sed Dei miserentis pietate, & opere, industriaue patrũ, liber, vt arbitramur, euasit, ab ea, quæ vere formidabilis est, morte secunda.

De quodam diuite, qui opera Patrũ expulsa cõcubina piè decedit.

37 Sed Romæ alius occurrit casus, non absimilis Patri Cęsari de Simonio nostræ Congregationis Sacerdoti cum quodã milite morti proximo, ad auscultandam eius confessionem, idem Pater fuit destinatus à Superiore; hic enim miles spatio tresdecim annorum Sacramentalem absolutionem nunquam susceperat, præter alia facinora ore maledico horribiliter Deum, cælicolasque blasphemabat, quod detestabilius fuit, quasi de Diuina desperans misericordia, nullo tenebatur confitendi proposito, neque vlla ratione poterat induci ad illius susceptionem, quamuis à morbo teterrime ageretur; Pater verò tanquam doctus Chirurgus, quia Cataplasmata, & lenia medicamenta non proderant, ad ferrum pertransijt; nimirum à verbis blandis, ad aspera, & à dictis ad facta peruasit; habebat enim infirmus Germanum fratrem molendinarium vna supra pontem tiberis incolentes, nomen ægri Cæsar fuit; in interioris cubiculi parte Sanctissimum Cruciassixum Dominum inerat, quem vt in superioribus factis relatum est, susceperunt additis sex fortitudine generosis viris eiusdem molendini operarijs, nox enim in maiori tum reuoluebatur silentio, accensis insuper aliquot luminibus; rerum itaque talium facta collectione, & apparatu; vnus ex patribus Crucem sanctissimam inter duas ardentes faces vehebat, retro verò sex illi vultu terribiles homines sequebantur; Pater verò prænotatus Cæsar Dominicum simulacrum comitabatur, repẽte talijinstructo spectaculo ægroti cubiculum adierunt, credere potestis, qui terror infirmum apprehẽderit iam laborantem in supremis suspirijs, quem ita allocutus est pater, contemplare scelestę Cæli, & Terræ factorem, quales pro te perpessus est cruciatus, & acerbissimam, atque contemptibilem mortem; tu verò teme-

re

re eius misericordiæ diuitias, & patientiam contemnis, en iam peruenit tuorum impiè scelerum finis, quæ tam impudenti patrasti audacia; aduersum te manet supra caput diuinæ vltionis gladius, vt secet te medium, & allidat in carceres æternalis combustionis, tunc lacrymæ, nec singultus proderunt; hi quos intueris aspectu horribiles iuuenes expectant, vt miseranda descendente in infernum anima, tuum nefandum cadauer vorandum à piscibus in Tiberim subuertant, & anima à dęmonibus tradatur inenarrabilibus dilanianda cruciatibus: quæ voces perinde, atque tot iacula cor ægroti transfoderunt, & ad pœnitentiam illud flexerunt, atque Confessionem, quam petes cum lacrymis, benigniter impensa, confessus itaque est magna contritione, & ex eo timore, ad diuinorum amorem; & inde ad delictorum detestationem transijt, vt testes fuere lacrymæ ab eius oculis subortæ. Falsus verò malorum seminator indignans amisisse militis animam, vendicari contra patres studuit. Infirmus decesserat hora sexta noctis, & patres dum regrederentur ex eo cōmendationis animæ pio munere; super Insulam Diui Bartholomæi se à quodā vitulo ignea præ se ferente lumina, vehementer impetiti sunt, quasi volente tanta feritate eos deglutire, vel omnino interimere, hiante ore, & mugiente, & toto corpore eorum cædem machinante; ad hæc maximo pauore capti patres procubuere, & inuocantes Diuinissimum Nomen IESV, & Beatissimæ Virgini MARIAE, nullam passi sunt læsionem, nec talis horrenda bellua vsquam apparuit, quæ illa fera immanitate proculdubio ostendit, quantum hoc institutum displiceat ei.

Alter miles miro modo ad pœnitentiam cōuertitur.

38 Priusquam finem huic anno imponamus, alia subnectenda sunt exempla, quamuis alterius generis; attamen non excedentia præsentis materiæ limites, in quibus haud inferiori modo Diuinam elucere clementiam apparebit, non autem in conuersione peccatorum in malis inueteratorum, vt antea, sed inquiescendo hilariter sancta quadam dormitione mortis, siue intus, vel extra Nosocomia.

Subduntur non ab re alia exempla.

39 Romæ in Hospitio Sancti Spiritus quidam vir rusticus natalitijs; at animo satis nobilis; dum in extremo conflictu ageret animam: Patri illum adiuuanti in eo formidando certamine asseruit, iubet ne aliquid Paternitas vestra? quādoquidem hora resolutionis corporis meæ instat, & ex hoc ergastulo miseriarum, ad illam Cælorum mansionem mediante Dei immensa clementia trāsuolam, cui subdidit pater; dum illa Diuinæ præsentia dignus efficieris, pro me ora, inter hæc dicta sępius Sanctissimum Nomen IESV, & Beatissimę Virginis MARIAE repetens lætabundus expirauit, fortiter dextera tenens, quasi vexillum sub quo militabat panni Crucem in pectore Patris fixam, post eius iucūdum decessum, difficulter ab eadē manus summota est, ostenditq; ex signis optime in Domino obdormiuisse; purgauerat autem illum Deus multis antea laboribus, & paupertate, atque infirmitatibus, in morte tamen illum tantopere exhilarauit.

Iucūdus cuiusdā vexati pauperis trāsitus ex hac vita.

40 Neapoli in Nosocomio Sanctissimę Annunciatæ, dū alter æger in membris conflictaretur à morbo, ageretq; animam; spiritus verò ipsius gaudebat, nec de lethò quicquam moerebat; sed veluti suauissimus Cygnus dulciter canebat altissima de Cœlestibus, ac Diuinis miscens eloquia; demum istis dum teneretur discursibus, quidam apparuit mirabilis splendor, quo æger circumdatus migrauit è vita ad altitudinem Cœlorum, vt piè putandum est. Multi sunt potentes in hoc sęculo, qui magnis mœroribus extremum finiunt diem,

Notatur cuiusdā decessus periucūdus intra Nosocomiū SS. Annunciatæ Neap. Lege lib. 3. c. 9.

hic

hic vero pauper in Hoſpitio ſumma hilaritate ex hac mortali vita pertranſijt; illorum mors deploranda, & conuerſatio non imitanda, huius inopis defunctio felix, licet cum vita ærumnoſa, æmulatione tamen digna, glorioſum propter finem.

41 Prima noctis vigilia ad viſendum properabat pater Io. Baptiſta Controni-bus noſtræ Congregationis profeſſus Sacerdos ægrotum vltima dantem ſuſpiria, pontem Sixtum Romæ dum vellent pertrãſire, in eius medio duo aſpectu fœdi, voceque terrifica ſe obuiarunt homines, ſi homines dicendi ſunt, inſtanterque interrogarunt patres, quo procederent; ad infirmum in articulo mortis conſiſtentem, prodidere, quibus illi, fruſtra illuc vos ire contenditis, addiderunt: attamen patres ne in ſuo munere torperent, eo adhuc ire feſtinarunt, aſt magis hi feri homines inſtiterunt, ne infirmi domum adirent ſub prætextu ſanitatis, iam bene valere infirmum inſiſtebant; facta autem verborum aliqua contẽtione tartarei oppugnatores, cum expugnare ſeruos Dei nequirent, quominus munus ſuum obirẽt; vt auerterent omnino eorum animos à charitate minas addiderunt, nimirum ſi ad ægrum irent fore vt ſe pœniteãt, & demergendos ab eis in Tyberim ſenſerunt, qui timore vehementi perculſi, animo voluentes eorum immanitatem, regredi finxerunt; attamen quadam dexteritate viam declinantes, per alium tramitem ad infirmum perrexerunt, quem viribus deſtitutum conſolati ſunt, indigentem animæ, corporiſque iuuamine (erat enim exercens cetarij miniſterium) prẹter reliqua nullo fuerat munitus Sacramento, vnde aperte res nota fit, illos duos infernales extitiſſe dracones, rãpere audentes omnino inermem abſque Sacramentis illius animam; ſtatim atque noſtri ipſum ad ſuſcipienda diſpoſuerunt Sacramenta, qui ſatis contrite illico confeſſus eſt, cui etiam reliqua Sacramenta ſubminiſtrari curarunt patres, totamque noctem illic vigiles excubando conſumpſerunt, orationibus, pijſque exhortationibus, ac deuotis lectionibus intenti, mane tandem diluculo, ſatis quiete, ac libenter ex hac ærumnoſa exceſſit vita, relicto cadauere, quod modeſta compoſitione membrorum remanſit; patres porrò regrediebantur, eodem ferme in loco, quo antea ſuſceperant minas, ac repulſam, modo vehementi impetu ſe concuti ſenſerunt, adeo vt pedibus ſubſiſtere nequiuere, vnde in faciem ſuam ſuper humum concidere coacti ſunt, dirumque dederunt caſum, veruntamen nulla in parte læſi ſurrexerunt, ſed integra ſalute, nulloque affecti dolore domum petiuere; illos fuiſſe arbitror, qui antea improperijs vſi fuerant, vt præpedirent infirmi animæ ſalutem, nunc vero adhibuere conatum ad eos lædendos dum ægrum lædere non valuerunt, quique, vt bene tranſiret ex hoc ſæculo, operati fuerant, ſed ipſi deſiderijs ſuis fruſtrati, ac deluſi, aufugerunt.

Vt dæmon impedire conatur acceſſũ ad moribundum.

42 In Vrbe Neapolis quidam viarum graſſator ægrotauit, & ignotus in Hoſpitali Sãctiſſimæ Annunciatæ receptus iacebat, qui tandem in ſupremo ſpiritus halitu pòſitus tantam lacrymarum copiam fundebat ex oculis, vt omnes eum intuentes mirarentur, ſic enim aiebat, grates tibi refero ſumma Bonitas, quæ me in hunc duxiſti tutiſſimum, ac ſanctiſſimum locum, vt mea innumera delerem ſcelera, cum Pſalmiſta vociferare poterat, Fuerunt lacrymæ meæ panes die, ac nocte, cum tot mei ſodales ſuſpenſi interijſſent, vel in ipſo delicto, vel inter fugiendum interempti, auium eſca facti ſunt, alij membratim diſcerpti abſque Sacramentali confeſſione, hæc, & ſimilia incredi-

Quidã viarum graſſator deplorãs amare ſua crimina obit

1610.

bili animi compunctione promebat, vnde singulis susceptis, darique consuetis eo in termino Ecclesiæ Sacramentis, valde, ac libenter vita vacauit; hinc horum feliciorem reputabat Camillus sortem, quam eorum, quamuis prædiuitum, ac principum, qui post multa flagitia in lectis eburneis magna cõstipati seruorum, ac familiarium caterua decedunt, nullam lacrymarum manantes guttam, ac si totum vitæ decursum in pœnitentiæ, ac misericordiæ operibus contriuissent. Quando enim delinquentes ad hæc loca Dominus introducit, sua vtitur immensa clementia.

Mulier in ipso vitæ termino ter P. Cam. salutat, & incũctanter vitã finit.

43 Romæ vxor cuiusdam pictoris agebat animam, in eius transitu Pater Camillus assistens munus spiritualis misericordiæ obibat, quæ expirasse indicabat, sed adhuc spiritus membra vegetabat, quare oculos adaperuit, & corporis mox motum resumpsit, hinc repente se erigere enixa est, vnde sensim se eleuans resedit supra cubile, ac si nullo teneretur morbo, vbi manibus, ac luminibus modeste eleuatis in cælum nutu capitis ter Patrem nostrum Camillũ salutauit, quasi illi referens grates pro beneficentiæ munere orandi pro se in tali, tantaque necessitate, cumque hoc peregisset, iterum se, vt antea, in lecto composuit, clausisque luminibus, placido vultu obdormiuit in Domino. In cuius mortis agone astitisse gauisus est Pater Camillus, nimirum in tam honestæ, vitæque integræ mulieris transitu stetisse, comitando orationibus.

44 Pariter eadem in Vrbe puella virgo in vitæ limine constituta, acerbe à pituita angebatur; attamẽ verba, q̃ poterant ex illius ore colligi, huiusmodi fuere IESV, IESV, IESV è pectore tolle cor, sic vita me solue ab ista; ita canere mos fuit Beato Fratri Felici Ordinis Cappuccinorum vere terque, quaterq; felici, & demum puella pro conclusione sui iucundissimi concentus prodibat. Parce mihi Domine offensas, propter manus, quas in cruce tenuisti extensas; inter has notas quasi noua fœnix in rogo Diuini amoris extincta cecidit, vt ad æthera scanderet (prout creditur) spiritus; vnde maxima cum admiratione Patrum, atque omnium astantium cum alacritate migrauit è vita, non enim indigebat hortamentis, vt roborata transiret intrepide ex hac in aliam perennem, & tranquillam mansionem, quia peramanter, ac nimio desiderio in eam ferebatur. Exinde illius parens piæ conuersationis mulier, tempore sepulturæ cum vellet filiæ iusta facere, eius capiti rosarum coronam adaptauit, vbi nonnullæ intermixtæ aderant rosæ nondum aperientes suæ pulchritudinis sinum, vbi vero virginis demortuæ tempora tetigere, statimatque maturauerunt, quasi illud illibatum corpus fœcundissima tellus eis humorem communicasset, rosæ vero ipsius puritatis indicia, cum pompa demonstrauerunt.

De quadam illibata puella in eius temporibus applicitæ rosæ germinarũt. Lib. 3. c. 9.

45 Erat insuper mulier satis periculosæ ægrotans in platea, quæ Romæ dicitur Vrsi, meretrix diu tamẽ perseuerauerat in eo exitiali statu, iam extensis velis in mortem decurrebat; à tabernæ personis vbi prosternebatur conuocati sunt Patres, ad eam in suorum notitiam delictorum, perfectamque contritionem inducendam, accessit Pater Io. Baptista Contronibus alias commemoratus, suasitque confiteri, detestarique ante actam, turpemque conuersationem, tandem Spiritu sancto perflante satis eam disposuit ad veram facinorum suorum pœnitudinem, quæ profusis lacrymis, signum veræ contritionis edidit, itaq; illi absolutionis beneficium ab eodemmet Patre impensum est; cumque iam animam ageret ex eius cubiculo Patres non discesserunt, ne quam nimio labore Domino pepererant, deserendo amitterent, leoque tartareus de ea triumpharet, tempus interim occurrit missæ sacrum peragendi, & ne illam

prorsus

1610.

prorsus destituerent ad celebrandum perrexere in proximum templum, dum enim sacra facerent, duo alij Patres infirmæ apparuere, prope illam post salutationem consederunt, protinusque loqui cæperunt, atque ab ea quam Patres nostri suaserant spe nitebantur auocare fallaci argumentatione, obijcientes ei anteactam meretricandi consuetudinem, strictumque Dei iudicium, qui etiam de verbo otioso exiget rationem, doctrinæ à se falso allegatę addẽtes exempla mulierum eiusdem conditionis, quas perijsse ob similem meretricandi abominationem, affirmabant, parum aberat, quominus in desperationis baratrum paupercula demergeretur; vnde nimio terrore concussa, quæ responsa daret nequaquam sciebat, erat enim infelici lapsui iam proxima; iuxta illud Psalm. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei; verumtamen Patres peracto missæ sacrificio, reuersi per gradus domus infirmæ ascendebant, illi vero maligni, qui assiderant sub Religiosorum habitu, discessere, extraque cubiculum, tamquam modicus vapor euanuerunt: ingressi itaq; cubiculum morientis Patres nostri, totam ab illa, quam derelinquerant, permutatam, menteque consternatam adinuenere. Cum de his, quæ occurrerant commonefacti sunt Patres, ceu optimi medici morbi causam agnoscentes, vlcus detegendo salubria adhibuere medicamina, tantoq; tutius asserentes se proiecturam in Diuinam clementiam, quanto malignius dæmones eam perturbare ausi fuerant, etiam visibiliter sub ementita seruorum Dei forma, Domini enim miserationem nulla ab se excludere scelera, quin velit omnino parcere, dummodo ad ipsum lacrymarum balneo, ac pęnitentia ex corde confugimus; his suasionibus, & alijs, morientis animus sedari cæpit, & vacillantis in spe mentem firmarunt, supra firmam, solidamq; petram, idest Christum Dominum, detestantem, & execrantem falsa à mendacibus suggesta dogmata, hinc firmior, & fidentior in Domino effecta pœnitens mulier, deflens amare suam inhonestatem, & cunctas infirmitatis pœnas in proprij delicti satisfactionem deferens æquanimiter, satis quiete, ac perduote, susceptis Sacramentis, functa est.

Meretrix ad pœnitentiã reducitur.

46 Romæ in Monte Tarpeio intempesta nocte, tempore hyemis, ingruentibus procellis reperiebantur bini ex nostris Patribus, infirmum quærentes morti proximum, eo quoniam ex vi vẽtorum extinctum est lumen, vnde quorsum ire ob noctis cœcitatem, & procellam penitus negligebant, & ecce puer repente visus est, quem statu corporis, & consonantia vocis plusquam hominẽ adiudicasses, qui Patres lepide interrogauit, quid hic agitis, aut quid moramini? ait, moribundum responderunt hac in vicinia incolentem quærimus, quibus subintulit me sequamini, eius enim optime nosco diuersorium; illosq; per quosdam viarum anfractus perduxit in quamdam pauperrimam domum (magna siquidem cura sunt inopes Deo) ad ostium itaque mendici cum pertingerent, formosus adolescens, viæ ductor, ostensa ianua, inuisibilis euanuit, nec amplius visus, aut cognitus est; introducti demũ Patres, nimia admiratione correpti sunt, eo tẽpore, ac loco tam inclytum puerum adinuenisse, petiuerunt ab his, qui illic aderant, si quem misissent ad eos illuc ducendos, & si talis habitus adolescentem agnoscerent, prorsus negarunt, se quemque ad ipsos ire vocatum destinasse, nec similis habere notitiam pueri, neue illis in locis adesse, vel fuisse huiusmodi conditionis vnquam personam; ex eo comprehenderunt, vel sane conijecere infirmi custodiæ Angelum illuc eos perduxisse, quamuis sub humano aspectu se obicientem; porro inibi languentem

Angelus (vt opinati sũt) sub humana specie perducit Patres ad moribundi pauperis lectum.

ægrum

1610.

ægrum inſpexere, agentemque animam,tamen mentis compotẽ,quiq; verba formare poterat; ad Patrum acceſſum æger magno gaudio perſuſus redditur, ſtatum illius mortì propinquo animaduertentes, genuflexi orantes, legenteſque viciſſim commendationis animæ ſeriem, & deprecationes, pijs verbis illum conſolati ſunt, vix tranſacta hora lætiſſime ſpiritum ad Deum tranſmiſit. Dominus vero deſtinat pro inopum adiutorio Augelos ſuos, quando nonnulli imprudenter ad eorum lectos accedere erubeſcunt, vanis timoribus: maximo quidem hi perfundentur pallore in die nouiſſimo, quando vniuerſalis, ac Supremi Paſtoris apparebit Maeſtas, qui infirmus,& pro nobis egenus eſſe maluit,& iniquiſſimi iudicis ſubire ſententiam dignatus eſt,nos autem dedignamur deſtitutum omni præſidio adire ægrum.

47 Notabilius ſupradictis occurrit Romę exemplum memoriæ nedum prodẽdum, verum tenacius menti figendum, in ædibus cuiuſdam viri ſtudioſi noſtræ Religionis,ibi .n. duobus,ſiue tribus perſonis in exitu animæ à corpore noſtri opitulati fuerant; dum enim nunc pio commendationis animæ officio fungerentur,pia q̃dam mulier intererat,quæ adeo ſe illis Patribus ſpirituali dilectione addixit, immo eorum inſtituto; vt maximopere optaret, in ſui obitu præſentes tales habere Religioſos, quorum adiumento ſe ab omni aduerſariorum formidine liberandam eſſe confidebat; occurrit aliquot tranſactis mẽſibus in atrocem incidiſſe morbum,quæ continuo Patres vocandos eſſe iniũxit, at quoniam tunc temporis occupati detinebantur in alijs pietatis per Vrbem exercitijs, & in Noſocomijs, dilatus eſt ad eam acceſſus, ita Domino diſponente ad clariorem ſuæ beneficentiæ oſtenſionem, ianitor quoque oblitus fuerat regrediẽtibus Patribus (prout mos eſt in Religione) notam viſendæ infirmæ illis tradere, tres præcucurrere dies, tum vero meminit oſtiarius, vnde poſt triduum,ex noſtris duo illam adiere, cum vero in eius properaſſent habitationem, vitam finiuiſſe cognouere, qui vt ſe à culpa tarditatis eximerent, mortuę mulieris domum ſubiere, Matronę vero,quæ morientis in cubiculo ſteterant,grates nõ exiguas Patribus retulerunt pro laboribus,ac vigilijs, quæ in adiuuando illius animam conſumpſerant, ipſi autem contraria vice ſuis excuſationibus nouas item addebant cauſſas, opinabantur enim Patres mulieres loqui ironice. Demum intellexere ibi adfuiſſe ſpatio trium dierum binos patres moribundæ tranſitum comitantes, nec eam, quoaduſque ex hac vita profecta eſſet, deſeruiſſe, ac tanta efficacia, tamque cæleſti doctrina, & gratia verba prodidiſſe, vt nũquam hominem talia promentem verba prudẽtiæ audierant,Patres autem regreſſi domum ſubtili inquiſitione perueſtigarũt, ſi quis ex noſtris eo iuiſſet,& prorſus agnouerunt, neminem illo adijſſe,neque oſtiarium commiſiſſe cuiquam patrj talem viſere ægrotam,inde non dubitãter illos fuiſſe Angelos arbitrati ſunt, qui officium commendationis animæ exhibuerant; vt mulieris pia non fruſtraretur voluntas; & adimpleretur in ea quod legitur in Pſalm. Deſiderio cordis eius non fraudaſti eam.

Lib. 3. c. 7.

Bini aligeri funguntur loco Patrũ officio cõmendationis animæ, prout creditur pie. Lib. 3. c. 7.

48 Huius anni in decurſu Bucchlanici Reuerendus P. Fr. Vincentius de Carignano Guardianus in Conuentu Ordinis Seraphici Patris Conuentualium vehementer angebatur, eo quod læſam manum geſtabat, attractum habens pollicẽ,adeovt nec miſſam celebrare cõcederetur,nec organa pulſare,in eius Eccleſiam caſu acceſſit Pater Camillus,ibiq; ſacrum miſſæ fecit,præfatus autẽ Pater Guardianus fama eius ſanctitatis permotus, poſtquam diſceſſit ſeruus Dei Camillus,ſuſcepta aqua, manus qua ſe purificauerat, ſuam abluit, parteq;

Guardianus PP. Conuẽt. recipit in pollice motionem, quam omnino amiſerat.

læſam

1610.

læsam tetigit, sumpto pariter linteo, quo se absterserat, admouit ad digitum, vnde repente perfectam adeptus est sanitatem, & post hac Sacrosanctum Altaris Sacrificiũ peragere, & organa tractare, & quælibet munia absoluere valuit, vt antea; quare non destitit cunctis receptam gratiam prodere, atque merita, sanctitatemque Patris Camilli palam facere, quoad vitam habuit superstitem.

44 Hac itidem tempestate, & in eodem Bucchlanici oppido Franciscus Antonius Grillo omni spe salutis destitutus iacebat in lectulo, quo circa eius filius Ioannes Baptista Teaten iuit lugubria ad emenda pro funeribus vestimẽta, bona sui patris fortuna, quin potius Diuina prouidentia obuiam Patrem Camillum habuit, cui parentis lethalem ægritudinem significauit, illi autem Pater Camillus æquo animo esse persuasit, quandoquidem eius parens cito bene erat valiturus, & propterea nullo pro iustis facto apparatu, vel expensis domum repedauit: hinc Bucchlanicum lętus propter serui Dei Camilli verba confestim profectus est, atque reperit genitorem à febri derelictum, quod sane meritis, ac precibus serui Dei Camilli adscripsere, idem Franciscus Antonius celerius debito surrexit è lecto, patremque nostrum visum adijt, postquam Bucchlanicum aduenerat, hunc intuens Camillus gauisus est, indicauitque se quoniam intempestiuo tempore è lectulo abierat tota illa hyeme quartana laboraturus, transacta vero tutè conualiturus, ita non dubitanter euenit, vt pronunciauit seruus Dei. Si curiosius scire concupiscis certum sepulturæ tempus Patris Adriani Barræ, cuius memoria facta claret in fundatione domum Viterbij iam præsens annus ipsum abstulit è vita; ita post impressionem in libello quorundam ex nostris mortorium notatum esse noui.

De quodam in extremis agentẽ animam, qui incolumitatẽ meritis P. C. nactus est. Loco citato paulo ante finem.

45 VI. id. Maij 1641. tsanslatus Neap. est vna cum onere Ministerij Hospitij Incurabilium Nouitiorum locus ex ea, quę dicitur Platamonis Regio, in Aedem suburbij Virginum Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eò enim Scolarium translata est sedes; id vero peractum est prudentia ministrante Patris Marci Antonij de Albito Consultoris Generalis, cum authoritate Adm. Reu. P. Generalis, totiusque Consultæ; verum enucleatius proprijs locis patebit. Sed quæso descendamus, vel si maius ascendamus ad Annum.

1611.

Annus Domini 1611. & Religionis 21. Apostolico diplomate Pater Camillus perpetuus eligitur Consultor Generalis. De ipso aliqua notanter promuntur super Religionis virtute, & obseruantia, ac dilectione erga ceteros regulares. Deque nonnullis gratijs eius precibus adeptis.

1

P. Fundator ac P. Generalis vbi locorũ degãt.

PAter Blasius primus ex omnibus post Patrem Fundatorem in Religione Generalis iã triennio munere suo functus fuerat: hac .n. tẽpestate Romæ residebat; Fundator vero P. Camillus solutus omni administratione, & officio in Religione sibi ipsi, pauperibusque infirmis intra Sancti Spiritus hospitio Romæ totis precordijs inuigilabat; & sicut in prouerbio est, plenis velis, ac remis per immensum Diuinæ dilectionis, ac proximi pelagus euolabat, expectans ad tutissimum, ac sedatissimum Cælestis Patriæ portum nauigium sui spiritus iam bonis operibus, laboribus, ac pœnitentijs, & pijs exercitijs onustum, Diuina protegente gratia, transferre: attamen quia maius aliquid à seruo suo Dominus adhuc auebat, vt infra enucleabitur, posuit in Patris Generalis, suorumque Consultorum corde illum adscribere in numero Generalium Consultorum; quamuis enim omnia potuisset Camillus excogitare, hoc tamen posse mente reuoluere nemo arbitrabatur, quandoquidem tanto studio, ac sudore, desiderioq; officio Generalis se abdicauerat, & ab onere visitandi domos in Insumbria se exemerat; eligens sibi tamquam tutiorem, ac meliorem partem subditi statum, & relinquere suis alumnis, veri, atque obedientis Religiosi formam: reuera Congregatio magis eius in hoc statu subiectionis admiratus est perfectionẽ, quandoquidem in Superiore inest aliquid propriæ libertatis, quæ excluditur in subdito: & illius opera, à multis haud bene morigeratis, quibus nomen superioris non bene sonat, sinistre interpretantur, quorum calumnia caret subditus.

2

Eligitur per Apost. diploma Gen. Cõsultor P. Fũdator.

Sed deueniendo ad sensum Prefectus Generalis Pater Blasius vna, & sui Consultores Eminẽtissimum Cardinalem Gymnasium Congregationis Protectorem adiere, vt Beatitudinem Pauli sanctæ recordationis Quinti obsecraret; velle Patri Camillo facultatem impertiri, esse sicut vnum ex Consultoribus Generalibus in Congregatione, nolentes priuari in negotijs, & con sultationibus sui Fundatoris persona; qui tot lustris mira prudentia, ac zelo Ordinem rexerat; seque item tamquam non ingratos filios ostendere cupiere, amplexando, secumque aggregando vniuersalem Religionis parentem, nesciente Camillo, totum id peractum esse, cui determinationi citra dubium se opposuisset: proinde sub silentio Apostolicum diploma obtentum est, eo

ordine

1611.

ordine iam indicato, in eo autem concluduntur merita, & rationes intruſionis Camilli ad Conſultoratum, itaque Summus, ac Beatiſſimus Pontifex anno 1611. prid. id. Mart. hoc ei ſingularem communicauit priuilegium; apparet ibi quoque Religionis petitio, & inſtantia; licet enim ſeruus Dei Camillus obſtiterit hoc audiendo, verum ne ſe videretur Diuinæ voluntati opponere putauit obſequi: & conſilio, ac ſuo ſuffragio, in quo illi liceret Religioni prodeſſe.

3 Obtento huiuſmodi diplomate, adeo Camillo profuit, atque in ſui commodum vſque eo vſus eſt, perinde, atque nuſquam illud nactus eſſet, etenim à ſuo priſtino loco nequaquam ſe dimouit, intus Hoſpitale, vt prius commorans, & in eiſdem ſpiritualibus, ac temporalibus miſericordiæ exercitijs permanens; ſocium, qui ei miniſtraret non ſibi aſciuit, immo plerumque cum illuc ipſum fuiſſet comitatus, ſodalem ire domum iubebat, & rogatus, ac interrogatus, quare ſecum non detineret, reſpondit; ne ceterorum Patrum refectionibus, ac animi relaxationibus ſocius priuaretur, ſed cum alijs refocillaretur PP. honeſtiſque frueretur conuerſationibus, & quieſceret horis à regula permiſſis, ò paterna pietatis viſcera, ceteris indulgentiam, ſibi autem ſeueritatem imponentia: & rurſus ſciſcitāti, quomodo ergo Paternitas tua cum ſit ægrotus poteſt ſibi ipſi, & reliquis infirmis inſeruire? quis tibi calefacit eſcam? quis lympham trahit? quis opitulatur dum vlcus medetur tibiæ? ita inquit, hæc omnia, & alia ſibi præſtat Camillus, cibus enim ad ſolem incaleſcit ſi deſunt prunæ, ſi declinauerit autē ſol, vel obtectus nube fuerit, ſicuti eſt tepidus, vel frigidus mandit, aquam his manibus traho, egomet in reliquis mihi miniſter ſollicitus ſum: enim uerum ex hoc onere, vel honore Conſultoratus, qui eſt præcipuus poſt Generalem, illud lucratus eſt, cum aliquid præter ſuum zelantis animi propoſitum proponeretur, vel concluderetur ſe nouiter opponere, ſi vero nequiret præpedire, quæ ille ſecus facienda æſtimauerat, gemens tacebat, nec ſuffragio vnquam adhæſit, quod minus ſancte decernendum putauit; itaque quod illi pro honore fuerat impoſitum, crux fuit, ponduſque, ſed caritas omnia ſuſtinet, profecto quas vocamus dignitates pondera ſunt Dei ſummi famulis, ſub quibus ſane gemunt preſſi. ſed ab eius interceſſionibus nonnullas conceſſas varijs perſonis gratias recolamus, priuſquam ad aliud tranſitum faciat oratione calamus.

Quā vitam ducat poſt obtentū Apoſt. Breue.

4 Bucchlanici Aurelia Domini Petri Caprafici, & Columnæ eius coniugis, ætatis non amplius quam menſium decem, & octo ſupra feneſtram locata iacebat, quæ puellarum ſequens morem, erga plateam ſe conuertens, decidit, diſtabat enim à tellure feneſtra palmis circiter triginta, humus vero ſilicibus ſternebatur; quin ēt puteus per diametrum ſubdebatur feneſtræ, itaq; ſi puella euaſiſſet, ne in puteum decideret colliſionem ſupra ſaxa euitare nequiuiſſet, & conſequenter, nec mortem; at ſi parentem imprudentia fefellit, vt filiam minus tutè deponeret, prudentior inde poſt vexationem facta eſt; quapropter extenſis brachijs, apertiſque manibus more fœmineo, clamans volauit ad natam, ſi illi opem valuiſſet afferre, ſed fruſtra, quo circa tota ſe deuotione ad Patris Camilli interceſſionem conuertit, quem vt à periculo filiam euelleret, alta voce proclamauit, ac precata eſt, nec eius in irritum abiere deſideria, quippe cum ſupra ſtrictum putei labrum irruiſſet, intus vt mergeretur, neceſſitas poſtulabat, verum immobilis ſtetit ſupra ipſius labrum, donec à vicinia leuaretur, & matri redderetur. nullum mali veſtigium ex colliſione refe-

De puella infante à P. Cam. protecta ne in puteū caderet.

In proceſſu fol. 124. Bucchlan. condito.

rens,

1611.

rens, sed integris membris, vt erat antea, parens eam suscepit, neque prorsus ploratum edidit, vnde ingenti lętitia mater illam deosculata est, Deo, suoq; famulo innumeras referens grates; ex inde puella meliori qua potuit voce, sed magis signis indicauit, senem sub forma nostri habitus Crucem deferentem vidisse, qui ipsam, ne in puteum caderet, recepit, atque rexit supra illius circulum, qui à terra eleuatus, spectabatur.

5 Romæ quoque Frater Io. Thomas Coppula Neapolitanus professus, ab ardentissima febre adeo vexabatur, vt à Physicis vita spoliandus damnatus sit; cum vero à Patre Francisco Corrado nostrę Religionis Sacerdote in Hospitali Sancti Spiritus P. Camillo id nunciatum fuisset, vbi consuetis misericordię in exercitijs detinebatur, inquit, eidem P. Francisco R. tua meo nomine Fr. Ioannem Thomam salutet, eique referat, citra omnem timorem victurum, & liberum ex hac ægritudine euasurum; prout, Deo fauente, sanus surrexit è lectulo, grates Deo, suoque famulo Camillo non exiguas exoluens.

Lib. 3. c. 26.

6 Supradicta in Vrbe Romæ prid. id. Aug. Iulianus ex barbitonsoribus eiusdem Hospitalis vnus periculose decidit in lectum, sæuiente in eum maligna febri, hic in cubilibus Nobilium vbi iacebat cuidam ex Patribus nostris vniuersa confessus est sua crimina, rogauitque Patrem eumdem obtenta absolutione, vt seruum Dei Camillum deprecaretur pro ipso Dominum, vt obsecrare dignaretur, ita spopondit facturus, egitque Pater Camillus, vt rogatus acceperat, elapso vero biduo, idem Pater ad ægrum deuenit, quem grauiorem, ac periculosiorem reperit, vnde rursus anxie petijt, vt seruo Dei Camillo ipsum commendaret, eiusque precibus, in quibus nimium fidebat, & sui memoria Sacrosãctis Missæ Sacrificijs faceret; iterum idem Pater Camillum pro incolumitate illius ægri deprecatus est, respondit, crastina luce Gloriosissimæ Virgini Mariæ dicata, super Altarę sacrum faciens, pro ipsius salute, Angelorum Reginam deprecabor, peracto demum sacro nouitium, nomine Hieronymum de Auxilijs ad se vocauit Pater Camillus, ito, ait, ad Iulianum, ac dicito se hac vice non moriturum, sed quantotius sanitati donandum; ad eumdem infirmum visum accessit Pater Franciscus Corradus, lætum quem intuitus est omni morbo immunem, & propediem omnino sanus resilijt, affirmans, incolumitatem fuisse nactum ob merita, precesque Patris nostri Camilli, qui ipsum commonuit, vt post hac, relicta pristina viuendi consuetudine, meliorem duceret conuersationem. Sed de Camilli deuotione erga Sanctos, Beatissimamque Virginem, ac Diuinum cultum aliqua intermittere non displiceat.

Infirmus cõfirmatur a morbo resilit à lecto.

Lib. 3. c. 26. erga finem.

7 Certum est totis diebus post suam conuersionem ambulasse reuerenter coram Domino, vel saltem enixe studuisse procedere iugiter coram Diuina præsentia, secus incredibile foret, potuisse per mare tot laborum, ac pœnitentiarum, totq; operum pietatis intra, & extra Hospitale editorum, vt ita loquar, adnauigare; & tam indefesse, tamque ardenter, & toto pectore complecti, quod alij totis viribus euitare contendunt; sed ex parte intelligere licitum sit, ex eius puta corporis cõpositione, qua procedebat, & præsertim ex oculorum modestiã, ac verbis, quæ ab illius ore prodibant, quamuis rara, tamen deuota, & Dei honorem, ac proximi vtilitatem redolentia, & ex attẽtione quoque colligi potest, qua operabatur, & ministrabat infirmis, vnde, vt superius insinuatum est, quandoque extra se raptus visus est, & demum id ipsum comprehendi fas est, à quadam epistola ab eo ad Patrem

Colligitur ex eius factis Camillũ coram Dño ambulasse.

Blasium

8 1611.

Blasium Opertis transmissa in hæc verba, quæ modo subduntur.

Post aliqua insinuat: itaque mi pater mihi ipsi persuadeo, ingentem à Domino obtinuisse gratiam, scilicet ad hanc vocatum esse vitam, sanctamq; vineam, vt hac via ipsum quęrendo diligerem, illiq; complacerem, ac inseruirem, suæq; diuinæ Maiestati gratum me reddere: neq; declinare ad dextrā, vel sinistram partem vnquam oportet, sed indeflexo calle strenue festinare ad Creatorem, secundum Apostoli Sapientiam; festinemus ingredi in illam requiem, & hoc assidua fit oratione, Sanctorumq; Spiritualium librorum lectione, frequentibus, & feruentibus sacrificijs, ac propriorum criminū confessione, sui demum ipsius contemptu, in sancta fundato humilitate, &c.

Forma cuiusdam epistolę ex qua præfata probatur doctrina.

9 Ex pręcedenti litterarum scientia, & sententijs innotescit quantum fuerit rebus diuinis addictus, & intentus, namq; scribens Generali, alijs pręteremissis communibus, & priuatis negotijs coram diuina præsentia incedendum esse, ipsum cohortabatur, ne ad dextrā secundarum rerum flecteretur, neq; ad læuā caderet ærumnarum, hoc est, ne propter illas superbiret, neq; propter hæc vilesceret vnquam, sed immobilis omnino Deum summum factorem, ac benebenefactorem benedicendo, persisteret, iuxta Spiritus sancti eloquium, non conturbabit iustum quidquid ei acciderit; quod vero Camillus suis dictis, ac scriptione eructauit in aliorum beneficentiam; continebat profecto in se eminenter, etenim non modo orationibus mentalibus, quæ in nostra quotidie Religione peraguntur intererat genibus flexus, rectoq; corpore persistens nulli autem innixus parieti, siuè Scamno, sed immobilis in medio oratorij attēte orabat, hinc stupentes mirabantur alij, senem tot oppressum ægritudinibus adeo perseueranter, & indefesse persistere in oratione, maxime, quia in poplitibus duas veluti magnas pilas accuminatas gestabat, siue essent obdurati calli ex assiduitate orationum obducti, siue duo ossa prominentia, vel alterius materiæ congeries, à nemine obseruatum accepi, vel traditum.

Quomodo immobilis oraret.

Duos in genibus obductos habet callos.

10 Cum aliquando Neapoli reperiretur intus Santissimæ Annuntiatæ Hospitale veluti vnus ex minimis Religionis fratribus nocturnas peragens excubias, vigiliarum socius cum suas peregisset excubando horas, Camillum adijt vocatum media nocte (tali enim tempore ægris ad seruiendum pauperibus surgere consuescebat) at quoniam plusquam semel, & iterum cellæ ostium percusserat, neminem autem audierat respondentem, cubiculum adaperuit, & lumine patrem perquirens in medio offendit cubiculo stantem immobilem oculis, ac manibus eleuatis, & cum extra sensus illum esse obseruasset, accensa lucerna, clausoq; iterum ostio secessit; pater vero post aliquam moram ad se se rediens velociter ad pauperes cucurrit (erat enim tum omnibus contectus vestimentis) erubescens, se tali modo fuisse inspectum; vehementer quidem amauit fauores, quos à cælo receperat humilitatis pallio obducere.

Reperitur raptus intra sui cubiculum. Lib. 3. c. 14.

11 Si vero laicorum in ædibus afforet, vel in Caupona itinerando casu adesset inibi consuetas, ac mentales Religionis orationes agere studuit; quid enim in Domibus priuatis asseuero? Quando per vias id ipsum obseruauit: si tamen transire oporteret Syluam, vel nemus aliquod, vbi locorum quies, & silentium magis ad orādum inuitant, illic ardentius ad Dominum mentem, animamq; eleuauit, plerumq; quem gerebat à latere Crucifixum contemplans, ac suauiter deosculans; si porro suorum esset caterua constipatum religiosorum, tum pulueris horologio conuerso cunctis significabat per horam integram orandum (prout nostrorum regula præcipit) qua transacta finem indicebat.

Etiam per iter suis integram horam orare indicit.

1611

Romæ siquidem cum ingrederetur in templum Diui Rochi, vt oraret, adeo in oratione perseuerauit, ut socius lapsus obdormiuerit, cui nomen inerat Horatius cognomento Porgianus, de quo alias mentio habita fuit; experrectus animaduertit abesse patrem nostrum Camillum, quem per Ecclesiam quærens minime adinuenit, foris properans, longe distare conspexit, festinus ad eum iuit, redarguendus expectans, at proxime accedens adeo mente eleuatum ambulare obseruauit, vt argumento certo cognouerit de socio nihil omnino cogitasse quo cũ semper vna ibat, attamẽ in se rediens nulla protulit verba, nec cognouisse indubitatum est, totum illud spatium solum deambulasse. Mirum profecto etiam in uia, & inter hominũ tumultum, ac sæculi turbinem, adeo in Domino incessisse absortum; & quemadmodum animo non intendit socio, nec alijs quoq; occurrentibus personis: quare ipsum ab oratione, seu mentis eleuatione nequamq; potuerunt abstrahere. 12

Eleuatus mente inter hominũ cateruas incedit.

C. 14. lib. 3.

Orando patri æterno acerbissimam vnigeniti filij sui passionem offerebat pro totius mundi peccatis, & pro exaltatione Sanctæ *Romanæ*, & Catholicæ Ecclesiæ: *Suosq; Religiosos* erudiuit, vt pro Religionis benefactoribus tam viuis, quam etiam defunctis, ac pro illis: qui in miserando peccati mortalis statu iacent, atq; in vniuersum pro purgatorij animabus, præsertim vero pro agonizantibus perpetuo Dominum exorarent, affirmans quamuis in angulo cellæ clauderentur nostri, poterant tamen omnibus in agone mortis dimicantibus præsto esse orationibus, pro illis diuinum implorando auxilim, pium commendationis animæ officium perhibẽdo; porro auebat, vt nequaquam sibi satisfecisse putarent per horam tantum mane orasse, sed assiduo pijs meditationibus comitatos inueneri oportere, siuè in Hospitalibus commorãdo, siue munere commendationis animæ fungendo, aut vbicumq; forent: infelicem reputans illum Religiosum, qui sola contentus orationis hora, reliquum vero diei spatiũ mente vagum per varia, vanaq, dispatiatur obiecta, demum exoptabat mente quærenda esse superna, & ad Dominum incessanter volandum, quamuis manus, & reliquæ corporis partes in alijs forent temporalibus caritatis operibus addictæ; pro se ùero instanter deprecabatur, vt Dominus sua benignitate eius animam restitueret in eam, quam in fonte baptismatis susceperat puritatem, & propterea ab omni licet minutissima culpa se prorsus studuit remouere; nõ enim curiositates speculando orationi intendit, nec in altum diuinorum secretorum cymbam suæ intellectionis laxauit, verum, ceu noua Columba in cauerna macerie, hoc est in latere aperto amantissimi Iesu affectuosè, suauiterq; quiescebat, inde probatissima cælestis spiritus pabula referens. 13

Quomodò etiam in angulo cellæ docuit Camill. posse agonizantibus exhiberi pium commendationis animæ munus.

modus orandi Camilli.

Mira deuotione erga quinq; dulcissimi Domini Iesu vulnera ferebatur, in quibus tutissimum munimen indesinenter expertus est, indeq; veluti à perenni misericordiarum fonte requiem in labore, & in æstu temperiem, vt legitur, & in fletu solatium deportauit, neq; ad illa sensibiles consolationes, vt referret, cucurrit, sed magis, magisq; cælestes beneficentias, donaq; vt agnosceret, in tensiusq; amaret, ac uehementius in operationes pietatis exiret, atq; libentius sustineret quidquid amaritudinis, ac doloris se se opponeret, ut in apostolorum actis registratur, per uarias tribulationes oportet nos intrare in regnum Cœlorum; sane in orando præter diuinæ uoluntatis beneplacitum, aliud haudquaquam quæsiuisse citra dubium est; quandoquidem erat mundo Camillus, omnibusq; ejus oblectamentis demortuus, & ueluti cruci affixus, ut de se. Gloriatur apostolus, dum exclamat, mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo. 14

inter vulnera sanctiss. cruci affixi Domini orãdo Cam. immergitur.

Interdum

15 Interdum fuper cadauerum fepulchra genuflexus orauit, ut uiuacius in eius corde infixa mortis memoria hæreret, qui poftea in fpiritualibus collo quijs talē interferendo fermonē profuit, profecto hi patres, ac fratres, qui fepulti iacent in tumulis oh, fi rediuiui nobifcum remorarentur, quam ardenter in Dei amore perfifterent, & quam operofius laborarēt, & quanta cum vigilantia Religionis præcepta feruarent; quantaq; cum obferuantia, atq; humilitate omnibus obtemperarent, & egenis, pauperibufq. fubferuirent, quandoq; in oratione extenfis brachijs, aliquando uero iunctis palmis deprecabatur, nonnũquã ftãs aliquando prorumbens, fæpius genuflexus orationibus inftitit, eius porro menti quilibet locus idoneus erat, vt facile fubleuaretur, quæ in diuina femper ardebat dilectione, quemadmodum ille ignis qui femper in Dei altari cremabat, ficut diuinæ teftantur litteræ, ignis in altari meo femper ardebit.

1611. Sæpius fuper tumulos orauit. Qua pofitione Camillus orauit.

16 Quofdam fimplices fratres erudiens, aiebat, fi in oratione aliqua cœleftis roris dulcedine afficiamini Deo bonorum omnium largitori grates rependite. Sin autem fuftinete patienter, ac libenter, importunafq; cogitationes viriliter explodere nitimini de cordibus veftris; arbitrantes eas, ob aliquem forte ignotum defectum in vos irrepfiffe, neue defiftite ab oratione, fed ad finem vfq; ipsã protrahite, at fi adhuc infefte mentem conturbant, tum vel Sacratiffimi Rofarij coronam ore perfoluite, fiuè oculos, mentemq; in aliquam fanctiffimi Cruci affixi imagine intendite, fiue reluctate eas turpes imaginationes difcutiendo à uobis; & licet totam ita confumpferitis horam, nempe infiftendo aduerfus turpia phantafmata, ne putetis amififfe tempus, fed plurimum lucri cumulauiffe.

Inftituit fuos quomodo refiftendum infidiatori.

17 Si autem orationis effectus in aliquo fui ordinis Religiofo germinare non intuebatur, illum infimulabat, & veluti non legitimam prolem refpuit, quando quidem ex oratione ad pia minifteria flagrantius deueniēdum effe docuit pauperũ nēpe infirmorũ, cum ipfe fane ceu nobilis Aquila fe eleuaret ad fempiterni folis Iuftitiæ contemplanda mifteria, indeq; ad inferiora, defcendens pabulo, hoc eft opera mifericordiæ, tum fpiritualia cũ etiam temporalia ægris, egenifq; impertiendo, eliciebat. Si vero in aliquo defectu impliciti iacerent hi, qui diuturnas trahere præ cæteris nitebantur orationes, eos acri correptione excitabat, vnde, cuidam aliquando patri afferuit, quid mi frater ex tua colligis oratione? Quando quolibet in verbo difplicentiæ, exfcandefcis; alteri vero, qui intra nofocomium veluti eftaticus incedebat nil, vel parum prorfus operans in pauperum emolumenta, afferuit, igitur oratio alas caritati recidit, & homines plumbeos reddit, an non potius alatos conftituit Dei miniftros, ad omnia pietatis munia peragenda? Cuidam vero in obediendo fegni prolixus vero in oratione, ait, quid tibi profuturam fperas orationem? Quando langues in præcipuo, quod eft obtemperare maioribus, & demum nonnullis improperabat Pharifæi deprecationem, qui iactabantur de operibus varijs, ac duplicato ieiunio, attamen ceteros afpernabantur, & fufurrijs appetebant fratres.

Repudiauit illos qui orationi nõ adduntoperationem. Multa dicta aduerfus eos, qui poft orationem operantur, remiffe.

18 Licet enim admirabiles operata fit effectus Camilli oratio, à qua veluti nobiliffima cauffa promanarunt, vt fparfim per totum eius vitæ curriculum videre eft: veruntamen in hunc locum pauca dixiffe, atq; apponere infra non incongruum putaui. Dum itaq; laici vitam gereret intra Sancti Iacobi incurabiliũ Nofocomium Romæ anno 1682. & munere illius ædis magiftri fungeretur, accidit tractante vniuerfalis Ecclefiæ Clauum Greg. 13. vt in ipfius vita fufe narratur infurrexiffe quemdã populi tumultum aduerfus fatellites, quorũ aliquot

Satellites a nęce liberat oratione

1611. iugulati sunt, duo vero in Hospitale iam præfatum confugere, si possent popu li tumultuantis furorem, & gladium deuitare, sed bona ipsorum sorte in manus inciderunt Camilli, quos extemplo in cellam traduxit vinariā, illosq; lignis qui busdam, ac straminibus cooperuit, at vero populi ira amplius æstuauit miserādo rum hominum in eum locum, vt agnouit, fugam, illuc euaginato ense ipsos inse cuta est, quos vt vidit Camillus virili pectore se obuiam fecit, & in medium prosilijt, illos ab eorū indignatione eruere conatus est, at magis gens illa effe ra ardebat; quærens per omnem domi angulum, vt illos trucidaret, Camil lus vero ad Ecclesiam eiusdem Nosocomij, tutissimum sane profugium pro li berandis his pauperibus properauit, & ante altare Beatissimæ Virginis procū bens, tamdiu orauit, quoad interius sensit vitam obtinuisse pro satellitibus, ad eos demum nudo gladio furentes, quasi leones orationis firmissima munitus Camil. armatura, perrexit, & cęlesti igne succēsus verbis grauibus eos coarguit de tam immani nece, ac feritate, quā diabolo suggerente patrare machinaban tur, veluti iacula Camilli sermo eius corda vulnerauit, ita vt temperato furore secesserint, illi vero duo miserandi homines, qui per singula momenta toto eo tempore lethum expectauerant ante pedes Camilli decliui grates ingentes præ lętitia adinuētæ vitæ retulere, vnde sedato tumultu, abiere tuti in proprias domus: impossibile certo erat potuisse euadere, ni Camilli oratio illorum au dacia potentior, eos à populi furore eruisset.

19 Principio Congregationis Pater Camillus magna coarctabatur necessita te, unde non parum molestiæ patiebatur contuens suos rebus necessarijs, & vi ctu carere, nec vllo modo poterat cuiusdā chirographi solutionē ducentorum supra quinquaginta aureorum à Populo Romano sibi erogatorū nancisci, dicen tē nummulario, non adesse in telonio Populi Romani pecuniam, quo circa cum humana spes euanuisset, euolauit Camillus ad orationem, à qua surgens sumpto pallio in media vrbis via sibi obuiam fecit Cæsar Zattira mensarius Augustini Pinelli; huic pater necessitatem, qua premebatur exposuit, adeo Ca milli dicta, spiritu Domini operante, eius præcordia penetrarunt, vt eodemmet die integram soluerit schedulam, quamuis nullius pecuniarum summæ Popu lus Romanus creditor extaret.

Exigit pecuniam, quamuis nulla esset deposita à populo Romano.

20 Mirabilis item effectus eius deprecatio erga steriles mulieres operata est. Vnde cum aliquando per Vrbem Parmæ transiret à comite Alexandro Sfor za receptus, ac Domui suæ hospitatus est, qui erga Camillum singulari deuo tione ferebatur, ac oblata occasione introducitur ad Serenissimum Ducem Ranuccium visendum, à quo pater peculiari honore, ac veneratione comple xus est, post aliquantum spiritualis discursus in discessu, Dux instanter Camil lum orauit, vt Dominum deprecaretur pro susceptione prolis, & in sui ditione successore, eo quia ipsius vxor spe carebat ob infæcunditatem relinquendi post se hæredem, libenter Camillus id se facturum, quamuis ait, meæ sint prorsus preces non dignæ, & mox subdidit; quantotius se visurum legitimam prolem, inde ad serenissimam verba dirigens Ducem, inquit, esto leta animo Domina, quandoquidem propediem concipies, natumq; paries, vt prædixerat Camillus, hi serenissimi congnuges primogenitum, & hæredem obtinuere; ma ter vero pro gratiarum actione illico Domum nostram Burginoui eleemosy næ supra centum aureorum summam decorauit. Mediolani Excellentissima Olandi principissa, quæ nullatenus prolem consequi poterat eadem instantia, & humilitate Camillum rogauit, vt filius sibi à Domino concederetur, qui si-

Sterilis parit natū oratione P. Camilli.

Hęc, & subscripta exēpla erga steriles reperi lib. 3. c. 14. finem versus.

milibus

milibus verbis ipsam consolatus est, suscepitq; paulo post eginti gaudio, & cũ gratiarum actione, amplexa est viscerum suorum pignus.

21 In vrbe Neapolis Domina Bernardina minutola vxor Domini Io:Vincentij Straboni ambo ciuitatis eiusdem ex primoribus, qui Toru mMaritalem spatio annorum vndecim obtinuerant absq; prolis susceptione, Demum eadem Domina Bernardina serui Dei Camilli precibus se commendauit, vt quod pluribus, humanisq, industrijs adipisci nequiuerat, Camilli assequeretur deprecationibus, seruus Dei deprecanti mulieri respondit, nemœreas Domina, namq; de proprio partu gaudebis, quamuis aliquot percurrent anni, tamẽ non vnicũ paries filium, sed suscipies plures, vt præsignificatum à P. Camillo fuit, ita veritas comprobauit, & effectus, quare ad euidentiorem rei coniecturam in vigilia obitus nostri patris primam, edidit prolem post initum matrimonium anno primo, & vigesimo. Dominus itidem Petrus Franciscus Grimaldus Genuæ Nobili loco natus cum diu superuixisset, nec ab vxore adeptus esset progeniem ad P. Camillum deuenit, qui Genuæ tunc temporis immorabatur, quem humiliter exorauit, vt suis incessionibus obtineret à Domino filios, quem non dimisit Camillus proprio desiderio inanem, sed compotem, prædicens cito se adepturum, quam concupierat, prolem, vnde nedum elapso anno illam gaudenter parens deosculata est, internam deuotionem signis etiam externis comitatus est singulari veneratione colendo furuum Dei.

Aliæ quoq; steriles prece patris Camilli pariunt.

Ibidem.

22 Sanctos subiectione summa prosecutus est, & qui Sanctos coronat Iesum Dominum, Sacratissimamq; Virginem Matrem, & profecto erga Augustissimum Sacramentum Eucharistiæ tota deuotione ferebatur, præibat enim ante illud dum intra Nosocomia duceretur ad infirmos, veluti quondam Dauid gestiens; plerumq; pulsans campanulam ad excitandos infirmos, ore vero ipsius excellentiam magnificando deuotissimis, & ardentissimis exhortationibus, quibus non parum erudiebantur audientes ægroti, deuotione incendebantur atq; astãtes, & ad tã venerabile Sacramentum pia veneratione ducebantur: & si tanta illi inerat cura, vt magno honore afficerentur pauperes, & ægroti propter Dominum vniuersorum Christum seruatorem, quo magis traheretur in eius venerationem quisq; potest mente excogitare, patet hoc ex Philosophi axiomate propter quod vnum quodq; tale, & illud magis.

Summa veneratione ferabatur erga Deũ summum suosq; Diuos.

23 Maximopere intemeratam Virginem quoque veneratus est, die quolibet eius recitans Sacratissimum Rosarium siue coronam, & licet multotiens in maximis negotijs occupatus teneretur, attamen non prius cubitũ ibat quin illã persolueret. Proferre mos illi fuit, heu generi humano ni tantæ protectricis, ac parentis patrocinio iuuaretur, proculdubio iaculatus prosterneretur, cum ipsa gratiarum omnium sit dispensatrix, ac inuentrix. Principio congregationis omnes patres, ac fratres vna colligebantur, & altis notis in oratorio eius officium paruum decantabant, quod postea ob administrandum ægrotis, & potissimum morti proximis, illud decantare nostri destitere, cui etiam pio muneri ipse item Camillus recitans perdeuote intererat, remansit tamen vi regularum, nostrarumq; constitutionum, vt quilibet frater quouis die priuatim tertiam sanctissimi Rosarij partem siue officium paruum B. Virginis exsoluat. Hora sui obitus in tabella, quam depingi Camillus instituit, præcipua, quæ apud filium oraret virgo Sacratissima stabat, totis affectibus suo Camillum offerens nato.

Quemadmodum fuerit affectus Camillus erga Virginem.

24 Cum aliquando à Sacratissima Lauretana æde donum nostram genuæ, regrederetur fasciculos quosdam rosariorum, & coronarum detulit, studiosis Re-

1611\. ligionis, ac nostri dispertiendo: quidam vero Sacerdos se illi obuiam fecit expectans, vt cæteri, coronam nancisci, quem intuens Camillus, & illa carere considerans, cum corona miscuit correptionẽ, asserens, & replicans cum admiratione Sacerdos Religiosus absq; corona, quasi de graui defectu illum criminãs, & addidit, Deus tibi honorem adaugeat, quibus allusit verbis, coronam Sacerdotes, ac religiosos deferre valde honorificum esse, p hoc ostendendo nõ leuem superaddi honorem, esse deuotos erga virginem, quam ipse deuotionẽ in suis fulgere maxime auebat, plurimi quidẽ hoc faciẽdũ est: hinc nostri coram eo apparere formidabant absq; coronis, saltem in cingulo pendentibus. Nusquam per aliquod templum, vel sacellum trãsijt; quin detecto capite illud veneraretur, quamuis ostij valuæ minime paterent, & grauem pluuiam dimitteret coelum; quo enim minus sæculi intentus erat cœremonijs & fori salutationibus, eo magis animo, & tota mente in cultu, & Sanctorum obseruantia inuigilauit.

Coarguit sacerdotem Coronam minime deferentem.

Nullam reliquit imaginum quin detecto capite veneraretur.

Tempore Canonizationis Sancti Caroli Boromei Camillus cunctis interfuit cæremonijs, & sollemnitatibus, donec singula absoluerentur, eo quia ingenti erga sanctum tenebatur, pioq; affectu, nominatim ob ardentem, quam ostendit caritatem tempore pestilentiæ in sua grassante diocoesi, vbi nimia humilitate, & zelo suarum ouium ob iuuamen in medium prosilijt Sacramenta administrans, qui propriam domum spoliauit, & suam mensam pauperrimam fecit, ne pauperibus, & ægris quid deesset, pro vt in eius gestrorum narratione luculenter memoratur. Dum enim eiusdem Sancti uita in communi legeretur refectorio, Camillus ad prænarratæ caritatis particulam in lacrymas abundanter prorũpẽs, indeq; ait, ò si nostra congregatio huius sancti temporibus extitisset, quamamanter Diuus Carolus eam amplexatus fuisset; profecto in hac pestilentiæ, inundatione, non multum defatigasset, in exquerendis, atq; inueniendis Sacerdotibus, & ministris idoneis, vt sacramenta conferrent ægrotis, & qui sollicite, & amanter inseruirent; in his sane occasionibus, ac necessitatibus, uis, & ualor nostræ Religionis orbi innotescit, quando nempe corporis tunicam nostri quam vnice possident pro eis lætabunde offerunt, morti se subiciendo. 25

Quanta ducebatur in D. Carolũ Bor. deuotione.

Ea tempestate; qua Romę Diuæ Ceciliæ Sacrum corpus adinuentum fuit, ab Eminentissimo Cardinali Sfrondato uocatus est Camillus, ut illud contueretur, ac ueneraretur, quod incredibili cum suæ mentis iubilo effecit asseuerãs, ò vtinam mihi licitum sit huius Sacratissimæ V. & martyris splendidũ pignus in illa cœlorum mansione tandem aliquando cernere, & admirari. Pluries Assisium adijt ob venerationem qua erga Diuum Franciscum afficiebatur, singulari deuotione illa visens loca; pariter Senis transiens ad Diuæ Catharinæ ædem illico pergebat, in his enim peregrinationibus eius anima, spirituali refectione valde gaudebat, idẽ quoq; efficere nitebatur, per quamlibet migrans ciuitatem, siue oppidum, vel pagum, ubi nosceret adesse Sanctorum reliquias, ab equorum quasi præcipitans, eas in eorum templis cernuus reuerenter odorabat, sacrum quoq; si tempus, & occasio permitteret peregit. 26

In suis itineribus studuit visere Sanctorum reliquias.

Atqui exiguam ex argento elaboratam Crucem in collo alligatam ducebat, ubi sanctorum complures reliquiæ ingestæ per casulas adhærebant, inter quas uiuificæ crucis signum renidebat. Quod autem, aliquod peculiare priuilegium ab Angelo sui custode suscepisset coniecimus tanta nã deuotione in eum trahebatur, quam etiam in aliorum pectora inserere studuit: non raro urbis stationes peregit; & musicis concentibus in Ecclesijs nonnumquam in- 27

Qua musica modulatione oblectaretur Camill.

terfuit,

1611.

interfuit, non propterea aliquando illis aut inordinate oblectatus est, vel à suo peculiari instituto inseruiendi infirmis, se abalienauit, aut tepuit: olim ei regredienti ab Ecclesia, vbi vesperas musicis notis audierat, socius ait, pater quam bene hodie hi cãtores modulati sunt, cui sane Camillus inquit, mihi vero alia delectat musica, nimirum in hospitalibus ægros lamentantes audire, varia perquirentes ministeria vnum scilicet quærere potum; aut os prolui, secundum sibi refici cubile, hunc tertium Calefieri pedes, & alterum instanter poscere, vt ab vno in alterum euoluatur latus, hic est frater verus ministri infirmorum armonicus concentus.

28 Nedum Camillus veneratus est Sanctorum memorias, verum singulariter reueritus est religiosos, tamquam optimos vniuersalis Ecclesiæ Cultores. Patres Cappucinos vehementi dilectione complexus est, valde domestice cum eis tractans, quandoquidem inter eos lac spiritus suxerat, & fundamenta suæ conuersionis iacerat. Vnde pluries quos Manfredoniæ, vel alibi nouerat Domum nostram Cœnaturos inuitauit, Romæ semel quatuor ex eis secum discubitum traxit; post vero cœnam rogauit quemdam ipsorum nomine fratrem Iosephum Melitensem, cuius familiaritate non vulgariter Manfredoniæ vsus fuerat, vt suam inibi conuersationem nostris patribus adaperiret, inuitus ob temperauit idem frater, at quoniam modeste procedebat, Camillus vero, resumpto sermone, multa contra se prosecutus est, non parcens propriæ verecundiæ, nec tantorum, qui audiebant religiosorum auctoritati: itaut palam pene generaliter confectus sit, quare, & detestati illius delapsi temporis à se praue consumpti, & altæ humilitatis vestigia in pectore omnium infixa remansere.

Quam amiter prosequeretur fratres Cappucinos.

29 Religiosos quoq; Diui Dominici amanter complexabatur: vnde cum eiusdẽ ordinis nouitij Rus nostrum Neapoli aliquando recreationis ergo ingrederentur, quod positũ est prope Arenulæ Pagum, tum temporis nostri etiam nouitij ibi tyrocinium peragebant, quos vt vidit humaniter ac reuerenter suscepit Camillus, & vna cum suis nouitijs associauit, vt simul honestis iocis oblectarentur, & allatis aliquot fructuum canistris hilariter cuncti promiscue refecti gauisi sunt; Demum post primam, & alteram deprecationem, à nouitiorum eiusdem ordinis magistro perinstanter exactam, Camillus valde deuotum ad omnes habuit nouitios sermonem: pro sui discursus Themate illud commune desumpsit prouerbium habitus non monachum, sed monachus habitum facit, bene plura super religiosi statu eminentiam disseruit, deniq; ad perseuerantiã illos animans, ac roborans, soluit, qui omnes petita ab eo, & obtenta benedictione, deosculatisq; vicissim manibus, non minus refecti corpore, quam mente inde profecti sunt [illegible] rerum.

Fratres D. Dominici reueritus est.

30 Patribus etiam societatis Iesu nimium obsequens fuit, quorum optimis consilijs vsus aliquandiu fuit erga aliquot nimirum conscientiæ difficiliores casus, qui semper in dubijs sapientes consuluit, & timoratæ conscientiæ viros; præsertim illos reueritus est ob recolendam Patris Ottauiani Cappelli memoriã, olim ipsorum, dum in officinis obscuris merarentur, à confessionibus patris amantissimi; & Demum propterea quod ex suis primis discipulis, & alumnis Bernardinus Norcinus, cuius antea gesta memoraui Romæ in eorundem Reuerendorum Patrum Ecclesia conditus obdormit in Domino.

Patres, e societate Iesu peculiari affectione inspexit.

31 Sed singularis fuit affectio, & summa dilectio, qua iugiter Sanctum Philippum Nerium auctorem congregationis RR. Patrum oratorij complexatus est, cui maximopere ob varia beneficia, hoc est spiritualia adiumenta, obnoxium

Deuotio erga Sanctum Philippum Nerium suosq; alumnos.

esse

esse intelligebat totæq; suæ Congregationi,quam in omni euentu, & in quauis occasione valde propritiam agnouit; sicut tantorum patrum probitas, & Caritas omnes cōplectendoq;,iuuando in dies ostenditur,& extenditur honorem quoque magnū in vniuersum erga de nostra benemeritos Religione exhibuit, illis aliquot munuscula,& deuota largiens dona,& interdum Domi nostræ cœnaturos cœgit,eos religiosa modestia tractans, & hac occasione multa inter cœnandum salutis documenta intermittebat, hæc prompta liberalitas, & gratitudo ab omnibus gratanter sumpta est, vnde etiam Eminentissimi Cardinales non sunt dedignati Camillum habere commensalem,& in pauperi nostro refectorio secum cibū sumere, vt effecit Eminentissimus Cardinalis Ciappella,gaudens non tantum de simplici mensa,quam etiam de Camilli lepida, sed cœlesti conuersatione.

Benefactores quoq; nostros honorauit.

32

Versa vice non modico ipsum ceteri prosecuti sunt honore, ac beneuolentia:etiam magni principes, Camillum habere quoq; socium in mensa cupientes, & de illius gaudere diutius contubernio auentes; quoniam licet eius verba absq;ostentatione,sed simplici eloquio absq;artificio prodirent,attamē quamdam animi sinceritatem,& mentis candorem redūdabant,& in eis grauitas, ac autoritas non defuit, breuiter concludentia nobilissimas, ac spirituales sententias,& conuincentes rationes,absq;fastidio tamen,sed potius cum oblectatione recipiebantur,& corda,quia ab amoris diuini fucina prodibant, sane sauciabant, in eis quædam cælestis gratia radiare agnouisses;itaq;ad propositionem intermissam,vt reuertar, sæpe vero Cardinalis amplissimus, ac sapientissimus Baronius domi suæ Camillum habere in mensa studuit,lætiorem ob Camilli præsentiam facere æxistimans prandium; idem plus quam semel & bis Eminētissimus Cardinalis Tarugius imitatus est, ambo spirituales partus Santi Philippi Nerij,& sui Oratorij sidera fulgentissima,vnus,& alter doctrina, & exemplo noctem sæculi illuminarunt; hi præcipuo amore Camillum reueriti sunt;præcæteris vehementiori Eminētissimus Cardinalis protector Mons Regalis erga Camillum(vt significatum est alibi)beneuolentia affectus est,quoties enim domum nostram petebat strictim illum complexans de osculabatur: & Demum Carissimus extitit Eminentissimo Cardinali Berarminio perpetuo acerrimoq;aduersus hæreses propugnatori,vt eius accurate,& sapienter scripta,prelisq,mandata palam testificantur,hic autem audita Camilli morte,felicē appellauit:edisserens eius animam pœnas non tetigisse purgatorias,immo arbitrabatur ob ardentem caritatem inter Seraphinorum choros Diuino aduri incendio.

Quo modo vice versa amabatur à magnis,etiā principibus

33

Non minori veneratione à principibus sæcularibus exceptus est,ac dilectione:etenim Serenissimus Mātuæ Dux Vincētius quartus aliquando vna cū eiusdem vrbis Episcopo Gonzaga alloquens,hæc verba,Camillum commendans, protulit (vt Dominus Possouinus asserit) simul cum Patre Camillo sermonem dum facio,mihi videor alterum Paulum loquentem audire propter ardentem quo verba promit zelum,eius voces paucę sunt,sed multa,& ad hominem cōcludunt,& subdidit, se voluisse illius deosculari pedes peracto sermone,ob venerationem, deuotionemq;veluti eximij Dei famuli, & quamuis in hac vita non alium possiderem,quam vnicum panem,dimidiatum prçberem Patri Camillo sueq Domui,vt aleretur, & in mea seruaretur hęc Relig.ditione, totū id factis comprobauit larga manu, assiduo nostris subministrans necessaria, quæ liberalitas ab eius nato, & in statu legitimo successore, non minus magnificè

Multi itidē sæculares principes vehementer ipsū obsecuti.

ergo

erga noſtram Domum ſe præbuit, atque in omnibus, ceu parentes ſe præſtitere.

30 Comes quoque Fontis tum Mediolani gubernator intelligens huius Religionis fundatorem adhuc ſuperſtitem eſſe, atq; militiam fuiſſe ſecutum, & in ea ſuo aliquando inſeruiuiſſe Regi, Domum noſtram aulicum deſtinauit, ſignificans poſtero die mane illum ſe viſum iturum, quod præſentiens Camillus, conuenientius putauit ſe potius ad eum accedere, ac præuenire, ad quem itaq; pergens magno honore, ab illo ſtrenuiſſimo, ac famoſiſſimo hiſpaniarum militiæ duce, & tum meritiſſimo gubernatore, ac Iuſtitiæ cultore in Mediolani ducatu, ſuſceptus eſt. Camilli preſentia admodum gaudens, multaq; ſecum de ſpirituali militia differens, valdeq; ſane reueritus eſt ſeruum Dei, nam detecto capite iugiter illum eſt allocutus.

Comes Fontis Mediolani Gubernator cupit intueri Camil.

31 Cum aliquando in oppidum Sācti Boni in Aprutio locatum, iuiſſet repertum eiuſdem loci Principem Marinum Caracciolum, ob aliquot peragenda negotia ad Domum Bucchlanici ſpectantia, in Palatio eiuſdem Principis hoſpitatus reſedit, qui iuſſit Camillum eo affici honore, quo ipſe colebatur, inter reliquas obſeruantias, quando pueri Scyphum deferebant Camillo ad bibendum, duabus facibus accenſis, & inclinatis plopitibus pocula porrigebant, quā cœremoniam veluti vanā obſeruantiam renuit ſeruus Dei admittere à ſibi offerente, ſed conuerſus ad nobiles, qui coram principe miniſtrantes adſtabant, ait, Excellentiſſimus Princeps ſupra omne meritum me extollit, cum ego pauper ſim Religioſus, & à terris ſuis oriundus, vnde minime decet eo me honore decorare, quo Dominus in Eccleſia colitur, quo circa nullatenus ſumpſit eo modo potum, quam humilitatem ille Princeps æqui boniq; fecit, & poſthac eis ademptis obſeruantijs, modeſte illum tractari, præcepit; alij quoq; inclyti Principes ipſum Epiſtolis reueriti ſunt, ſe commendātibus eius deprecationibus; ſed vlterius ſuper hac materia defatigare legentis intellectum, neceſſitas non conuincit, quod vero difficilius erat à Camillo euitari, illud extitit, nimirum aſſiduum à varijs perſonis, ac pauperibus honorem, qui ab eo beneficia intra, ſiue extra Noſocomia ſuſceperant, nam alij clamabant, Sanctum eum appellātes, alij genuflexi eius pedes, veſteſq; vel genua deoſculabātur, id non vulgariter diſplicebat Camillo, aſſerentes inſuper, & recolentes varias à patre ſuſceptas gratias, & beneficentiæ opera.

Quo honore ſuſcipitur à principe S. Boni.

Crebro per epiſtolas multi inclyti viri ſe Camillo commendarunt.

Ab inopibus non poterat ſe occultare quin frequētius reuererentur.

32 Maiori erubeſcentia ſuffundebatur quando per vrbis plateas diſcurrendo illi obuiam aliquis prælatus, ſiue Eminentiſſimus Cardinalis fiebat, qui ſiſtens gradum, ſiue rhedam Camilli ſe commendabat orationibus, ad hæc verba aliud pro reſponſione non dabat, niſi inclinata ceruice, Deus me dignum efficiat, veſtroq; bono aſſecundet deſiderio: olim illi occurrit Eminētiſſimus Cardinalis de Monte, qui ſtatim viſo Patre Camillo, carpentum ſtare iuſſit, nec vlterius aurigam procedere præcepit, quin Pater Camillus pertranſiret, vnde nō modicum tempus percurrit, donec lis terminaretur, quis ante iret, tanta enim benignitas illius Principis ſe extulit, vt ſeruo Dei Camillo humiliter ſe inclinaret, & tam humaniter reuereretur.

Eminentiſs. Cardinalis ſiſti iubet Rhedā quoad præiret Camillus.

33 Vnde contingebat ei, ſicut illis, qui quò ardentius nituntur proprij corporis vmbram aufugere, eo magis ſibi adhærentem inſpiciunt, ita Camillus quo amplius ſæculi honores horrebat, eo amplius honoratus euaſit; quare multi etiam cupiebant ſecum habere aliquid ex ſerui Dei veſtium. Hinc quidam ex noſtris fratribus dum tōderetur Pater Camillus, quoſdam e tellure eleuauit capillos,

Optāt multi P. noſtri habere res.

& in Carthula locauit, abdiditq; quam deposuit tuto in loculo; cum se à barbitonsore expedisset Camillus, vocato eodem fratre, interrogauit, quid clauderetur iu Papyro, factum audiuit, quo circa grauiter illum coarguit, iussitq; per fenestram vento aspergi, ne vlla maneret illorum memoria, quod repente per actum fuit ipso spectante: & alter ex fratribus nostris, qui eius vlcus medebatur, tanta iu eum ducebatur deuotione, vt dum Camillus alijs corpore, & animo intenderet negotijs, illico idem frater os ad vlcus admouit, & lingua studio se lambit, quemadmodum legimus olim effecisse medicā canis linguam in lambendo plagas languentis Lazari inclinatam, ob talem actionem, valde erubuit Camillus, atq; sanius putauit id silentio contegere, quam factum fratris illius propalare, seq; amplius manifestare.

34 Sed quid mirum? quando etiam effera animalia mansuescebant, & quasi rationabilia illi erant obedientia: quandoquidem immorans P. Camillus Teate iturus erat Bucchlanicum, at quoniam ob impedimentum vlceris in tibia nequibat eo ire pedestris, petijt à Domino Ioanne Felice Valignano, viro in ea vrbe Patritio accomodatum equum, prompto animo obtulit, quod petierat, at tamen animaduertat, ait paternitas tua bestiam indomitam non admittere sessorem, at freno inobedientē esse, vnde periclitatura est, vel saltem non modice passura maxime ob tibiæ plagam, cui Camillus subdidit, se in Domino fidere, qui in lacu leonū irā mansuefecit leonū ne Sanctū læderent Prophetam, ita ipsum benigne erit auxiliaturus, sic profecto euenit, nā veluti mitis agnus equus euasit, Camillum quiete ducens, tam eundo, cum etiam redeundo, totum id cum stupore relatum fuit eidem Domino à famulo, qui Camillo fuerat comes.

Efferus equus māsuetè ducit Camill.

Porro alij, qui seruo Dei contraria mente se opposuere non diu expectarunt, sed cito vltionem senserunt Diuinam, quorum duo referam exempla. Obtigit enim patrem nostrum ministerium in Hospitali quodam Neapolis suscepisse, vnde quinq; loci illius ministri proprio ducti interesse, vel potius diabolica suggestione seducti, ad nostrorum illuc ingressum deturbandū, falsa quædam, atq; minus decentia machinati sunt, loquentes, quæ non decent, & zizaniam seminantes: non propterea eorum calumniæ præpedire ministeria pauperum valuere, vt in canticis legitur, aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem: attamen ipsi minus anno omnes interiere; vnde quicumq; hoc factum intellexere maximopere admirati sunt, vehementer Dei punitionem formidātes, & sūmi Dei ministerio deinceps se opponere formidātes: hoc euenit viuente patre nostro, sed post eius decessum, quid contigerit satis sit, singulari exemplo subnectere.

De punitione quorūdā Seruo Dei se opponentium.

35 Quidam permagnæ auctoritatis vir (cuius personam sub velo silentij tegere operosum sit) post felicem serui Dei Camilli transitum, minus prudenter de eo, totaq; Religione obtrectauit, & cum agendum esset quoddam negotium in nostri patris honorem redundans, ipse vehementer se opposuit sua minus sana Rhetorica, vnde effectum deturbauit, sed breui sensit quantum Diuinæ Bonitati displicuerint sui conatus, & suo damno didicit, se male aduersus Dei famulos fuisse oblocutum; etenim infra modici temporis iacturam ægrotauit vehementissimo dolore laterum, ita vt veluti rabidus canis per lectum se reuoluens vlularet, qui in sui trāsitu neminem adstare uidit siue parentem, uel amicum, præter nostrorum pietatem, quatuor enim patres donec expiraret pro ipso Dominum deprecando, ac reddendo bonum pro malo, astitere; unde quos ipse obtrectando, quasi inimicos reputauerat, in maiori, & vrgentissima neces-

ſtate,amantiſſimos, atq; perfamiliares expertus eſt. Vlterius cum eius ducendum eſſet cadauer in Eccleſiam,pheretrum à noſtris accomodatum ſuſcepere:itaq;illius,qui,nos flocci faciebat tamquam mendicos contemnens,indiguit corpus in capulo noſtrorum deferri,vbi conſuetum eſt pauperes ægros ad Hoſpitale vehi,ad hunc enim effectum à patre noſtro Camillo fabricatum fuit anno 1591.vel circum circiter.

36 Non tantum coluit Camillus ſummam Sapientiam, eius quoque amatores Dei Sanctos, qui illa fruuntur in Cœlis,verum,& eiuſdem ſeruos(vt dictum eſt)in terris, ſpeciatim Sacerdotes, omni veneratione proſecutus eſt, quos tamquam Angelos iugiter reuerebatur:refert P. Franciſcus Corradus noſtræ Religionis Sacerdos in ſuis manu ſcriptis,ꝙ aliquãdo ad Sancti Spiritus Noſocomium perrexit, & ad Cubiculum Patris noſtri Camilli peruenit, vt illum audiret in confeſſione, quam ſingulari humilitate quotidie facere de more illi fuit, multa proferens in eo actu uerba in ſui contemptum,adempta igitur abſolutione in diſceſſu dicti patris ſeruus Dei Camillus comes fiebat etiam per gradus deorſum cum graui ſui incommodo propter ulcus toties replicatum, uſq; ad pauimentum deſcendendo, quem præfatus pater impedire nitebatur, aſſerens dedecere paternitatem tuam adeo humiliter mecum procedere, qui nouiter ſum in religione profeſſus,ſane nec per iſta,uel ſimilia uerba ualuit prępedire, quominus honorando dictum patrem una cum eo procederet,aſſerẽs paruam non eſſe, quæ omnem uenerationem meretur, Sacerdotis dignitatem; & id quod Sacerdos exprimit maximum eſſe,per hæc,& æqualia uerba quanti ſint faciendi Sacerdotes oſtendebat, ſed ſtudioſiſſimus erga Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum viſus eſt.

Quomodo erga Sacerdotes Dei humilis extitit.

37 Singulis enim diebus deuote Sacrum Miſſæ faciebat,& ni graui morbo correptus illa cæleſti menſa non priuabatur, à qua in ſuis laboribus,tentationibus, inſectationibus omne robur eliciebat, ad eam equidẽ omnis reatus expers accedere elaborauit, in actu quoque celebrandi, ne aliquem, contra rubricam, vel cæremonias Romani Miſſalis, defectum contraheret accurate pręcauit.Nam cum ſemel in Noſocomio Sancti Spiritus Romæ celebraret, atq; ſumpſiſſet Venerandum Dominicum Corpus, ſubito exorta eſt grauis pugna inter quoſdam feles cum canibus, vbi repente felis alijs ferocior ſupra corporale proſilijt, ibi calix repoſitus ſtabat, at pater timens aliquam Dæmonis fraudem ſollicitior manu illum apprehendit; ſane ſi per momentum retardaſſet ſemoto omni dubio cum maximo patris dolore Sanguis Domini ſupra,& extra Altare ſe effudiſſet; Dæmon verò qui cogitabat deludere, deluſus ſeceſsit; nam tanta conturbatio horum animalium, & hominum tum temporis commota eſt intra Hoſpitale, vt clarè iudicauiſſes ibi adfuiſſe inferni accolas; verum è veſtigio tumultus, & ſeditio conquieuit; vnde Dei Seruus Camilius ſacrum peregit ſedato animo.

Quam reuerenter ſe gereret erga Auguſtiſſimã Euchariſtiam.

38 Alias occurrit, dum à memorato Xenodochio domum lapſus regrederetur, voluit tamen pater ibi ſacrum Miſſæ peragere,quo abſoluto æditu us ait,ſi placet Paternitati veſtræ quaſdam noſtrorum deuotas communicet perſonas, qui obtemperans, poſt communionem caſu accidit;dum Altaris ſcanderet gradus, albam intra pedes ſe interpoſuiſſe, vt toto corpore corruerit in faciem ſupra tellurem,quod vero mirabile,& quaſi miraculum fuit,cum eſſet ſenex,& defatigatus, proceræque ſtaturæ, & valde à plaga vexatus,tamen pixidem,vbi Auguſtiſſimi Sacramenti particulæ inerant tenuit ſuſpenſam, nec vna, neq; frag-

men-

mentum aliquod decidit,quo circa cum stupore omnes adstantes vna cum ipso Patre Diuinissimum nomen IESV inuocarunt, & sane si conspexisset Camillus suum Dominum supra humum proiectum in maximos mœrores deuenisset; sed amor dedit uigorem,& manui, ac brachio, ut sic dicam,alas,ut semper eleuatam teneret pixidem,ne ulla fieret Sacramenti euersio,uel irreuerentia succederet; hinc paulatim patrem subleuarunt,qui suo loco decenter reposuit Venerabile Sacramentum, immortales ei referens grates. Præterea non sibi ipsi satisfaciebat sacrum agendo, sed audire, & inseruire plerumque uisus.

Quanta cautione curat ne sanctiss. particulæ ab eius manib. decidant.

39 Accuratus etiam uixit in obseruantia,& cultu præceptorum Ecclesiæ.Quāuis propter uaria nostri instituti onera,ac labores diurnos,nocturnosq, putores in Hospitalibus, & per diuersoria pauperum, quos iugiter sustinuit,suis nō præceperit Camillus ieiunia, nisi ab Ecclesia indicta, & in vigilia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ ob memoriam primæ professionis; tamen omnino, & strictim ea obseruauit: nunquam siue per uiam inueniretur,siue per ætatem,qui sexaginta excedebat annos, siue per labores,demorans iugiter intra Nosocomia,siue per suas uarias, atque continuas ægritudines, potuit trahi,ut ea relaxaret, siue in substantia, siue in adiacente; nam hora meridiei irrefragabiliter cænabat, quod si horologium non audiuisset, interrogabat, uel interrogatum mittebat, si meridiani temporis signum dedisset; in sumenda item serotina refectiuncula, seu ientaculum strictior se præstitit,sibi panis unciarum trium metam designans,tutiorem, & contra proprium sensum amplectens Doctorum arctiorem sententiam; librabat enim de more suo panis refectiunculam, ne præfatum trium unciarum pondus excederet; quando uero longum iter erat capturus; eo quia per Cauponas interdum bilances non facilè adinueniuntur, fractum iuxtà metā dictam panem in pera ducebat. Quoniā uerò Frater, qui in mensa ministrabat, unicam oleam supra alios patres ei apposuerat aliquando, uocatum coarguit, addita quoque salutari pœnitentia, demens à patina superfluam oliuam; formidabat enim ne leuissima culpa se commacularet, & propterea uigilantissimus in suis sese gessit operationibus, qui .n. uehementer amat, uehementer cupit amantem non lædere; minutissima quaq; in re.

Quā strictim obseruauit Ecclesiæ ieiunia.

40 Nauigans aliquando supra triremes instante ieiunij tempore, sero inspexit mensam in puppi varijs exculentis oppletam, modeste illinc se elongauit vsq; ad proram, ut omne quippe periculum caueret soluendi strictum quippe serotinum ientaculū,quod sibi proposuerat inuariabiliter asseruare: idem pariter, ut ageret imposuit socio, sic illum admonens, vide ne mens tua appetat hisce commaculari escis, sed relicta occasione alio proficiscamur;quapropter inde se sequestro posuere; si quis .n. minus sapiens assereret; quid tam arcta censura se coerceret? protinus respondebat, Camillus nescit de turbido fonte aquam potare, alludens ita eliminandum esse à corde omne vitium,eiusq; vestigium, sicut putulenta aqua,ne intra viscera demittatur,exploditur: vnde ex hac Camilli fuga præstantes illi viri non modo Serui Dei abstinētiam sunt admirati;verum edocti, atq; correcti: exemplum enim Religiosorum tam bonū, quam prauum tenaciter in laicorum animis affigitur.

Fugit morari in puppi ne cogatur arctum ieiuniū frāgere.

41 Cum tempore quadragesimæ per triduum ægrotasset;non propterea valuit, vt arctum ieiunium solueret, induci, sed cum abstinentia,quæ corpus,animumque sanat, & quadragesimali ieiunio euasit sanus, vt Deo fauente integram potuerit asseruare. Sed aliter illi alia quadragesima contigit;nam cum propter salsamēta,quibus vescebatur,adeò grauiter in lecto decubuisset, ut opus fuerit

Etiam æger seruare ieiunia enixus est.

per-

Perfringere ieiunium, & ciborum qualitatem mutare, medicorum tamen, & obedientiæ præceptione intercēdēte, itaque poſt octauum diem, vt obtemperaret, ius abſorbuit ex vitula.

42 In colēdis diebus feſtiuis ſemper zelantiſſimus ſe exhibuit, nolens, ac inhibens eo die parari menſam, tergi vaſa, & verri, aut extendi mappas in triclynio, nec aptari in popina, quæ pridie poterant componi; immo vetuit Eccleſiam deuerri, Altaria ornari, ac ſimilia peragi; hæc ſiquidem non niſi die præcedente Feſtum faciēda inſtituebat. In Oppido Bucchlanici ſua patria, vt hoc vitium aboleret, multos priuatim, & publicos habuit ſermones, at quoniam ſegniter procedebāt in deſiſtendo ab hac praua conſuetudine, cauſa malitiæ exiſtit, quoniam plures loci illius locupletes opera pauperibus, & ſeruis indicebant ob auaritiam, & quoniam potentium delicta difficilius emendantur; idcirco in platea terræ eiuſdem Camillus ſermocinans comminatus eſt, propter hoc flagitium grauem ſuperuenturam in illis campis ſtragem; tanta enim efficacia, ac ſecuritate eſt allocutus, vt videretur illi præſentem habere vaſtitatem, quæ profectò ineuitabililer ſucceſſit; etenim tam dira niuium copia cecidit, & tam ingens poſt paucos dies ſe commouit turbo, vt campos deuaſtarit, ſata diruerit, arbores euulſerit, olíueta confregerit, & ſyluis quoq; non mediocriter nocuerit; quare qui parui penderant Camilli verba, & ſubridebant, cōſternati poſtea propria damna ſenſerunt, ac deplorarunt. Optimum fuiſſet ſi damni cauſam defleuiſſent, hoc eſt peccatum, propter quod diuina vltio eorum bona demolita eſt; demum qui peccando parum lucri deportauerant, totum amiſeruut, & qui contempſerant gaudia feſti, vigilia eos arripuit, & lamentum.

Die feſto perfectè abſtinuit ab opere idem à ſuis fieri iuſſit.

Lib. 3. c. 16.

43 Ipſe verò Seruus Dei Camillus, vt otium, & laborandi occaſionem à Populo tali tempore præriperet, in Eccleſia noſtra plures feſtiuitates cum organi percuſſione, & muſico cantu, ac ſpiritualibus ſermocinationibus, exponendo Auguſtiſſimum Sacramentum, introduxit, qua ſalutari eſca multos à peccatis retraxit: vt eos quoque exemplo inſtitueret, nonnullas ex deuotione feſtiuitates domi noſtræ iuſſit obſeruari, quaſi ex pcepto, vt exegit aliquando in eodē Oppido Bucchlanici recurrēte Feſto Purificationis Immaculatæ Virginis; tūc ob gentis illius commodum ampliorem reddebat noſtram Eccleſiam; quo pene triginta operarij laboratum confluxerāt variis inſtrumentis, vt Cæmentarij, fabrilignarij, & ſimiles, quibus omnibus, quoniam aliquam conſumpſerant expectando moram ad explorandum, an feſtum eſſet ex præcepto ſanctificandum, & quamuis manifeſtum fuerit tantum ex deuotione venerari; attamen ipſe audito ſacro à mercenarijs, ſoluit pretium diurnum, vt gens illa ediſceret quanti facienda ſit feſtorum veneratio; quare ſine labore in proprias domos eos dimiſit, ſuoſq; inſtituit pio ſermone, nunquam Dominum eis defuturum.

Obſeruat quoq; ex deuotione aliquot des feſtiuos.

44 Cum ergò in Feſto S. Vrbani Pontificis, & Martyris illius Oppidi patroni, ac tutelaris Camillus vna cum multis Teatinenſibus, ac nobilibus viris moraretur, qui ea die ſecum comederant, commonitus eſt in publica Oppidi platea parum reuerenter, ac honeſte feſtum honorari quibuſdam inurbanis ludis, Camillus protinus relictis omnibus, & menſa, vt olim Sanctiſſimus Tobias illuc peruenit, & in editiorem locum ſcandens cæpit eos coarguere, ac minitari, & oſtendere malū, quod agebant, modūq; quo ſunt colenda feſta, illos omnes eius vox ſonora, & feruens terruit, ac à malo deſiſtere coegit; adeo ut quidam trium annorum infans Patris Camilli nepos paternam domum adiēs

Auertit quoſdam ab irreuerētia diei Feſti.

ait, patruus Camillus clamat in platea, & dicit ad infernum, ad infernum vndè stupentes genitores intellexere, quod seruus Dei clamauerat.

45 Fuit item in obseruantia persoluendi horas Canonicas accuratissimus, illas plerumq; genibus inclinatus, & detecto capite recitans, articulate, & attente, ac distinctè cuncta depromens, prorsus tum in genuflexionibus, tum in capitis de missione, cum etiam in alijs rubricam seruauit, sæpe adiuncto socio vicissim recitabat, si verò sodalis aliquid protulisset mussitando, siue minus clare edidisset, tum vel ipse, siue à socio iterum replicari verbum iubebat, quærens in eo absoluendo remotiora loca, vt à tumultibus sequestraretur, ac perturbationibus, ni tamen aliud efficere necessitas coegisset, vt longum iter, vel vrgens negotium; tunc intra carpentum, siue pedestris partem pensi officij nempe horas persoluere consueuit, aut in aliqua officina illas recitabat; non autem horas matutinas, quas loco quietiori, quo poterat, siue in Ecclesia, vel in cubiculo recitare consueuit, nunquam memoriæ confisus illud persoluit; at verò manibus desumpto breuiario, & oculis ad partes, quæ legebantur defixis; si quem verò ex suis cerneret vagando, vtpote loquendo, siue alio modo minus deuote illud interpellãdo recitare, acriter increpauit; summopere ei displicens, & quasi nauseans Religiosum videre, ac Sacerdotem cum Domido loqui, & vanis rebus, ac nugis vacantem.

Qua attentione horas persoluit canonicas.

Coarguit, q. illas minus decẽter recitant.

46 Vt gauderet Diuino illo colloquio, & ob venerationem tanti muneris, aliquanto tardius recitabat, cõterens in matutinis horis pene horam; vnde aliqui impatientes, & minus deuoti se abdebant, ne ab ipso vocarentur, vt secum in eo persoluendo socij fierent, ipsius attentionem, & moram minimè ferentes; quamuis aliquando scrupulis laborauerit, prodeuntibus à nimio desiderio actualis attentionis; attamen Deo opitulante liber euasit; adeo vt quos intuebatur, scrupulosè illud recitare correctionibus inuasit; immò vt maiorem ansã caperet eos liberandi ab hac spiritali ægritudine, ad eorum habitationẽ properans per fores obseruabat, illosque audiens aduersus scrupulos contendendum significabat, mirabiliter huiusmodi morbum odio habens, tamquam valde infestum, ac periculosum, & multorum impeditiuum bonorum operum, naturæq; hoc est corporalium virium etiam destructiuum trahens hominem, quandoq; ad insaniam vsque, ni patris à confessionibus medicamine curetur: vnde paulatim, obediendo, & illos paruifaciendo expurgentur, cõtra eos operando etiam animosè.

Non admodum velociter pensum officij soluit.

47 In ægritudinibus à grauissimis ni ageretur, pensũ officij minime neglexit, & tunc medicus, opus erat dispensare: vnde singulis diebus illum interrogabat, si officium posset recitare, qui nonnunquam irascebatur videns patrem sæuiter iactari à febri, & veniam à Diuini officij cessatione petere.

48 Neq; qualemcumque ob causam illud interpellabat; vnde cum olim Mediolani adesset, & in actu recitandi officium, rogatus fuerit, vt quamdam, quæ perdeuota æstimabatur, mulierem adiret, à qua in Ecclesia attendebatur; ipse verò digitum supra versiculum, locans, à tergo se conuertit, & ait, nihilum curo, illam dimittite, ac finite me prosequi diei pensum, nec vltra allocutus est, immediatè sequens recitare, paruipendens cetera; quibuslibet alijs Diuina præferens negotia, & potissimum colloquia, quæ fiunt in Psalmis cum Domino.

Psalmodiam non interpellauit quacunq; oblata occasione.

49 Celsiori cum deuotione, atque attentione sacrum peragebat recitatis antea matutinis horis: quapropter in eo persoluendo aliquanto prolixe se expedie-

bat,

bat; non adeò tamen, vt exacta media hora pertingeret tres quadrantes, sed aliquanto minus illorũ; & sicut ipse attentus, ita pariter cæteros intentos volebat: vnde Bucchlanici quædam mulieres suis susurrijs missam pertubabant, & alijs tædio erant, ipso celebrante; hinc se vertit, & graui admonitione illas emendatas dimisit. Alias in eodem Oppido dum staret vestibus Sacerdotalibus contectus, illi minister significauit, Oppidanorum multos adhuc domi suæ manere, nec ad audiendum sacrum deuenisse, cum dies festus immineret, tum repente illum destinauit, vt eos aduocaret, quos cum in Ecclesiam conuenissent, tum sacrum incæpit, & ne præceptum Ecclesiæ gens illa prætermitteret, maluit non parua mora eos patienter expectare, sed tempus ad alia transire cogit.

Quo desiderio teneretur ne alij sacrũ Missæ desererent.

50 In Nosocomio S. Spiritus Romæ quidam æger acutissimo stomachi dolore corripiebatur, quod pene illi respirationem interceperat; famuli verò expectabant, & asserebant iam nunc efflat animam; hinc transiens Camillus commiseratione captus infirmum adijt palmã dexteræ manus supra dolorem admouit, & ecce tantus desijt dolor, ægerque conualuit; adeo ut domum suam paulo post repetierit. Hoc & subsequens factum habes in manuscriptis A. R. P. Francisci Corradi integerrimi Religiosi.

Æger prece Patris Cam. sanitatẽ nãciscitur.

51 Insuper huius anni in decursu iam dicto in Nosocomio alius æger, nomine Ioannes Antonius Pictor in tibia profundo vlcere molestabatur, hic virtutum famam *Patris* Camilli sentiens; dum migraret inseruiendo per Hospitale infirmis, illum ad se accersiuit, ad quem accessit Camillus, & ab infirmo exoratus, vt in vlceris loco signum Crucis efformaret, renuebat id agere ob humilitatem; interea fides ægroti adaugebatur, & efficaciori ab ipso expetebatur instantia: demum Patrem bonitas, ac pietas deuicit, illud salutiferæ Crucis signaculo muniuit, & continuo cessit ille grauis, quo tenebatur, dolor, postmodum subcreuit paulatim caro, & æger omnino tandem conualuit, quod cum admiratione non leui tribuere *Patris* Camilli meritis; potissimum ipsemet chirurgus.

52 Iij. Id. Aug. labentis anni *Patres* Consultores, & Generalis graue occurrẽs negotium, quamdam magnæ auctoritatis, eruditionis, & timoratæ conscientiæ personam in eorum comitijs admiserunt; peracta autem consultatione Pater Camillus, qui interfuerat, ait, scio Dominationem vestram minime Religiosorum defectibus scandalizari, cui respondit; immò gratulor intuens tam regulariter, tantaq; obseruantia, prudentiaq; in vestris Cõgregationibus procedi, vt nulla audiantur scandala; immo nec enormes defectus, cui subdidit Camillus, noscat præstantia vestra; inde oriri quia leues culpæ, & inobedientiæ corriguntur, quibus neglectis opus est subintrent peccata, & scandala, & ecce tota corruit tunc Religio; vniuersæq; subuersionis origo à Superioribus ortum ducit, qui nimia indulgentia, occasio sunt propriæ, & subditorum, ac Religionis submersionis: hinc mos illi fuit asserere, si qui defectus, & inobseruantię in domo adinueniuntur puniędi magis superiores sunt, qui congruẽtibus remedijs, & vigilantia non protinus illa exterminant, quam subditi; licet vtrique mulctæ subiecti iaceant. De instituti obseruatoribus verò aiebat, futurum esse confido, vt signo Crucis, & manuum impositione varios morbos curẽt: sic item subenarrabat, idemq; probabat, voluite affirmans tam veteris sacræ Scripturæ paginas, atque oculos ad cœlestia dirigite, & perpendite; si alij tã celse, q̃tũ misericordes illa superna potiuntur Regia. Sicut enim miseri-

Commẽdatur á viro p̃clare auctoritatis forma viuendi nostrorum.

cordi-

cordibus conceditur misericordia, ita denegatur immisericordibus.

De P. Hieronymo Chiarella.

INter hos temporum decursus morte interceptus est Pater Hieronymus Chiarella Neapolitanus professus anno 1596. aliquandiu in fundatione domorum Siculæ prouinciæ, multo amplius intra Hospitalia seruiendo infirmis elaborauit, cuidam hæretico ægrotanti in Nosocomio Sanctiss. Annunciatæ Neapolis, qui inungendos esse oleo sancto Sacerdotes negabat, viriliter se opposuit; & quia in sua perfidia pertinaciter perstitit Superioribus denunciauit. Idem Pater dum intra sui cubiculum nocte quiesceret, à dæmonibus quasdam terrificas perpessus est visiones; vnde deinceps tanto pauore correptus fuit, vt sæpius oportuerit secum alterum, hoc est in eodem cubiculo, obdormire, quem timorem tam ingentem non laudandum existimo; potissimum cum hæ sint vilissimæ bestiæ, & quo magis homo vilescit, eo fiunt audaciores. Fuit item dictus Pater in auscultandis infirmorum confessionibus indeficiens, & non minus in eis expediendis sollicitus, quam patiens in audiendo; nam plerumq; vna die quadraginta, aut quinquaginta infirmos sacramentaliter absoluit; extitit non mediocriter poesi addictus; vnde martyrium Sanctæ Agatę Virginis tragice, sed lingua heutrusca posteritati, typisq; mandatum reliquit, quod pluries postea cum audientium plausu exhibitum est varijs iu locis, potissimum Catanæ, vbi corpus eiusdemmet Sanctæ quiescit, ac magna veneratione colitur, & miraculis quampluribus claret: alios quoque eiusdem Patris labores, ac monimenta tum latino, cum etiam vernaculo sermone de poęsis promptuarijs depromta extant, quæ adhuc per manus eruditorum hominū transeunt. Ob defatigationes pro infirmorum animæ, corporisque salute exhibitas febrim ethicam contraxit; & demum tabem incurrit, à qua receptis Ecclesiæ Sacramentis, extinctus est, cineres in tumulo conduntur Ecclesiæ S. Mariæ Portæ Cœli Neapoli.

In officio commendationis animæ pariter excelluit

53

Sit igitur pro labentis anni conclusione, quamdam epistolarum formam apponere Reuerendiss. P. Nostri Fundatoris, vbi clare colligitur instituti nostri ratio, & Fundatoris principalior mens, & quid sit Religionis medulla (vt ipse vocat) & quæ cortex. Intus in fronte A. R. P. A latere P. C.

54

EX tuis quamdam recepi, mihi periucundam epistolam, intelligens ex ea, tuæ, totiusque familiæ quietem, & in Domino progressum: vobis impertiat Dominus longe felicius ambulare in sui famulatu, ac spirituali progressu iuxtà nostrorū vocationē. Ne obliuiscatur R. tua, id, quod sollemni voto Deo non homini promisit, qui post breue huius sæculi, mundique decursu iudicaturus adueniet opera nostra. Itaque reminiscatur proprij pensi, & animaduertat rem agi de animæ salute: pondera sicuti R. tuam minime obliuiosam esse puto: si ex nostris quispiam miracula patraret, & hic non affectione peculiari duceretur ad sanctum institutum: huic siquidem nequaquam credam; quapropter mi Pater rebus nostris consulamus, licet istic commoretis, vbi Hospitalium opportunitate caretis, quæ alijs in vrbibus, ac locis pręsto est; attamen istic vtique reperiūntur Hospitia, & quamuis ipsum ministerium non valeat exhiberi, prout aliis in Ciuitatibus exercetur à nostris; nihilominus exhibeatur quo magis potest, atque permissum, vbi est verò vetitum grandis suppleat

Forma litterarum exprimens nostrū institutum.

55

volun-

voluntas ad magna peragenda disposita, atque ardens, nedum cum pauperibus intra Nosocomia degentibus; verum quoque moribundis per domos priuatas: concupisce millies duplicari vitam, vt in bonis eam consumas actionibus. R. autẽ tua veluti superior in his Sanctis se primo loco occupet operibus, quoniã militię dux ante alios se hosti debet opponere, periculisque exponere, & hac via victor euadit. Reminiscatur igitur scopum, finemque Sancti nostri instituti, haud esse in Ecclesijs audire confessiones, easque replere confessionarijs, hoc est enim parum corticis. Heu qui in hoc se dilatat, verum inquã noster finis hic est, pauperibus Hospitalis totis inseruire visceribus, ac moribũdis per domos; iterum ve cui obliuiosa est prędicta veritas. Tempus enim properat tribunalis supremi Iudicis Christi, vbi hoc quãstrictim scrutabitur Iudex. Quare mi Pater è somno excitemur in negotio tanti ponderis. Ac item recordetur complures Sanctos, celebresq; DD. affirmare quammultos prælatos ad inferna descendisse damnatorum; propterea quod exequi neglexere quod ex munere tenebantur. Dominus de Cœlo te benedicat.

Romæ v. Kal. Iun. 1611.

In Domino Seruus

Camillus de Lellis

Hæc epistola transmissa est ad prefectum Domus Bononiæ.

Annus Domini 1612. Religionis autem 22. Hic Pater Blasius Opertis immediatus post Fundatorem Generalis vna cum Consultoribus Roma Neapolim migrat. P. Camillus plurima pietatis opera in suá Patria patrat, & mira operatur: memoratur aliquid de eo circa Theologicas virtutes. Demum recensentur gesta F. Io: Baudingh.

1 IAM ad quintum annum sui Generalatus præfatus Pater Blasius deuolauerat; & exordio defluentis anni iam Romæ in suo munere versabatur; ea tempestate in Vrbe hyemis sæuitia dominabatur; adeo ut glacies p plateas assiduo indurescеret. Pater Camillus tum temporis in consuetis laboribus intra Nosocomium S. Spiritus inuigilabat vestium inops, & cũ aliquando in palatio nostri protectoris cum eo alloquens vsque ad secundam noctis horam perstitisset, domum repetens, non sane cogitauit de reficiendo corpore cibis, neque somni quiete, quia solum operando pro Dei pauperibus

Spreto acri frigore Nosocomiũ nocu petit Camillus.

refrigerium adinuenire putabat, conuocato alio sodale, eamus ait in Dominicam Vineam, & confestim se ad Hospitale uersus S. Spiritus direxere, ambulantes, quin potius altum Cœnum comprimentes, & in aquæ foueas sæpe decidentes; Camillus uerò, ac si supra flores spatiaretur lætus ibat. Sed redeundo ad Patrem Blasium Generalem, qui caruutus erat, & pituita superabundabat initio huius anni Romæ morbo interceptus est; & aliquandiù in lecto decubuit cum nimio pectoris dolore, & quodam ulcere, hac secunda uice iterum uisere decreuerat Religionem, sed à morbi impedimento præpeditus quieuit.

P. Generalis ægritudinem incurrit.

2 Itaque Non. Febr. cum aliquantulum confirmaretur à morbò, ut uires resumeret una cum Consultoribus Neapolim appulit, secum Patrem Camillum deferens, qui quamuis uiribus inualidis foret, tamen ut obsequeretur, se supra posuit iumentum, Partenopen usque equitans, sed mirandæ compassionis casus erat cernere, quando descendere, uel scandere supra equum oportebat, tũ quatuor uiri fortes uix eum subleuare quibant; adeò extenuatum, languidum, ægrum, & laboribus, ac uigilijs fractum, his ultimis uitæ suæ temporibus corpus, ueluti demortuum patiendi desiderio uexit. Sed parumper gressum retro trahamus, quando Camillus Roma discessit etiam si multos Eminentissimos Cardinales, ac prælatos familiares, notosq; haberet: attamen à nullo eorum se expediuit, illorum enim uisitationes haud ei perurgebãt: at uerò ad Nosocomium S. Spiritus properauit, & ab ægris non sine reciprocis lacrymis ueniam petijt, singulis assignans iuxta spiritalem ægritudinem remedia peropportuna, aliis, ut se ad lethum disponerent, alios ad tollerantiam passionum roborauit, hos uerò ad seruanda diuina præcepta, quosdam autem ad digne suscipienda Sacramenta muniuit; & demum accersito nostrum nouitiorum Magistro, illi omnes grauiores ægrotos, ut eorum singularem curam gereret, commendauit, eum admonens, ut intenderet, ne quis absque Sacramentis decederet; & præsertim animaduerteret in confessionibus ne ob ruborem, uel uanum respectum enorme aliquod flagitium reticeret; ipse uerò ut in omnibus suæ profectionis minueret dolorem, promisit se citò Romam reuisurum, ut effecit post aliquot menses, prout narrabitur infra.

Non ab Ill. Dominis se expedit Camill. Roma proficiscẽdo, sed ab ægrotis.

3 Itaque deuenerunt Neapolim Pater Generalis nempe una cum suis Consultoribus absque (ita Domino adspirante) ulla læsione: at uerò Pater Camillus adeo iactatus se contulit propter bestiæ motum, suasque infirmitates, ut pene toto tempore, quò Neapoli demoratus est, nunquam morbo derelictus sit, præter consuetos tibiarum, & ulcerum cruciatus: diu enim febri, diroq; alui fluxu; & demum ab aculeis morbi calcularus aliquandiù sæuiter agitatus est. In hac Vrbe Neapolis Consultores, & P. Generalis tandiù stetere, quoadusque nouorum superiorum, hoc est præfectorum fieret promotio, quæ in uere prope mensem maij peragi mos est; unde una P. Generalis, & Consultores Bucchlanicum suam patriam Camillum dimiserunt, vt Aprutij domos uiseret, ubi quoque ob natiuum aerem aliquanto felicius respitaret, quod ita profectò euenit: etenim meliorauit; & illi quidem genti nõ parum conduxit emolumenti, propter vrgentes, in quibus tenebantur, necessitates rei quippe frugmentariæ; sed priusquam hoc prosequar, quod accidit cuidam ægro Romæ Camillo absente, in medio libeat ponere.

Camill. destinatur Visitator domorum Aprutij.

4 In Vrbe viij. Kal. Apr. Horatius ex Equestribus vnus, quos nominant celeribus Summi Pontificis Pauli V. annos iam sexaginta maturauerat, vel circi-

ter, quem repente crudelibus arripuit non febris, ſed quædam Paralyſis ſpecies, ipſum in lecto acutiſſimis doloribus continens immobiliter, nominatim omnino crura dimouere nequibat, quamuis et reliquo corpore impos ſui eſſet; & languens; hic enim eo quod ſtricta vtebatur familiaritate cum Priore Hoſpitalis S. Spiritus, nedum in ſui cubiculo, ſed etiam lecto ipſum depoſuit, de illo curam gerens ſingularem, vt viſeret, de more ad eum acceſſit P. Franciſcus Corradus noſtrorum Magiſter nouitiorum, cuius præſentia gauiſus eſt æger; Pater verò Camillus nuper Roma diſceſſerat, vt ſignificatum eſt ſupra; Horatius dictũ Patrem interrogauit, ſi citò reuerſurus eſſet P. Camillus, vſq; ad Menſem Octobris reſpondit; ſanè hanc enũciationem temporis longè diſtantis mœſtè ſenſit infirmus; igitur, ait, obſecro R. veſtram, vt ſtatum meæ infauſtæ ſalutis litteris illi ſignificet, in cuius precibus ſpem incolumitatis meę repono, & ne pro me deſinat orare Dominum deprecetur ipſum P. Reuerẽtia tua, licet eius præſentia frui nequeam, beneficium tamen ſentiam ſuarum orationum; proinde ſub hoc tenore epiſtolarum formam præfatus P. Corradus ad Seruum Dei Camillum direxit.

5 A. R. Pater Horatius neceſſitudine deuinctus cum Priore Noſocomij S. Spiritus in lecto vexatur magno Cruciatu, & in cubiculo dicti Domini Prioris iacet, qui inſtanter tuis ſe commendat interceſſionibus, eius fidem exauditurũ Dominum ſpero interpoſita Paternitatis tuæ prece, qui me obſecrauit, vt hoc munus cum P. tua pertranſirem, quod repente, eius compatiens neceſſitatẽ executioni mandaui, &c. Memoratæ epiſtolæ tranſmiſſio ſub die occurrit viij. Kal. Apr. quæ prid Kal. Menſis eiuſdem Neapoli à P. Camillo lecta eſt, & eadem Hebdomada in hæc verba reſpondit, Dolui de infirmitate Horatij perfamiliaris Domini Prioris, cui valdè me commendo, & ſpem habeo hac hora conualuiſſe; minimè verò neglexi illum in orationibus Domino offerre, & cũ aliud modo non occurrat, ſolummodo Deum rogate, vt illum ſuum verum efficiat famulum, Sanctumque Neapoli v. Id. Aprilis 1612. Sed dignum eſt aperire quomodo Horatius ſanitati reſtitutus ſit; etenim abhinc quinque diebus, quæ dies incidebat, quando epiſtola in manus P. Camilli deuenerat, tum pręfatus Horatius à lecto proſilijt innixus tamen baculi fulcimento per domum ambulans; at ſanè poſtquam Camilli reſponſum adeptus eſt omninò conualuit; vnde nedum ipſe infirmus verum, & Prior Hoſpitalis, & omnes, qui id nouerant, Deo grates immenſas retulere, ſuoque famulo, medici quoque admirari non deſtitere, qui deſperabant, quomodo eum tum adiuuare medicamine potuiſſent, & tamen illum liberę ambulantem abſque vllo remedio cernebant, quod profecto gratię Dei adſcripſere, indeque orationibus Serui Dei Camilli tam repente ſanitatem integram obtinuiſſe Horatium, neruorumq; ſoliditatem ſpeciatim ipſemet, qui ſanus euaſerat id prędicare, vbique gaudebat, nanciſcens vna cum ſalute nimium ſpiritualis lętitię.

Lib. 3. c. 26. in fine.

Adipiſcitur quidã bonã valetudinem P. Camillo abſente.

Loco citato

6 Iam aſſerui paulò antea, Menſe Maj labentis anni Patrem Camillum deſtinatum Viſitatorem ſe Bucchlanicum contuliſſe, ſed quia ibi incolendo, ſimilis, & mirabilior caſus cuidam ex noſtris occurrit, inſerendus opinor; priuſquã acta inibi ab eo patrata ſubtexam.

7 Neapoli Pater Alfonſus Metius noſtræ Religionis Sacerdos, ac profeſſus Menſe Mai decurrentis anni æger in extremum vitæ dilapſus languebat, & iã Extremę Vnctionis Sacramentum dari parabatur, inter hos mortis imminentis timores ad Patrem Camillum ſe deuotè conuertit, à quo diligebatur, quã-

uis

uis tum Bucchlanici commoraretur; insuper valetudinarium rogauit, vt litteras ad eum transmitteret, ac de instante eius morte monitum faceret; itaque pro sua apud Dominũ bona deprecaretur valetudine, libenter valetudinarius exegit. Sed mira res quidem; dum idem Pater Alfonsus solus iaceret in cubiculo ad se Patrem Camillum venientem inspexit; ac si tunc ab equo desilijsset calcaria in pedibus gerentem, & itinerarias ocreas, post mutuam salutationem, supra sessionem prope dictum ægrum Pater conquieuit, de ipsius agens aduersa valetudine, multaque consolationis verba intermiscens; demũ ipsum signo viuificæ Crucis in fronte communiuit, tutumq; reddidit, se citò bene valiturum, ac inde discessit; interea superuenit valetudinarius (instabat enim hora prandij) quem infirmus rogauit, vt Patrem Camillum ad se iterum introduceret, ad hunc sermonem obstupuit dictus valetudinarius, putauitque in phernesim incidisse ægrotum; quandoquidem Bucchlanicum Pater iam remoratur multis abhinc diebus; at nihilominus vniuersam perlustrauit domum, & cunctos percontatus est, sed res abdi non poterat; vnde induitãter eo tempore in Aprutio adesse Patrem Camillum cõpertum est. Verum inde innotescit illam non esse falsam imaginationem, neque delirium, quia æger mẽtis erat perfecte compos, neque somnium, quia interdiù occurrit, & multa inter eos transiere colloquia, sed vera, ac realis apparitio. Mane autem diluculo sequentis diei, ille qui periclitabatur, mortemque proximam opperiebatur omnino conualuit haud vllis remanentibus morbi vitę, siue periculi vestigijs.

Lib. 3 in vita typis edita P. nostri c. 26 prope medium.

Sed tempus requirit, vt reuertar ad propositionem, & ad ea, quæ Camillus egit in patria sua; de Cælo siquidem ipsius *profectionem in illas Regiones* censendam existimo, propter bona, quæ ex illius pręsentia inibi emeserunt; tanta enim frumenti inopia succreuerat, vt gens illa consumptis omnibus esculentis more pecudum, & brutorum herbis nouiter germinantibus nutriebatur, vnde viridem in vultu colorem ostendebant; præterea multi sepulturæ donati fuerant, complures mortaliter ægrotabant, alij ne famis cruciatus sustinerent, & ne suos caros similia patientes contuerentur mortẽm assiduo vociferantes expectabant, clamantesque, potius gladio mortis occumbere appetentes, quã famis dira sustinere tormenta. His occurrere malis totis præcordiis enixus est Camillus; & primo loco nostram domum Bucchlanici spoliauit annona; ad hæc primitus se conuertit præsidia; seruabatur enim tum domi nostræ ob necessaria patrum alimenta leguminum, & siccorum fructuum non modica congeries, ad ea festinus manus iniecit Camillũs, & mendicis in porta quoq; mane dispertiri domus superiori mandauit, pauperibus item verecundis vsq; domum afferri iussit, hos, qui eleemosynam reportabant, quotidie ad numerum prope centenarium ascendebant; insuper ollam dictorum leguminum domi coqui mandauit pariter eroganda.

5

Commoda, quæ sui municipes ex Camilli præsẽtia deportarunt.

Ne Camillo deesset beneficentiæ materia: dum consumebantur, & à pauperibus extinguebantur fabæ, quæ domi nostræ per id tempus seruabantur, aliæ in quadam nostra villula interim succreuere, & iam maturandi tempus propinquabat; quare domi nostræ extincta annona, egenos ad dictum pagulum Relig. transmittebat, vt fabis inibi consitis famem extinguerent. Sed mirũ quid in hoc opere benignitatis contigerit operępretium est non abdere, sed ad magnificentiam laudis beneficentiæ palam facere; vt hi, qui similibus in euentis restringere properant manus ab eleemosynarum pręstantia ob va-

6

Exhaustę domi nostræ fabę mittit inopes Rus, vt eis vescãtur.

num

num quemdam timorem, ne res illis deficiat, liberaliter, hilariterque eas ad opera caritatis extendant; quandoquidem Dominus nouit, & potest, & efficit, plerumq; multiplicari in arcis frumenta, & in dolijs vina (vt nos animent) sic sacræ clamant paginæ, & innumera fatentur exempla; quemadmodum hic multiplicatio leguminum argumento est, quod subditur immediatũ.

7 In memorato Agello vnius modij non plus quam tres quadrantes terræ fuerant commendati, nec centum quidem si sati fuissent, tam numerosæ pauperum collectioni sufficeissent, quinimmo rusticus, qui agrum excolebat, eo quia non tantum præcoces fabæ decerpebantur, verum etiam plantas cum fructibus aliqui egeni eradicabant, propterea illos penes magistratum minatus fuerat instimulare, dignam, vt pœnam penderent, at Pater Camillus, postquam nouit, penitus id fieri prohibuit, itaque coaceruatim data venia ad agrũ passim omnes cõcurrebãt inopes, illo pascuo, veluti oues, famem restinguẽtes, quo si caruissẽt citra dubiũ mortis decretũ cõplures haud caruissent; nec propterea vnquam fabæ, aut aliquando defecisse visæ sunt, iugiter pauperibus escam subministrantes, & quotquot ad Patrem Camillum eleemosynam efflagitando concurrebant, amplius quid erogare impotentem, protinus, & prompte ad agellum, vt fabas colligerent, remittebat; ac proinde vnusquisq; arbitrabatur penitus extinctas fabas, plantas quoque funditus euulsas. Domus tamen *Præfectus* cui nomẽ inerat Pater Marchisellus Lucatellus vir notæ probitatis excitus interno motu villicum ad se accersiuit, vt si forte aliquid residui esset fabarum in agro coaceruaret (iã sollicitabat metendi tẽpus) extinctas esse respondit, cũ eò penè tota tellus cõfluxisset, q̃ vorasset proculdubio ingentẽ campum, præcepit nihilominus vt illo iret, & si quid residui manserat fabarũ Domum traduceret, casu hoc dixit, nil sperans colligere, sed vt eleemosynæ gloria clarescerct, obtemperauit villicus, eoque se contulit, & adiungere dispersas fabas, & cumulare relictas incæpit, locareque in sacculis miro cum stupore, & quando nec vnam posse superesse fabam arbitrabatur, ò inenarrabilis Creatoris bonitas, & eleemosynæ virtus, ex superstitibus collegerunt modios tresdecim cum dimidio, verum enim vero si ea messis nemine perturbãte fertilissima superincidisset, nec quartam de prænarrata permisisset colligi partem, potissimum, quia illud telluris genus non commode admittit fabarũ sationem, & eo anno potius ob curiositatem quam aliter ibi satæ sunt; id omnibus terræ incolis maximo stupore fuit, easque miraculorum fabas appellarunt, vsque modo, quas Pater Camillus ebulliri mandauit, & egenis quoque dispertiri, vt totum cæderet in misericordiæ opus.

Crementum mirabile fabarum in villula.

Lib. 1. c. 16.

8 At quoniam neque hoc auxilio satis fuit, totam, tamque ingentem pauperiem extinguere, ab alijs Camillus stipem quærere instituit, vt vnde succurret egestati suis eleemosynarijs manibus presto esset, quare collectis Nosocomij Rectoribus, & Confraternitatum socijs exposuit sibi, suisque Religiosis nil superesse, quod erogarent, propterea ipsorum erat non tepescere in caritate, tam dira instante egestate, vnde ducentos aureos obtinuit, centum quippe ab Hospitali, & reliquos centum à dictis Confraternitatibus, sed quoniam Vicarij Diocœsani facultas desiderabatur, ipse super equum scandens Teatem versus se direxit, sed cum infesta admodum esset bellua desiliuit, & totum itineris tractum pedestris confecit, vbi propter suas ægritudines, & vlcera Bucchlanicum adeo perturbatus repetijt, vt ei grauis, & acuta febris superuenerit, quæ maximopere illum diuexauit, ac proinde timor mortis ipsius omnes tenebat,

Ob inopum subuentionẽ alios binos consequitur aureorũ centenarios.

non propterea, dum ægrotaret suorum pauperum oblitus iacuit Camillus, sed cum aliquanto melior, Dei gratia, euasisset, & cernens eam pecuniarum summam, non satis esse tantæ pauperum multitudini ad occurrendum.

Impertit egentib. duos alios centũ aureos, quos ab vniuersitate nãciscitur.

Quapropter è lecto prosiliuit, ad oppidi concilium accedens, vbi tanto zelo egenorum partes suscepit, ac taliter patrocinatus est, quod alios ducentos aureos adeptus sit ab vniuersitate, quos repente dispertire, & opportuna subsidia singulis indigentibus elargiri inchoauit, tum mendicis per oppidum, atq; adeo orphanis, viduis, ceterisque honestis, ac verecundis personis intra Domum pauperiem sustinentibus: hoc egit Camillus adhuc æger, propterea quod febris nunquam eum omnino desiuerat, ex tunc quando à Teate regressus in lectum deciderat, proinde rursus decumbere coactus est, & inopum negotium tribus pijs, sed timoratæ conscientiæ personis peragendum cõmittere, quæ accurata solertia, ac fidelitate eleemosynarum benedictionem dispertiebant, eisque quotidie trium horarum intercapedine gratum præbuit auditum, sibi admodum complacens noscere satis fuisse pauperibus cautum. Siquidem prouidentia commiserantis animi Camilli pene extinxit ingruentem, & sçuientem egestatem, hisque suæ originis in locis maximo emolumento fuit, quoadusque nouarum frugum recurreret affluentia; præterea non otiosus in reliquo torpuit confirmatus à morbo, sed plerumque in platea, & intra Ecclesias publice sermocinabatur, vitia acriter redarguens, virtutemq; veluti medium potiundi Cælo, commendans, illos ad concordiam, & ad fraternam dilectionem prouocans, vnde à personis litterarum professoribus in magna habiti suum veneratione huiusmodi sermones, nedum zelum, sed quã dam pene cęlestem complectentes ad persuadendum eruditionem, quapropter mirum operabantur deuotionis affectum in audientium cordibus; quos aliquando etiam allexit illis compartiendo quasdam deuotionis largitiones, vt sunt medaliæ, & Sanctorum in charta impressæ imagines; demum in Ecclesia Sancti Honophrij perdeuotum ad plebem habuit sermonem, vbi post multa ad eius salutem spectãtia de sui profectione ex eo loco, & de morte sibi Romę superuentura illos commonuit, nec eum se vnquam visuros dixit, quæ verba haud sine graui plantu à multis suscepta transiere, non modo concionando (vt referatum est) profuit personis adultis, verum & infantibus, & ignorantibus fidei rudimenta singulari patientia, & beneuolentia instructor fuit. Inde Neapolim profectus est equitando, neq; nisi raro, & tum cogente necessitate in suis itineribus (licet plurium dierum, & hebdomadarum) ductus est in lectica, quamuis (vt claret supra) iugiter vexaretur à compluribus ægritudinibus, à fractura nempe intestinorum à callis in pedibus, & vlceribus in tibijs, quandoque etiam male agebatur à febri. Neapoli demoratus est hac vice menses circiter quinque, nẽpe ab extremis Iunij diebus, ad mensem vsque Octobris, hic ab assiduis morborum stimulis iactatus est, nominatim ab vltimo horum cruciatu, qui fuit omnibus immanior, vtpote dolore laterum (sicut antea significatum vidistis) sed priusquam latius vaget oratio, recolere aliquot memoranda dignum duco, quæ Camillus Bucchlanici operatus est, antea quam illinc discesserit, quæ accurate à P. Sanctio Cicatelli eius vitæ scriptor memoriæ tradita sunt, atq; adeò in processu ipsius gestorum exarata leguntur.

Publice Camillus sermocinatur cũ admiratione audiẽtium.

Lib. 1. c. 17.

9

Martha Galeassa ex terra Bucchlanici domi suæ cadum vini seruabat ponderis quantum duo ferunt onusta animalia, vir eius in aduẽtu illuc P. Camilli, obtulit ei merum, & vas, cui grates de oblatione agens Camillus recusauit su-

10

scipere oblata; attamen vir ille caritate clarus toto mense Maij, mane, seroq; tres phialas eo mero plenas Patri nostro Domum immisit,& timentes ne acesceret ex eo etiam ipsi bibebant, & quo magis extrahebatur eo amplius meliorabat, quo circa etiã Dominis Oppidi veluti quid pretiosum largiebatur, vlterius cum vir ille artis medicinæ professor, ab Vniuersitate vocaretur in Oppido villæ magnæ Bucchlanico duo milliaria distantis, illo abijt, quò mense Octobris eius vxor ex eo vino onustum asellum transmisit, vt vna cum Dominis Terrę illius ex illo optimo prælibarent mero: quid amplius? properauerat iam Autumni tempus,& consequenter vindemiarum,& merum modicissimè interfluebat, forte vt euidentius larga Dei manus innotesceret, itaque vt cadum recenti vino mulier imbueret, fecit periculum illum euacuandi,& collecta, quæ domi aderant vasa, impleuit, attamen non euacuabatur vinum, idq; Patris Camilli meritis tribuens, vicinias aduocauit, vt quæcumque vasa domi continerent secum exportarent, ad decem simul vsque personæ concurrere, omnes (mira siquidem res) optimo illa vino impleuere, cum vero defecissent vasa, illico etiam defecit merum, quasi oleum tempore Elisei Prophetæ, quod non esse imminutum, nec stetisse fertur, quousque vasorum capacitas illo expleta non admiserit, sed stare fecit liquens oleum. Hæc mulier Galeassa vsq; ad præsens facti magnitudinem cunctis propalat, Patremque nostrum summa deuotione prosequitur, sed quod subditur non dissimilis est Deo referendi grates materia.

Vinum in dolio adaugetur.

Legitur lib. 1. c. 16.

11 Inter defluxum horum temporum Domina Laura vxor Honophrij de Lellis Patris nostri Camilli patruelis, serui Dei hortatu Sanctissimo Sacramento Ecclesiæ nostræ oleum suggerere,& prouidere aliquando certis patrum necessitatibus operata est, ad hoc autem prænoscendum, hoc est, quæ quãtitas quoq; mense absumeretur ollam grandem impleuit, deposuitque in loco, vbi manus de ea neque detrahere, nihilque super imponere posset; denique cum plures lecythos hausisset, dum sane putabat oleum fuisse exhaustum, uel pene exinanitum ollam inspexit,& prope nihil ex ea diminutum agnouit, quare meritorũ uirtuti Patris Camilli adscripsit, eiusque meritis creuisse oleum, omnibus patefecit; unde studiosior effecta posthac amplioribus eleemosynis Domum nostram contutata est, quid mirum si uinum,& oleum adaucta uisa sunt meritis serui Dei Camilli? quãdo ipse in uino dilectionis,& oleo misericordiæ iugiter, obeundo beneficentiæ opera; indefessus parens (liceat sic dicere) sese euiscerauit. Sed alia euidentior diuina ostensio, per merita serui Dei Camilli, secuta, mox ostenditur à præcedente non difformis,

Lib. 1. c. 16 in calce.

Crescit oleũ in olla.

12 In Cana Galileæ ne sponsis uinum deficeret, Mundi fabricator, Matre interueniente, limpham in optima uina mutauit, ne conuiuæ tantæ existimationis liquore carerent, & in sollemnibus conuiuijs aquam potare cum rubore cõpellerẽtur, cõplacuit sibi Dominus ne itinere lapsis uina deficerent per famulum suum Camillum appositã limpham dulcia mera fundere, ad imbecilles roborandas uires. Quod ita contigisse narratur.

13 Occasio poposcit ex oppido Bucchlanici hac tempestate Camillum in Laureti oppidum, naturalem suæ genitricis regionẽ se conferre, quem Antonius de Abbate, & Bernardinus Nicolai eiusdem oppidi Bucchlanici, & alter famulus comitati sunt, cum ergo prope Leureti oppidum accessissent,& secũcunda noctis hora decurrisset, sistere in Conuentu Patrum Cappuccinorum maluit Camillus, circa milliarium distante à dicto Castello, quam vltra mea-

re,

1612.

re, nigra nocte cogẽte, & Patris nostri erga Fratres Cappuccinos pia affectione, qui humaniter iuxta ipsorum consuetum à Fratribus, vna cum suis admissus est in Conuentum; attamen non modice eis displicebat in Cœnobio non inueniri, quod eis decenter, sufficienterque apponeretur, vt reficerentur, nominatim, quia vinum omnino deerat, Camillus vero non defuturam Dei gratiam omnes confortans, asseruit, totumq; negotium in Deo locauit, itaque hi tres hospites mensæ accubuere pauca panis fragmenta ante se habentes, acetariam, & dapem ex leguminibus, atq; quãdam amphorã aqua plenã, q̃ binis vrciolis Frater mensæ ministrans, superinfudit, impleuitque, asserendo etiam Fratribus merum defuisse in cœna, mœrore confecti famuli, qui diem ambulando confecerant, discubitum adiere, indignanterque; quandoquidem, nec panis, nec reliqua apposita illis esurientibus satis erãt, nihilominus de exhibita à Fratribus portione sumere cęperunt, data prius à Patre nostro benedictione, quę mirabiliter quò magis comedebant, eo amplius redũdabat, quoadusq; saturati cessarent ab escis, unde se mutuo contuebantur, ut olim Hebræi in admiratione percussi aiebant, manu, quid est hoc, sic pariter hi tres quid sibi hoc uelit interrogabant inuicem, uidentes cibos indeficientes, sed hanc admirationem maior subsecuta est: post escæ sumptionem iam saturati potum capere respuebant, sic enim agere decreuerant, at non ualentes sitim ultra continere, modicam aquam potare destinaruut, hauriens primus loco aquæ perfectum uinum prælibauit, sic secundus, & tertius cum stupore gustauerunt, attamen principio suspicati sunt, uoluisse Fratrem mensæ incumbentem eos deludere, ipsum conuocarunt, ostendẽtes generosum uinum, quod illis præbuerat; hic repente unde hauserat demonstrauit, & euidentius, ut cognoscerent, amphoram uersit, quæ reddidit, ut fuerat imbuta, puram lympham, unde territi totum gratiæ adscripsere, & meritis serui Dei Camilli, idem Frater, qui seruierat mensæ, conuocatis omnibus illius Cœnobij Religiosis cum stupore quidquid euanerat denunciauit; hi uero tres hospites, quamuis lapsi, tamen insomnes duxerunt pene totam noctem, super hoc mirabile factum cogitantes, ac loquentes, quod postea cum iuramento publicarunt, ac deposuerunt. Aliud affirmarunt eidem occurrisse Patri inter hæc temporum spatia.

In lib. super vita P. Camilli prælo expressa lib. 2. c. 16. erga finem.
Loco lymphæ vinum libant conuiuæ.

14

Quidam Camilli notus à dęmone ita deludebatur, sæpe enim per uiam, & plerumque domi suæ à uestibus, & pallio trahi, ac raptari per humum patiebatur, & atergo conuersus, nemo infestans apparebat, unde clare argumentabatur illas esse diabolicas delusiones, & aliquando equitans, cum nemus ingrederetur proprijs oculis intuitus est miro pauore, equum magna ui per habenas abduci, & in contrariam partem extrahi, unde nec calcaribus, nec fręno, uel uerberando ulterius impellere poterat, non exiguo tandem labore, ac dolore nonnunquam syluam penetrauit; ex quo cum dæmone sodalitio, graue sibi arguebat affuturum detrimentum; quid facturum, uel quo se uerteret non animaduertebat, at quoniam animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, ad medicum in oppido Bucchlanici se conuertit Ioannem Baptistam Grillum, hic uero ait, medicinam tali succurrere morbo, ægritudinesque curare minime scit; hinc ad alium præstantiorem remisit Medicum, à quo facile ab omni se liberum molestia euasurum dixit, fidenter ad eum accedendo, ostenditque Patrem Camillum, illique distinctè, quæ ab infestissima tartari bestia sustinebat, enarrauit, cupiens uehementer ab ea suis orationibus liberari; dexteram super caput manum imposuit Camillus, subdens uoluisse communẽ

Lib. 3. c. 20
Quidam à dęmone delusus immunis tactu P. Camilli euadit.

hostem

hoſtem ſecum ludere; ſed toto pectore, magniſque ad Dominum precibus huiuſmodi cum iniquiſſimo ludibria ſunt deuitanda, bono itaque animo eſſe ſuaſit, quandoquidem hæc, ſimileq; nunquam ſibi occurſura; nec re quidem, neque imaginatione talia poſthac aliquando ſenſit; erat enim res admiratione digna pendere patris noſtri manuum efficaciā, quibus enim superimponebat, concupitos effectus aſſequebantur, quibus vero denegabat cōtrarij ſortiebantur euentus. Hæc memorabilia facta Pater Camillus Bucchlanici ſua patria patrauit; attamen illinc profectus Neapoli remoratus eſt, inde die poſt Kal. Octobris diſceſſit, Romam adeundo, nondum liber à ſuis ægritudinibus, ſed acerbe vexatus, viam egit: nihilominus æſtuans deſiderium eò ſe conferendi, itinerando meliorauit.

Lib. 3. c. 20.

15 Prid. non. Octob. Romam appulit, ſequenti vero mane diluculo ſe erexit, non iturus Rus, quinimmo ad Domini vineam conceſſurus, ita ipſe Noſocomium appellabat, quidam vero pater, ſerui Dei commiſereſcens, illum ſic eſt allocutus, pater veſtra Paternitas hodie, & cras requieſcat, & inde ad Noſocomium ibit, iam ab ſuis infirmitatibus dilaniatur, cui non plura reſpondens, ait, ibi cordis mei requies & refrigerium eſt, & baculo innixus, graui illo ſe contulit cum difficultate, crebrò inter deambulandum nimia præ laſſitudine ſiſtens gradum, & qui medico, & conſolatore, ac miniſtrorum adiutorio indigebat, ægros adiuit, ſingillatim ſalutauit, conſolatuſue eſt, aliquot magis grauiorū reficiens Toros; aſſeuerans ſane Hoſpitale campum eſſe refectionis, vbi nunquam bene operandi, occaſio deeſt, ſed multum merendi ineſt. Verum recenſeam, quid hoc anno Domi noſtræ contigit.

Romam appulit confractis viribus, & ſtatim Hoſpitale petit.

6 Seruiebat in miniſterio coquinæ Dominicus Roncius (hic totum cum iuramento teſtificatur) Pater enim Camillus in popinam binos mendicos introduxit, & ſupradicto coquo iuſſit, vt his egenis dapes ſubminiſtraret, carniſque fruſtulum, cum factum eſſet, aliorum item commiſeratione excitus inopum, qui foris eleemoſynam ſperantes, ſtabant, ſimile faciendum iniunxit Pater, vt nempe illis quoque dapem cum modica carne elargiretur, exiens inde coquus, & ſupra quadraginta inopes ſpectans, ſtupuit, dixitque Pater, ſi daturi ſumus, quod iuſiſti, nil patribus reliqum erit menſæ apponendum, quem paruæ fidei arguit, ſtatuitque, vt obtemperaret, itaque obſequens Dominicus inanem reliquit ollam, inde parum poſt adijt domus ſubminiſter popinam, eo quia prandij hora vrgebat, ſi parata edulia extarent, quando vero intellexit, inſpexitque vaſa eſca vacua, & agnouit à Patre Camillo pauperibus fuiſſe diſpertita, ſilens ſubmiſſo capite inde ſeceſſit, putauitque paruus caſeus loco edulij poſſe Patribus ſuppetere, dum enim per ſonitum ſigna menſæ properarent, tranſiretque per cubiculum Patris Camilli, illum brachijs extenſis, erectaque ceruice orare intuitus eſt, datoque prandij ſigno ad popinam recurrit, audiuitque à coquo ollam, vt antea carnibus, ac dapibus redundare, & altiori voce proclamantem, Miraculum, Miraculum, ſed ſubito occluſum eſt illius os, ſcientes quantum harum manifeſtatio rerum Patri noſtro diſpliceret, vnde lætè tota Patrum familia de eſca nouiter adaucta comedit, ſatis, ac ſufficienter, prout nulla facta eſſet diminutio, Deo hilariter referentes vnanimiter grates.

Lib. 2. c. 16. nu. 249.

Dapes, quas mendicis elargitus ē coquus mirādis modis adauctæ viſæ ſunt.

Romæ Ioannes Baptiſta Manetti Clericus in Sancti Spiritus Hoſpitio quatuor menſium intercapedine febriens in lecto iacuerat, cuius pater Franciſcus Corradus Sacerdos in noſtra Religione profeſſus, audiuit generalē, ac Sacra-

Nāciſcitur quidam clericus meritis P. Camilli integram valetudinē.

mentalem Confessionem, ipsumque contuens admodum morbo exagitatum, mæstumq; suasit, vt se Patri Camillo magno Dei famulo cõmendaret, eiusq; precibus fideret; si eum nosceret, item interrogauit, per auditum, ac famam illum nosse asseruit infirmus; attamen se, vt ipse imposuerat, effecturum, confirmauit; igitur sic exequens perfectam dudum adeptus est valetudinẽ, quem reuisurus accedens dictus P. Corradus sensit ab eo quomodo intercessionibus serui Dei Camilli optimam nactus fuerat salutem, vndè lætis præcordijs innumeras Deo, suoq; famulo grates rependit. Hoc refert supra memoratus Pater vir certè omni exceptione maior.

18 Cum imber instaret, quædam puerorum manus, quæ appellatur Romæ Orphanorum simul sub Magistrorum regula degentium, atq; Rectorũ ab Eminentissimo Cardinali Saluiati olim nostro Protectore multis redditibus adaucta, se in Sancti Spiritus Hospitio recepit, quoadusq; pluuia cessaret; interim superuenit P. Camillus, & contuens numerosam illam puerorũ collectionem, qui Patris nostri probitatem intelligentes è vestigio illius humiliter deosculati sunt manus certatim, ac vestes; vndè pater ex hoc ansam arripuit ratiocinandi, ac celebrandi misericordiæ opus, tanta fuere illius verba efficacia, & talem in animo illorum innocentum impuberum produxere effectum, vt repudiatis alijs corporis refocillationibus, eorum ducem, ac pedagogum obsecrarent, quod vice recreationis ad Hospitale eos duceret Sancti Spiritus, prout Pater Camillus ipsos fuerat cohortatus; vnde plusquã semel illos pater suasit, ad pietatem erga infirmos, quam grata sit Deo misericordia infirmis exhibita, subdens, oportere tamen cum pietate, cordis munditiam addere, vitæque honestatem, vnde tanto ardentiores euadebant hi pueri in obeundo infirmis ministerium. Hinc colligo munus hoc esse Angelicum, hoc est exquirere operatores, qui virtute Angelos imitentur, quando etiam ab insontibus pueris prohiberi sibi complacet Dominus, qui à rerum Dominatore spiritibus assimilantur Angelicis; & si in munere commendationis animæ, Cęlestes Angeli visi sunt aliquando sub humana forma (vt alias indicaui) illud præstare, nunc vero pueruli, qui Cælitibus æquiparantur, corporale ministerium intra Hospitale peramanter exhibendo, nos instituũt, debere ea puritate, qua ipsi sunt affecti, illud, exequi.

Pueri insontes opera intra Hospitiũ exhibẽt instruente P. Camillo.

19 VIII. Id. Nouembr. de mandato Eminentissimi Domini Cardinalis Gymnasij nostri Protectoris quintum Generale Capitulum indictum est, habendũ, prout celebratum est Kalen. April. & iam decurrit tertius cum secundo anno Generalatus Patris Blasij Opertis, qui annum ante expirationem suæ promotionis, & oneris illo se voluntaria priuatione abdicauit, fortasse ob suam male affectam corporis complexionem impatientem in Vrbe, vbi subsidere arctabatur, aeris illam sustinere temperiem, siue quoniam quemadmodum ipse aliquando se cogitatibus Patris nostri fundatoris (quãuis recto fine) opposuit, ita quoque in suo Generalatu complures aduersariorum procellas sustinere coactus est; à quibus ipsius morũ integritas ni nota esset sũmo Pontifici Paulo Quinto, tum vniuersale Ecclesiæ regimen dirigenti vehementer Patris Blasij persona fluctuasset, & in aliquem grauem afflictionum scopulum impegisset; sed calumniatores ęquissimus pastor ab se minacibus verbis expulit, vt fas erat, & parum abfuit, quominus ipsos in carceribus alligasset, grauique pœna mulctasset, fuere insuper non leue aduersus præfatum Generalem exhibitæ quærimoniæ coram Eminentissimo Cardinali nostro Protectore, & demum perillu-

Indicitur Generale Capitulum.

Quas tribulationum procellas sustinuit P. Blasius Generalis.

stris, ac Reu. Dominus Seneca Prælatus suis temporibus, ob probitatem, ac prudentiam celebris domum nostram adijt, de vita patris Blasij iam dicti, moribus,ac regimine ex Superiorum commissione inquisiuit, sed oppositiones tamquam imposturæ repudiatæ sunt, & eorum inuentores veluti impositores falsarum rerum habiti sunt,& satæ à personis quibus regularis disciplina non in corde fuerat. Horum caput, & auctor non diu tripudiauit, sed pœnam luit, illique adhærentes, & complices non immunes Dominus iustus iniuriarum suorum famulorum vindex desiuit, nam extra Religionem alij proiecti sunt a conscientia expulsi, alij breui temporis interuallo animam egerunt; nemo sit qui in altum expuat, quando totum in eius faciem deriuabit, & damnum: hi enim ambitioso ducti fine, & liberius ducendi vitam, se contra suum inuexerant ducem,ac superiorem,& velut nebula à ventis, vt à Diuina manu dispersi sunt; idem vero Reuerendissimus Pater Generalis,quamuis innoxius probaretur, attamen ante sui muneris exitum, hoc est ante annum desistere maluit ab officio, & cedere alteri locum; ipse autē accuratiùs interim in ædificatione noui Conuentus,& fabricæ incumbebat,quam in loco,vt dictum est, Platamonis, erigere cęperat; verum potius credo se ab onere muneris expediuisse ob inualetudines,quibus affictabatur, quam alias ob rationes. Sed recurrere calamus monet ad ea, quæ de Patre nostro Camillo promisi in titulo præsentis anni, vtpote aliqua tractare de Theologicis virtutibus, quomodo in ipso niderent.

Non immunes calumniatores tripudiarunt.

Cum Fides ceterarum sit virtutum ianua, & fundamentum, sine qua, vt Apostolus prædicat, impossibile est placere Deo, & cum ea Sancti mirabilia fecerunt, vt insinuat Electionis vas, dum ait, Sancti per Fidem vicerunt Regna, operati sunt iustitiam,adepti sunt repromissiones, hanc sanè Camillus viuam possedit in mente,& operatiuam in executione optimorum tot facinorum, quæ antehac enumeraui, & in futurum significabunt de ipso,quæ scribā, vbi enim eam nitere videbat maximo ferebatur amore, idcirco quosue sanctæ conuersationis tuebatur Religiosos, vel laicos, non vulgariter illos diligebat, dignoscens à fide tamquam ab inclyto parēte eximia prodire facta,hæreticos vero,in sua perfidia obduratos plusquam serpentes,& veluti ipsum dæmonem perhorruit, ad maiorem facti euidentiam, aliqua subdere exempla, non sit indecorum, cum agatur de fide, animæ singulare ornamentum.

Renidens quomodo in Fide Camillus.

Quando ad instantiam Sanctissimi Pontificis Clementis VIII. nostri missi sunt in Pannoniam pro militum ægrotorum spiritali, ac temporali auxilio P. Camillus vsque Tridentum secum iuit, nil eis magis commendans,quam deuitādos esse hęreticos, omni peste infestiores,& omni bellua truculentiores,& omni veneno nocētiores, vnde statimatq; eorum sentirent olfactum,ceu Basiliscum illico deuitarent;olim Mediolano regrediebatur vna cum pluribus alijs simul equitantibus, Camillus autem omnes familiariter allocutus est,& amice conuersatus,præterquamquod cum illorum quodam,& rogatus,quare vno relicto, cum alljs tam humaniter tractaret, respondit, quia ex eo quemdam quasi hæretici odorem efflari sentiebat; cum vero id omnino ignoraretur;sed Romam adeuntes tum innotuit illum fuisse clam ad officium Sanctissimæ Inquisitionis ductum, tamquam in fide vacillantem, quod profecto strictissime cælabatur, sed quo pacto pater Camillus potuerit id noscere? nec mirum cū illius delinquentis anima quauè esset sentina fœtidior,& ab ea quodammodo halitus pestilens efflabat,serui Dei Camilli nares veluti penetrans,& pturbās.

Occultus hæreticus P.Camillo patet.

Lib.3. c.1. erga finem.

1612.

Pari modo se gessit cum incredulis, perfidisq; Hæbreis Sanctissimum, ac venerabilissimum Dei nomen contẽnentibus; etenim cum aliquando per itinera Insubriæ intra Rhedam veheretur, casu accidit, præter reliquos ibi quẽdam adesse Hæbreum, qui minimè erga Camillum lumina conuertere visus fuit, ne quippe Sanctissimi Cruci pendentis Imaginem, quam gestabat in latere Camillus, prospicere, vt hoc Dei Seruus animaduertit, sancto æstuans zelo, putans illud in contemptum agere Dei Creatoris, prout suspicabantur oẽs, dextera apprehændit Dominicã Crucẽ semper colendã, & ante Hæbrei apposuit faciem, qui etiam obduratiori fronte, & iniquiori corde, erga illam respuebat lumina erigere, qua propter a Rheda iussit protinus secedere; sed Camillum alij viatores deprecati sunt, hinc persuadi permisit; verumtamen ipsum ità est comminatus; Homo perfidus, & obstinatus adhuc audes temere nolle Sanctissimum Crucifixum inspicere; nisi me Dei timor retardaret, modo, hoc instanti, te pręcipitem mitterem in aliquam pręsentis viæ foueam, indignissimum Christianorum contubernio, non modo spectandi factorem omnium, Dominumque Cruci pendentem, quò circa tantus in eum irruit pauor, vt non valens amplius sæuientem aduersus eum Patris Camilli faciem sustinere, paulo post à Carpento, timidus, ceù gallinæ pullus, discessit; & pallore suffusus pedestris iter carpsit, bonum illi consilium incessit, fortè ita vexatio ei dedit aliquam intellectionem. 22

Hæreticum cõminatur Camillus, q à Carpento resilijt.

Secus egit alter Hæbræus, licèt absq; signo distinctionis, vt ante etiam memoratus, (quod ferre tenentur in pileo) iter habebat vna cum Patre Camillo Bononia Ferrariam versus, hic verò cum Patri nostro se affectione obstrinxit, ità vt tota die ipsum loquentẽ de rebus Diuinis attentè auscultauerit, & sero dum signum salutationis Angelicæ daretur, ipse quoq; signo Crucis se communiuit, ac genuflexit simul cum Patre nostro, alijsque viatoribus, siue hoc processerit ex notione veritatis, siuè ob timorem feruentis sermonis ex ore P. Camilli editi, non innotuit, certum est, si Deum non timuit, seruum Dei reueritus est, ne grauem sustineret ab eo correptionẽ ob irreuerentiam, aut contemptum Diuinorum, animo voluens quanto cum zelo cælestia pro ferret eloquia; vndè valde formidasse suspicio fuit, ne dignosceretur esse Hæbreum. 23

Hæreticus finxit se catholicus p̃ sente P. nostro.

Et quamuis cum hæreticis, alijsq; infidelibus, qui obducto perfidiæ velo, nullam veritatem suscipere contenderent, nullatenus curauit Camillus cum eis conterere tempus, illis nempe prædicando, vt menet sapiens; Ne effundas sermonem, vbi non est auditus; cum ceteris verò, qui auditum præberent, vel spes esse crederetur conuersionis ad fidem laborauit, insudauit, vt eos traheret ad catholicæ Fidei agnitionem, vndè subinfero. 24

Tempus nõ absumit cũ his Camillus qui obdurato corde veritatẽ contemnũt.

In Nosocomio Sancti Spiritus Romæ; Dum Pater Camillus magis opere, quam æxemplo prædicaret, quidam hæreticus, qui vsq; ad eam diẽ falsa Lutheri dogmata sectatus fuerat, repente suum errorem fassus detestatus est, quæsiuitq; velle Sanctæ Romanæ se subdere Ecclesiæ, ac reconciliari, huiusmodi nouitatis motiuum asseruit fuisse opera pietatis à Patre Camillo exhibita; & ardentia verba, quæ ex illius pectore prodire senserat, quapropter deposita falsitate admissus est in catholicæ Fidei gremium, ac veritatem. 25

Reconciliatur hæreticus propter verba, & opera p. Camilli in Hospitali exhibita.

In Hospitio Sanctissimæ Annunciatæ Neapolis adinuenit Camillus quemdam ægrum animam agentem; quem excitauit ab sua somnolentia, ac percontatus est, si iam Sacramenta Confessionis, & Augustissimi Viatici susce- 26

Lib. 3. c. 1.

perat

perat, qui capite annuit; Camillus vero quaſi illius infelicem ſtatum præſentiens, vicinos ægrotos ſiſcitatus eſt, vnus verò aſſeruit illum eſſe Turcam, qui ſacram Confeſſionem,& Communionem falſe ſuſceperat, ne ab Noſocomio ſcilicet excluderetur, quem tamdiu hortatus eſt Camillus, & oratione comitatus quoadusque infidelitatem deponeret,veramque Chriſti fidem admitteret: Demum ſacri Baptiſmatis lauacro renatus,& armamentis Sacramentorū Eccleſię circumuallatus poſt paucas horas vitam hanc perdidit, dulciſſima inuocans nomina IESV, & MARIAE, atque execrans maledictis nefandam Maumethi ſectam, ac legem, vnde Camillus maximo gaudio perfuſus grates Diuinæ Bonitati retulit, qui dignari ſe complacuerat,ipſo vti veluti inſtrumēto ad illam pertrahendam animam in ſui cognitionem, ac dilectionem, & qui Sacramenta contempſerat, ò clementia Saluatoris,ò magnitudo Diuini amoris, modo pie, ac legitime illa recepit.

Turca ad fidem oratione P. Cam. venit,qui antea ficte Sacramenta sũpſerat.

25 Cum aliquando Romæ Mediolanum pergeret de more ad maius Hoſpitale conceſſit,vulneratorum diuerſorium adijt, vbi duos præter reliquos viſit Anglos genere, qui lectis cohærebant, eos ſic Pater Camillus eſt allocutus (quãuis antea nec illos vidiſſet, nec ſciuiſſet) cur fratres cũ ex vna ortum ducatis natione, & familiaritate deuincti ſitis,contendiſtis, & inuicem vulneribus vos impegiſtis,totum id ſcitote Dei volitu permiſſum eſſe,vt reiecta hæreſi,in qua, vt ſues inuoluimini, & per quam ad interitum decurritis damnatorum, verum ſectemini catholicam, in qua ſalus eſt animarum,religionem, his dictis exterriti duo adoleſcentes, quomodo nempe ille ſenex Religioſus dignoſcere, eorum vitam, ac profeſſionem valuerit, quo circa arbitrantes id diuinitus illi fuiſſe reuelatum, faſſi ſunt protinus veritatē, priſtinis erroribus penitus repudiatis, velleque intra Sanctæ Romanæ Eccleſiæ gremium viuere, ac proinde reconciliati ſunt.

Lib. 3. c. 1.

Duo hęretici, opera P. Cam. deteſtãtur hæreſim amplectẽdo Catholicam veritatẽ

26 Ipſe verò Fidei articulos clare, ac euidenter, quaſi præſentes contemplabatur, & futurorum æternitatem in mente fixam adeò tenuit, non ſecus ac ante oculos adſtarent: vndè nonnumquam præ gaudio futurorum bonorum geſtiebat; interdum verò maximo mœrore afficiebatur propter ventura impijs mala, ſi qui in fide ad eum tentatus accederet; viuis argumentis, & demonſtrationibus mirabiliter ab eius corde omne ignorantię,& diabolicæ ſugeſtionis velamen ſummouebat,hæreticos vero,& epicureos, alioſq; Philoſophos priſcæ ætatis, qui ventura negabant damna,vel præmia, & immortalitatem, ſtolidas beſtias, nuncupabat, affirmans nunc miſeri pęnitentiam ſine fructu agunt,& ſuſtinent, quos negarũt cruciatus,per ſingula momenta miſeri in ignem ſempiternum deiecti experiuntur, quid eorum ſuperbia proderit, congeminando libros falſis conſperſos dogmatibus. Aliquando verò Populo ſermocinando,vt perſuaderet, defunctos inducebat loquentes, & hoc vt Dei iudicia timerent,vel ab aliquo deſiſterent flagitio, vos inquiens è foueis iam corrupta corpora ſurgite,& hanc gentem inſtruite,quam ſæuiſſima ſint peccatorum, quæ expectant tormenta, ni reſipiſcunt,& quam formidabile ſit futurum iudicium, & ſane non incongrue, vel vane verba iactauit Camillus: quando Sanctiſſimus Hieronymus,& aliæ in Eccleſia Dei firmiſſimæ columnæ ſtupidi horrebant in cogitatione inſonantis tubæ, vniuerſam ad finale iudiciũ euocantis carnē: hi beatiſſimi Patres linceos habuere oculos; & idcirco merito timuere ventura,in quibus vero tepet Fides, mirũ non eſt ſi in productione ſãctarũ operationũ algent;ſed agedũ reducamus orationē,vndè exiuit,

Futura ante mentis oculos iugiter, quaſi pręſētia tenuit.

Vocabat a ſepultura defunctos, ac inducebat loquentes.

1612.

27

Desiderio Martyrij trāsire in Hispaniam auebat

Et licet Camillus terras infidelium fidem disseminando non perlustrauerit, veluti in desiderio habere demonstrauit, etenim principio erectionis Cōgregationis in Religionē in Hispanias transire instituit, & indè penetrare vsq; ad Indias, si forte inibi pro Fide occumberet, sed impedimento fuere assiduæ infirmitates, quibus angebatur, & quasi catenis vinciebatur; totaq; Religio, quæ operata est cū superioribus, ne Roma Camillus proficisceretur, neue tāti Patris propter ammissionem mœstitiam, dānumq; sentiret, nihilominus toties testimonium dedit Fidei, quoties pericula mortis in pestilentia subijt, & inter cadauera, maligneq; febrientes ægros diù, noctuq; commoratus est: & dum inter Hospitalia moram fecit illos rudes, & idiotos pauperes rebus Fidei instruit, doctrinam Christianam edocendo per se, perque alios Patres, & in oppido Bucchlanici pluries salutatione Angelica Oratione Dominicale, & Symbulo Apostolorum, atque ceteris Fidei rudimentis per Plateas, pueros, & rusticos homines informabit; destinabat etiam alios ex suis, vt per Pagos, rura, ac villas circumadiacentes discurrerent, & huiusmodi gentem inquirerent, atque in Ecclesiam Bucchlanici traducerent, vbi Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi æterni in Virginis illibatæ vtero, & alijs scitu necessarijs dogmatibus imbuit.

28

Notabiliter erga Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ notitiam, piumque affectum excelluit, vnde ardentissimo amore, ac veneratione in eam ducebatur, quod pluries ostendit nominatim dum per Hospitale Sanctissimum Viaticum deferretur, vt ægris distribueretur, tum enim feruentissimos habuit sermones, ad excitādam illorum pauperum deuotionem, & aliquando huiusmodi protulisse verba, multi senserunt. En fratres ab huius sæculi cœno cor vestrum segregate, & mente reuoluite mox intra visc era maiestatis Dominum recepturi, qui cælum, & terram, & quæ cæli ambitu continentur verbo creauit, qui cum nihil essemus hac luce nos perfrui dignatus est, insuper vt nos a diaboli tyrannide diuelleret, cum esset substantia Patris, humanam naturam sumere complacita benignitate se inclinauit, & in diuersorio inter animantia bruta natalis sui ortum habere delegit, demum post circulum atrocissimorum tormentorum, vt esset Martyrum Caput in Crucis patibulo internicionem sæuissimam, & maxime contemptibilem passus est, post sepulturam autem surrexit, & ad sublimia scandit Cælorum, vt eo perueniendi, nobis aditus pateret, si digne, ac pie pristina detestantes delicta, de hac Diuina mensa sumetis, secus vero, quod absit, si cum consciētia peccati mortalis ad eam accedere audetis, tum ignem sempiternum inducet. Cum autem Sacerdos particulam consecratam manu ostenderet, verba illa promens, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, cò tunc Camillus genibus præcumbens ante iustitiæ solem ardens caritate, ac zelo, alta voce aiebat: en филioli, ac fratres salus vestra, ecce uestræ, en sincere diuitię, ac thesaurus, parate mentis habitaculum ad cęlestem Regem digne suscipiendum, obuiam illi ueste candida conscientiæ mundæ prodite, qui ad uos in hæc sordida loca uenire, ut reconciliaretur uobiscum non est dedignatus, quærite cum publicano humiliter præteritorum ueniam errorum, hic enim est (digito ostendens Sacratissimam Hostiam) quem toties mala uestra conuersatione grauiter peccando ad iram concitastis, modo viriliter in pręcordijs uestris figite, nusquam ad peccati uomitum redire, qui proculdubio benigniter cuncta debita uestrorum scelerum condonabit: exinde descendebat ad instructionem circa Sacramentum, ne mens fluctuet, subdens,

Quanta, ac miranda coram Sanctissimo Sacramento promit.

sed

ſed mementote, quamuis guſtus panis ſentiat ſaporem, uiſus autem panis percipiat colorem, & tactus, ſpeciem quoque panis attrectet, tamen ſub his accidentibus, ſiue panis ſpeciebus ueræ, realiter, ac ſubſtantialiter corpus, anima, ac diuinitas Chriſti adeſt editi è uiſceribus intemeratæ Virginis, qui nos per Angelos ſuos ad uniuerſale iudicium in nouiſſimo die conuocabit, & tunc ipſe finalem ſiue mortis æternæ, ſiue beatæ fruitionis, ac ſempiternæ ſententiam referet, deuotè igitur tantum Sacramentum ueneremini, & amare flete ueſtra ſcelera, mutate priſtinos, ac deprauatos mores in melius; & ſi uos ſatan tentabit, dicite, Exui tunica mea, quomodo induam illam; identidem ueſtrorum criminum ab eo expoſtulate remiſſionem, quam ſane hac pia diſpoſitione cõcedet, & qui dedit liberaliter uiuere, beatum dabit quoque miſericorditer, ſemperque; quandoquidem propter hoc in iſtud ad uos deuenit humile habitaculum, ut ſcilicet uos bearet, ſanctoſque efficeret, ad hæc uerba plures ægri flentes propria crimina Sacerdotes deſiderabant, ut ea in Sacramento pœnitentiæ expiarent. Quando uero Sanctiſſimum Viaticum de uno in alterum lectum ad infirmos ducebatur, Camillus ſic genuflexus illud ſequebatur, non deſinens eius lingua excellentiam tanti Sacramenti, & miſerationum Diuinarum inexhauſtam affluentiam, prodere, ac celebrare, in dextera tenens accenſum cereum, ſiue purificationis uaſculum: interim ſimiliter pulſari organa inſtituit, & aliquam cantionem modo muſico huic myſterio conſonantem intonari; qua uia multi etiam laici ſemotis, alijs occupationibus Noſocomium, ut ſanctisſimam Communionem aſſociarent, adhibant ualde mane deferẽtes ardentem facem, magnaque etiam conſolatione, ac deuotione afficiebantur Patrem Camillum loquentem auſcultando, qui profecto alta de ſacra Theologia ſatis deuote edidit, quamuis modicum, ſiue nullum in ſpeculatiuis ſcientijs conſumpſiſſet tempus, nihilominus adeo congruenter ſcite, cum gratia, atque efficacia dicebat, ut hic, & in alijs occaſionibus quoque nobilisſimi uiri, atque eruditi, eum uiſere auerent, ut uerba, quæ ex illius ore fluebant, tamquam lac dulce ſuſciperent.

Non minus ſcite, quam deuote Cam. loquitur.

29 Summos Pontifices ſingulari obedientia reueritus eſt, in omnibus ſe præbens obſequentiſſimus, in qualibet ſpeciatim miſſione, ſiue bellica (vt tempore felicis recordationis Clementis Papæ VIII.) ſeruiendo nempe ægris militibus in acie, ſiue ſæuiente contagio, vt Romæ ſub maximo Pontificatu Gregorij XIV. tum per ſe, ſuoſque Religioſos ardenti caritate, & ſollicitudine diutius miniſtrauit, omnibus quoque ſuis alumnis, ac totæ Congregationi eãdem promptitudinem in obtemperando ſummis, Romaniſque Pontificibus indixit. AEgris vero graui morbo oppreſſis inter proteſtationes primam fieri mandauit, illam puta fidei, obteſtando, ſe velle, ſicut vixerant, ita catholice decedere, confitendo orthodoxam fidem certiſſimam eſſe, qua nos inſtituit ſupremum Apoſtolorum faſtigium D. Petrus, & ſui ſucceſſores Romani Antiſtites tenent, ac docent, extra quod fidei Aſylum animæ ſalutem nanciſcitur nemo, huic fidei inclyti, & innumeri Martyres moriendo, immo ad Cælorum ſpatia tranſeundo proprio cruore ſe ſubſcripſere, hanc quoque viam cæterorum Electorum, Sanctorumque collectio tenuit, quæ modo fruitur in Empyrea manſione. Ipſe vero Camillus cum inſtaret ſua vltima ægritudo, impoſuit, fidei ſibi fieri proteſtationem à Sacerdote, quam ꝓpria voce faſſus eſt, eãdemque inſtituit litteris etiam exarari, & in exigua charta inſcripta in modum breuis ligari, quam in collo pendentem tenuit, tamquam nobile monile,

Summis Põtificibus obſequentiſſimus Cam. & ſui.

ſeque

1612. seque protestatus est cum ea velle vitam finire, & in sepulchro condi, itaque quemadmodum fieri iussit, non negligenter executioni traditum est, vt infe-tius clarebit; nunc liceat ad secundam Spei virtutem transitum facere, quomodo scilicet in Patre nostro floruerit.

Spei virtus in Cam. alte refulsit.

Secuuda in ordine Thelogicarum virtutum est Spes, quomodo in hac excelluerit Camillus, tot testimonia probant, quot in proprijs, & Religionis necessitatibus spem suam in Domino locans, illum fautorem præsto habuit, prout præsentis operis discursus manifestat, qui cum *Psalmista* securus canere poterat: Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me: & licet tot pœnitentiæ, & beneficentiæ opera in pauperes, & ægrotos exegisset, ita vt videretur in ipso, nõ ipsum viuere, sed Christum Dominum, veluti clamat Apostolus: Viuit vero in me Christus. attamen suarum operationum omnino oblitus, propriæ salutis fiduciam in prætiosissimo IESV Christi Sanguine prorsus reponebat, cuius infinitus valor ab ipsius corde, & ore minime recessit, at dulcissime resedit, & sub cuius vmbra Camillus felicissime quieuit. Hinc asserere consueuerat suorum benefactorum neminem reminisci oportere, nisi grauissima desperationis vrgente procella, siue necessitate aliqua, quemadmodum de Sanctissimo Abbate Hilarione legitur, qui in extremi spiritu constitutus, sic dixisse narratur; egredere quid times? egredere anima mea quid dubitas? septuaginta prope annis Christo seruisti, & mortem nunc times? Ezechias quoque dum mortis sententiam ab Isaia *Propheta* intimatam audiuit infrascripta protulit, Memento Domine quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim, &c. præter his vrgentias memorandæ nullatenus sunt bonæ anteactæ operationes, sed dumtaxat Diuinæ miserationes, sic Saluator per suum nos instituit Euangeliũ, Cum hæc omnia feceritis dicite serui inutiles sumus.

4. Reg. 20.

Quo circa cum spei summam in Domino collocasset cetera floccifecit, ac proinde quamuis desideraretur, & expeteretur eius visitatio à compluribus magni nominis viris, ipse vero in eorum domos ire, siue illorum familiaritate vti penitus recusauit, omni sæculari abrenuntians commercio, & dumtaxat in Diuinam, ac pauperum dilectionem spei suæ anchoram iniecit, vnde Camilli mens circa duplicem considerationem, veluti quoddam cælum, quod circum binos agitur polos voluebatur, vtpote in fugacitate temporalium, & æternorũ permanentia, alia vero tamquam vana aspernabatur, nihil boni, quod promittunt, elargientia, sempiterna quidẽ bona eò operosus nancisci elaborauit, quò magis merita nostra excedunt, secundum Apostolici dictum: Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hanc vt adipisceretur, semoto omni sæculi oblectamento, inter Hospitalium horrores, quasi in perpetuo, ac tenebroso carcere exulauit, & omnes in eis mœrores, ac labores facile pertulit. *Præterea* huius vitæ decursum cauponæ assimilauit, vbi sub nocte hospitamur, qua transacta ad æternitatem profecturi sumus. Sodali aliquando asseruit, inspice germane per hunc Dominum (ostendens Sanctissimi Cruci affixi simulacrum, quod inerat in sui cubiculo) noctu, & interdiu laborarem, & hæc membra continuis afflictionibus contorquerem, at discerperem, vt ei placerem, suisque pauperibus potissimum ægrotis, sed propter humanos respectus, vel fauorem, nec semel pedem dimouerẽ, quapropter te hortor, vt spreto omni sæculari contubernio, totis præcordijs Diuino famulatui, & ægrotorum commiserationi te addicas, hęc autem præ-

sentia

1612.

sentia, vt vana repudies, ac falllentia, & ità iu tuto res animæ nostræ, sicuti in æquabilissimo sinu, reponemus.

32 Deposito Generalatus onere, & quasi à pluribus molestijs, quæ secum affert, expeditus, Camillus propriæ saluti, & pauperum ægrotorum vtilitati occurrebat; hinc quidam ex suis Patribus illi nitebatur persuadere, vt aliquorum Cardinalium Palatia aliquando adiret, & Religionis studiosos Principes viseret, Eminentissimum Cardinalem Protectorem, Cardinalem Crescentium, & Montem, ac similes memorans, Summique Pontificis Nepotes; cui quasi fastidiens, ait, Pater, tempus à me ista non requirit amplius, hoc est, Camillũ in his visitattionibus implicari, Camillus enim in pedibus calcaria tenet, & Diuinam expectat visitationem, nimirum vt ante ipsius se manifestet Tribunal, & propterea prætermissis negotijs alijs spem omnem in eo locaturus est, vbi certa, & immortalia sunt bona? Romæ pariter, cum quemdam obuiam haberet Prælatum Camillo peruetusta necessitudine obstrictum, in eius occursu ait, ò Pater Camille quandiu Paternitatis vestræ præsentia, & colloquio carui? cui Dei seruus subdidit Reuerendissimè Domine, iam senectus me apprehendit, idcirco ad vlteriora me trahit intentum; designans oculis, & digito cœlestia, quibus verbis mira ædificatione captus Dominus, ac prudens ille Prælatus, non sine lacrymis præ deuotione siluit; vndè Camillum postquam strictè, & amanter complexus est, secessit, satis per id verborum compendium se eruditum sentiens, vbi nostrarum cogitationum tuta figenda sit spes.

Cuidã Prælato miro modo satisfacit.

33 His duabus alis tutissimè volauit dum vixit, nempè abiectissima sui consideratione, existimans se peccatorum omnium infimum, vndè stupore capiebatur, quare Dominus cum ipso tanta vsus fuerit clementia; qui dignus se putabat nouum, & atrociorem sibi fabricari debere pœnarum carcerem, hinc maximam Dei miserationem arbitrabatur, si illi usque ad extremum finalis iudicij diem purgatorium ignem concederet; sed cor, uice versa, ad immensam illam eleuans clementiam, quid non consequi spe se posse erexit? nam quotiens diabolica fraus suam Religionis plantam diuellere ausa est; toties ad Dominum confugiens callidum frenauit, subegitq; infernum aspidem, vel quoties à rectè factorum prosecutione ipsum præpedere conatus est, statimatque spem in Domino figens, dirutum omne infernale machinamentum expertus est; Demum in omnibus necessitatibus, ægritudinibus, animæ, corporisque, & ærumnis, ac tentamentis Summum Creatorem præsto habuit, à quo tamquam in munitissima arce, siuè pręsidio circumuallatus, perpetuò triũphauit, & sicut sperauit, ità protinus uictoriæ palmam adeptus est, iuxta Ps. versiculum, Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.

Se deprimit attamen spe se eleuat Camillus.

34 Sæpe arrepta occasione ex his, quæ visibilia sunt, sermonem de bonis intermittebat æternis, vbi spei firmamentum iaciendum docebat, pro vt Romæ contigit dum reficeret ægroti cuiusdã cubile intra Sancti Spiritus Hospitium, (in loco quam appellant Pazzariam) qui propter ægritudinem, & senectam indigebat ab alio fulciri, & sanè nullatenus se erigere quibat, hic .n. æger ait, dum adolescentiæ, & iuuentutis robur in me concaluit, vt Ceruus saltus, & passus extendebam, & in Gallia Belgica, siue Flandria, multa Miles honorifica gessi in bello facta, & pluries cum primis ad hostium muros ascendi, nominatim in obsidione vrbis Antuerpiæ, nunc verò, proh dolor, iam senex, & varijs affectus ægritudinibus iaceo immobilis, & ad omnes corporis functio-

Arguit ægrũ se iactantem multa patrasse.

1612.

nes ineptus. Camillus vero, qui toti istius discursus texturæ patienter intenderat, Frater ait, instantis morbi incommoditas minimè poscit, vt hæc reminiscaris, quæ velociter trãsiere pericula, & facta: te iactare prætermitte: etsi in iuuenta benè saltasti, in senecta modo, vnus tibi remanet dandus honoratior saltus, mortalitatis scilicet, qui adeò grandis est, & contrapositus, vt ad bonorum, vel malorum te ducat æternitatem, quapropter rebus tuis consule, & hunc rectè agere stude. Hinc multa disseruit Camillus de spe, quam in Domino locaturus erat infirmus, vt uicino se disponeret letho, atque acta in acie penitus obliteraret à corde.

35 Alias vero dum cerneret quosdam venatores aues fraude intra retia implicantes, positis in medio, & circum illa alijs volatilibus dulciter modulantibus, triticumque seminantes, hac siquidem via blandiente calliditate, ducti aues, deceptique incidebant in retia; ista post quam aliquandiu obseruasset Camillus coram quibusdam astantibus, & aucupibus talem instituit sermonẽ, ita diabolus nobiscum procedit carnis oblectamenta coram mentis obtutibus obiectat, quibus incautè homo ad æternam trahitur demersionem, at cordis oculus aperiendus est, & ad illam respirare debemus sempiternam felicitatẽ; nullatenus, carnis voluptas sensibus dum blanditur, assentiendo; vnde quemlibet secundum propriam artem ad spem supernorum gaudiorum deducere Camilli animus inhiabat.

Aucupes instituit occasionẽ ex eorum instituto captando

36 Insuper cum aliquando plusquam quadraginta villicos homines ligonibus in quadam vinea elaborantes spectauit, vt nimirum demissæ terræ quoddam vacuum opplerent, & cum aliquantisper eius sudores Camillus considerasset, in profectione eis tale reliquit documentum, carissimi fratres cœlum inspicite, ibi vero nulli adinueniuntur ligones, nec stiuę, neque defatigationis locus, nulla onera, non ęstus, aut hyems, illuc mentis oculum erigite, spemque vestrã illic reponite, quæ vobis profecto parata sunt, si desideria vestra inibi fixa manebunt, & à malo, hoc est, à sorde peccati vos interim abstinueritis, hęc cito transeunt, & momentanea sunt, illa perdurant sempiterne; propter hęc, & similia dicta, illi quamuis rustici homines humiliter grates Camillo retulere; læto corde laboriosum prosequentes opus, ob spẽ gaudiorum supernorum, ad quã ardenti oratione euexerat Camillus.

Quidã rustici homines ad spẽ æternorũ oratione P. Cam. eriguntur.

37 Consuetum habuit Camillus infrascripta verba inculcare, in vita futura, vel bonorum, seu malorum æternitas me expectat: & propterea putrida membra ęgrotorum, & ad mortem proximè decurrentia contemplabatur, cadauera quoque ante sui conspectum persępe exponebat, & non raro Cœmeteria Romę lustrabat, vt nimirum ex illa ossium, & cadauerum massa seipsum instrueret, ad volandum (vt sic loquar) per stricta perfectionis itinera, & temporalia horrendo cœlestia penetraret festinanter, iuxta Apostolicum documentum Festinemus ingredi in illam requiem, & sane Salomonis sapiẽtiam secutus est dicentis, Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.

Frequentat magis loca cadauera, quam læta

38 Romæ dum ægrotorum in Hospitio Rhedarum curam exercuit, eò Eminentissimus adijt Cardinalis Cusanus, quem humiliter postquam Camillus recepisset, eiusdemque post vestimentorum deosculationem, per loca ipsius Nosocomij duxit, per infirmorum nempe dormitoria, ostenditque cellam pęnariam, coquinam, & supellectilium officinam, demum in mortuorum corporum habitaculum peruenere, vbi circa quatuordecim aderant cadauera, ibi deposita, vt sepulturæ statis horis darentur, huic horroris spectaculo, & męstitiæ, ac

Ostẽdit cuidã *Principi* mortuorum cateruam.

plan-

plantus ſimulacro vix figere oculū valuit perampliſſimus Cardinalis, ſed cōuerſus retrorſum, inde feſtine diſceſſere, ſecum portans phantaſmata, in quibus tanquam in ſpeculo proſpiciens pulchre animam poterat decorā facere, & perpendere, quò decurrat mundi gloria. Camillus vero ex his demortuorum habitaculis optime viuere addiſcebat, & momentanea ſpernere, æternaque ſperare, & ad illam aſpirare, vnde tamquam in paleſtra ſe exercens, ſatis inſtructus aduerſus ſpirituales hoſtes luctabatur.

Et licet in Diuina Bonitate ſummam ſpem collocaſſet, nihilominus cum timore, ac tremore, vt Apoſtolus inſinuat animæ ſuæ ſalutem operatus eſt; vnde cum aliquando valde mœſte procederet, ac mœrens, requiſitus, ita ſatisfecit; quis cogitando funeſtum mortis gladium ridebit, ſi huic (ſubdidit) conſiderationi intenderet mortalis, terrifico quateretur rigore, nec vſquā loqueretur, ſed ſpe ad ſuperna protenderet; quocirca Camillus ſtrictiori vinculo, ſilentij nempe cenſuræ, ceteriſque regulæ obſeruationibus ſe addixit aliquot videlicet annis priuſquam è terra migraret, quo tempore prorſus ſecluſis omnibus temporalibus fundauit anchoram in ſpe Diuinorum, ad quæ totis viſceribus hiauit, cui ſane congruit ſententia; Conuerſatio noſtra in Cœlis eſt.

Lethi excogitatio mœſtum reddit Camillum.

Supereſt de Camilli erga Dominum caritate pauca recenſere, quæ inter reliquas tam morales, quam Cardinales, quā etiam Theologicas virtutes ſuprema ponitur, ut aperte fatetur Apoſtolus, Spes, Fides, Caritas, horum autem maior eſt Caritas, iſta ſiquidem Diuinæ dilectionis flamma in Camilli pectore iugiter arſit, ſicut in altari ſuo præcipiebat Dominus indeſinenter ignem cremare; Ignis, aiunt ſacri Textus, in altari meo ſemper ardebit. Ex quo Camillus Diuino famulatui ſe mācipauit, enixe ſtuduit hunc ignem, nēpe cęleſtis dilectionis in corde ſuo iugiter vrere, ne quidem extingueretur, ſed ſenſim adaugeretur, indefeſſus in orationibus præſtitit, in pœnitentijs rigidus, in ſeruiendo pauperibus potiſſimum ægrotis, non quaſi homo mortalis, & infirmo corpore extitit, ſed ferreus, ſed adamantinus: in depellendo item peccati morbo adeo acerrime pugnauit, vt nuſquam in acie, dum militiam exercuit, ita ſe in hoſtem inuexit; culpam ſiquidem, quantalibet foret, à ſe excluſit, ne amoris Diuini rogus flagrans in ſuo corde, extingueretur, ſiue aliquando tepeſceret; quo circa auebat in immenſum eius præcordia dilatari; vt extenſius, intenſiuſque Deum diligeret, centum in ſe cupiuiſſet adeſſe corda, vt tanto amplius ſummum bonum amando poſſideret: affirmabat interdum, nullam eſſe temeritatis notam, velle etiam Angelicos ſpiritus diligendo Deum ſuperare. Et quamuis in amore patriæ, vtpote, natorum, parentum, familiarium, etiam ſuimet ipſius adhibendus ſit modus, extra quem, iuxta quippe rationis regulas non eſt diſcedendum; nullus tamen deſignandus eſt modus in Cęleſtis ſponſi dilectione, in affectione inquam creaturarum poteſt mens excedere peccādo, in Dei autem amore nunquam datur nimium, ſiue inordinatus exceſſus, ſed quo plus Deum diligimus, eo magis, magiſque perficitur mens, & maioris fit dignior gratia, & gloria.

Excelluit Cam. in Dei pximique dilectione.

41 Vnde ipſius anima tanquam ſponſa excelſi, ac prædilecti ſponſi, non valens mentis oſculis per viſionē in cælo frui, per concionatores audire ſaltem verba Camillus feſtinauit, vt legitur in Diuino Canticorum Epitalamio, Amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam; hinc oratoria, ac templa frequentabat, vt ſacras auſcultaret conciones, infimum inter infimam plebem deligens locum, & licet vocaretur perſæpe ab alijs Religioſis, ac Dominis, ſuique ſtudio-

Crebro concionatores auſcultat.

ſis,

1612.

sis, vt secum nimirum associaretur, commodiusque assideret,ipse vero modeste renuebat,gaudens inter pauperes commorari, quos nimium dilexit, & veluti ex ipsis vnus reputari maluit, noscens inter cineris operimẽta tutius ignẽ conseruari, hoc est cælestis flammæ scintillã humilitatis tegumento defendi, ibique maius capere crementũ, ac vim,illinc certo Camillus Diuini colloquij pabulo satis refectus,& in amore supernorum,amplius incalescens proficiscebatur ad opera pietatis.

42

Et quemadmodum ipse libentissime Dei verbum auscultabat,ita omnes sui esse propositi auebat,si vero in hoc populus frigesceret, vehemẽter studebat, ipsum ad concionem auscultandam traducere, & modum peruestigabat,illum non secus ac pueros pomo trahere . Cum semel Bucchlanici in Ecclesia sermocinaretur, intellexit multos non auditum iuisse sermonem, sed in platea confabulando otiose considere, Camillus autem eò perrexit,& in loco sublimi stans omnes ad se conuocauit, cępitque sui discursus exordium texere hoc procemio,vos ad Ecclesiam propter audiẽda vestræ salutis verba conuenire fastidium reputatis, quo circa cogor, quia in Domino vos vehementer amo,huc properare, & in media platea more iaculatorum sermonem facere, hinc prosequens satis alte, & cum spiritus vehementia complura dixit aduersus peccati turpitudinem,illud detestando;in calce vero sui discursus,ut efficacius in eorum corda ipsius inhærerent uerba, ac beneuolentius post hac audirent, ita ait, quemadmodũ quicumque scandunt in hæc loca iocandi causa, post illorum facetias, aliquid;uendunt, ego autem ita pariter hodie efficere contendo, non enim, ut à uobis pecuniam extorqueam, aliquid tradam, at uero spiritualis emolumenti donum impertiam, & statim iniecta manu in marsupium quasdam abstraxit medalias benedictas, quas singulis diuisit una cum indulgentiis, typo expressis,eò quoniam multi legere ignorabant, siue forte frigide non curabãt thesaurum indulgẽtiarum lucrari, propterea aliquas affixit indulgentias in fronte parietũ eiusdemmet fori, ubi à cunctis legi, atq; à legentibus audiri quiuerunt,& demum,ut omnibus prodesset,exoptabat uocem, & pectus habere Doctoris gentium Diui Pauli.

Quo desiderio,& industria alios ad concionem traxit.

43

Tanto ardore flagrabat erga Diuinissimum Altaris Sacramentum, vt quam sæpissime ante ipsum oraret, itaque vicissim post labores exhibitos erga pauperes ægrotos, statim recurrebat ad orationem coram Tabernaculum Augustissimæ Eucharistiæ, & lapsus ab oratione tanquã saginatus, & roboratus rursus in opere caritatis se ardentius implicabat.Quolibet mane facta culparum per Sacramentum pœnitentiæ expiatione sacrum faciebat, & nusquam ab eo destitit,nisi graui præpediẽte necessitate,ut alias significaui, & ne illud unquã prætermitteret, itinerando consueuit secum aliqua sacerdotalia, & munda paramenta ducere, quibus interdum in uillis Ecclesiæ,uel carent,uel difficulter præsto sunt, id Camillus egit, ne illo cælesti potu,& esca priuaretur.

Quo amore erga Augustissimũ Sacramentum traheretur.

44

Intra decursum huius anni Mutius Cauallus unus ex Nobilibus,qui deguit in ministerio Serenissimi Ducis Mantuæ, ardente febri arreptus iacebat in lecto, de cuius salute nimiũ formidabant cuncti, Pater Camillus per id tẽpus illinc transiuit, unde instanter rogatus illum uisit, postquam autem ægrum consolatus est, ab astantibus exoratus, quid de illius ualetudine sentiret, ut enuntiaret,tunc submissa ceruice,cum parumper orasset,mox erecto capite, hilariq, vultu,& uoce,ne sitis anxij,ait, quandoquidem cito conualescet,quod paulo post cum omnium stupore occurrit; unde infra dies paucos à morbo

Lib. 3. c. 26. in fine. Quidã oratione P. Camilli salutẽ nanciscitur

om-

omnino confirmatus ſurrexit vadens per plateas. ſed ad futura tempora tempus requirit, ut conuertatur auditus, ſed prius pauca de Fratre Ioanne proponenda.

De vita Fr. Ioannis Baudinghi.

45 IOannes Baudinghus patria Hybernenſis religione tamen catholicus, Romano Pontifici perpetuo obſequens, quemadmodum eius parentes ſemper profeſſi ſunt, ſeruantes fidei candorem inter hæreticorum violenta iacucula; hi quaſi margaritam ex pura concha dederunt, hoc eſt Ioannem, qui, ut perfectus Chriſti aſſecla, omnem ætatem in Sacramentorũ frequenti ſumptione duxit, deuitando, ut uenena hæreticorum colloquia, catholicis autem ſemper adhæſit; cum ad annum trigeſimum aſcendiſſet, maioris deſiderio ductus perfectionis, & meriti, Diui Iacobi Apoſtoli in Compoſtellam ſumpſit peregrinationem, multa ſiquidem paſſus incommoda per equora, multum quoque iactatus inceſſit per tellurem, oppida, deſerta, Vrbes, monteſq; peruadens, quandoq; nudis pedibus; ſolis etiam ardores, imbrium impetum ſubdiu multotiens tranſegit; erat itidem, quod arduum eſt uiatoribus nummorum inanis, poſt Sacratiſſimi corporis Apoſtoli uenerationem Britanniam rurſum petiuit, Londrinumque ſe contulit, ibi Perilluſtri uiro, ut famularetur, ſe addixit, & quamuis ceteri illius Domini famuli, atque aulici, hæreſis labe eſſent commaculati, ipſe uero in fidei dogmatibus orthodoxæ illibatus iugiter perſeuerauit, nec ſe contaminari permiſit. Aliquando in templum intrarunt hæreticorum, audiebant autem alij concionantem hæreticum uana, ac falſa iactantem uerba, & lepido, ſed fucato ſermone audientium auribus blandientem, ut mos eſt, eorũ in cor dulci ſermone uenena aſpergere, quo circa excitatus eſt cõis applauſus, ſed Ioannes eius mellita uerba tamquam uirulenta nihil omnino duxit, ut una cum reliquis plauſum ederet; quin immo uirili corde contra prædicantem ſe conuertit, extenſo brachio pugno illum minitans, indicanſque ſe uelle percutere concionantem, ac minacibus oculis, nutuque ipſum à concione exturbare conabatur, quam contumeliam hæretici propter heri auctoritatem ſuſtulere; ibi quidem inter ora ſerpentum diutius Ioannis conſcientia non ſuſtinuit commorari, eius enim conuerſatio ex diametro ipſorum perfidiæ opponebatur, extra itaque Ciuitatem perquirens alium, ſed catholicum Dominum, progreſſus eſt, quem profecto adinuenit, ſeruiens cuidam timoratæ conſcientiæ *Præſuli*: cum autem aliquando Ioannes catholicos ſui heri geſtaret codices, captus eſt à ſatellitibus magno impetu, quaſi fur, uel homicida, & forte immanius, ductuſque in carceres, grauiter extortus eſt, ut tormentorum ui, librorum ſacrorum panderet miſſionis auctorem, & quò illos deferret, ſed nec minæ, nec uiolenta pœnarum atrocitas extitere, ut Ioannes aliquid fidei, ſiue perſonę alicui detraheret, & quamuis pene miraculoſe euaſerit à ſæuis hæreticorum roſtris, tamen tormentum ignis in pedibus paſſus eſt, unde digiti utriuſque pedis ei combuſti manſere, & propterea coactus eſt totius per ætatis ſuę decurſũ difficulter, & quaſi uacillans incedere, quam maculam iu propria uita gaudenter portauit, ob cauſam, propter quam illa fuerat illata: in aliud quoque incurrit diſcrimen non inferioris timoris, nam præſul ipſius Dominus ob Catholicæ fidei profeſſionem detruſus eſt atros in carceres, & in arctam cuſtodiam, cum quo ſe Ioannes aſſociauerat, eamdem optans

1612. propter fidei confessionẽ aduersã sustinere fortẽ,& mortẽ, si foret opus, oppetere; sed Deus ille summę Bonitatis, qui seruum suum primitus custodierat, hac etiam secunda vice ab hæreticorũ tyrannide exemit, vnde Dñi sui sedatis rebus, ambo è custodia carcerum educti grauibus nõ absq; molestijs euasere.

46 Cum ferme ad decimum deniq; sui æui peruenisset lustrum, serpentinos hæreticorum horrens sibilos, venit Romam, vbi à P. Fundatore receptus est in Congregationem, ea tẽpestate, qua nostri in Officinis Obscuris incolebãt anno 1585. x. Kal. Iun. migrauit etiam cum reliquis in Sanctæ Mariæ Magdalenæ ædem, primamque ibi cum cæteris emisit professionem, vbi sexto loco eius nomen locatum est, talis in Religione euasit, qualis pro fidei catholicæ tutamine antea se exibuerat, erga pauperes ægros pater potius, quam minister se præstitit, seruiendo,& eos consolando, quinimmo vtrumque exhibuit, fuit enim constitutionum,& regularum obseruatissimus,& patientia clarus, æquanimiter omnes ferendo labores, qui temporibus orientis Cõgregationis graues se se obuiarunt, ingentesque profecto, & assidui: ex illius ore vaniloquia, & otiosa verba volũtarie prorsus nõ exiere, præter Religionis consuetum bis in hebdomada Diuinissimum Christi Corpus communicauit, nimium Diuino amore, & huius Diuinissimæ escæ flagrauit desiderio, nec vnquam se ab altari segregare voluisset, si illi quidem licuisset, & ab alijs obedientiæ muniis non esset præpeditus, mane quot poterat inseruiebat Sacerdotibus Missas celebrando, quando vero ab alio ministro præueniebatur in hoc munere, ipse rubore suffundebatur, quasi illi meritum famulandi in Missa abstulisset, centum optasset manus, in tam admirabili Sacrificio ministrando, & corda in diligendo.

47 Interdum Pater Fundator interdiu Ioannem sibi socium assumpsit, ibantq; simul cum peris panem ostiatim petendo. Ioannes vero fuit statura corporis breui, membrisque tenuis,& præsertim in pedibus (vt dictum est) defectiuus, attamen, neque propter pondus, neq; propter itineris difficultatem in sequendo Patrem Camillum procerem virium, amploq; passu, vnquam retrocessit ab obedientia, sed libenter, hilariterque perdiu hoc munus, cum alijs quoque socijs obiuit.

48 Memorabilis fuit, & memoratu digna præfati Ioannis pietas, quam in Hospitio ægris famulando exercuit, nam plerumque gigantes (vt sic fatear) ipse quasi pigmeus super vlnas ægrotos ex vno in alterum lectum ducebat, vt à sordibus mundarentur, & proculdubio ei Diuinus amor, & proximos adiuuãdi ardor suppeditauit robur, pendebat enim non ipsum, quẽ vehebat infirmũ, sed illum, qui proprio, diuinoque sermone dixit, Infirmus fuit, & visitastis me: & quamuis humanus, ac beneuolus cum proximis se communicaret, duriter tamen sua membra tractauit, assiduis ictibus, ac disciplinis flagellans, quibusdam in eis connexis aculeis, seu ferreis rosis, postquam vero migrauit è vita, multo sanguine visæ sunt concretæ, quia viuens, vt potuit virtute, humilitatisue velo obduxit, in oratione assiduus, nec ab ea vacuus discessit, sed iugiter optimo desiderio, quasi phęnix renouãdi se,& semper incipiendi in Dei famulatu, & pauperum ministerio effulsit, lapsus ab oratione, ac meditatione Psalmos decantabat, & ita inimicissimus otij militauit in Religione, cum autem maturus æuo ad annum septuagesimum septimum deuolasset, & viginti tres valde laudabiliter consumpsisset in Congregatione: denique sęuis doloribus, & intestinis impetitus, quos rara sustulit sufferentia decessit; dum

enim

1613.

enim animum afflaret ore, & oculis in Cruci affixi Domini latus intendisse dicitur, & has mussitando protulisse voces, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, inter hæc verba admodum pie, ac deuote, Sacramentorũ armatura validus, communi deuicto hoste, prout arbitramur, mortuus triũphauit iij. Non. Sept. 1612. Templi Diuæ Mariæ Magdalenæ Romæ latuit in sepulchro.

49 Alexander de Lellis nepos P. nostri Camilli inter hęc tẽpora labentis anni domo paterna excesserat, nec quo iuisset notum esse poterat, vnde Pater Camillus nouercam sæpius interrogauit, si fuisset regressus, & intelligens adhuc extra Domum diuagari, ait, grauem febrim dum regrederetur eum apprehensurum, quod ineuitabiliter sortitum est; & cum à morbo crudeliter iactaretur, adeo vt de ipsius vita titubarent omnes, & ipse fluctuaret in lecto, præfata mulier seruum Dei Camillum obsecrauit, vt pro salute nepotis à Domino auxilia imploraret, quod efficiens conualiturum respondit; attamen ni ad meliorem transibit frugem, deteriora sunt, quæ illi superuentura instant, vnde postmodum excluso morbo, pristinas, integrasque adeptus est vires: quare palam pronuntiarunt, nedum Patrem Camillum prædixisse morbum, verum suis interuentionibus illum expulisse à nepote.

Lib. 3. c. 24.

Annus Domini 1613. & Religionis 23. Nouus Generalis promouetur. De Patris Camilli suprema ægritudine, & quomodo arcana dignouerit, atque mirabilia circa Nouitios prædixerit: hæc omnia subsequens pandet narrationis series.

1 EXACTO quinquennio deposuit Generalatum Pater Blasius Opertus, sponte sua cedens vnico muneris sui anno propter causas, quæ stant nuper allegatæ; hinc properante semestri post Generalium Comitiorum denũciationem peruentum fuit in Vrbe Romæ, de more, ad noui Præfecti Generalis delectionem, vbi aliqualis interfuit opinionum discrepantia, in deligenda aptiori persona ad hoc onus, primum, ac præcipuum in Religione, & cum hinc inde alioqui digni probata virtute, & experientia Religiosi concurrerent, vnus tamen neutiquam ex competitoribus litem diremit P. Franciscus Antonius Niglius Neapolitanus, tum Romæ illorum domuum Prouincialis, qui electus est maiori concurrente suffragiorum numero Generalis Kal. Aprilis 1613. ipse autem, vt sui muneris penso faceret satis, Religionem decreuit, mox perlustrando, visere, propter quod optimum factu iudicauit, sibi socium Patrem Camillum vendicare, qui etiam si acriter consuetis infirmitatum vexationibus tractaretur, flecti permisit, vt vna cum Admodũ R. P. Generali, ac P. Vincentio Antonio Gimei, & Fratre Candeloro Balza-

1613.

no Neapolitanis, atque Consultoribus, ad visendas Cisalpinæ Galliæ domos proficisceretur;non absq; Dei siquidem volitu præsens arripui ,iter Camillus hac vice , vt nimirum in Domino sibi deuinctis filijs , impenderet suam benedictionem , & ab eis vltimis dissociaretur amplexibus . Concessere primitus in Sanctissimam Aedem Lauretanam , hic celebratis Deo summo Patri sacrificijs incruentis super Altare,& Immaculatæ Virgini fusis præcibus, ac Religionis negotijs commendatis, discessere, Camillus vero,quia se morti vicinus tuebatur , suam insuper feruenti supplicatione Beatissimæ Virgini animam obtulit,vt in eo formidabili mortis agone suis gloriosissimis interuentionibus salutem animæ nancisceretur ; inde Bononiam, Ferrariam , Mantuam, Mediolanum appulere,vbi Domos nostras visitando, multas ad bonum Congregationis regimen ordinationes statuere; sed mirum quidem, dignūq; erat cernere, dum Patrem Fundatorem sui complexarentur Religiosi, ipseq; benedictionis eos participes efficeret, asserebat enim haud illum amplius se visuros; ad hæc verba non modicæ fluebant lacrymæ, prout legitur de Beatissimo Apostolo Ephesso proficiscente, eaque verba promente, Non amplius faciem ipsius esse conspecturos,tum magnus exortus est fletus,ducentes eum ad Nauim &c. ita sui in Domino filij, ac Religiosi similia à P. Camillo audientes verba, facto vehementi ploratu, & super collum eius procumbentes ipsum corde mœrētes secuti sunt quocumque iret, memores huius lamentabilis, vltimique sermonis. Demum Mediolano, se Genuam contulere : Inde Pater Reuerendissimus Generalis vna , & sui Consultores perfecta prius visitatione Romam transiere ; Pater vero Camillus viribus debilitatus , & nouis incessentibus doloribus,ac morbi accidētibus ibi mansit æger in lecto; non satis fuit,vt conualesceret per aliquot dies Genuæ quiescere,& tibiæ negare laborem, sed morbus interius grassatus est , & truculentius eum vexauit, quare à multis ea in Vrbe ēt primatibus non tantum visus,verum familiariter, ac deuotè auxilia,ac ministeria fuere exhibita , hæc sane Ciuitas eo quod nostrorum,& pauperum potissimum languentium nimium studiosa se præstat, à Patre nostro non mediocriter diligebatur; quando vero casus periculiq; ęgritudinis serui Dei Camilli propalatus est , multi gaudebant sperantes secum illius habere venerabile corpus suę Ciuitatis patronum , ac proinde compluribus se cumulandos bonis illius depositi adeptione auspicabantur , nostri vero mœrebant , auentes illum Romæ quiescere , vbi Religionis primitus initia dederat , & tot Olympiades laborando in pauperum beneficentia , & Domino fideliter famulando, consumpserat,vbi quoque innumerę Sanctorum coronæ, palmęque refulgent , quapropter ardentes ad cœlum pręmittebāt preces, ipse itidem Camillus rogatus a viris patritia dignitate,vt ne inde egrederetur, sed vellet secum incolere, respondit,Romam iturus sum,ibi Domini esse arbitror voluntatem,vt fungar: at serui sui precibus infinita clementia annuit , exaudiuitque, vnde aliquanto validior factus de profectione machinatus est.

Rogatus vbi sistere vellet Romā oppetiturū dicit.

Eò quoniam vires adhuc imbecilles minime suppeditabant robur,vt terrestre faceret iter,per mare vsque ad Veterem Ciuitatem adnauigare decreuit; quapropter agnita serui Dei voluntate, necessitateque,decens, & honorata pręse obtulit occasio;etenim Dominus Dux Tursi Carolus Doria illico commisit,Patri Camillo,ob deuotionem qua erga illum afficiebatur,vnam ex validioribus aptari triremē, quam suo disposuit famulatui, Ducique triremis Pa-

Genua supra triremē appulit Ciuitatem Veterem,

tris

2

1613.

tris Camilli personam, veluti propriam commendauit; in ea quidem apposuit necessarium rerum, & Ministrorum apparatum, vt coqui, ciborum, & vini, exquisitam, & affluentem copiam, vt Principis magnificentia postulat, aliosq; famulos, qui Patris personæ incumberent, ne molestia in ea afficeretur nauigatione; quandoquidem nedum ipsum dimiserat omninò morbus: sicut faciẽdum magnanimitas, & tanti Ducis pietas iussit, ita quoque famulorum designata multitudo executa omninò est attentis oculis. Congruum autem erat, vt viro misericordiæ Camillo à Domino, & hominibus misericordia rependeretur abundanter, si homo, per quæ peccauerit punietur, per quæ egerit bona per eadem, & decorabitur, quando enim laxandæ erant triremi habenæ, ipse generosus Princeps Camillo ait, tuis orationibus hanc committo triremem; & sanè optimo Nauclero relicta est ire per vndas; etenim quamuis noctu non maria tranarent; nihilominus citra triduum (quod à multis cum admiratione obseruatum est) Veteris Ciuitatis ad portum appulere, iugiter assecundante, ac refrigerante aura, lignumq; impellente, pari securitate, eadem fere temporis distantia, ac prosperitate, vnde digressi fuerant, retorto cursu Genuam se recepere: ex qua amica fortuna multum gaudij sensit Excellentissimus Dux Doria Patris Camilli precibus adscribens, & quasi miraculum eam accelerationem, adeò felicem deputans. Nostri verò cognito sui Patris aduentu Romam, lecticam destinarunt, vt eorum Pater, ac *Præceptor*, qui admodum à morbo affictabatur minori, quo possent detrimento in Vrbem reduceretur; in Sancta ergò Seuera decẽ circiter millia passuum ab vrbe præfata absente, ibi subijt Camillus in lecticam; eo enim vsque difficillimè equitauerat, cum demum *Romam* peruenisset, notabili exceptus est gaudio à suis Patribus, aduocato igitur à Camillo domi superiore; illico, quæ Genua attulerat exhibuit, ac tribuit; sic rebus omnibus etiamsi minutissimis denudatus in lecto æger decubuit, edens Ps. vers. hæc est requies mea, iam protegente Diuina gratia huc redij, vt in Vrbe sancta, & huius domus in vrna hæc ossa sepulcentur; eius aduentus hac suprema vice notatur III. Id. Octob. 1613. vnde sicut non illinc discessit amplius, ita neque omninò conualuisse fertur vt se adeò ardenter, & operosè sicut antea in suis sanctæ caritatis defatigationibus implicare quiuisset.

Quo ministrorũ, ac rerũ apparatu P. nostrũ sũt obsecuti.

Lib. 2. c. 18.

Romã adijt, ac decumbit in lecto Camillus.

Nouissima eius ægritudo.

3 Admodum Reuerendus Pater Generalis iam reliquerat Genua nostrum Patrem Camillum acriter morbo captum, & Romam appetijt, indeq; dudum Neapolim vna cum eisdem Consultoribus profectus est, vt visitatione in Insubria absoluta, eam Partenope prosequeretur, & illinc in Siciliam transiret, prout exegit, in eunte æstate Messanam adijt, vbi aliquanto amplius consueto demoratus est; inde incalescente tempore æstiuo ad visendam Caltagironensem domum properauit; quapropter nimium sæuiente Sole Pannormum versus se direxere, vbi propter ærumnas, itinera, & vehementiam æstatis, omnes, ardentissimè febrientes locati iacuere in lectis, vtpote A.R. *P.* Generalis, Pater Vincentius Antonius Gimei, & F. Candelorus Balsanus, hi duo post suscepta Sacramenta vitam clauserunt, Pater verò Generalis auxiliante natura infestos, humores per secessum expurgauit repentino, ac salubri superincidente ex aluo fluxu, at vbi primum se parumper melioratum intellexit, Neapolim regressus est, hinc Romam peruasit, nouosque ibi substituit, iuxta Pontificia rescripta, & Religionis decreta, Consultores.

P. Generalis visit binas prouincias.

Bini Cõsultores Panormi decũbũt.

4 Hoc anno designatus est Pater Cæsar de Simonio à Reuerenda Consulta,

1613.

Sinuessæ domus astruitur.

& Reuerendissimo Patre Generali, vt Domum Sinuessæ in Campania erigeret. Occasio huius fundationis ita se præstitit, quidam illius Vrbis sanguine,& diuitijs clarus adolescens, vocabulo Marius Ricca Neapoli morabatur, tum Metaphysicis disciplinis operam nauans, hic æstiuo ardente Sole ægrotauit, quare prædominante morbo ad se nostros acciri voluit, ad quem Admodum Pater Prouincialis, qui tum præerat Pater Augustinus Grossi Neapolitanus perrexit, & condito testamento, nostros in integrum circa stabilia, quæ possederat, hæredes constituit, ascendentia tunc temporis ad octo, vel decem aureorum millia, vt Collegium inibi nostri fundarent, ipse vero postmodum ab eadem sęuitia febris peremptus est,assiduo eius animam comitantes nostri Religiosi præsertim dictus Reu. Pater Prouincialis,in cuius manibus diem obijt; itaque eò Roma veniens, se contulit præfatus Pater Cæsar: prius quam enim proficisceretur Patris nostri Camilli manus humiliter deoscu latus est,quem hilariter ire suasit, quandoquidem propediem Caietæ Conuentum se quoq; fundatum accersiri,vt factum paulo post confirmauit,veluti suis in locis palam innotescet. Sinuessam itaque memoratus Pater appellens,quindecim dierum interuallo in Conuentu Sancti Francisci de Obseruantia benigniter hospes receptus est, inde in publicam plateam transiuit domum conducens, formansque ex quibusdam Officinis paruam Ecclesiam, vbi aliquot mensibus celebrauit,inibi enim circiter anni cum dimidio decursum incoluit, indeque emptis duabus prope nobilium sessionem, domibus, constituit perpetuam Religionis eo in loco habitationem,vniens,& componens eas ad instar Cœnobij, consistente in medio illiusparuo atrio, ex quo noua modo constructa est Ecclesia,atque occasum versus pomarium adiacet, ex introitu vnius ædis primitus Ecclesiam efformauit, aliquantum angustam, quæ hodie in ampliorem locum translata est,nimirum,in dextrum earũdem ædium latus, & hic aptior, latiorque redacta, vt prætuli: in subsidium autem primæ emptionis domorum vrbis vniuersitas nostris opitulata est cẽtum aureorum summa, additis alijs quoque in posterum pollicitationibus; hanc ædem decenter restaurandam, & idoneam efformandam, ad recipiendos Religiosos Pater Generalis, & Consultores iuxta testatoris mentem in Collegium designarũt, neutiquam valentes professorum domus aliquo modò viuere ex redditibus, sed quidem ex emendicata stipe,vt in perpetuum ægrotorum, in Dei summi, & proximorum famulatu interdiu, & noctu expeditius vigilarent, curaque promptiori intenderent.

P. Niglius assiduus in visendis Re

Interim non obstante periculosissima valetudine habita Panormi, de qua conualuit A. R. P. Franciscus Antonius Niglius Generalis assiduo circumlustrabat Religionem,nunc vnam,nunc alteram visens Domum,modo in vnam, modo vero in aliam transiliens prouinciam, nunc mare tranans, nunc autem per terras iter agens, in quo indefessus apparũit, ita vt de illo quodammodo dictum quadret in calcaneis calcaria semper duxisse, vix in vna Religionis sedens domo, cogitabat in aliam expeditissime transire, & quamuis optimum sit recognoscere sæpius oues suas,domus vero Religionis iam pauperes onere expensarum grauantur,ipse vero quamuis ętate, & corporis mole grauis esset, nequaquam tamen destitit, quominus hunc viuendi modum iugiter teneret, nec periculis, neue laboribus succumbens, hanc vitæ rationem vsque eo sustinuit, donec sui muneris sexennium clauserit. Nunc vero quoad genus, & tempora visendi Religionis Domos,& Prouincias per Superiores quoslibet in

5

Comi-

1613.

Comitijs Generalibus partita, designata, atque adeo ad certum moderamen redacta sunt.

6 Non sane reticendum, quod patri Ioanni Baptistæ Contronibus professo, ac Sacerdoti ex nostris Romæ contigit. Sub intempesta nocte vocati sunt nostri ad ægrum in Regione Leonina, siue vulgato nomine, vt dicitur, in Suburbio Diui Angeli, priusquam enim peruaderent pontem, quasi à quodam occulta vi ferebantur ad aliam visitandam ægram, quam non admodum grauescentem diebus aliquot elapsis reliquerant, itaque licet vlterius processissent, retro tamen verterunt gradum, & ad eius domum properarunt, quæ licet vim, & latentis febris venena non ostenderet; attamen in extremis laborabat, quapropter extemplo Diuinissimum deferri Viaticum, & dari Extremam Vnctionem operati sunt, itaque his spiritualibus Sacramentorum munita præsidijs, spiritum perdeuote reddidit Creatori, assistentibus, & eius animæ in transitu opitulantibus præmemoratis Patribus; sed subsequens mirabilius censetur, gestabat enim in vtero fœtum iam matura partus mulier, & cum eniti nequiuisset, eius virum persuaserunt patres Chyrurgum accersere, saltem ad tutandam prolem, quo propere accedente, apertaque ferramentis demortuæ fœminæ vulua, viua proles extracta est, & minime temporis exiguitate permittente, conuocari scilicet Parochum, ipsemet Pater Ioannes Baptista sacri baptismatis lauacro infantem abstersit, qui sub to migrauit ad cœlum; quando enim ceteri mortales graui sopore opprimuntur maiori noctis sub silentio, ipsi Patres peruigiles vna in domo parentem à terris infestissimi hostis faucibus retraxere, vt credere, satis pium est, maximè quia diu mulier nequaquam fuerat confessa, itidemque fœtum nimio beneficio sunt prosecuti, illum aqua baptismali lustrando, quo circa breui manu, breuique temporis tractu duæ victimæ, agnus, & ouis Deo sunt oblatæ, ex occasione alio transeundi, alijsq; egenis subinferendi auxilium, quandoque profecto præter intentum multa, & maiora bona perficiuntur, quam ea, quæ intendimus animo, sic immensa disponente Bonitate, qui vult omnes ad se fluere, nullumque hominum perire; sed aliud, quod eidem occurrit Patri subnectam exemplum.

Ex occasione duobus occurritur moribundis

7 Puella quædam virgo Cecilia nomine, diu ethicæ febri succubuerat Romę in via (sic appellant) Coronarorum, commendabilis siquidem vitæ suæ tempus protraxerat, Sacramenta frequentans, pijsque operibus, ac pœnitentijs, atque orationibus intendens, denique cum mortis eius instaret hora, præfatus P. Ioannes Baptista Contronibus Neapolitanus erat assistens, ipsam in eo ancipiti mortis certamine aduersus principes, & potestates, vt ait Apostolus, Aduersus rectores tenebrarum harum, erat inquam confortans, roboransque in Domino, & in eius plagarum cauernas introducere studens, quam inexpectato ac repente sensit, veluti cum sibi hoste acriter disputantem, postmodum vero vehementi pauore conterrita destitit à colloquio; animosiorem factam Pater præsens, qui assidebat, puellam interrogauit lepido sermone, quid noui illi obtigisset, quidue ea insueta, & irascentis verba indicassent, illa tamen subintulit, attendat Paternitas tua, ego quæ sincera, & quieta mente iacebã mei Redemptoris mysteria contemplans, & Reuerentiæ tuæ salubria auscultans monita, subito pauore conterrita, & pene totis membris gelida teterrimam bestiam his luminibus inspexi, me exprobrantem, ac ineuntis ætatis delicta ostentantem, & iactabundus effutiebat de illis me non esse confessam, neque satis contritam, quibus ego dictis, heu terrore perculsa, ac trepidans,

Puella ab se depulit tegtatorem.

quid

1613. quid responderem excogitabam, sed ignorabam, verum ad Dominum certũ profugium confugi, eius opem implorans, itaque funestum anguem, sic demum sum allocuta, iã in latus Saluatoris mei sum ingressa, si audacissimus inde me extrahere vales detrahe, ibi quidem mihi nidum fabricaui, quibus verbis callidus serpens grandis signa displicentiæ dans, velocius vento secum portans suum fœtorem, abscessit, hac sagaci, & sancta puellæ responsione gauisus est Pater; vnde è corde illius abstulit funditus omnem mœrorem, & in Domino lætari hortata est, in cuius nomine fugauerat Tartareum hostem, & in eius se immerserat Sacratissimi Lateris cauernam, ipsa vero perexiguum infra tempus feliciter, ac ridens, vt ostendit, expirauit, eisdem præsentibus, & orationibus insistentibus nostris Religiosis. Animo attende dęmonem obiecisse, puellam non esse bene confessam, siue contritam: puella vero ad hoc minime disputando fecit satis, sed pro responsione confidentiam in Vulneribus Christi Saluatoris apposuit; quia non est altercandum cum diabolo, sed vt canis potissimum in eo articulo latrare desinendus est, quoniam non nisi volentem, tepidumque mordet.

Lib. 3. c. 26. in calce.

8 Dum Mediolano Pater Camillus in hac extrema sui accessus ad Religionis domos, transiret, acerbissima febre capta iacebat Margarita coniux Domini Galeazzi Pellegrini, & iam matura partus in vtero prolem gestabat, quam edere nequibat, Patrem Camillum rogarunt, vt pro illa Dominum precaretur, quibus & durus, ac lętus extitit nuntius, ait enim pignus se habituram incolume, parentem autem ad Patres ituram suos, quare se ad proximum lethum dispositurам, ait; rei porro euentus serui Dei dicta comprobauit, vnde membrorum, & valetudinis integrum enixa est fœtum, qui nomen ob deuotionẽ Francisci Camilli accepit, genetrix vero ex hac ad meliorem transmigrauit regionem, munita Sacramentorum armatura; occurunt huiusmodi euentus non raro, sed prætermissis alijs pauca recensuisse satis sit; nunc autem aliqua in medium ducantur, quæ præcognouit, prænuntiauitque futura.

Lib. 2. c. 17.

9 Ipse enim sui occasus hoc est profectionis ex hac lacrymabili vita, & locum & tempus præsignificauit, quando enim Bucchlanico sua patria recessit, facto prius in platea publico sermone, ratiocinationem claudendo, sic ait, In corde seruate singula, quæ vobiscum commorans, præcepta salubria dedi, & scitote me Romam profecturum, vbi in morte hæc lumina occludam, nec iterum, aut aliquando me reuisuros vos omnes, & ita veritas sortita est; cum ipse alioquin sępius suos ciues, vt emolumenti aliquid impertiret, præsentia consolabatur; Immo discedens, ac super equum assidendo Ioannem Bernardinum Vrbanuccium, & alios circumadiacentes taliter est allocutus. En ego Romam peto, vbi profecto condar, tu iugiter memoriæ in sinu serua illa, de quibus te plerumque commonui, & caue ne aliquãdo in vitiorum sinistram declines, propterea quod ex eis in barathrum ignis æterni festinanter ruitur; & alteri mœste ferenti illinc serui Dei profectionem, hortantiq; vt inibi cum eis commoraretur, nequaquam id eueniet, affirmauit, quandoquidem spero Romæ hæc ossa tegenda.

Lib. & cap. citato.

10 Euidentius testimonium est illud Fratris nostri Pauli Rendæ, hic vnus extitit de primis, qui Romæ professus est; ipse enim cum iureiurando testificatus pluries ex ore Patris Camilli Romæ, ac Genuæ suis auribus audiuisse præfinitam temporis, diem suæ felicis è vita transitoria transmigrationis, futuram

nempe

nempe mense Iulio in festo Diui Bonauenturæ, & ita prorsus euenit, vt qui studiosissimus fuerat Seraphici Patris Sancti Francisci, eiusque habitum vestiuerat, eius quoque occubitus in diem incideret doctissimi, ac deuotissimi Patris Diui Bonauenturæ fulgentissimi sideris Seraphici Ordinis, ac totius Orbis, iam supra dictam depositionem præfatus Religiosus diu antea quam Pater Camillus vita fungeretur, posuit; aliqua non minùs digna memoratu memorabo.

11 Dum vellet Pater Camillus Genua proficisci, ad mulierum perrexit Hospitium paruum; vt ante discessum suis Patribus congratularetur, vbi Patrem Stephanum Testam præstolatus est, qui sacrum Missæ faciebat (relatis de more Deo summo post sacrificium gratibus) illum strictim complexus est, addiditque lætus esto Pater Stephane, quia cito apud meliorem, & iucundiorem locum residebis, operę enim prętium est hanc mortalem linquere sarcinam, & immortalitatem induere; talem audiens sermonem memoratus Pater stupuit, steteruntque ipsius comæ, & vox faucibus hæsit; attamen se strictius oratione, caritate, pœnitentijs, & Sacramentorum frequentia cum Dominò copulauit, vnde octo, vel non amplius quam decem intra dies vehementibus captus intestinis, ac diuexatus doloribus, breui cessit è vita, virtute armatus, sanctaque potissimam misericordia erga pauperes ægros, receptis quamdeuote, ac expetitis Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis.

Lib. 3. c. 24. Cuid m ex suis PP. prenunciat obitum.

12 Itidem dum in Nosocomio Sanctissimæ Annuciatæ Neapolis P. Camillus incoleret, vnum ex nostris fratribus visum Domi illius Magistrum ægrotantē destinauit, qui properanter ipsum adijt, quiescere post susceptum syropum intellexit, Camillus vero iterum eūdem fratrem remisit ad illum intuendum accuratius, eumque inspexit in mortis agone prostratum, & confestim Sacramentorum subsidio munitus animam efflauit.

Prænoscit vicinum cuiusdā lethū. Lib. 3. c. 24.

13 Io. Hieronymus Laurinus ex Oppido Bucchlanici iam Neapolim contendere destinarat, in termino discedendi constitutus, ad Patrem Camillum accessit, vt sua iret fultus benedictione, & siquid ei Neapoli vellet committere executuro, Camillus in quodam ambulabat Monasterij loculo, vbi cæli facies nequibat inspici, dictis præfati Hieronymi Camillus obstitit, inquiens ne proficiscere hoc die, quandoquidem magnam præsentio futuram procellam, propter quam hodie vitæ discrimen tibi instat, ni ab intinere desistes (sol autem tunc se voluebat in signo cancri) non quidem ausus est discedere Hieronymus illa die, sed demptis à mulis oneribus, domum adijt suam, & repente quamuis cælum serenitatem nimiam indicaret; vix equidem vnica hora defluxerat, vehementer conturbatum est, tantaque pluuia descendit, mixta grādinibus, vt ingentem pene figuraret eluuionem, omnesque semitas, & itinera abrupit, grandesque formauit torrentes, vnde Hieronymus, quasi immobilis præ admiratione stans, genua postea flexit, gratesque Deo summo benefactori, suoque famulo Camillo retulit, qui nouit ventura prædicere, seque ab ore tempestatis detrahere, & licet nūc fuerit contuitus pluuiam, sonantemq; cælum formidauerit, postridie autem interpellatum iter conficiens, experimento cognouit, quantum ante acta procella intulerit damni viatoribus, armentis, ac segetibus, se immunem Dei gratia stetisse.

A tempestate eximitur viator hortatu P. nostri Lib. 3 c. 24.

14 Cum Neapolim ex Nuceria Ioannes Antonius Bardanus appulisset, optimū factu adiudicauit, quia mane erat inde discessurus, prius ire P. Camillum eiusdem patriæ visum, si quid ab eo cuperet, vel in patria pro eo adimpletu-

Lib. & cap. mox citato.

1613. rus esset, tunc temporis Pater Camillus in agrum iuerat, quem dicimus Arenulæ, quapropter illuc pergere Ioannes Antonius non recusauit, licet duo pene milliaria ab vrbe Neapolis hæc villa distaret, cum igitur eò mane diluculo peruenisset, pulsata agri ianua, P. Camillus vocauit fratrem nostrum pomarij custodē; vade, inquit, & aperi Ioanni Antonio pulsanti ostium, caue ne à canibus merdeatur, terruerunt hæc verba dictum fratrem, potissimum, quia Pater adhuc in lecto iacebat, & ostia clausa pomarij, & longe distantia stabāt, talis .n. homo ibi erat minime notus, vt prædixerat Camillus, ita memoratum Ioannem Antonium adinuenit, quem duxit ad Patrem, & verberanti ianuam seruus Dei respondit, præstolare tantisper, Ioannes vero Antonius, propter ea quæ à supra iam dicto fratre cognouerat, curiosior factus, per ostij rimulas obseruabat, quid interim Pater Camillus ageret intra cubile, illumq; intuitus est orantem genibus prostratum ante Sanctissimi Cruci pendentis Domini pedes per vnius horę interuallum brachia, & caput mouentem, quasi eumdem Dominum, ac Redemptorem alloqueretur, postmodum vero pandens ostium postulauit ab eo veniam ob tarditatem, illumque sciscitatus est, si quid ab eo cuperet, postquam vero Camillus agnouit se discessurum eadem die, nequaquam, ait, hodie iter habebis, propterea quod grauissimos mortis timores, & pericula sustinebis, quinimo cras, aliquot discrimina etiam si non adeo vrgentia, & formidolosa te concutient, indubitanter expertus est, vt P. Camillus præmonuit, nam duo circiter milliaria vltra Capuam, mula supra quam assidebat, quamuis alioquin ante hac mansuete fuisset tractari, nunc præter consuetum vitio affectā se exhibuit, calcem vehementer in eius vultū impetendo, parū abfuit, quominus ipsius faciem grauiter deturpasset, enorme inferens vulnus, & cum prope locū, quem appellant Palenā in Aprutio, iuxta Ecclesiam D. Mariæ Altaris deuenisset, tanta saxorum copia super eum cecidit, vt putaret se ibi defuncturum, sed protinus ad famulum Dei Camillum precibus accurrens, læsionem aliquam haud sensit, desuper eius caput prętergredientes lapides; arbitratus est eam saxorum congeriem fuisse à montis cacumine demissam ab Vrsis, vel similibus efferis animantibus. Cum enim apud alium locū admodū ab animantibus infestum (vt dicunt vulgariter Grauanam) constitisset, ibi quidem corruit mula, adeout eam amisisse, extimauerit, sed inuocato serui Dei Camilli nomine, statimatque quasi miraculo illæsam recuperauit, quo circa complures corde benefactori suo rependit grates, qui hos aduersos præsciuerat, ac prædixerat casus, & cuius precibus se ereptum putauit, seq; contulit incolumis in patriam.

Vltat mortis discrimē dissuasuta P. nostro.

Fuerat Bucchianico quidam nomine Ilius Vrbanuccius profectus grauatus numerosa familia; quo circa eius germanus frater Ioannes Bernardinus inde secessit, illum quæritans, & quoniam præsensit Romam petiuisse, ibi quatriduo totam Vrbem lustrauit, ad illum perscrutandum; demum cum tempus frustra triuisse animaduertit, inde secedere decreuit; verum ante visere Patrē Camillum statuit, quapropter ad hospitium Sancti Spiritus contendit, ibi Pater subsidebat, postquam eum humaniter Camillus suscepisset, ait, iā quatuor sunt dies elapsi, quod Romæ in perquirendo fratrem tuum vexaris, interim me videre prætermisisti, noscito domi tuæ ploratum ingentem, propter te commotum esse, fac itaque cras eo properes, demens ille frater tuus intra quindecim dierum moram domum suam redibit, Ilius verò Romam non aduenit, cum hęc ille percepisset graui admiratione correptus est, notanter quia 15

Lib 3. c. 24. Quędā prędicit suo municipi.

amen-

amentem ipſum vocauerat, cum ſanè domo perfectè ſui compos diſceſſiſſet; vnde poſt manuum Patris deoſculationem abſceſſit, ſequenti vero mane ante profectionem ad Patrem Camillum reuerſus eſt, eius ſe committens precibus, Camillus autem quanta familiaritate dictus Ioannes Bernardinus cum Alexandro eius nepote teneretur animaduertens, quamdam ei tradidit epiſtolam illi deferendam, & aliquot ſuperaddidit verba, ore eidem Alexandro reddenda, dic, ait illi, ni nupſerit, cito morituro, & iam Cupanus Teate in vinculis detinetur, qui dudum ſuſpendetur, alioquin hac hora ipſum iugulaſſet, ipſe vero Alexander certo poſtea nouit, ipſi mortem pluries fuiſſe machinatum, vnde timens patrui ſui Camilli monita nupſit, ęximans illum certa prænunciaſſe, & quæ prædixerat, non dubitanter euentura; voluiſſet P. Camillus eidem Ioanni pro viatico pecuniam præbere, attamē ei protulit, per iter adinuenies præſtantem tibi nummos, vt poſſis te ad patriam conferre, vnde ſcandens ſupra iumētum, ſumpta prius à Patre benedictione, iter Aprutium verſus egit, vix diei vnius confecerat viam, & ecce ipſi eiuſdem loci vir, qui illi viginti carolenos, vt patriam adiret, ſugeſſit; quibus illò ſe commode perduxit, ſtupens interim quomodo arcana ipſi patefecerit Camillus, ſed maiori affectus eſt ſtupore, qn domū ſuam rediens, iuxta Patris monitum fratrē intra præſignatum tempus fuiſſe regreſſum, crinibus, ac barba abraſis inſpexit, in ſignum fatuitatis; exauget quidem admirationem, eo quia dixerat ei Pater Cammillus dum primū ad eum acceſſit, ſe Bucchlanico equam detuliſſe quādam, de qua Dei ſeruus nullam prorſus habuerat notionem, hæc omnia Ioannes Bernardinus retulit Al exandro, qui timore correptus, patruo obſecutus eſt, adimplens quanta facienda voce, & litteris adſignificauerat, clareq; propalarunt P. Camillum nouiſſe illis prædicere futura, & prorſus abdita.

16 In diſceſſu ſerui Dei Bucchlanico hac ſuprema vice ad ſe vocauit Sanctam Buccarellum Not. Ioannis Mariæ Grillo coniugem, hortatuſque eſt, vt Lelium eius natum à ſeruitute Principis Sancti Boni remoueret, alioquin eum cito deploraſſet extinctum, fidem adhibere Camilli verbis incauta mulier non magnifecit, quapropter ſuo maximo detrimento experta eſt, quod temere minime crediderat, nam menſe Septembri, etenim hæc menſe Maij pronūciauerat Camillus, puer cum alijs eiuſdem Principis aulæ famulis rixans, lapide percuſſus eſt in vertice, adeo vt ab eo vulnere mortem adeptus ſit, non enim amplius quam menſes quatuor decurrerant, ex quo præfaſſus eſt Camillus genitrici, vt prolē in propriam domum reduceret, ſeruorū Dei ſermo, & paterna hortamenta, in ventre memoriæ tenaciter retinenda, & executioni velociter, ac viriliter committenda.

Loco cit. Præſignificat necē cuidam adoleſcenti.

17 Et demum cum in quadam Italiæ vrbe adinueniretur Camillus, illius Dominus quibuſdam diaboli miniſtris fidem præſtans, nos quippe ad Hoſpitalis dominatum inhiare, hac de cauſa noſtros ab infirmorum famulatu excluſit, & re vera nos minime læſit, ſed pauperes multis miſericordiæ operibus ſpoliauit, Camillus vero ei ſuadere contrarium enixus eſt, non propterea illum à ſententia remouere valuit, itaque ardens Camillus zelo, ait, hic Princeps cito ſentiet de cęlo vltionem, quandoquidē binæ hyemes haud labentur, quando in ſepulcro claudetur, tempus veritatis magiſter veritatem indubitatam oſtendit, ſuper hac ipſa materia multa ſileo, & multa ſparſim per volumen reperiuntur, nunc ad aliud punctum circa nouitios tranſitus faciendus, clamat oratio,

Loco prout ſupra cit. Cuidam exitiū prędicit

Ille

1613.

Lib 3. c. 35. per totum Quos tangit perseuerantes vides in Religione.

Ille Sapiens rerum omnium moderator Deus, qui suæ sapientiæ arcano, Patrem Camillum huius plantæ fundatorem constituere decreuit, dedit quoque illi virtutem mirabilia operandi, potissimum circa nouitios, qui deberẽt hoc germen Religionis in varias plantare regiones, & populos verbis, & operatione instituere, quantique referat, præstò esse pauperibus ægris, speciatim & maxime illis, qui in Nosocomijs, & extra per domos peculiares ope destituti, animam agũt, alijs verò necessaria misericordiæ subsidia tum ad animam, cum ad corpus spectantia conferendo, dum mœrent in lectis, itaque ad caput deueniẽdo in Nouitiorum receptione Camillus mirabiliter enituit, dum enim aliquem alloqueretur, superposita desuper eius vertice plãta, quasi cælestis veneficus occulta virtute, & suaui illata vi, ad religionis statum trahebat, tractosque perseuerare.

18

Loc. prænot. Probatur præfata doctrina.

Attestatur Pater Ioannes Cuccarellus genere Flandrensis Sacerdos in Religione egregia virtute, vt secundus Tomus, si Bonitas immensa mihi vitã, & inspirationem concesserit, declarabit, deruenisse ad eius aures quoscumq; tetigisset P. Camillus nouitios, concessum esse illis à cælo perseuerantiæ donum, dum eos nimirum in fronte nostræ salutis vexillo signaret, qui vero tali munimine priuabantur, certum fore inditium regressionis ad sęculum; concesserat seruus Dei Camillus nuper Florentiam, ibi ad eum tanquam ad cõmunem patrem omnes cõfluxerunt nouitii, qui plurimi eo tempore in Nosocomio ægris ministrantes aderant, memoratus pater difficillimum putans, quę audierat de P. Camillo, attentis oculis obseruauit, si veraciter referretur, & intuitus est omnes victricis in fronte Crucis signaculo decorasse, qui certo in Religione perseuerantes perstitere, præter vnum ab eo non tactum, hic postea in sæculum abiecto seruitutis Dei clypeo transiuit, & veluti morbida ouis exclusus excessit.

19

Quidam nouitius signatus perseuerat in Relig. Vide lib & cap. cit.

Præterea quidam Nouitius audierat, quibus Pater Camillus viuificæ Crucis signum digito formasset in fronte, si laici extitissent Religionẽ fuissent ingressi, si vero ad habitum fuissent admissi, & tyrocinium peragerent perseueraturos in Ordine, hac itaque fretus fiducia Patrem Camillum in Sanctissimæ Annunciatæ Neapolis stantem rogauit, vt pollice signo nostræ redemptionis muniret in fronte, cui Pater benigniter obsecutus est, postmodum à quadam idem Nouitius impetitus est tentatione, habitum deponendi, & ad vomitum quippe ad sęcularem vitam transeundi, illi in memoriam subito venit, se fuisse signo Crucis per manus Patris Camilli suffultum, qui veluti à tenacissimo glutino stringi videbatur, atque adeo illud fuisse Crucis characterem, dicebat, quasi clauum, ipsum in Religione affixum firmiter deuincientem; demũ post acrem colluctationem vicit, & professus est.

20

Sex nouitii perseuerant à P. nostro firmati Vide vt sup.

Cum autem Neapoli profecturus esset seruus Dei Camillus Genuam versus, nonnulli Nouitij mœstum ostendebant vultum, propter Patris carentiã, cui mira deuotione adhærebant, formidolosi quidem ne perseuerantiæ donum illis interciperetur, & coacti mundi tenebras repeterent, quos verbo, & tactu seruus Dei firmauit, reliquitque lętos, spondens se omnes remansuros in Congregatione; complebatur in eis senarius numerus, tot enim erant, dedecebat sane ex hoc perfecto numero, qui magnis mysterijs non vacat, aliquem ex eis detrahi, itaque omnes ad suscipiendam Crucem in professione admissi sunt; sed aliqui non nisi post transactum sęuum tentationum pelagus; vni autem in genu prægrande exortum est apostema, dum prope fieret pro-

fessio-

feſſione admiſſi ſunt. Sed aliqui non niſi poſt tranſactum ſæuum tentationum pelagus; vni autem in genu prægrande exortum eſt apoſtema, dum prope fieret profeſſionis tempus, vnde non leue diſcrimen ſuſtinuit, nè veluti ad ferenda Religionis onera impotens excluderetur; nihilominus benigniter inclinantes Nouitiorum ſcrutatores, mentem ad illius puram conuerſationem erigentes iudicarunt, illum in numero adſcribere profeſſorum, prout ſumma cum eius lætitia ad ſollemnia vota admiſſus eſt. Alterum verò Callidi hoſtis ſuggeſtio adorſus eſt ſub prætextu maioris perfectionis, & quidem dæmoniũ meridianum illum adoriebatur, nempe ſub luce apparentis, ſed falſæ rationis inſidiabatur, & laqueus tendebatur; cupiendo nimirum hic Nouitius tranſire ad Aeremum, & Sanctorum Patrum exempla ſectari, totum enim negotium machinatus eſt dæmon, vt ipſum ad ſæculum traheret, ſed Patris Camilli dictis obtemperans, eiuſq; moniti reminiſcens ſe certò in Religione permanſurum, viriliter diabolo obſtitit, & in Congregatione perdurauit, profeſſuſq; eſt. Porro alter quamuis non ab immundo ſpiritu vexatus ſit à parente tñ grauem ſuſtinuit tribulationum procellam aſſerente ſe in extremam coniectum eſſe mendicitatem, nec aliam ei ſupereſſe prolem, vnde alimenta ſuppeditentur; Patres vero, quamuis coacti, quia noſcebant poſſe etiam profeſſum intuitu neceſſaria Parentibus ſubminiſtrandi, ſæculum repetere, mane quodam ſtatuerunt illum paternæ reſtituere poteſtati; quando eo ipſo die antelucano idem genitor acutis conſcientiæ ſtimulis agitatus ad noſtræ Eccleſiæ oſtium deuenit, qui humiliter, & apertè faſſus eſt, illa ediſiſſe verba inepta quidem, ſed diabolica calliditate ductũ, & quodam falſo affectu Paternitatis, nec illi deeſſe vnde ſuppeteret victus, & quælibet ad vitam neceſſaria tranſcundam, Patres tandem nihil eius imprudentiam faciẽtes Nouitiũ, cum Profeſſis annumerarunt; alijs vero deniq; innumera ſe obtulere impedimenta, & pericula habitum dimittendi, & ab Religione excludi, attamen Diuina feliciter afflante Spiritus ſancti aura, omnes ad profeſſionem tranſierunt, vnde experimentum declarauit, veridicam Camilli extitiſſe propoſitionem, cunctos fore, vt emitterent profeſſionem, & in Congregatione permanſuros.

Sex Nouitij etiam ſi multas perpeſſi ſint tẽtationum procellas hortatu P. Camilli cuncti ad profeſſionẽ tranſeunt.

21 Quidam alius Nouitius, reclamantibus eiuſdem Parentibus, & inſiſtentibus illum à vocatione reuocare, deniq; prouidentia ſuperiorum, in Conuentu Sancti Auguſtini Neapolis, ad explorandam eius voluntatem, depoſitus eſt, qui per aliquot Hebdommadas mente fluctuans, demum victus ad ſæculum redire propoſuit, quem Pater Camillus acriter obiurgauit, quamobrem abiecto Dei famulatu fallacem ſectari mallet mundi militiam, & ſubdidit, vade igitur, & ſtude Deo inſeruire, propterea quod multi non decurrent menſes, quando ad cor regreſſus iterũ concupiſces habitũ noſtrę Religionis induere, & rurſus admitteris, ita ſanè res ſortita eſt, non quidem percurrerat ſemeſtre, qui denuo in Congregationem recipi inſtitit, itaq; prout P. Camillus prænuntiauerat, ad Religionem gradum fecit, & elapſo biennio ad profeſſionem admiſſus.

Lib. 3. c. 25.

Nouitius licet habitum dimiſerit, hortatu P. Camilli, iterum ipſum reſumit.

22 Fuit quidam adoleſcens, quamuis ſæpius complures audiſſet cõcionantes, nunquam tamen eius pectus emolliri ſenſit, ità vt inclinaretur ad permutandum ſtatum, tranſeundo in aliquem Regulurẽ Ordinem; ſenſerat de P. Camillo, eiuſq; virtute in attrahendis ad Religionem non paucis ſigno noſtræ Redemptionis, ſuiſq; pijs Inſtitutionibus, ac proinde ad Noſocomium Sancti

Lib. 3. c. 25. Adoleſcens fit auditor P. Camilli, & relicta duritie fit ex noſtratibus.

1613.

spiritus contendit, vbi Pater immorabatur, hic adolescens auditor ipsius factus est disserentis de geennæ igni, ac de superna iucunditate, & quomodo momentaneo oblectamento præmiorum æternitas omittitur,& sæuissimarum, atq; immanium fit adeptio pœnarum: tanta efficacia prodierunt hæc verba, vt adolescentis penetrarint cor, eiusq; mentem experrexerunt, quo circa pliries nostræ Religionis expetito habitu, tandem illum adeptus est, affirmans propter verba Patris Camilli ad Religionem fuisse perductum.

Nouitius tactu parentis ab Religione abscedit. Lib. 3. c. 25.

23 Quemadmodum seruorũ Dei tactus salubris est, & quædam quasi potio, (vt ità dicam) sanans, ità Laicorum complurium nocuus est, & medicina prauos humores non expurgãs, quinimmò adaugens, ac lædens, hinc cuidam Nouitio inhibuit Camillus, nè ad Matrem accederet, sed ad Virginem, nunc eius veracem Parentem, à qua perseuerantiæ in Dei famulatu, suiq; Diuinissimi nati in dilectione adeptus erat gratiam, secus si carnali Parenti propinquaret, spiritu perseuerandi in Religione caruisset; parui pendit has voces inconstans Nouitius, & propriç voluntati, quam sui Superioris obsequens, illam adijt, à qua tactus veluti veneno infectus, vt præindicauerat Camillus ad Mundi fęcem digressus est. Debuerat hic in tyrocinio, absq; Patris Camilli prædictione suæ vocationis formidolosus esse, non autem ad parentes accurrere carnales.

Lib. 3. c. 25. Tres excludit Clericos non illos in Congregationem admittendo P. Camillus, quia non à bono duce bantur spiritu.

24 Tres Clerici, quoniam cum proprijs Parentibus iurgium intercesserat, cogitarunt eis relictis Religionem ingredi, vt illis mœronem afferrent, quo circa ad Patrem Camillum processerunt postulantes ab eo Congregationis habitum, quibus inspectis, & quasi (vt in prouerbio est) per olfactum comprehendens, parumperstetit suspensus, mente eleuatus, inde ait, spiritus à quo dirigimini ignis est palearum ad modicum durans, ite & Dominum exorate, vt vos sua illustret gratia; dudum notum fuit, nuper cum proprijs contendisse genitoribus, quapropter in paternas profecti sunt domus, quemadmodum P. Camillus fuerat auspicatus: præcedens occurrit factum Bucchlanici 1610. nomina verò Clericorum sunt infrascripta Don Ionnes Massiminus, Don Martius Francus, tertius verò Don Angelus Nardellus.

Lib. 3. c. 25. In medio.

Adolescens à P. nostro litteris spreto sæculo Religionẽ nostram ingreditur.

25 Non modo suo tactu, ac sermone mirabilia operatus est Pater Camillus erga Nouitios, vt iam supra dictũ est, verum cum absentibus aliquando maiora ostendit, pandens litteris eorum prorsus occultam cogitationẽ, & hac via traxit quẽdam ad obeunda opera pietatis in Religione; vt narratur, Romæ cuidam adolescenti propositum nostram Religionem ingrediendi incesserat; attamen huiusmodi cogitatio nulli, neq; proprio confessario innotuerat; Camillus vero eò tempore Neapoli residebat, qui sponte sua, seù potius à Domino impulsus rerum cunctarum moderatore, huic adolescentulo epistolam sequentis tenoris direxit. Frater nè à tuo quæso dimouearis proposito, nolle quippe nobiscum vitam agere Religiosi, quacumque aduersa, ac diabolica irruente suggestione; at cito semẽ à Domino in tuam iniectum animam foue, & quod de Cœlo suscepisti propositum instanter executioni committe, vestiendo habitu nostræ Congregationis: per eumdem tabellarium similem epistolarum formam misit Romam Superioribus, vt ipsum adolescentulum in tyrocinium admitterent. Cum vero præfatus adolescens ea verba Patris Camilli legisset, non potuit, quin præ stupore formidaret, vehementerq; in eius corde impræssæ litteræ nobilem producerent effectum, quare sapienter deliberauit Dei esse volitum, vt peteret nostrorum habitum; Patres vero, qui

super

super hoc commoniti fuerant à P. Camillo, ductis à memorato adolescentulo necessarijs probationibus, absq; mora ad peragendum tyrocinium introduxere, qui adhuc vitam degit professus in Congregatione, hæc cum iuramento affirmans.

26 Quamuis plures Nouitij, qui Patris nostri adhærere consilijs, & illius benedictionem, & saluberrimum tactum exoptarunt sospites euaserint, & in sua vocatione, & in Dei famulatu perseuerauerint: quidā vero, qui ab eo se elongarunt, perinde atq; demortua corpora, vel à Congregatione deiecti iacuere, vel ipsi deposito militari viuificæq; crucis vexillo vecordes ab statu cecidere Religioso, quasi repudiati, & indigna proles eò stimmate Crucis cohonestari; hos P. Camillus lepide prius q̃ abscenderent à Congregatione, modesteq; & efficaciter ad perseuerantiā suasit, cum deniq; placida verba, hortamenta, ac rationes minimè præualerent, ad interminationem (ità Domino afflante) se conuertit: multaq; illis successura detrimenta prædixit, q̃ propter duritiē, & inobedientiam in auscultando serui Dei consilia, manentibus illis in sæculo, euenere; nonnullorum hic exempla ponuntur: vt qui in Dei familia numerantur, caueāt, nè proprio dāno ab ea dissociētur, & qui tenet vocationis donum in Religione tota mente intendat, nè ipsius alter coronam præripiat, iuxta doctrinam Apostoli, Tene, quod habes nè alius accipiat coronā tuam.

Hic differētia interijcitur illorum, qui Patri obsecuti sunt, & cōtrariorum non obtemperantium.

27 Multorum casus reticeo, quoniam alibi in hoc volumine sigillatim descripti signantur; hic vero aliqui tanquam residui memorantur. Quidam Nouitius nomine Ioseph (honoris causa subticetur familia) Romæ susceperat habitum, sed mendacijs à Parēte inuasus, succubuit, vnde ardenter institit, velle deponere sacrum Religiosi statum, & adire Neapolim eius Patriam; Camillus vero illius miserescens animæ, ab eò summouere proposito conatus est, nullum neq; acerbum, neue lene verborū medicamen profecere, quo minus in sententia persisteret: Deniq; cum mœstitia illi præfatus est Camillus, non longe in sæculo superstes eris, sed miseranda morte præreptus cades; infelix adolescens post regressum ad Mundi pelagus naufragium fecit, necatus quippe decessit, diebus tantum non amplius dilapsis, quam quindecim, & quod miserrimum fuit, inter odia, quæ dimicando intercedunt, absq; pœnitentiæ subsidio, vel alio Sacramento: ristit dum commoneretur à Patre Camillo, modo vero, faxit Deus; quod æternaliter, & infructuosè non deploret suas ineptias.

Relinquenti Religionis habitum interitum prædicit Camillus. Lib. 3. c. 25.

28 Messanæ quidam nomine Placidus Congregationis habitum, quos ego agnoui, suscepit, huic germanus Frater fuit Clericali habitu indutus, qui ad nostri Conuentus ianuam properauit, & cum esset natura bellicosus stridoribus, & minis contendit præfatū placidum magna vi, & ædis nostræ graui perturbatione à Dei famulatu dimouere; deniq; vna cum dicti Nouitij Patre adeptus est, quæ concupierat, cælans causam profectionis à Religione falso colore parentum indigentiæ: cum P. Camillus inferri tantam vim cerneret, & adeò seruorum Dei contemni Domum, illis Dei flagella non longe abesse, indixit, hic equidem inuerecundus, qui non vt Clericus, sed veluti satanæ minister egerat, nescio nū nè integrū annū viderit, qñ impetitus multis vulneribus deploranda morte interijt, nēpè iugulatus ineunte ętatis suę vere parēs vero intra bimestre morti occubuit; placidus vero rursū à Patre Camillo habitum multis precibus, ac perseuerantia in Eedibus nostris postulauit, cui benigniter datus est, (fuit enim P. fundator in admittendis Nouitijs facilis,

Discedens Nouitius a Religione Pater, ac fratres diras penas luūt. Lib. 3. c. 25.

1613.

suis misericordiæ visceribus concupiscens cũctos in Dei seruitute esse addictos,) & ad tollendas de medio diabolicas versutias Neapolim traduxit, vbi aliquandiù constanter perseuerauit, deindè arduum putans Hospitalum nidorem, & amore paternæ Domus tractus quæsiuit regredi Messanam, non satis fuere blanditiæ, & hortamenta ad ipsum in vocatione firmandum; demum P. Reuerendiss. Generalis Camillus, quæ super germanũ nuper prænũciauerat, illi fassus est superuentura, vt ipsum à prauo deponendi habitũ affectu deturbaret, qui deniq; proficiscens, non eodem modo extremos vitæ clausit dies, sed fortè infelicius, nam intra sex Mensium intercapedinem repentina morte interceptus est, nullum Sacramentorum leuamen in sui præsidium assequens. Itaq; vnius delicti tres pœnam luerunt, placidus, eò quia mittens manum ad aratrum, retrorsum se conuertit, reliqui vero duo non modo, quia causa efficax eiusdem Nouitij discessus à Religione extitere, atque adeò ob inreuerentiam Domui, atque Dei seruis irrogatam.

Nouitio profert p. Camillus si habitum dimiserit pęnam laturo, quæ cito euenit. Lib. 3. c. 25.

Tertius enim aduersus casus cuidam alij Nouitio eiusdem Vrbis Messanæ obtigit, hic bis à Patre nostro Camillo ad tyrocinium fuerat admissus, & totiens sua culpa discesserat, & cum à prauo eius peruicacitas non abiret, hinc P. Camillus infausta illi conterminatus est, quoniã ait semel, & iterum deludere visus es Religionis habitum summa vecordia, propterea non impunis euades, sed Dei flagellum tibi imminet, quo circa Neapoli Messanam regressus pugione Nouercam ferit, quare ad Parentis instantiam in Carcerem detrusus, ibi ob incommoda, & squallorem breui infirmatur, & sæuiente morbo ad mortis limina cucurrit, cui nostri pium commendationis animæ munus exhibuere, ipso affirmante, illa sustinere, eoquod terga verterat Religioni: vnde mala à seruo Dei Camillo ipsi prædicta non dubitanter occurrere: ob eandem ægritudinem in ipsamet custodia carcerum detentus, cessit è vita. 29

Lib. 3. c. 25.

Quas tulerat pœnas Nouitius ob spretam vocationem

Alius quidem Nouitius cum ageret Florentiæ tyrocinium, illinc, relicto habitu, ire destinauit, & licet sæpius Patrem Camillum hortantem habuisset, nè quid simile committeret, neue diaboli fallacijs cederet, & nè tali se coinquinaret macula, tandẽ victus ab insidiatore Neapolim profectus est, hic autem post aliquod temporis interuallum, sed modicum, in periculosum decidit morbum, vnde triduo, & totidem noctes quasi vecors iacuit, acerbam sustinens passionem, ad se deniq; reuersus, tamquam è profundo experrectus somno, tota hac temporis, ait, mora terrificum suscepi prælium: nam videbar ante Dei tribunal sistere, & corã iudice accusatorẽ adesse P. Camillũ insistentẽ, atq; inculcantẽ, me pluries hortatũ esse, & instanter rogasse, nè vocationis inæstimabilem vili penderem Adamantẽ, meis clamoribus veluti, qui caret sensu, sic aures præbuit, ego, qui non impunis in tam aperta accusatione, certoq; testimonio, quò me conuerterem, vel quem patronum aduocarem ignorans, fluctuabam, arbitratus sum ad inferni limen deuenisse, sed Dei bonitate ad hanc lucem restituor, vt hæc coram enarrem; & simul ac Patres nostros accersiuit, quos vehementer rogauit, vt pro ipso Dominum deprecarentur, idem Pater Camillus efficere dignaretur, & nè vltra coram iudice appareret insimulans, qui libenter pro illius angustijs coram Deo se prostrauere omnes: vnde quieuit, simul & morbo confirmatus est, quare super huiusmodi factum ad Nouitios Florentiæ scripsit, quos terrores, & pericula ob habitus demissionem passus erat, illosq; in Dei timore, & vocatio- 30

ne

ne ſingulos omnes, nominatim vacillantes firmauit, ipſe verò Siluius, ita appellabatur, quoniam viribus ob præteritum langorẽ euaſit imbecillibus, medicorum, item & noſtrorum patrum conſilio in ſæculo manſit, ſequens tamen ſpiritualem militiam, ſacerdotalem puta ſuſcipiens characterem, qui vitam tanto miniſterio non indignam, quoaduixit, duxit.

31 In ſimilem ſcopulum cuiuſdam profeſſi, ac Sacerdotis mens impegit, etenim ob aliquos defectus obiurgatus, adeo mœſtus iacuit, vt in ſui corde decreuerit in aliam tranſire Religionem, quod ſane propoſitum nemini innotuit præter vni ipſius germano, & iam in terminum perduxerant negotium, quod cito ad effectum erat perducendum, Camillus verò ſeorſim illum auocans, ita allocutus eſt, quid cogitas pauperculus, quid machinaris? hæc tua conſilia ſubuertentur à Domino, ſicut illa Architophelis, cum autem iſte Sacerdos ſuum conſilium cerneret notum eſſe P. Camillo, quod prorſus nemini manifeſtauerat, at ſolum germano fratri patuerat, terruit æſtimans patrem cordis arcana noſcere; vnde aditum inſidiatori parumper occluſit, poſtmodum noua reuireſcente ſuæ prauæ mortificationis cauſa, recenter pululare deſiderium permutandi Religionem, & habitum cæpit in eo, ac proinde fratri ſuo Chirographum, miſit, ſe mutare ordinem, & locum oportere, dum enim germani reſponſum præſtolabatur iuxta ſua deſideria, alium, quod ei valde diſplicuit, ſuſcepit nuncium, nimirum vita functum eſſe germanum fratrem; quare præteritæ vecordiæ pœnitens in Religione ſedata mente permanſit, animaduertens proculdubio vera eſſe Camilli verba, omnes quippe ipſius machinationes eneruiter, fore, ut conrruerent.

Lib. 3. c. 25.

Deturbatur Sacerdos ne in aliã tranſeat Relig.

32 Pręfati delicti nimirum egreſsionis ab obſequio Diuino ad mundi tenebras, nedum ipſemet nouitius pœnas aliquando luit, commutando promiſſionis feraciſſimam tellurem ob Aegipti cæpas, verum, & integra domus dilapſa eſt interdum, quando ſcilicet cauſa ipſius profectionis extiterit, vel violentiã Cœnobijs intulerit, vel irrogare hiauerit, vt ſequenti exemplo patebit: quidã N. ſtirpe clarus à noſtris admiſſus eſt ad ordinem, id parens admodum moleſte tulit, intraſſe arbitrans non in diuitem, ſed pauperem Congregationem, recentem, inter Hoſpitalium, & morientium pauperũ nidorem aſſiduo diuerſantem, non bene ſcrutans optime in Dei naribus huiuſmodi miniſteria, cohabitationeſq; olere, vnde ei videbatur ingenitã deſtruxiſſe nobilitatẽ, quare cum à vehementi paſſionum torrente, & vecordia raperetur, machinatus eſt, hac via, ſeu vi prolem ad ſæculum trahere. Dum enim noſtri ad Hoſpitum ſtudio ſeruiendi ægrotis, contenderent, ipſe ſimul, & alij eiuſdem peruerſi ordinis veri Deum non timentes ſe abderent intra carpentum, & in tranſitu nouitium ipſius natum de medio ceterorum patrum tollerent, poſitoq; in Rheda, proprias ædes adirent, hoc ipſe maleſana mente excogitauit, Dominus enim altitudine ſuæ prouidentiæ aliud minime ab ipſo animaduerſo præordinauit, potius nempe illum de vita demere, quam ſimilis irrogaretur ſeruis ſuis, & habitui ignominia, & vis, cum igitur hic illuſtris ſanguine, ſed non moribus vir, iret hæc præmeditans cubitum; mane verò delicti conſortes ipſius fores petiuerunt, vt facinus vna patrarent; verum intellexere à domi familia repertum eſſe illius corpus exanimatum ea nocte, & interijſſe non modo abſque aliquo Sacramento; verum nemine ſpectante viſũ eſſe exanime, quocirca illi demiſſo capite, ac mærentes retrorſum greſſus arripuere, non propterea natus factus eſt cautior tale genitoris ſpectaculum contemplans, nec rebus ani-

Lib 3. c. 25. Multi vapulãt à Domino ob nouitij dimiſſum habitum.

1613.

mæ ſuæ conſuluit, figendo in Religione deſideria; quocirca præterlapſa exigua temporis diſtantia, migrauit in paternam domum, vbi ſequenti nocte eius mater deceſſit, quæ fuit ſecunda de Cælo punitio,ſiue monitio:verunta men Ioannes Andreas à Letargo manendi in ſæculo non experrectus eſt, ſed libertati, & mundi blanditijs ſe addicens, graues ærumnas, tribulationes, & væ cucurrit, hæc vt euaderet deliberauit militiæ ſe aſcribere,vniuerſale miſerandorum hominum profugiũ;hinc dimicando in Flandriam tranſiens,& maiora ibi percurrens detrimenta, breui vitæ ſuæ ſpolia dedit morti; cum vero corporis lumina clauſit, tum illa adaperuit mentis,æqua lange librans,quanto ſatius, ac iucundum fuiſſet pauperem vitam in Religione duxiſſe,ſicut Pſalmus decantat Eligi abiectus eſſe in domo Dei magis,quam habitare in tabernaculis peccaturum.

33 Camillus aliqua prædixiſſe videtur præſertim erga nouitios, vt nuper retuli; verum etiam interna mentis arcana penetrare benignitas Domini illi quandoque tribuit,vt eius virtus, & meritum plane pateret. Vnde non pauci eius ſermones auſcultantes, quaſi cognouiſſet eorum errores coram P. Camilli conſpectu venire, poſtea arcebantur, ſed eo uiſo deliteſcebant, quoad ſua expurgaſſent delictia per lauacrum pœnitentiæ, & tunc quaſi tuti redderentur ſecum commercia habere; non modo eius uerba,& præſentia id operata ſunt, atque adeo eius interdum ſimulacrum;& vt planius veritas innoteſcat,ad exempla propero,aliquot referens, quæ prælo commiſſa Neapoli sũt à P. Sanctio Cicatelli,hæc ipſa poſteris latine trado abſque additamento,vel diminutione, prout ſapio.

Lib. 3. c. 24. per totum.

34 In cubiculo quidam aliquantum indiſciplinatæ vitæ Religioſus P. Camilli effigiem in tela depictam aſſeruabat,quotiens enim aliquem edebat defectũ, ſiue otioſus torperet in cella, illi videbatur imago ad inſtar minitantis oſtẽdere vultum, ſæpe ſtuduit ſe ab illa imaginatione in aliud mente conuertere, at fruſtra contendit, nam Cælo reſiſtere,nemo vnquam valuit;vnde coactus nõ ſuſtinens amplius dedignantem P. Camilli vultum cernere,album tele in proſpectu poſuit, vultum vero præfatæ Patris noſtri effigiei erga parietem, ſatius erat delere conſcientiæ maculas, & cauſam indignationis abſtergere,tum vero ſerena fronte Serui Dei contemplari ſimulacrum:præterea ſi demortua pictura talem ingeſſit terrorem criminoſo, quo pacto viuacẽ,& zelantẽ aſpectũ ſuſtinuiſſet.

ibidem. Simulacrũ Camilli peccãti dat terrorem.

35 Diſcedens Pater Camillus Bucchlanico Neapolim verſus ſecum ex noſtris patribus aliquot ducebat, inter quos comes aderat quidam Bononienſis, & alius Franciſcus Antonius Sanctesius xvj. Kal. Iulij 1605. prope venafrum acceſſerat, dictus Sanctesius pene duo millia paſſuum retro præ nimio calore ſequebatur, & quoniam mane ante diſceſſum à Caupona, nõ aliquid ſumpſerat ienctaculi cum pedeſtris incederet, cæpit in lamenta, & inde in ſuſurra irrumpere, Patrem Camillum carpendo, ac talia notando, hic enim illenis, & aſper profecto vir eſt,& minime compatiens Religioſus,neque eſſe vllatenus, vt putant aliqui Sanctum, & pauperum amantiſſimum, vt ferunt, ſed mores ferinos, & nequaquam humanos oſtendere, etenim me inedia confectum tã longa, lataque permiſit agere itinera, & in tantis ſolis ardoribus, hæc replicans, & alia ſuperaddens maledicentiæ verba deuenit tandem ad Vrbem, quam dicunt Tyanum, inibi diſcumbentem contuitus eſt virum illum Bononienſem, & in menſa varijs redundantem epulis aſſidentem, qui Sanctesio

Lib. 3. c. 23. Aperit verba cuiuſdam ſecreto loquentis.

lapſo propter iter,& mœrenti ob indignationẽ,ait,de hac menſa te edere nefas eſt, eo quod Pater Camillus tibi cibos, & potum deſignauit, & ſubbito illi parum aquæ, & pauca panis fruſtula indicauit; quapropter ob tua facinora hoc ſuffer æquanimiter ieiunium; quocirca Sanctesius iracundia excandeſcẽtior factus truculentior murmurare auſus eſt, ſed Pater Camillus ex altero interiori cubiculo ſe prodiens acriter illum redarguit, ita proferens; quare per iter adeo acerba edidiſti lamentationis voces? quo pacto non erubuiſti Dei Sacerdotes maledictis inceſſere? nunc in proprij delicti vindictam modicam hanc pende pœnam, atteſtatus eſt ipſemet Sanctesius, dum loquenti attenderet Patri Camillo, eius capitis comæ ſtetiſſe præ ſtupore, intelligendo nempe eadem verba ſibi exprobrari, quæ in decurſu viæ prodiderat, quare percitus dolore intẽſo cordis, proprium faſſus eſt errorem, & plorans petiuit à Patre Camillo veniam, tantaq; præoccupatus eſt compũctione, vt etiã renueret aquam illam, & panem in refocillationem ſuſcipere;& exinde ſumma veneratione patrem obſeruauit, de illo æſtimans pluſquã fama nouit euulgare; quandoquidem ipſi Camillus adaperuit, quod ei ſoli, & Deo ſummo patebat.

36 Neapoli propter obitum Reginæ Margaritæ vxoris Hiſpaniarum Regis Philippi III. publici equitatus à primoribus Vrbis fiebant, eo die obtigit ob aliquot negotia domo Patrem Camillum proficiſci, at nimbus ſuperincidens coegit in quemdam palatij porticum diuertere, vbi etiam alij quatuor fugiendo pluuiam ſe collegerent, quos inter aderat Vbertus Cantonius Camillo perfamiliaris: hic filium in Religione profeſſum habuit non infimæ expectationis, qui dũ litteris vacaret humanioribus in flore adoleſcẽtiç ſuæ deceſſit; Pater vero Camillus dum pluuiæ finem expectaret cum Vberto iam dicto ſermonem habebat; interim vnus eorum Sodalium nomine Petrus Paulus Pinacchius ſegregatim ſtabat in porticus angulo ſecumruminans; immo magis murmurans aduerſus Patrem Camillum, de cuius perfectione plura audierat, ita diſcurrens; quare ſi eſt, vt fertur, hic vir Religioſus, ingenſq; Dei famulus tanta curioſitate capitur? vt ad intuenda huiuſmodi ſpectacula trahatur, & quaſi vnus ex communi plebe hic præſtolatur ſingula cernere; Camillus vero quamuis inceptus proſequeretur ſermonem; tamen illo interpellato, fixis oculis in memoratum Petrum Paulum intendit parumper, & inde ſequi priſtinum iam arreptum cum eodem Vberto ſermonem inſtituit, ſed primo loco talia immiſcuit verba, quæ profecto aures dicti Petri Pauli penetrarunt, & mentem, ne quæſo, ait Camillus, cogitate, quod huc curioſitate ductum me contulerim, ſed ad alia negotia tendens iſtuc ab imbre præpeditus confugi, quoaduſque ſineret pluuia, & confeſtim me contendere, quo ire deſtinaui, cum hçc autem pronunciaſſet, aſſumpto intermiſſo diſcurſu fari cõtinuauit. Petrus Paulus vero cum ea ſigna contuitus eſſet, verbaq; P. Camilli percepiſſet, clare argumentatus eſt notã eius cogitationem, & ſuſurra fuiſſe Patri noſtro; vnde vehementer timuit, ſemetipſum inſimulans, temere de Seruo Dei iudicaſſe, ac putaſſe; proinde poſt diſceſſum Patris ab eorum comitatu, cuncta retulit cum admiratione, & formidine, confirmans, quæ fama ferebat de Patre Camillo, & adauxit, veritatem excedere famæ circumuolatum; propterea quod illi patuit cordis ſui arcanum, dum verbo illud adaperuit, & nutu oculorum ipſum coarguit; vnde amplius quam vnquam P. in poſterum reueritus eſt.

Lib. 3 c. 23.

Intendit mẽtis arcanum cuiuſdam.

1613.

Romæ in ędibus nostris quidam faberlignarius artem ministerij sui exercebat, illi duo iuuenes adhæsere ipsum secreto loquentes; Camillus autem, qui a longe eos contuitus erat, vocauit ad se operarium, nomine Stephanum, & ait, infelix, quo ruis? non conspicis, quod hi miserandi homines ad præcipitia te adducunt, linque contra tuum delinquere Creatorem, & illos abs te expelle, cum hæc Stephanus percepisset dicta commoueri eius viscera persensit, confessusque est errorem; quandoquidem machinati fuerant ad malum perpetrandum contendere, & simul obstupuit de mirabili Serui Dei virtute, in aperienda eorum cordium fœda intentione, vnde malum horrens, opus prosecutus est artis.

Lib. 3. c. 23.

Simulantis fraudem, illũ agnoscit.

37 Neapoli fuit vir, qui sub nobilitatis colore, & aduersæ fortunæ prætextu à multis extorquebat pluribus mendacijs pecunias, iste ad Camillum accessit longam orationem intexens, à quo pinguem præstolabatur stipem; Camillus vero, qui patienter vsque ad conclusionem sustinuerat loquacitatem, ait, frater dedecet te simulare qualis haud es, & mendacijs extrahere ab alijs argentum, vnde posthac iuxta tuum statum, & indigentiam postula, quæ tibi sunt opus, & ne fallacijs extorqueas alienum ęs, te ipsum, & ceteros defraudans; huic commonitioni Camillus superaddidit eleemosynam, & sic dimisit, qui adhuc veretur, quomodo potuerit Patri Camillo eius professionem, & vitæ conditionem palam esse, quare maxima æstimatione in futurum Dei seruum prosecutus est, cum eius arcana illi clare innotuissent; hæc ipsa haudquaquã cum sui verecundia cæteris pandere ad Dei summi gloriam formidauit.

Arguit, & noscitquem audierat nõ integrã missam. Lib. 3. c. 23.

38 Dum Pater Camillus Bucchlanici moraretur Hieronymum Rõcium adijt, quem reperit comedentem, & statim illum redarguit, inquiens, quare inaudito sacro escam sumere audes; ille verò ita institit, nequaquam, sed hoc mane interfui (dies recurrebat Dominicus) sacris Missæ mysterijs; verum est inculcauit Camillus, sed non integrè, ille vehementer admirans suffusus est rubore, & inquit, lecta epistola ad Ecclesiam perueniſſe, vnde dimidiata auscultasse missam, fassus est; hinc ipsum coegit Camillus è mensa surgere, vt integro sacrificio interesset, ita obsequenter exegit affirmans, nequaquam esse possibile Patrem Camillum absque Dei lumine illud sibi solummodo notum secretum potuisse dignoscere, quem inde, vt eximij meriti Dei famulum cępit acclamare.

Nouit Fratrem nõ sũpsisse S. Eucharistiam. Lib. 3. c. 23

39 Aliquando cum in P. Fundatoris cubiculum vnus ex fratribus nostris intraret (erat enim dies festus, quo omnes nostri confitentur, ac sumunt Sanctissimum Christi Corpus) ita eum interrogauit, quæso dicito mi frater, quibus de causis hoc mane haudquaquam Sacramentalem absolutionem suscepisti, atque Diuinissimam Communionem, ille tremens, & eo quo valuit modo ad excusationem illico confugit (vt mos est filiorum Adæ) & erubuit suum cernens detectum esse defectum, quem acriter redarguit Camillus; ipse vero quoniam ab alio aliquo id scire præter quam quod à semetipso minime poterat dignoscens, maximo honore Patrem Camillum dignum esse duxit, & se aliquibus abstinens defectibus meliorem delegit in Congregatione conuersationem, patrique nostro, asseruit, abdita patere; vnde post hac celsiori honore, ac beneuolentia erga illum affectus est.

40 Discessurus quidam ex fratribus nostris Roma secum ipse excogitabat, tale præmeditans, antea quam istinc proficiscar, adeo fixe in Patris Camilli vultum oculos, & mentem intendam, quoadusque phantasiæ tenaciter adia-

1613.

ceat, quem iugiter mecum ducere concupisco, illum Pater ad se accersiuit, & acide increpauit, quid moliris, inquit, me tandiu intente conspicere, quoad vsque stricto glutino in tui memoria figar, quid miraris? nisi dumtaxat vilem telluris vermem, & putridæ carnis frustrum, atque inferni titionem, quiesce frater hoc excogitare; at ille ad hæc siluit verba, ac stupuit, quomodo pater quiuerit eius detegere cordis propositum, quod extra per aliquod signum nullatenus prodierat.

Locis supra citatis. Innotuit eiusdam cogitatio.

41 P. Hieronymus Vecellius Sacerdos, ac professus nostræ Religionis fassus quoque est, pridie, quam fungeretur, interposito iuramento, Mediolani Patrem Camillum rogasse, vt ipsi desuper praue affectum oculum saluberrimæ Crucis signum effingeret, attamen ille longe aberat à fide nanciscendi salutē, vnde quamuis Pater eum Cruce signasset, nihilominus in efformando Crucis charactere bis ipsum modicæ fidæ appellauit, ostendens per eas voces se noscere illius exiguam fidem, quare dictus Pater huius erroris peragens pœnitentiam affirmauit se gratiæ indignum constituisse ob suæ fidei defectum; de quo tanquam de re cognita fuerat à Patre obiurgatus; & licet præsignificatus Sacerdos esset alioquin præstantis meriti, & piatatis erga infirmos, attamen sanitatem non est adeptus, vt exemplo foret cunctis, magna cum fiducia postulandam esse à Dei famulis gratiam valetudinis, & quod magnum quoq; censendū fuit ore proprio in eo mortis articulo testatum esse sibi à Patre Camillo eius cordis arcanum claris notis fuisse detectum; quare proculdubio obstitit ne sospes euaderet.

Lib. 3. c. 21. Frustratur suo desiderio ob fidei teporem.

De Peccatrice à P. nostro conuersa.

42 Contigit in Vrbe Romæ mulierē peccatricem venustate ornatam in uere ætatis suæ per Vrbē inhonestè comptā incedere, qua esca adolescentum oculos rapiebat, quæ mulier aliquando per viam Diui Ioannis Lateranensis expansis velis suæ superbiæ, gradiebatur; & ecce duo Religiosi se illi obuiarunt, quorum vnus superbientem, vanamque fœminam cernens signo triumphalis Crucis se communiuit, ac si dæmonem inspexisset, huiusmodi actio profecto extitit, quasi laqueus in eius ceruicem iniectus, quo caperetur, vel perinde, atque iaculus quo mulieris pectus transuerberaretur; addo, non mirum esse, quandoquidem Crux antidotum est aduersans serpentibus, ac proinde eo inspecto, dæmon, à quo illaqueata vinciebatur, resolutis vinculis, cum pallore excessit; vnde mulier viriliter ad cor regrediens, talia cępit excogitare, hic Pater, qui me intuita est, & repente se Crucis vexillo decorauit, citra dubium credo meæ conscientiæ fœditatem, & turpissimas maculas inspexisse, quocirca mulier quasi vulnerata cerua fontem quæsiuit lacrymarum propter patrata delicta, & ad fontem cucurrit misericordiarum Christum Dominum, vnde repudiata mundi superbia, & quantum oblectamenti ferre scit, Christianam humilitatem generose amplexa est, sed mens pia curiositate capta scire desiderat, qui fuerint hi Patres, ille speciatim signo Crucis ab se, qui expulit immunditiæ hostem, quamuis interrogaretur mulier, tamen dixit minime posse cum iuramento digito designare hunc esse, nec re uera certo denotari valet persona ignota semel, & per transitum inspecta, potissimum quoniam statimatque se aueirit ab obtutu vanitatis; verum ex inditijs, & particularibus circumstantijs clare argumentata est, quæ fuerit, quare enuntiauit virum extitisse procerę staturæ, parumper incedere claudicantem, esseq; senio confectum, & demum colorem quoque designauit, inclinantem nimirū ad fuscum; vnde clare concludebat, ex his proprietatibus, Patrem Camillum

Lib. 3. c. 23.

1613.

extitisse, & profectò alter non poterat æstimari, vt ex sequentibus enucleatius patebit; non tantum scilicet Camilli orationibus eam mulierem Domino adhæsisse verum, vt legitimum, ac nobilissimũ pietatis germen in ministrando pauperibus ægris claruisse, vt mox innotescit.

43 Itaque præmemorata mulier cum optasset Generalem suorum facinorum confessionẽ efficere, & anceps affligaretur, quomodo eam inchoaret, vel quibus terminis clauderet, dum enim ita iactaretur à quadam Deum timente persona ad Patrem Camillum directa est, à quo nimium consolationis recepturam admonuit, veluti viro in Dei negotijs admodum ardente, atque experientia singulari renidente, illuminataque mente pręcellere, ipsa incunctanter iuxta prudens consilium Patrem Camillum adijt, qui tum inter Hospitale Sancti Spiritus pietatis opera exercens incolebat, ipsumque sui desiderij participem effeçit, Pater vero, qui mulierum colloquia deuitare prorsus consuetum habuit, huic tamen benignas præbuit aures, & agnoscens æstuans Deo seruiendi, & suorũ criminum pęnitentiam agendi desiderium, attentius auscultauit, specialiter intelligens admodum nubilum cor propter commissa piacula tenere, & quo pacto generatim de illis confessionem agere angebatur; Pater vero eam studuit consolari, & post pauca verba, subiunxit, ad se, quoad confessionem generalem sequenti mane regressum faceret, qua redeunte, iuxta Patris præscriptum tempus, è pectore repente quamdam schedulam detraxit, in qua (ò mirum quidem factum) notata mulieris facinora cùm essent, ea attendente Pater Camillus recitauit, quam illi porrexit adiungens, hæc est quam desideras generalis tuorum confessio delictorum, illam chartulam suscepit cũ rubore mulier, & gratiarũ actione, hanc pœnitentẽ Seruus Dei Camillus, Patri cuidam ex nostris auscultandam in confessione tradidit, de ipsa ad summi Dei honorem subnectere, aliqua operę pretium esse duco.

Loco citato

44 Hæc mulier tanquam sui Patris, hoc est Camilli, facta æmulatrix, prægustata spiritus dulcedine, nã famelica Diuinissimo Sacramento iugiter vixit, illud sępissime communicans, habitacula ægrotarum mulierum, & illud Sancti Spiritus quoque, ob sui Patris venerationem, vbi exordia spiritus susceperat, cæpit frequentare, admiranda cum pietate, nullum misericordię opus prætermittens, quin impenderet, earum vlcera tanquam rosas contrectans, & nidorem veluti redolentiam hauriens, & vlcerum vermes non secus ac gemmas deputans: à proprio corpore plerumque detraxit escam, vt illis afferret refrigeria, nulla putauit vilia exercitia, aut stomachosa, quæ in pauperum ægrotantium redundarent emolumenta, eorum lectos accurate versit, mundauit, strauit, dormitoria verrit, aquam supposita pelui manibus infudit, cauteria medicata est, incomptos capillos pexùit, & fibula subligauit, sed hoc modicum certo est, si ad opera comparatio fit animam concernentia; hac enim via, & hoc stratagemmatę, suoque exemplo, ac oratione multas turpitudine inuolutas mulieres ad honestam trahere frugem studuit, & pauperculas ægras non paucas ad patientiam suis monitis, & vitæ integritate cohortata est. Istud sane exercitium penè quolibet die donec superuixit, in Hospitalibus asseruauit, dicta fuit Patris Camilli pœnitens, à natiuitate vero nomen obtinuit Dianoræ, quæ non tam subtracta sibi esca necessaria pauperibus ægris, vt alimenta afferret eã dispertita est, prout nuper vidisti, verũ his bonis cumulata operibus Sacramentisque circumornata, qualis vixit, sic functa est anno circiter 1630. iam æuo, & meritis matura.

Alte-

1613.

De vita Dominæ Critiæ Romanæ.

45 ALterius mulieris non inferioris ordinis, ac meriti, arrepta occasione, in medium ducere aliquot acta compendio tamen, non indecorum, aut importunum puto, hæc siquidem Critiæ nomen suscepit, quæ diu cum viro suo torum maritalem seruauit inuiolatum, quo defuncto multorum prædiorum possessionem adepta est (coniux autem artis physicæ professor extiterat) quibus ipsa satis iuxta sui conditionem affluenter vitam ducebat, attamen quia formosa, & suo nimium credebat colori, vane, & ornate ab intuentium oculis spectari concupiuit, quare plurium profanorum adolescentum corda rapiebātur, vnde certo tenebatur diu in eo statu nequiuisse perseuerare absq; suæ honestatis, & animæ iactura, atque multorum perditione, hæc tandem in manus cuiusdam Patris nostri in Ecclesia Diuæ Mariæ Magdalenæ, vt cōfiteretur, cum incidisset, adeo eiusdem Patris consilia in Critiæ pectore impressa inhæsere, vt, Domino miserente, sequentem germinarint, nobilemque effectum; vnde cunctis depositis ornamentis vili se induit tunica, & genas, quas fuco decorauerat, lacrymis correxit, ac depressit, hæc pia mulier suæ conscientiæ directorem, & magistrum in via spiritus habuit Patrem à confessionibus Petrum Franciscum Pellizonum Mediolanensem nostræ Congregationis Religiosum singularis quidem puritatis, & dexteritatis in dirigendas ad Dominum animas, quem vsque ad suimet obitum hæc mulier Patrem detinuit spiritualem, ipsam per virtutum semitam prudenter, feruenterqūe incedere instituit, quæ veluti huius Religionis vbertima proles post sumptionem cœlestis escæ, nempe sanctissimæ Communionis, tamquam saginata (qua frequentissime reficiebatur) ad Sancti Iacobi Nosocomium, vbi mulieres vlceratæ decumbunt, recurrebat, quibus miranda cum pietate subseruiuit, & illas fœminas eo trahere consueuit, quantas sua solertia licuit habere, & valuit, vt cum beneuolentia ministeria ægrotarum peragerent; omnem itaq; pia mulier Critia famulatum inibi eis impendit, tum ad animam, corpusque spectantem, & quia plura supra recensui huiusmodi ministeria infirmorum, hic frustraneum est replicare: quæ sanè ægrotantes maiori indigebant auxilio, eis socia, & serua fiebat, propter eum, qui se subiecit hominibus, cum esset omnium Dominus: diu cuidam ægræ habenti totius faciei ambitum, ab infestissimo morbo corrosum, dulciter deseruiuit, tamquam Domino, in qua sibi figurabāt, expressum, hæc enim infirma ab omnibus deuitabatur, & sanè illa visa insuetus inducebatur horror, pessimaque olentia, Critia vero tanquam sincera Domini amatrix, ea inspecta, non se auertit retrorsum, sed ei omnem suam operam, industriamque obtulit, porrexitque, manibus illi cibos suggerens intra os, nā præter dentes, & guttur male sanum, omnem carnem à vultu, siue cācer, siue morbus gallicus ederat, quidquid ei opus fuit sedulo præbuit, quoad animam exalauit; præterea amans extitit cunctis infirmis mater, & magistra non ad docendum eas artem aliquam vanitatis, verum ad amandum Saluatorem, & pro ipsius dilectione quælibet esse aduersa, æquanimiter ferenda, & fallax prosequendum esse odio sæculum: nedum alijs his monitis, verum sibimetipsi magis profuit, & licet votum non emiserit paupertatis, nihilominus pauperiem supra quaslibet mundi diuitias, siue delitias adamauit, & secum diu necessitas conuersata est, nam plerumque emendicans visa est, & inter pauperum turmas se conserere, non semel, sed sæpe eleemosynas efflagitare quotidianas agnita

fuit,

1613. fuit, quæ in Monasterijs extra ianuam fiunt, illasque expectare, expostulare, ac demum oblatas sumere vna cum alijs inopibus, cum esset ipsa Romana, & non infimæ famæ, ac familiæ, sed satis nota, vnde dapem, inquam, in parua olla, & frustum panis mendicis erogari consuetum, ipsa suscepit in sui alimentū, ꝑpria vero bona pauperibus partiebat, gaudens ipsa in aduersis, & in egestate, atque iucundabatur magis sua substantia cæteros fouere, & se de micis, & reliquijs à mensa seruorum Dei detractis, ac superfluentibus alere, eius cubile non delicatis lanis, & linis compactum, sed vile fuit stramentum, quod vix ipsam capere concedebat, id duplici ex capite factum est, nimirum, vt corpus eius delicatum, delitijsq; assuetum rigore asperitatis cruciaretur, & quæ blanditijs contraxerat peccati venena, modo acri maceratione expurgaret, secundo, vt orationi intentior, ac sollicitior incumberet, cui assidua intendit, ex sua conuersione advsque obitum vili indumento texit corpus, & fractis speculis, Dominum sibi delegit pro speculo Cruci affixum, in quo respiciens suas composuit actiones, animumque exornauit virtutibus, vnde magistra euadēs caritatis, paupertatis, & humilitatis egregia reliquit exempla post se, non modo laicis, verum etiam Religiosis ad perfectionem anhelantibus: hinc peracto suæ vitæ curriculo acerba morte, sed matura virtutibus, in iuuentute rapta est, eius corpus seruatur in Ecclesia nostrorum Diuæ Mariæ Magdalenæ quo adusque vocatum, fruatur quoque ipsum bonis operibus, quibus abundauit, habuit enim Sacramentorum præsidia, hæc autem digna mulier non tantum nostrum institutum viuis misericordiæ operibus illustrauit, verum Religionem decorauit multis bonis viuens, & post lethum eam cumulauit.

46 Propter hæc nobilissima pietatis, & Christianæ perfectionis germina, quæ ista Religio in Dei Ecclesia profert, humani generis hosti incessanter perosa habita est, & eam compluries enixus est explantare, sed in cassum labores fraudolentus absumit; quocirca aduersus Patrem nostrum Camillum multotiens rabidam iram exacuit, veluti per sequentia patebit exempla.

47 Lib. 3. c. 20. Romæ sub maioris noctis silentio, quando cæteri profundiori somno grauati stertunt, Camillus vero altos auditus est emittere clamores, & magna voce ad se Patrem Franciscum Prophetam compellauit, vt commendationis animæ librum afferret, eiq; fidei protestationes, vt morientibus fieri consuetum est, recitaret, quod prompte idem Pater Franciscus exhibuit, at seruus Dei Camillus nulla tum ægritudine tenebatur, sed certa fama mane per Conuentum disseminata est, in eum dæmones iniecisse manus, vt ipsum strangularent, Camillus autem nemini, quod ei occurrerat, vnquam manifestauit, cūcta sub humilitatis velo cęlans, quod illi Dominus euenire permisisset.

48 Genuæ intus Xenodochium ægra mulier arreptitia decūbebat, hæc, immo vero spiritus nequam ex ore ipsius, cum illuc peruenisset Camillus, ipsum cōtemnere rabido contendit ore, appellans eum longonē, & propter vlcus in tibia gambonem, plerumque priusquam Hospitium adiret, eisdem vocibus lacessiuit, asseuerans modo accedit, congeminans eadem nomina, alias item addens indignationis voces, interim sæuiter mulier cruciabatur. Aliquando vero cum Pater Camillus ex eadem vrbe Genuæ profectus esset, spiritus immundus per mulierem in maximos risus irrupit, quocirca à Sacerdote interrogata illic assistente, quare tot cachinnis bestia irrides? non me possum, respōdit, à risu cohibere, etenim tibia illa marcida, intelligens de Patre Camillo, modo in foueam ab equo decidit, parum enim abfuit, quominus inibi spiritum efflaret, attamen si nunc liber euasit, non certo effugiet altera vice, quin

Loco citato

ipsum

ipſum interimam, poſt autem dierum aliquot moram, litteræ Genuam à Patre Camillo ſuperuenere, per eas ſuos alumnos rogabat, vt Deo grates rependerent; quandoquidem ab imminenti mortis diſcrimine illum Dominus incolumẽ ſeruauerat, ob caſum, dum Vrbem peteret, ne in præcipitem foueam rueret, repertum ſiquidem eſt, tunc temporis obtigiſſe, quando ſigna dederat infernalis draco irriſionis per os mulieris obſeſſæ; de ſimilibus euentis plura ratiocinatus ſum, cum de Patris noſtri itineribus ſermo factus eſt.

Lethi periculũ incurrit ob casũ in foueam. Lib. 3. c. 20.

49 Mediolani fuit à dæmone preſſus adoleſcens annorum non plus quam decem, & octo, inſidiatori nomen inerat Belzebuch, dum .n. à presbytero exorcizaretur adoleſcens, iuxta ſui cõſuetum nefarius plura protulit horribilia, ſpeciatim aduerſus præfatum Sacerdotem; demum exorciſtæ imperio coactus ad extremam pedis partem deſcendit, at caſu in ea domo Frater quidam ex noſtris adfuit eleemoſynarum quæſtor, nominans Patrem Camillum; tum dæmon ſæuiſſime, ac repente rurſus aſcendit ad linguam, & energuminum diſcerpens ait infando ore, nequeo hoc nomen audire, mihi infeſtiſſima eſt talis vox, hic enim iugiter meis aduerſatur votis, poſtquam vero adoleſcens quieuit, aſſeruit, ſtatimatq; vocatus fuit P. Camillus, obnubilari mihi ſenſi cor vehemẽti dolore, qui ab eo nedũ viſus; verũ nec auditus fuerat P. Camillus, quę res mirãdum in modum à perſonis circumadiacentibus obſeruata, ab alijs noſtris relata fuit.

Dicto loco.

Dæmon indignatur audito nomine Camilli.

50 Cum rogaretur P. Camillus ad aſſequẽdum à quodam nomine Fraiella ex Bucchlanico, tum Teate commorante, cuiuſdam quærelæ remiſſionẽ aduerſus Luciũ Semidonnã (Camillus verò, qui conſuetum habuit in his ſe commiſcere cõcordijs, operibuſq; pietatis) prompte Teaten adijt; dum .n. fores percuteret dicti Fraiellæ, ait hic ſane dominatur magna beſtia (ſic diabolũ de more illi fuit appellare) itaq; Camillus multis, & efficacibus rõnibus, ac hortamentis memoratũ Fraiellã rogauit, vt animo libenti ad ſui ſeruatoris imitationẽ noxã condonaret, hic obſtinatior factus, & ſimilis eidem beſtiæ, à qua, vt equus per frenũ, portabatur, aures continuit, duriterq; reſtitit; nullatenus parcere inclinans; Demũ Camilllus ad ſua confugit arma, extulit nimirum Diuiniſſimum Crucipendentis Dñi ſimulacrũ (q̃ ſemp̃ à latereære inſculptũ geſtauit) propter hunc ſaltẽ ait vniuerſorũ Iudicẽ ſæuiſſimum aduerſus obſtinato corde, ac immiſericordes viros offenſã remitte; non ſatis fuere quælibet verba ſeu media; nec mirũ, quia clare affirmauerat Camillus adhuc, ianuã pulſans, præſtolãdo, inibi malã beſtiã incolatũ facere, tandẽ concluſit Camillus, tu nullis precibus, & via flecteris, tãquã inhumanus in parcẽdo fratri tuo; ego vero te, ac diabolũ, ſub cuius tyrannica dominatione regeris deluſos, Deo fauente, reddam, ita profecto euenit, vnde Neap. ſe conferẽs pro dicto Lucio omnimodã obtinuit abſolutionẽ; licet tribus annis ad remigãdũ ſupra regias triremes fuiſſet antea condemnatus; itaq; Satan, qui erat huius impietatis caput, agnitus, deuictuſque à Seruo Dei Camillo deiectus abiit ad propria inferni loca. Alia offeruntur erga præſentem materiam exempla, quoniam prope, vel ad eius obitum ſpectant inibi reuocantur, nonnulla vero anteà recenſita legi queunt, modo tempus exigit, vt cum morte Patris noſtri Fundatoris totam annorum ſeriem, librumque iſtum obſignauerim; ſed prius notandum. Prope Kalendas Auguſti 1641. ex hac vita migrauit Eminentiſsimus Cardinalis Franciſcus Bagnes vir ſpectatæ prudentiæ, & egregij meriti noſtræ Congregationis Protector, profuit multum noſtrorum familiæ toto decurſu temporis, quo caluum tenuit, quem pene biennio rexiſſe cognoſcimus: principio autem eiuſdem

Dicto loco.

Recenſetur inhumanitas non parcendo inimico.

Nonus Protector ſufficitur.

1614.

Augusti suffectus est Meritissimus, & Eminentissimus Cardinalis Iulius Sacchettus, quem suscepimus, veluti Dei donum, & necessarium ad hanc Religionis plantam propagandam, cui tamquam peculiari patrono præsentis voluminis dicaui labores: verum super hæc fusius proprijs temporum spatijs indicabit narrationis series; interim perfunctoriè quædam annotantur, ex prælo, dum scripta premit, occasione capta.

Annus Domini 1614. & Religionis 24. Præsentis anni anfractus, qui est finis huius tomi, mœste clauditur, quia sol, vt ita dicam, nostræ Religionis, hoc est Fundator P. Camillus occidit, in illum triumphalem, vt credimus, polum, demigrans; sed prius aliqua præmittantur spectantia ad ipsum erga Religionis Regulas, & famam proximi.

Exordium dicendorum hoc anno.

1 DEuoluentis Anni ambitus, mentem, & atramentum trahit ad enarranda, quæ Patrem nostrum Camillum præiuere, comitata sunt, ac subsequenter se manifestarunt in eius obitu: de reliquis quoad particularia Religionis, nihil, siue prope nihil momenti, ac noui me sollicitat, verum si quid præsefert, noscetur inter de eodem Patre sermocinandum. In discursu enim ante acto, puta elapsorum annorum, siue serio, [illegible]ue casu, siue vtrumque in causa fuit, prætermissa esse duo ostendere, in qu[illegible]s feliciter floruit Pater Camillus, nimirum eius zelum erga obseruantiam Constitutionum, ac Religionis regularũ; quandoquidem per eas ad perfectionis culmen fit accessus, atque adspirat, fauente Domino, Religiosus. Secundo quanti fecerit proximi famam; propter ipsius equidem contemptum, & paruipensionem, pene, vt probat Gloss. totum genus hominum periclitatur, de ambobus digne, ac breuiter dicere; priusquam ad ægra transeat sermo, faueat Cælum: ne mihi lector quæso succenseat, duo enim hæc quasi duo arbitror testes irrefragabiles, quibus si nos fideliter adhæserimus tutos coram æterno Iudice constituent, secus sane formidolosissimos.

De zelo circa obseruantiam regularum.

2 Non obliuiscor me pluribus in locis voluminis istius, de Camilli quam strictâ constitutionum Congregationis obseruatione meminisse, sed illud, ni fallor, derelictum iacuit, quomodo zelanti corde intenderit, qualiter nos per earum anteire obseruantiam oporteret, & qua pœna earum desertores punierit, hic paululum immorandum censeo, & aliquid de ipsius studio in exequendo, quod alijs præcipiebat, interponam, alibi intermissum: quoniam non prodest iubere, si facere abest; exeant igitur in campum exempla.

3 Aliquot tempore orientis Congregationis in Nosocomio Sancti Spiritus

Ro-

Romæ à ſpiritu intemperantiæ ducti contra regulæ præſcriptum quid obſonij ſumpſere, vnde agnitum à Patre Camillo maximopere hunc exagerauit defectum, & poſt aſperam domi noſtræ coram omnibus redargutionem, & proiecto ſupra tellurem Conſtitutionum libello, zelatus, vt Moyſes, illum diſcerpſit, inquiens, Quid iuuat tot ordinationes conſcribere, ac totiens legere, nĩ obſeruantia comitetur, vnde adductis ſæcularibus veſtimentis decem ex ipſis in domos ſuas priſtinas protinus dimiſit: ſi illo paruo næuo à Congregatione expulſi ſunt, certò nobis argumentandum eſt, maxima cordis intentione eos vigilaſſe in obſeruandis Regulæ ſtatutis, quando ſæuiſſimè leuis culpa in eis mulctabatur. Tempore enim Apoſtolorum propter mendacium de non deſignata integrè venditi agri pecunia, Ananias, & Saphira eius vxor (tremebundis, & aſtantibus cunctis, totaque Eccleſia) exanimes cecidere.

Ob gulam quidã ab ordine eiciuntur.

5 Illis quoque tempeſtatibus quidam in Congregatione admiſſus eſt multis litterarum ornamentis conſpicuus, & potiſſimum ſacra Doctrina decorus, hic ſuggerente mala infernorum beſtia, nouam inſtituere Congregationem moliebatur pro militum in bello animam agentium adiumento, quod ſane non latuit Camillũ, ſed protinus pro nouitate illi, habitum ademit, & tãquam arida virgulta vna cum alijs quatuor ſocijs ab agello Congregationis euulſit. Quare qui altius capere volatum temere præſumpſerant, terram repere coacti ſunt, & dum reſcindere recentem Congregationis tunicam adnitebantur, præciſi ab ea, portum, qua fruebantur, amiſere, interque procelloſum ſæculi mare iactati fluctuantes, ad naufragium ſe expoſuere.

Alij quoque eiciuntur.

6 Illis primordijs in Congregatione leuis quidem macula non leui pœna emendabatur, plerumque dimiſſi ſunt alij, vel eo quia minus quam honeſte luderent, hoc eſt ſe tangentes, vel quoniam cum Laicis locuti ſunt, ſiue litteras, vel ſcripſere, vel ſuſcepere clam ſuperiore, ſiue eo quod non modeſte domi, vel per plateas incederent, aut quoniam in opere obeundo pietatis, & in ferẽdo infirmorum imperfectiones impatientes adinuenti ſunt, ſiue demum quoniam in obediẽdo difficiles ſe pręſtarent his, ac perſimilibus cauſis excluſi merito ſunt, interim Congregatio expurgabatur, & reſidua perſeuerans familia facilius, ac felicius ad perfectionis faſtigium, prorſus eradicatis imperfectionum dumis, feſtinabat. Frequenter Camillus in popinam, refectorium, & in officinas purgandi pannos, & cuſtodiendi ſuppellectiles, ſiue in cellam pœnariam ibat, ſiue vinariam, vbi ſi quempiam apprehendiſſet confabulantem aſpera redargutione correxit; quare vnuſquiſq; in proprio obedientiæ munere adeo intentus operabatur, vt ſibi ipſi admodum incumberet, ac obedientiæ ſatisfaceret, hinc coqui dextera coclear tractabant, à ſiniſtra vero pendebat, Sacratiſſimæ Virginis Roſarium, vel cum ſilentio eo in humili loco miniſtrantes, mente tamen per Cæleſtia diſpatiabantur; ſic pariter alij in reliquis æmulati ſunt officiis, ita vt his in diuerſorijs, veluti in oratorijs eos commorari aſſentitus eſſes. Et cum aliquãdo vnus ex fratribus poſt menſam in redditione gratiarum, haud capitis inclinatione, in verſiculo, Gloria Patri, &c. indiuiduę, ac Sacroſanctæ Trinitatis nomẽ minime reueritus eſt P. Camillus, poſt acrem correptionem illi pondus à ceruice pendens non leue appoſuit, vt in menſa multis diebus dum recumberet, ſuſtineret.

Leuis macula acriter puniebatur.

7 Si in aliqua Religionis æde relaxationes erga obſeruantiam intercederent, neminem aiebat puniendum pręterquamquod ſuperiorem, qui calcitrantibus aduerſus obedientiam non obſtat, ſi autem vileſcit, vel pauet proteruorum audaciam, ſe ſoluat ab onere, ſimiliter aiebat, oportere præpoſitos ſiniſtra

Culpãdi ſũt Superiores in defectu ſubditorum.

noua-

1614.

nouaculam tenere, reliqua vero ſaponem, vt temperet cum rigore manſuetudinem, ac modeſtiam, ne probi opprimantur, & rei virga diſciplinæ ad ſemitam attrahantur communis obſeruantiæ, itaque cum his aculeum adhibeat; illis vero mel expergat humanitatis, ac beneuolentiæ: propterea quod hanc diſciplinam veluti magiſter, ac paſtor edocuit, in reliquo ideſt in operis exhibitione ſegnis friguit? nequaquam, verum ſuarum inſtitutionum propemodum diſcipulus effectus, impenſe, quæ iuſſit clara operatione compleuit: quare à pleriſq; propter ſui æſtuantem zelũ virtutem minimè ſectantibus inflexibilis, & duræ ceruicis exiſtimatus eſt, ſed horum latratus vilipendebat Camillus per rectam æquitatis ſemitam perpetuo incedens, neque iſtorum quærelæ quicquam illi adimere valuere, immo potius ipſum coronarunt, vnde purior, ac ſolidior, tamquam vas à fornace detractum, idoneum in principum menſis exponi, enituit.

8 Modeſtiam nedum in locis neceſſario habendam, vtpote Domi, per vias, in ædibus infirmorum, potiſſimum in Oratorijs, verumetiam ruri, & dum corpori aliqua relaxatio condonaretur, mirifice adamauit; vnde Camillo relatum fuit aliquando, quemdam ex Studentibus noſtris pet agrum diſcurrere calamum inflantem, ac ſonantem, ad ſe indeſinenter iuſſit accedere, qui tremens adoleſcens adijt, & tamquam de graui inſimulauit delicto, ſæpe congeminans cur infirmorum miniſter ita incompoſitus, & leuis per ſata audet ambulare, quo circa eodem in tempore, ac loco ceteris præſentibus noſtris Religioſis extracto torace acri diſciplina ſeipſum flagellare præcepit, addens, Deus tibi contritionem elargiatur, ſic ei de more fuit, dum defectus redargueret, proferre.

9 Licet enixè cuperet ſuos eſſe prudentia, & eruditione decoros; attamen iugiter cuilibet diſciplinæ, morum probitatem prætulit, cum ſacra volumina teſtentur: Timor Domini ipſa eſt ſapientia; vnde ſui ſtudijs operam dantes, maluit, vt non in Domini, ac proximi dilectione tepeſcerent, ſed ſtatis temporibus ægris inſeruirent, & à lectione ſcriptorum iam functorum, viciſſim tranſire ad Hoſpitale; vt ægrotorum linteos reuoluerẽt, ac viuis codicibus ſtuderent, vnde plerumque litterariam adijt paleſtram, ibique ſi quemquam ex ſuis minus quam decenter ſubſidere contueretur, non mediocriter obiurgauit, illud Seraphici Patris Franciſci proloquiũ promens, Pariſij, Pariſij vos mihi ſtudia euertitis Aſſiſij, qua ſane arte, & hac ſollicitudine attente intendit, ſtricto glutino has ſorores, probitatem nempe, & lectionem ſimul nectere, vt poſſint gloriari ſuper illud Euangelicum præconium: Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum; & horum ſtudioſorum maxime virtutum, & humilitatis affectum, nimio honore proſecutus eſt, imperans eis etiam ſub præcepto ſcandere ad dignitates, vt per ſequens claret reſcriptum.

Cupiebat ſuos magis virtuti, quã litteris incũbere.

Camillus de Lellis Præfectus Generalis Clericorum Reg. Miniſt. Infirmis.

10 QVoniam noſtri muneris eſt Eccleſijs noſtris prouidere, qui ſacris intereſſe, Deum Optimum maximum deprecari, ſacrificiaque offerre debent, cum te Religioſum Fratrem noſtrum Dionyſium Nauarrum Hiſpanum expreſſe profeſſum, & confirmatum, ex legitimo matri-

Ordinatus quis ſub præcepto S. Obedientiæ.

monio

monio natum, ac in ætate legitima conſtitutum, necnon prima tonſura, quatuor Ordinibus, & Subdiaconatus initiatum, vita, & moribus ornatum, & nullo crimine, vitio, defectu, nec alia cenſura, irregularitate, vel impedimento canonico impeditum, & detentum eſſe comperimus, vt Religioni noſtræ conſulamus, per præſentes tibi ſupradicto præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ ſub formali præcepto, vt coram quibuſcumque Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſeu alio quocumq, Catholico Antiſtite, tam in Hiſpaniarum Regnis, quam Italiæ, ſeu quocumque alio loco comorantibus, & degentibus te præſentes ad Diaconatus, & Præſbyteratus ordines ſuſcipiendos ad titulum paupertatis, vt Religioſorum Mendicantium moris eſt, non ſeruatis temporum interſtitijs ob Eccleſiarum noſtrarum neceſſitatem, & vtilitatem: In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. In quorum fidem has præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ die x. Menſis Octobris 1599.

Camillus de Lellis.

Loco Sig.

Alexander Gallus Secr.

11 Et ſi in demoliendis infœcundis defectuum germinibus ſtricta cenſura inuigilauit, nihilominus ſummopere ſtuduit, vt ſuis nihil deeſſet, vnde ſeſe (vt ita loquar) euiſcerauit, ſuorum, vt occurreret neceſſitatibus: nominatim ægrotorum quocirca: ſi erga exteros pauperes tanta ſe dilatauit caritate, vt ſæpe narratum eſt, qua maiori putatis ſe erexiſſe ſubueniendo ſuis, quos in Domino pepeṛat filios? ſit igitur ſequens pro teſtimonio exemplum.

Præſto eſt in neceſſitatib. ſuorum.

12 Aegrotabat quidam ex noſtris, & in grauem cibi inappetentiam incurrerat, vnde valetudinarius, vt ei morem gereret, poſtulauit, ſi quid appeteret, quod ſibimet complaceret; libenter infirmus, ait, vnicam Hiſpaniæ oliuam comederem, prompte exequar reſpondit, & in plateam contendit, at quoniã hi fructus rariſſime eo tempore Romæ inſpiciebantur: quare, ne in opere caritatis deficeret, idem miniſter aliquot paucas oleas magno pretio comparauit, nempe quatuordecim Iulijs, & cum domum properaſſet, ac Superiori id intonuiſſet, pro mercede acidam ſuſcepit correptionem, & in menſa communi, pro purganda ſui defectus pœnam, genua flectere indixit, id noſcens P. Camillus omnem ei noxam condonauit, immo addidit in hac nullum admiſiſſe defectum, recteq; egiſſe, quandoquidẽ ægris in complacendo, exigit pietas, omni liberalitate procedendum eſſe, & abundare in opere caritatis, maxime infirmorum, honorificum, valdeque virtuoſum eſt, vnde ipſe *Præfectus* bene eruditus, & correptus, quieuit.

Laudat, qui multum pro ægro erogauerat.

13 Sæpius Pater Fundator eoquod non ſolerter, & temporanee Medicorum præſcriptiones coaptabantur ægris, acriter miniſtros correxit, deſuper pœnã apponens: de ſe memorat *Pater Sanctius*, propereaquod aliquanto ſegnius conſueto ægroto duxerat ſyropum, facta peracri à Patre reprehenſione, diſciplina, vt à ſe vapularet coram infirmo, iuſſit, poſt eius finem, ab ægroto pro tarditate, vt veniam peteret, & demum illi febrienti pedes deoſcularetur, quoque iniunxit: ac proinde quilibet proprium munus attente, & cordate obibat; Camillus vero æſtuanti zelo, paternaq; diſciplina cunctos recte incedere minime negligebat.

Pœnam luit ſero ferens ægroto ſyrepum.

1614.

Non ingreditur cubiculũ vbi super cibos lamenta senserat.

Genuæ quoniam lamentari fratrem quemdam intellexit, afferentem eo mane in mensa nil illi in portionem præter os obtigisse, id tamquã sacrilegium audiens Pater Camillus detestatus est, vnde iaclamans, ait, de hoc frater verba facis, hæ sunt Deo summo Benefactori gratiarum exhibitiones? ò te valde infelicem, & immeritum Religiosi habitum deferendi, vt animal immundum, ventrem satiare intendis, & non potius sancta lectione mentem: adeo huiusmodi lamentum exosum habuit Camillus, vt amplius illud in cubile, vbi hæc audierat, introire deuitauerit. Ipse vero (vt sæpius memoraui) accuratissimus, atque amantissimus Regularum Religionis obseruator extitit, at quoniam alias super hoc extensus est discursus, ad vlteriora protrahere sermonem fas est. Quoad ei licitum fuit seipsum, quamuis à varijs opprimeretur ægritudinibus, & ceteros ad communem vitam retrahere conatus est, celebrans amplius communem viuendi morem, quamuis aliquando lautus foret, quam singularem extra communitatem, licet striction vita, etenim plerumque odio magis habetur, vel tædio, parua olla, vbi legumina pro vno coquuntur, quam caccabus carnibus pro cunctis redundans, sed de hoc sunt passim volumina aperta illa desideranti patere poterunt; nunc aliud, de tutanda proximi fama in medium, strictè tamen, prodibit. 14

Aduersans susurronum.

Horum, qui dilaniare proximi famã contendunt; siue aliorum virtutes obducendo, siue de facto detegendo, commercia declinauit Camillus, & multoties, quod Regius Prophet. edocuit, & effecit, dum ait, Detrahentem secreto proximum suum, hunc persequebar. Quocirca siue res, & materia leuis afforet, siue grauis, susurrones redarguit, si minime posset, mœrens ab eis se elongauit, effugiens ea verba, quasi pestilentem aerem. Consueuit tamen facta excusare, si id non poterat, intentionem adhibuit pro defensionis clypeo, optimam fuisse affirmans in operando proximi mentem. 15

Excusat furantis intentionem.

E nostro pago quædam à latrone fuere surreptę gallinę, cum illud esset Camillo delatum, nomenque latronis sentiens nominare, illius misertus est, nec sibi valuit persuadere quemquam eas ausum esse furari, sed duce extrema necessitate illas accepisse: acerbe itaque aduersus talis facti nuntium ait, quid furari frater, quid sibi vult latro, proculdubio ille vir stricta pauperie coarctāte ipsas impune suscepit, tuque falso putas à latrone fuisse surreptas, quin potius, quem necessitas coegit, abstulisse: in eo claruit Apostolica sententia, Omnia munda mundis; & ille, qui nec minutissimum quemuis obolum ab alio inuito amouisset, in eius animum cadere non poterat, nisi excusante inopia, quemlibet aliena rapere. 16

Tegit furem

Ea tempestate quando Pater Camillus intra Sancti Spiritus Nosocomium moram faciebat; die quadam illi obtigit, in cubiculo Reuerendi Patri Francisci Bosij Hospitalis eiusdem Rectoris, furem, qui multa colligauerat in vnum, & subtus pallium abdiderat, offendere, hic spectans Camillum exterruit derelinquens vestium sarcinulam, ac genuflexus à Patre petijt, ne diffamaretur, quandoquidem illud agere pauperies adstrinxerat, Pater vero Camillus non exclamauit, non furantem detinuit, quod satis commode valuisset, eoquod latro, vt lepus, extimuit, namque crimen indidit illi formidinem. Seruus vero Dei Camillus nihil ei mali intulit, sed post depositum furtum, ostendit quosdam, qui à fune pendentes agitabantur ab aura propter latrocinium, decerne, inquit, illos tres infaustos homines à furca cadentes, & cogita attente, ne simile quid incurras, talem proculdubio lues pœnam, ni ab hoc desistes 17

furan-

furandi execrabili vſu, & cum ſpopondiſſet latro reſipiſcentiam clam illum dimiſit. Verum in eo modeſtia Camilli, ac manſuetudo enituit, quoniam cum eſſet ipſius cella illi dicti Rectoris cohærens, idemmet fur ab eadẽ multa ſurripuerat, de quibus nullum indignationis veſtigium oſtendit, dumtaxat, inquit, noſtro cubiculo multa deſunt, & ſubito illum excuſans, ſubdidit, non arbitror à te fuiſſe abrepta, attamen ſi forte id eueniſſet, de cunctis te abſoluo. Reuerendus vero P. Rector iam memoratus, cum horũ omniũ conſcius eſſet, Camillo ſuccenſuit, cur intra cubiculum latronem non clauſerit? atq; extemplo vociferauerit? ſeruus aũt Dei ſubintulit, ah nonne ſatis eſt Reuerentię veſtræ, illum miſerum hominem ſpopodiſſe numquã ſe ad talia reuerſurũ delicta, nec deinceps huc acceſſurum? vrget enim caritas, ne fratrum noſtrorum famam obſcuremus, ſed ſub ſilentij pallio contegamus, non autem buccis ſonantibus eam pandere fas eſt. Adeo exinde cum eodem Domino Franciſco efficaciter operatus eſt, vt ipſimet latroni pluſquam nonaginta aureorum ex bonis iam ſublatis, condonauerit. Nuſquam, licet varijs vijs tentatum fuerit, ex ore Camilli exijt, quæ fuerit talis perſona, neque illius aliquas indicauit faciei, ſiue indumentorum coniecturas, ſe protinus excuſans, vt ab hoc eximeretur tędio detegendi delinquentem, non recte, neque attente in illius perſonam intendiſſe, & propterea dare nulla ſigna ipſius conſcientia permittebat. Præclarum eſt Dei ſummi famulis noxam ignoſcere, & penitus condonare; at ſi ſcelera, furta præſertim, ab his, quorum intereſt, minime mulctarentur, cito totus mundus corrueret.

Nequit duci ad detegendum latronẽ

18 Tunc temporis dum in Noſocomio Rhedatum, cuius adminiſtratio Camillo fuerat demandata (vt ſuo loco extenſum claruit) à quoddam latrone complura veſtimenta pluſquam ſemel, & bis fuerant clam ſublata; caſu accidit, ſiue furis infortunio, ſiue vt Camilli commiſeratio, in tutanda proximi fama, atque in relaxandis ſibi irrogatis damnis, probaretur, inuentus eſt inter eundum à ſatellitibus latro veſtium ſarcinula, à quibus ligatus in vincula deiectus eſt; factum ſimulatq; ad aures deuenit Camilli, nimio tactus dolore cauſam intellexit capturæ; vnde protinus occurrit, reperitque ſatellites, illoſque rogauit, vt eum abſoluerent, & illius ſe conſtituit patronus, à quo detrimenta, & furta paſſus erat; nequiuiſſet quicumque efficacius patrocinari hanc cauſam, qui tamdiu laborauit, & orauit, donec fur liber dimitteretur: quod obtinuit Camillus, ſupra damnum adiungens aureum, id gratis ſtatoribus exoluens, vt gratiam nanciſceretur.

A ſatellitum manu eximit furem.

19 Quidam adoleſcens à canibus morſus eſt, Religionis quandam vineam cuſtodientibus, omnes ſuſpicati ſunt eò acceſſiſſe ob furtum patrandum, cuius ſentiens Camillus cum mœrore vulnus, canes illico interfici iuſſit, & diſcerpi, parteſque per vineam in arborum ramis alligari, quem profecto ſi fas, & vtilitas propoſciſſet, illum proprio medicatus fuiſſet cruore; adeo de ipſius morſibus, & vulneribus doluit, vulneratum adiuuans in ægritudine.

Occidi iubet canes ob dãnum in puerum.

20 Non aliunde procedere exiſtimatur mordicus proximorum excuſaſſe delicta, famamq; viriliter contutatum eſſe, profecto, quam à conſcientiæ ipſius candore, vt apoſtolica lectio alias citata notat, Omnia mũda mundis: vigilantiſſimè quidem ſtuduit, ne minima, ſeu lęuiſſima ſe coinquinaret peccatorum macula, maximè in denigrando famam proximi, ſiuè de eo ſiniſtre machinando, vel opinando. Vndè ſicut in pleriſq; leue eſt materiam in confeſſionibus grauem inuenire; graue fuit, & laborioſum in Camillo leuem inueni-

1614.

re materiam, vt absolutio impenderetur: hinc sæpius flagitia, quæ adolescens patrauerat, confitebatur, vt certam materiam in foro pœnitentiæ, designaret; & cum aliquando ab vno ex nostris Patribus hæc dicta suscepisset Paternit. Vestra saltē adaperiat in Sacramento defectus in persoluendo diuini officij pensum, vel Sacrum peragendo; quos admisit, vel omisit, vt Sacerdos suo muneri satisfaciat; tum sufficiens dabit materiā, neq; hoc sine mendacij formidine valeo depromere, respondit; quandoquidem omne, vt in me est adhibeo studium, in recitando horas Canonicas, Sacrumque faciendo: quid ergo mirum si tantæ integritatis conscientia, alios compassa fuerit? & omnes, in quibus excusatio cadere posset, ex corde protexerit. Quibusdam verò, ardens diuino zelo, palam nempè peccantibus, blasphemis nominatim, grauiter succensuit, vt per aliquot exempla patebit.

Candor eius conscientiæ.

21 Camillus per quādam Vrbis plateam transiens nonnulos intuitus est aleis ludentes, sensitque licet non distinctè quemdam blasphemantem, cumque dubius esset; post aliquot passus, socium interrogauit, si verè ille blaspemus extitisset, socius vero affirmatiuè respondit, quocirca Camillus, quamuis multi prætergressi fuissent passus, faciem vertens, vocemque extollens ait, Frater, frater, ne contra Deum summum Bonum, suosq; Sanctos verba blasphemiæ insanè effutias, quia secus aduersus te cito Dei vindex ira cadet, qui maledicta aduersus diuinum cultum prodierat exterruit vehementer, reliqui vero edocti, & Camilli zelum commendantes blasphemum obiurgationibus lacessiuere.

Inuehitur aduersus blasphemum.

22 In Vrbe eadem Romæ Pater Fundator obuiam habens Rhedam, vbi plures ducebantur viri nobili loco geniti, illorum vnus ira percitus, iam in blasphemias sacrilegam cœperat linguam acuere; Camillus vero fortuito carpenti ianuæ adhærebat, qui protinus intra Rhedam bracchium exporrigēs propemodum maluisset sua palma illius claudere os, siue digitis linguam, ligare, & si quiuisset mentem quoque auertre, vt effecit, nam ille linguam intercepta voce, cohibuit, Camilli voces, quæ, ceu fulgur ex ipsius pectore prodiere, formidans, hic humiliter Patris correptionem sustinuit, vnde cuncti pia doctrina imbuti cæptum prosecuti sunt iter.

Quid simile.

23 Iterum Genuæ in Platea, quæ nomen habet Banchi, auribus percepit Camillus quemdam ore profano Dominum blasphemasse, has voces dum sentit, consternatus stetit, contremuitque, & à quodam repentino zelo inuasus vocem promere nequiuit: demum zelo incalescens acriter voces eleuauit, illiq; ait, Frater tolle mentem, & oculos sursum, inspice Cœlum; quid enim tibi mali summus ille Creator irrogauit? aut in quo te lęsit? quem tua scelera in cruce sæuissimè colligarunt, quid præstolatis? vt in tarctareum fortè ignem te demergat, miror quomodo hians tellus non te deglutiat hoc momento, sicut scelestos absorbuit Datan, & Abiron, & sanè pauor, qui Camillum inuaserat truculentior irruit in blasphemum, vndè demisso, ac pallido vultu celeri gradu indè excessit, illos habens, qui adderant sui criminis etiā obiurgantes, qui grates Camillo exhibuere omnes, propter ea, quæ blasphemum coarguendo edixerat: vnde mæstè profectus est Camilius, cui mos semper fuit, Dominum laudibus tollere immortalibus.

Aliud non dispar.

24 Cum relatum accepisset Camillus quodam in Nosocomio turpe fuisse patratum delictum, tanto dolore captus est, & adeò creuit intestinus mœtor, vt per quosdam dies sanguinem expuerit. Sed regressum ad candidam ipsius

inten-

intentionem faciendo,ſit pro concluſione,quod ſubditur. Aliquando à Laico quædam epiſtola oſtenſa eſt, à perſona exarata, quæ ſpiritum profitebatur bonum,cuidam immiſſa moniali; Camillus vero, qui iugiter nedum indifferentia optime fuerat interpretatus, verum & in multis natura malefactis rectam intentionem operantis (vt nuper recenſui) pro delicti aduocato opponebat: legit itaque Camillus, ac iterum perlegit epiſtolam,& obſcœna nulla in ea contineri nouit: immo potius in exordij margine reperit exaratum, Pax Chriſti, vt mos eſt à Dei famulis apponi. Tum quare audes indecore (ait) notare Dei famulos, non cernis inſcriptum, Pax Chriſti: dum enim hoc titulo muniuit epiſtolam,in ea non aliquod opus eſt intercedat ſcribentis turpe volitum, vnde accuſator contemplans Patri Camilli nitidus animus cum ſilentio, ac rubore deceſſit.

Excuſat intentionē ſcribētis ad monialem propter verba Pax Chriſti

25 Sed tempus, & occaſio inſtanter efflagitant, vt ad finem, ſicut lineæ ad centrum protrahatur omnis labor: verum nonnulla mihi lugubria, Patri quidem noſtro læta recolam. Et ſicut omnis laus tripartita diſpenſatur; primo tranſit per ea,quæ in vita geſta ſunt; ſecundo,quæ in dormitione,& poſtremo, ſi quæ mirabilia ſubſecuta ſunt lęthum,annotantur: at quoniam ea ſane illuſtrant hominem, quæ prodeunt ex animo virtutes, nominatim caritas, de ipſis quidem à Camillo exhibitis plura ſupra ſunt à me memorata;reliqum eſt dumtaxat, vt ſtrictim de his ſermo inſtituatur, quæ ad Patris noſtri lęthum ſpectant, primo quippe, quæ præiuere, vt ægritudo; ſecundo, quæ in ipſa ſpiritus exhalatione; tertio, quæ memoranda poſt obitum ſe obuiam fecere.

26 Ex quo Pater Camillus hac ſuprema vice Genua diſceſſit, petiuitque Romam, grauius conſueto captus eſt ab ægritudinibus, vt ſuperiori anno retuliſſe videor, modo enim tenebatur in lecto, modo facta ſuæ naturæ vi, & ſe ſe excitans ſibi veſtes ſuperinducebat, vt ſuo Domino in Hoſpitali quiuiſſet ſeruire, miniſtrando ægrotis, ſacroque intereſſet, at deiectæ naturæ tenuitas, ſtatimatque cubiculum repetere, & in ſtrato decumbere compellebat. Hinc enim cum ſemel ad præfatum iam Xenodochium S. Spiritus innixus baculo magno labore contendiſſet, domum noſtram opera rhedæ vectus eſt,ſecus media in via dum regrederetur iacuiſſet, & hæc vltima vices extitit, in qua gracilitas corporis ei permiſit ire in ſuum pomarium, hoc eſt Hoſpitale, quæ initijs Nouembris obtigit 1613. integro decurſu horum menſium vſque ad interitum, non adeo proſtratus iacuit in lecto, vt operum reminiſceretur miſericordiæ, quæ in eius præcordijs tenaciſſime figebantur.

Extrema vices qua Xenodochium petiuit.

27 Sępius interdiu valetudinarij auxilio ſibi veſtes ſuperinduxit, vt eis, qui domi ægrotabant noſtræ inſeruiret, illis aliquod pietatis opus exhibens tēporale, ſi vero tenuitas artuum non permitteret, ſaltem eos conſolabatur ad tollerantiam cohortans, & ad referendas Deo grates inducens, affirmans quoque cum mihi ſit vetitum intra Hoſpitale, vt in votis habeo ægris inſeruire, nihilominus hic meis patribus, ſicut valeo, operam impendo; ſiquidem ipſe magis maiori opera, & famulatu indigebat, quam illi, quibus famulabatur; permittebant enim id Superiores, vt refrigeria æſtuanti ardori, qui in eius præcordijs efferueſcebat, concederent. Quando vero campanulæ ſonitum percipiebat, quodam afficiebatur dolore, ac ſancta inuidia,cernens alios ad Hoſpitiū contendere,ipſum vero ab ægritudine non ire permitti,inquiens, ò vos felices, ac beatos,qui digni extitiſtis illis miniſtrandi pauperibus ægris,

Aeger exercet cum ſuis caritatem.

1614.

ac si nunquam eis deseruisset, & licet ipse atrociter ageretur à morbo, nusquam tamen suæ habitationis in Nosocomio Sancti Spiritus clauem separauit ab se, nolo aiebat, nisi post obitum restitui clauem cubiculi mei Rectori, cócupiuit ea tamquam testimonio vti in morte, se nimirum non destituisse seruiendi infirmis cupidinem, sed mortem eum sequestrasse, vt optauit, & edixit, ita asseruatum est.

Non reddit clauem Hospitij, nisi post morté.

Morbus tamen in dies carpebat vires, qui vlcus erat, & lenta febris, vnde Camillus suam ægritudinem memorans, palam dicere consueuerat, se ab ea non conualiturum, rationes designans, etenim ego iam maturus sum æuo, & vlcus quotidie vsque ad saniei libram purgat; vnde quæ cruoris copia ex hoc corpore profecto quoue anno exhauriatur, excogitate, ego vero escæ libram non manduco, quare necessitas cogit me succumbere, quæ verba non sine interna viscerum mœstitia à suis alumnis suscipiebantur. Superiores autem vt Patri nostro Fundatori in sua ægritudine ministrarent, binos designarunt fratres, vnus enim appellabatur P. Laurentius Morelli ex Regno Neapolis, alter vero Fr. Aloysius Gens, ambo vita functi, cum applausu tamen nimiæ probitatis, ambo siquidem pro ægrotis animam ponentes; de Fr. Aloysio, eiusque caritate erga infirmos data, supra aliqua notaui. De Patre vero Laurentio in secundo Tomo asseruatur sermocinatio, dicetur ibi, Deo dante, quemadmodum in pestilentia seruiendo, decesserit.

Dicit suum morbum lęthalem.

28

Cum autem recurrentis anni mensis Maij accellerasset, tum Domi Præfectum accersiuit, à quo sciscitatus est, si nouũ iam Oleum sanctum suscepisset, & cum agnosceret, nedum, tum ait, sollicite properate? vt hodie Domi adsit, quoniam hac nocte in somnis illud recordatus sum, quandoquidem cito adhibiturum esse scito fratri Ioanni Mariæ Veronensi, & postmodum mihi. Quare etiam dormiens vtilia, ac necessaria, suæ, proximique saluti somniabatur, siue mauis Dominum illi salubria efflare, quocirca postridie prænotatus frater vnctus, ac functus est: de quo per pauca auscultare non dedignetur lector.

29

De Ioanne Maria Veronensi Oblato ex nostris.

HIC enim frater dignus siquidem memoria, non vnus ex professis (licet præclare, vt professus probitate morum conuersatus sit (sed statũ Oblati in Congregatione adeptus est, cuius ordinis plurimi virtute litterarum Apostolicarum admittuntur. Eius itaque conuersatio adeo laudabilis nituit, vt illius vocem nusquam meminerim, verbum emisisse otiosum, verum de cælestibus, siue ad proximi emolumentum colloquia miscuisse spectantia, sutor extitit, vnde quamuis multis grauatus annis, longaque intercapedine temporum seruisset in Congregatione, nusquam vero tepuit in suo obsequendo munere, sed vigili solertia; & caritate, omnium vestes, & tibialia, siue quaslibet pannos suebat, resarciebat, mundabat; pluries Superiorum iussu ad Hospitalia se contulit, post Domus labores, noctu, diuque mira dilectione super ægros excubans, illisque cuncta præstans pietatis opera; neque super hoc aliquãdo lamẽtatus est, opponens scilicet assiduos labores, siue suam æuo maturam ætatem, siue corporis gracilitatem; nam quemadmodum statura exiguus fuit, ita viribus imbecillis, sed animo quidem heroico, dilexit, Deum frequenter deprecari; quod certo indicio monstrauit, dum sua verba deuotionem, quando loquebatur, iugiter redolerent; quæ coniectura est in eius præcordijs

30

regnasse

regnaſſe deuotionem, quamuis ipſe Ioannes raro verba promeret, taciturnitatis amator; viguit tamen quędam in eo propenſio, natura indita, metrum formandi, quare aliquot quandoque in laudem Sacratiſſimæ Virginis compoſuit Carmina lingua tamen Italica, quandoquidem Latinam non didicerat, quæ rarius recitauit, & pluſquam tardius effinxit: vidiſſes tamen in eis, & intellectus acumen, & naturalem in poeſi venam, ac facilem, quod præ reliquis claruit in eis, fuit deuotio. Cuiuſdam libelli auctor enituit, vbi ſoluto carmine, ac pie decantauit mirabilem euentum, olim Viterbij occurrentem erga Bollicanum. Quapropter ob enarratas, aliaſque optimas qualitates, quæ in ipſius animo floruere dignus adinuentus eſt, ceu quidam pręcurſor, vt mortem Patris noſtri præiret, & illum Fundator meminiſſet, vt nouo inungeretur Oleo ſancto, noſcens in quiete noctis præcedentis Ioannem Mariã obiturum cito, qui vj. non. Maij incidit labentis anni, humi conditus eſt in Eccleſia, & vrna Patrum Diuæ Mariæ Magdalenæ Romæ.

Gaudet longa ægritudine, occaſione merendi.

Demum, vt telam diſcurſus Patris noſtri ſubtexam, ingraueſcente itaque morbo, Medicorum complurium coactum eſt collegium, ſi forte illi addi aliquot vitæ dies virtute medicaminum liceret, Camillus vero poſt eorum ſententias, proprio ore ſibi præſcripſit lęthum, ita diſcurrens; huic morbo, nempe tibiæ, ac febris, multa dum Neapoli, ac Genuæ interfui (præſtantes viri) remedia applicaui, ac ſuſcepi, itemque Romæ, non propterea ſentio melioreſcere; vnde magni Dei arcanum hic latet, quis nouit ſi Dominus decreuit, vt aliquanto amplius in hac ægritudine perpetiar? & ſi modo, qui ad vitæ occaſum iam dilabor, occaſione merendi priuor, quando vnquam acquirendi aliquid pro ætarnitate ſuppetet tempus? O felix mens, & immortalis, quæ cum tanta patraſſet pro Dei famulatu, pauperumque, & tot bonis operibus quadraginta annorum ſpatio ſe ditaſſet, nil feciſſe tamen arbitrabatur, ſemper ad anteriora anhelans, ſatis bene animæ ſuæ conſuluit, iuxta propheticum ſermonem, edixi nunc cœpi, per ea iam dicta verba oſtendere voluit, ſe aliquandiu permanſurum in ægritudine, multaque in ea paſſurum, & demum ex ea incolumem non euaſurum, quod præſentire annuit, ita contigit ineuitabiliter.

Gaudenter mortis nuncium ſuſcipit.

Poſtridie vero Camillo relatum fuit decretum Medicorum, quippe ipſius ægritudines, ad ſui corporis diſſolutionem tendere, vnde morbus licet in longum protraheretur, tandem erat mors præualitura; quæ conſultatio, & ſententia Camillo non odioſa fuit, nec mœſtè ſuſcepit, ſed veluti fauorabiliſſimum decretum læto fronte complexus eſt, relatori gratias referens. Vnde quaſi renaſcens Cycnus, in hanc irrupit cantionem cum Pſalmiſta, Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, &c. Hinc Domi noſtræ Præfectus ad eum perueniens, idem quod Phyſici concluſerant, iterũ enunciauit: Camillus vero tantam alacritatem, & in vultu ſerenitatem oſtendit, ac ſi ad Regium eſſet tranſiturus conuiuium: quaſi ſigna præmonſtrans futurorum gaudiorum, quæ Deo miſerente erat cito nacturus; quo circa præfatus Superior ſubintulit; Veſtra Paternitas valde loquitur lætabundus, agitur de terribilium terribiliſſimo monſtro, & gaudij ſigna exporgit, Cur gaudenter reſpondit Camillus, talem concupitum nuncium non admittam? quem tandiu cum ardenti ſuſtinui deſiderio, mors enim teterrima eſt diffidentibus, in Domino autem ſperantibus iubilum; operæpretium eſt, immo vero neceſſe eſt mori, & terræ ſoluere debitum corporis; Deo tandem, quem creauit, re-

ſtituere

1614.

ftituere spiritum : vnde effari prosequens, ait, Religionis cogitatus haudquaquam me perturbat, quandoquidem propterea me illius moderamine exui,& iam præcurrit sexennium, quo me omni ipsius cogitatu abdicaui,vt dumtaxat animæ meæ consulerem, & amicam mihi conciliarem mortem. Ego siquidem in Diuina bonitate Religionis locaui progressum,qui iuxta suam sapientiæ immensitatem, cum expediens iudicauerit illustrissimos caritate, & prudentia consurgere faciet viros, qui viuo pietatis, & sapientiæ fulgore illam illuminabunt toto Orbe. Quocirca eliminatis singulis quibusque negotijs vni soli inuigilauit Camillus, totaque mente intendit, vtpote animæ suæ saluti. Et licet in extremis constitueretur moriendi passibus, quantum ei fas concessit præceptorum Dei, & Regularum Congregationis obseruantiæ incubuit. Vnde sine Medicorum iussu, sui Confessarij, ac Superioris, officij Diuini pensum nequaquã prętermisit,nec die vetito carnibus vsus est;timens ne carnis sapor dum vrgeret præceptum, eius animam commacularet aliquo peccati nęuo licet perexiguo.

33

Si fortasse ei videretur statuta à Medicis tempora designataq;ne quippe horas Canonicas recitaret, siue quid simile ne ageret, vel patraret pręteruo lasse, attente valetudinarium interrogabat, si rursum nouam à Physicis obtinuisset facultatem: vnde semel cum licorem prope os haberet ex carnibus coagmentatum, ab eodem efflagitauit valetudinario (erat enim feria sexta) si cum licentia ei subministrarẽt carnes, vtique respondit,& hac via obediens Camillus suscepit. Idipsum erga Diuinum officium peregit. Etenim cum Medicinæ Doctor fassus esset dierum quindecim spatio ipsum ab onere officij exemisse, forte opinando non vltra futurum superstitem Camillus vero putans destinatum tempus præterijsse, accurate sciscitatus est, si iterum petijssent recitandi officij prorogationem, affirmantibus ministris,quieuit; Vnde tantus conscientiæ aucutus stimulus? ex amore arbitror; quia dilectio res delicata est, sollicita est, plena timoris est, qui enim cælestia diligit reformidat, ne minutissima quamuis culpa displiceat cælesti Amanti: sic enim hymnus concinit de Beatissimo Præcursore, qui ab infantia ne leuissima quapiam culpa conscientiam deturparet aspera deserti dilexit; Erat enim Camillus cito iturus ad nuptias, & obuiam sponso exire, idcirco studuit, perquam accurate se absque næuo exhibere, contremiscens ne incuriose inuentus repudiaretur, quemadmodum illis obtigit infatuatis virginibus. Non equidem à mortis cogitatu, & ab his, quæ sese in eo necessitatis articulo obiciunt, mentem auocauit;vt multi,cum fletu fari cogor, efficiunt,ne mœror mortis ipsos inuadat, nec putant se morituros, qui postea depopulantur à dæmone : at recogitauit Camillus, & recogitando se composuit, & armauit, vt validus aduersus hostium teterrimorum aciem pręliaretur,eumque prosterneret,quod effecit clypeum, hoc est Diuinum tutamen, ac Deiparæ, & omnium cælicolarum munimen obiectans,galea se contengens Ecclesiæ venerabilium Sacramentorum, & demum thorace recte factorum.

Se munit in lethi certamina.

34

In hoc infirmæ valetudinis statu, exequi Religionis Regulas satis præclare adamauit, si enim de oratione mentali sit sermo, illi iugiter erat intentus,in Diuinorum dilectione pectus suum ardens, dum enim in mensa, edentibus Patribus, (vt moris est) lectio haberetur spiritualis, ipse quia supra Refectoriũ æger accumbebat, quod modo alio translatum est, & in Oratorium, siue laicorum Congregationem permutatum, extensa ceruice erga fenestram, legẽ-

tem

tem peragente auscultabat, quoadvsque mensa finiretur, non sine animi sui oblectatione, interdum vero nec verbum inauditum prætermisit, quando nimirum lector distinctis notis, altaque prolatione ederet verba, tales enim adhibebantur quamsæpius, vt nostro Patriarchæ Camillo morem gererent, affirmanti edendi horam magis esse institutam ad mentem, quam ad corpus refocillandum; animus vero Diuino verbo impinguandus, ventri autem aliquid ob spirituale lucrum iugiter subtrahendum: sero demum ad ipsum properante aliquo ex Patribus, deprecabatur, vt Beatissimæ Virginis Mariæ recitaret Litanias, ipse autem iunctis palmis perdeuote respondens, ora pro nobis, continuo sic pariter vicissim prosequentes de more Religionis persoluebant hymnum, Veni creator Spiritus, &c. Porro priusquam somnum aliquem corpori dare studeret, suæ conscientiæ strictum examen agebat, sæpenumero non sua, sed quæ in aliorum inspexerat delicta plorans. Deniq; vt vnico multa complectar verbo, omnes regulæ, ordinationes quantum rigor infirmitatis permisit obseruauit: & eas ipse infirmitate afflictus, plerumq; est executus, quas alij validis membris insipienter negligunt.

Peruigil in obseruantia regularū et æger.

Interim omnium precibus se commendauit, vt Dominus nempe illi auxilio foret in eo formidabilis mortis transitu; ostendit enim sua humilitate cunctorum præsidio indigere, concupiscens, licet non sua, saltem suorum Patrum interuentione, vt illi in Empyrio inter vltimas sedes condonaretur assidere. Cum autem tempus cuidam Nouitio profitendi maturesceret, Camillus ad se vocauit, exorauitque, vt cum professionem emitteret, ac Deo per vota se manciparet, atque sacrificaret, pro ipso intercederet: vt scelerum suorum Diuina Bonitas veniam impertiret, & in eo periculorum pleno lethi conflictu fortem redderet, victoremque aduersus inferni cruentas bestias; & cum per aliquod tempus in sui cubiculo fuisset commoratus, etiam si extra vitæ spem, non tamen adeo viribus destitutus, quin aliorum auxilio, quoque mane, sacrū licet non faceret, attente tamen, ac humiliter auscultaret.

Omniū orationibus se cōmendat.

In extremis deiectus sacrum auscultat quoque mane.

Demum inualescente febri, & laterum dolore, voluit in cōmune ob sui humilitatem duci valetudinarium, quod euenit xv. Kal. Iun. quæ dies festiuissima recurrebat, hoc est sollēnitatis aduentus Spiritus sancti, adeò imbecillis viribus redactus ferebatur, vt quamuis non plus quam circiter quindecim passus à suo cubili distaret commune valetudinarium, & ipse duobus inniteretur fratribus, nihilominus coactus est semel intra hoc breue loci spatium sistere, tam pronus incedens, vt pene caput ad genua declinaret. Eadem die secum loquens suus Confessarius, quem toto extremæ huius valetudinis tempore sibi asciuit Patrem Iacobum Mancinum Neapolitanum tum Romæ Domus Præfectum: ait autem illi, Pater hoc mane celebrans pro vestra *Paternitate* exoraui, vt si expediens Dominus iudicauerit, *Paternitas* vestra aliquanto amplius nobiscum superstes fiat; qui obstitit caput excutiēs, quasi dissentiens, velleque annuens cum Agno Cælesti magis esse, quam in fluctuanti hoc mundi pelago inueniri, postea tamen ait, Diuino se placito submittendo, si Creator omnium Deus, ita ob sui gloriam iudicauerit expedire, non retrogradior, at me, qui sum senecta iam depressus, & à varijs circumactus ægritudinibus, hic immorari quid iuuat? Carissime Pater manifestum est mortem omnibus suo imperio subdere: haud sane prorogatio ad centesimum vsque annum, & vltra mortis timorem alleuat, immo adauget, quæ trepidatio magna in parte extinguitur, spe Diuinæ misericordiæ, & consideratione Christi Domini salu-

In cōe valetudinarium æger ducitur.

1614.

bertimi, ac pretiosissimi cruoris pro nobis in ligno pendentis effusi, illis certo ademptis, quos Bonitas immensa salutis tutos peculiari reuelatione facere dignatus est: hi quidem mori amant cum Apostolo, qui clamat, Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Quidam frater quidā cupit videre Camillum.

37 Iam morbus ingrauescebat, & fama per Vrbem instantis periculi Camilli mortis cucurrit, quo circa ad eum promiscue visum confluxere gentes, tum Religiosi, quam laici, atque adeo plures Prælati; sed pauci admittebantur alicuius nominis; ne molestiæ Camillo forent, & suæ tumultibus ægritudini detrimento. Omnes tamen ob Cælestem Camilli conuersationem, ac demirantes Religionis Fundatorem tam humiliter in communi valetudinario, paucis, ac pauperibus pannis breui in lecto decumbere, deuoto corde proficiscebantur, Dominum benedicentes. Hos inter quidam adfuit vocabulo Dominicus patria Florentinus, Camilli studiosus, ac familiaris, cuius puto antea meminisse, huic primitus repulsa data est, eoquod Patri aliqua erant adhibenda remedia, qui mœste secessit corpore, non autem pio affectu, quandoquidem mane facto, sollicite regressus est, Patres vero, vt præcedenti die illum excludere, iterum paucis verbis arbitrati sunt; attamen non valuerunt, eo quia immobiliter in sua sententia perstitit, intuendi Patrem, cuius amore ardebat, (vt quondam Beatissimus Patriarcha Antonius ante fores speluncæ Eremitarum auctoris D. Pauli) sanctè, pièque, vt introduceretur, contendit, si me inquiens Dominicus, viuentem nolitis admittere ad Patris Camilli conspectum, hinc exanime corpus auferre patiemini, vnaq; cum eo isthic moriar, harum vocum efficacia se obicere Patres nequiuere, quocirca ipsum deportauerunt ad Camillum: qui aliquandiu de Regno Dei sunt allocuti; in profectione tamen à Camillo obtinuit benedictionem, quam sicuti à Patriarcha Iacob filij, existimauit: vnde lætus, & præ lætitia tripudians profectus est, quasi ingens auri pondus adeptus esset, & perinde atque sanctus senex Simeon decantans exibat, ea vsurpans verba, Nunc dimittis seruum tuum Domine secũdum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei seruum tuum Camillum. Vnde non fuit heri illi tanta mœstitia, quanta hodie lætitiæ superabundantia.

Lib. 2. c. 18. erga finem.

38 Populi concursus non hic suæ deuotioni finem fecit, sed multæ quoque matronæ, piæque personæ domum nostram vtensilia transmittebant, vt Patris Camilli vsui inseruirent, ex inde recepta deuotè tractabant. Accessit aliquando mulier regens in vlnis prolem, hæc autem in ianua singulari instabat prece, ac plantu, vt natus ad Patrem Camillum duceretur, à quo sperabat, fore vt à quodam, quo angebatur morbo, nancisceretur incolumitatem. Ni credidissent Patres id Camillo futurum displicentiæ, mulieris annuerent votis; tamen ne molesti Patri forent, eam vtcumque valuere consolati sunt, nihilominus inde afflicta secessit; Et quidem si huic mulieri aditum concessissent, nempe introduci infantem ad Patrem Camillum gratiamque, vt ipsa fidebat, valetudinis nactus esset, facile fuisset, vt aliquod suboriretur incommodum, propter frequentissimum populi numerum, qui tumultuatim concurrisset.

Loco citato mox.

39 Hęc deuotio, ac sanctitatis existimatio nedum in laicis viguit, verum maior enituit in nostris Patribus, ac fratribus, namque vix in vno Camillus ebiberat cyatho, quo sublato, alius supponebatur, vix coronam tetigerat, quæ, suggesta alia, auferebatur; vix linteolo, vel quopiam alio panno vsus fuerat, tunc protinus permutata videbantur (inscio tamen seruo Dei Camillo) simili subroga-

Cap cit. paulo infra. Extrahūtur res à P. nostro tactas ob deuotionem.

ta re,

ta re, pristina vero deuotis personis expostulantibus tradebatur. Quidam ex nostris Patribus coronarum fasciculum mercatus est, vt hac industria à Patre tactus sumeret, illas supponendo vicissim; id suspicatus est Camillus, quo circa sancta illius Patris fraus repente iuit in cassum, etenim quemadmodum antea coronam pendentem extra lectum locabat; postea vero cautius processit; eam subtus prorsus tegens puluinar.

Haud quidpiam neglexit, quod illius animæ posset suffragari, quin adhibuit. Nuntios enim ad Religiosorum conuentus destinauit, & ad quaslibet pias in Vrbe ędes, vt illi, suis sacrificijs, orationibus, pijsque exercitijs iuuamini forent, ac Dominum instanter deprecarentur, pro suorum venia delictorum; vt benigniter salutem impertiret æternam. Ipse vero è conuerso promittebat vices reddere, si Dominus consueta clementia ipsi requiem inter cælestia largiretur; qui omnes humaniter, ac libenter suis votis satisfacere polliciti sunt: has cum iubilo seruus Dei Camillus gratas responsiones suscepit.

Se omnium orationibus commendat etiam per epistolas.

Præterea per epistolas quibusdam sibi notis, deuotisque personis se commendans, rogabat, vt suis precibus, ac eleemosynis illi in eo mortis agone formidabili opitularentur, ac sacrificium aliquod agerent, vel si laici forent agi studerent, à quibus humaniter responsionem perlegit, se suis desiderijs prompte adhæsuros, dummodo ipse eorum non obliuisceretur hic, & in alia viuentium Regione vocatus à Domino. Inter alias cui direxit epistolam illa fuit omni sæculo memoria digna, ob virtutes, præsertim pietatem Illustrissima Domina Iulia de Castellis, cuius antea cum laude memini, quæ litterarum rescripto satis ita fecit, acerbe dolens tanti Patris amissionem. Admodū Reuerende Pater obseruandissime. Ex tuis litteris percepi sub xj. Kal. Iulij periculosam ægritudinem, qua laboras, quantum mœroris in animum induxerit, exprimere nequeo, Paternitas vestra Admodum Reuerenda excogitare poterit, scit enim quantum in Domino à me diligebatur: sit benedictum Dei Nomen, liceat mihi cum patientissimo Iob hæc verba proferre, quandoquidē his paucis vitæ meæ diebus disposuit, hoc obulo animum amaricare; lenio tamen ex parte dolerem in præmium dirigens mentē, quod es à Domino adepturus, ob ingentes, quos ad Diuinæ Maiestatis gloriam, & in proximorum emolumenta consumpsisti labores. Grato animo oblatam excipio promissionem, oratorem quippe pro me futurum apud mundi Reparatorē; & mihi certo pollicior, quemadmodum hic Paternitas vestra suis interuentionibus opitulata est, feruentiori prece, dum æternis perfruetur bonis (vt spe teneo) quod celsior Patronus pro me orando se exhibebit. Spondeo protinus executuram, quæcumque in sua iubet epistola circa missarum celebrationem. Eius demum sacras deosculans manus, profundissime reuereor. Neap. v. Kalend. Iulij 1614. P. V. Admod. Reuerendæ deuotissima famula, Iulia de Castellis. Sed vnde bone Pater talis, tamque ingens irruit mortis timor? vt omnium orationibus, suffragijs, ac sacrificijs adiuuari procures, tam ardenter, & obsecras per litteras, per nuntios, versa vice, vt obtineas spondis, prout potes, ac vales, tuis precibus reddere vices: non reminisceris saltem hoc, quot in lęthi certamine opitulatus es ægrotis? Arbitror id seruo suo contingere voluisse Dominum, vt ostenderet, & doceret cunctos, qua cauthela dum ægrotant se debeant disponere, ad illum scopulis, ac vorticibus redundantem pelagum tranandum; quando vir tot meritis coronatum, & tot coronis decorum

bono-

1614. bonorum operum quam vehementer exterruit in morte. Quid mirũ? quando nos instituens humani generis Saluator, vsq; ad sanguineũ sudorem in Monte Oliuarum tristatus est, inquiens, Tristis est anima mea vsque ad mortem; sed vlteriora in ægritudine Camilli perquiram, & primò loco cuiusdam epistolæ formam, quasi vltima dispositio, seu testamentum à se conditum referã, quod asseruari in Archiuijs Domum nostrarum, rogauit Superiores.

42 In Nomine Deificæ, ac Indiuisæ Triadis, Sanctissimæ, & Gloriosissimæ Virginis Mariæ, totiusque Curiæ Cælestis. Admodum Reuerendi in Christo Patres Dilectissimi.

43 Videor in muneris mei penso deficere, si Reuerentias, ac Fraternitates vestras ante ex hac vita discessum (quandoquidem à Medicis, veluti salutis expers destitutus sum) vos de mea voluntate non commonefaciam, & quid de nostro sancto semper sensi instituto, ac sentio, non certiores constituam, idq; omni simplicitate exponam: itavt omnes eo rectitudinis, ac fidelitatis gressu ambulent, quemadmodum à nobis expostulat Dominus, ne scilicet talentum nostræ spiritalis perfectionis proteramus, & demum ad Beatam Angelorum mansionem, Deo miserente, transeamus. Fuit enim (vt sic loquar) huius Religionis planta pene miraculose in orthodoxa Ecclesia ad summi conditoris gloriam, & animarum compluriũ, & corporum proximorum emolumenta locata, admodum Christiano populo necessaria: & eo sacris Euangelijs vniformior, quo magis à Christo Domino tam in veteri, quam in nouo testamẽto singulari præconio extollitur; exemplo maxime suæ Diuinissimæ nobiscum conuersationis, ægrotantes quorumcumque morborum miserijs captos liberando. Dixi ferme miraculosam esse huius Religionis fundationem. Potissimum vero vti me funesto peccatore, inerudito, & quamplurium præterea pleno defectuum, digno æternis cruciari doloribus: sed Deus, qui rerum omnium moderator est, & iuxta suam sapientiæ immensitatem vniuersa disponit, & quodlibet ab eo peractum ab infinita prodit scientia, quocirca ne sit, qui miretur tale instrumentum (vt ego) adhibuisse, cum hoc ad sui redundet maiorem gloriam, quandoquidem ex nihilo mirabilia ostendere consueuit.

44 Dæmon autem nusquam destitit, neque aliquando desistet machinari, eam misericordiæ oleam, quam in agro Ecclesiæ suæ fundauit, demoliri, à qua, magna Dei gloria fore, vt resultet, speratur, & non vnum propterea, sed varios adhibebit euellendi modos, & si non sub specie mali, sub boni tamen colore sua vecordi vesania eam, vt euertat, operabitur, omnes demum effingendo laqueos, vt incautos decipiat in Religione, illis suæ calliditatis semen immittendo, alterandi causa, seu permutandi nostrum viuendi institutum, quapropter quilibet accurate viuat, & ab hoc se diuidat pestilentiæ veneno, tanquam Dei offensã, congeminando supra se irã Altissimi, dum huiusmodi præuaricator in terris flagella sentiet, & æternaliter postmodum cremabitur in orco. Quapropter omnes in Domino præsentes hortor, quam in posterum successuros, non plus sapere, quam oportet sapere, sed procedere in sancta simplicitate circa res in nostris Pontificijs diplomatibus editas, à Sede Apostolica iam approbatas, quarum omnes esse fidelissimos fautores commoneo; felix enim qui hoc aget, & è diuerso infortunatus, qui illis aduersabitur. Et licet commonendo de nostro sancto instituto, subaudiam paupertatis votum, ꝙ non prætermittendum in aliquo, sed cunctis illud præsentibus, atque absentibus, & futuris enixe commendo, si tamen famulatum maxime pauperum

infirmo-

infirmorum tam intus, quam extra hoſpitale, & in animæ commendatione per priuatas domos permanere perpetuo concupiuerint; omni itaque vigilantia, ac ſpiritu tutari paupertatis puritatem cogantur; eo modo, quo in noſtris pontificijs litteris cautum eſt, quoniam tamdiu inſtitutum manebit illibatum, quoaduſq; pauperies à quouis ſtrictè ſeruabitur; Quare omnibus ſuadeo acerrimos futuros eſſe huius Sancti voti paupertatis propugnatores; nec quouis fucato colore aſſentiri, vt aliquando ſiue attenuetur, ſiue alteretur, ſiue (quod abſit) tollatur, nec vnquam ſe ſinant à nequam ſpiritu decipi ſub alicuius boni apparentia, non poſſe quippe ſolis emendicatis eleemoſynis vitam ducere; hæc enim manifeſta eſt virulenti Draconis deceptio ad noſtrum labefactandũ inſtitutum: cum ſit, quod tot mendicantium Illuſtriſſimę in Dei Eccleſia Religiones arctam pauperiem profiteantur; nihilominus illis ſufficienter; imo copioſe ſuppeditantur alimenta, & quælibet neceſſitates. Quis demum vana formidine capietur, ea noſtræ Religioni defutura? quandoquidem tam excelſum præ manibus habet exercitium, ac talentum erga pauperes, ſpecialiter in extremis lethi deſtitutos, quæ caritas profecto præſtantiſſima æſtimatur, prout eſſe, haud dubitatur, & amabilis valde Deo, ſed admirabilis quoque hominibus etiam barbaris natione; vnde proximi ſi panem poſſidebunt vnicũ nobiſcum diſpertient, & in hoc nullatenus trepidare oportet, nos alimentis vacaturos neceſſariis; quinimmo ex ſuperabundantia poterimus multorum egeſtati occurrere, exequentibus tamen nobis inſtituti præſcriptum. Præterire nolo, pacem recordari, quæ vinculum eſt fraternæ dilectionis, vt inuiolabiliter inter fratres, ac patres, & promiſcue inter vtroſque ſeruetur; idcirco Dei gratia nos infirmorum miniſtros diſpoſuit vocari, vt omnes vnanimiter pauperibus ægris opitularemur, potiſſimum iuxta Clem. PP. 8. litteras vbi diſtinctè res diſponuntur patribus, ac fratribus, quid ſint executuri, neque ad exẽplum adducere oportet cæteras Religiones, propterea quod eorum inſtitutũ aliud eſt à noſtro. In memoriam ſibi reuocent prætereà reliquorum obſeruãtiam votorum. Et quilibet porro reformidet è fratrum ſtatu quicquam demere.

45 Vniuerſos hortor, qui modo ſuperſtites ſunt, atque in futurum noſtrum inſtitutum ſunt amplexuri, vt per viam properent perfectionis, hoc eſt in vera, ac ſincera Religioſa mortificatione ſiſtere, ſi in tuto animæ ſalutem locare amabunt; cum noſtra vocatio talis ſit, quæ homines altæ perfectionis exoptat, & huic ſæculo mortuos, ac perfectè Dei voluntati ſubiectos, vt ſanctitatẽ adipiſcantur: hi verò non modo ſibi proderunt, verum ſanctam Eccleſiam ædificabunt, & toto orbe erunt exemplo; horum equidem ſpiritu, ac ipſis mediantibus magnus progreſſus, ac non mediocris vitæ renouatio apparebit in terra. Verſà tamen vice ſenſu deditis, & indiſciplinatis maximum Religio detrimentum patietur. Si quid demum in his litteris ad Dei ſummi famulatum explicandum manet, Altiſſimo, atque Amantiſſimo Domino commendo, vt ille in omnium patrum, fratrumque mentes, qui quouis tempore in noſtra Congregatione ſunt victuri, benigniter ingerat ad ſui ſempiternam gloriam.

46 Circa illud ad animæ meæ ſuffragium ſpectans, quæ ſunt orationes, ſacrificia, & ſimiles piæ operationes à cariſſimis meis patribus, ac fratribus exhibenda; certo ſcio ab eorum dilectione conſuetam non defuturam caritatem, quos nedum ſtatutis ab regula noſtrarum conſtitutionum ſuffragijs me auxiliaturos ſpero, verum aliquod ſupererogationis opus adiungent: & hoc inſtanter ob

1614.

Dei, ac Beatissimę Virginis amorem efflagito, item, vt ea, statimatque mor tis meæ notitia ad eorum peruadet aures, adimpleant, expostulo, nullis quoad possibile fiet interiectis inducijs. Modo claudit epistolam vniuersos suos alũ- nos, tanquam vnus ex Sanctissimis Patriarchis, participes suæ benedictionis efficiens.

Denique singillatim, & in vniuersum omnibus (prout mihi concessum est à Domino, & ex sui parte) millia benedictionum impendo, nedum præsentibus, atque adeo futuris, qui huius vineæ sanctæ Religionis extiterint operarij vsq; ad sęculorum supremum diem. Mea expeterent desideria hanc epistolarum formam ad perpetuam rei memoriam cuiuslibet domi in archiuio asseruandã, vbi reliquę vrgentes custodiuntur scripturæ. Cauete ne id ob incuriã incassum vadat Romæ 18. Kal. Iulij 1614. in Domino Seruus Camillus de Lellis. 47

Iam properabat hora vndecima mortis Camilli, & eo magis ipse gressus accelerabat, arctius nimirum cum suo Domino æstuanti prece, ac venerandis Sacramentis se copulare studens. Hinc vocato domus superiore, ab eo petiuit velle Diuinissimo vesci Viatico, vt hac esca refectus, virilior iter ad mõtem Oreb, idest cælestia aggrederetur, pariterque insidias latentis inimici tãtò contectus Sacramento potiretur. Cum autem Eminentissimus Cardinalis Gymnasius Religionis nostrę optime meritus protector hoc ipsũ percepisset, Camilli quippe desiderium communicandi: vi. Nonas Iulij ædes nostras adijt, ibique peracto Sacrosancto incruento Missæ Sacrificio suis manibus Diuinissimam Hostiam Camillo porrexit: qui ter proprio ore, quamuis interpellatim ob defectum naturalis caloris, edidit cõsueta verba, Domine non sum dignus, tanta lacrymarum affluentia, vt induxerit etiam circum ad ploratum immorantes; subdens ò æterne Redemptor toti cordis mei visceribus fateor, nunquam me quid boni patrasse, & vilem, indignumque peccatorem esse me subscribo. Quocirca nil nisi Diuinam tuam miserationem nutricem habiturum confido, vestrumque inęstimabilem, ac pretiosissimũ sanguinem infiniti meriti, ac valoris propitium benigniter me sensurum spero. Qua sane die Intemeratę Virginis MARIAE Visitationis festum recurrebat. Hac enim sollemnitate visitationem à Domino nactus est Camillus, eius communicans Corpus in egressu ex hac vita. Notabile siquidem est; quæcumque memoranda, ac optima Camillo euenerunt, semper in aliquam Beatissimæ Virginis sollemnitatem sese inseruere. Profecto, si hæc alias non dixissem, exposuissem. Occasio mihi inter huius anni defluxum occurrit prope natale Beatissimi Pręcursoris Ioannis Baptistæ Roma transire Bononiam iturum, vbi, & conuersatione, & colloquio, & benedictione patris nostri dignus immensa Dei bonitate effectus sum. Qui postea minus paulo mense functus est. Quemadmodum quoque recreor meminisse, Messanæ anno 1605. Patris nostri digitis me in nouitiorũ albo fuisse annotatum; ita spem habeo suis precibus veniam meorum licet prægrandium scelerum remissionẽ à Diuina clementia nacturum: & si quid hi tenuissimi labores fortè aliquando quicquam mererentur, idem implorarem; & centies rogatus id ipsum instantius desiderare repeterem. Et quod acerbissimum puto me non modo haud deplorare pręterita; verum & omni momẽto renouare delicta; sed redducatur sermo in suum propositum. 48

Cibat diuinissimam Eucharistiã per manus protectoris.

Post Sanctissimam Communionem, quam semper suscepit ieiunus, cernuusque iam deficere virtutem corpori, sed non animo, qui iugiter in Diuino amore ardebat prospectans, sollicitus fuit sibi oleum benedictum cõferri. Vn- 49

de

1614.

de Reuerendissimus Pater Generalis Franciscus Antonius Niglius ipsi iterum Augustissimum distribuit Viaticum,& postmodum sanctam Vnctionem administrauit v. Id. Iulij Camillo non modo confiteor uoce pro mente, uerum ad singulas unctionis partes respondente,qua peracta lætabundus bis ait,ad Dei summi gloriam, ea unctione quasi odorato unguento delibutus,exiturus esset ad Regales nuptias. Ante uerò huius Sacramenti collationem confessus est insueta contritione, nimiumque ostendens dolorem, etenim ad singula verba, tam vehementi impetu pectus diuerberabat, vt oportuerit confessarium illius brachium sua manu cohibere; qui inde iureiurando deposuit,Camillum ad eum deuenisse puritatis gradum,vt necessum fuerit ad ponendam certam confessionis materiam, ipsum de aliquo in sæculo patrato defectu se criminari.

Sacra Vnctione inungitur.

50 Et licet adeo male iactaretur à morbo, & pene ad extremum redactus,nihilominus Officij Diuini pensum prætermisit nunquam, nisi cum expressa Physici licentia (vt antea significaui.)Fuit his postremis diebus à compluribus eximiæ auctoritatis, & probitatis viris, ac Religiosis visitatione decoratus: speciatim pluries à Reuerendiss. Patre Generali Discalceatorum Carmelitarum, Camillo vtique perfamiliari, cui semel dixisse Camillum auditum est; obsecro Paternitatem tuam,vt ne dum ipse pro me exoret, verum quoque suis Patribus idem indicat, deprecor; vt tandem aliquando possim Diuino amore comprimere mortis timorem, & quod infestius est cruentum inferni monstrum,hoc autẽ genibus procumbens expeto,vt exequare,cum extiterim scelestus, lusor, & vir deprauatæ in sæculo conuersationis. Præterea ipsum R. P. Petrus Alagona vir virtute, & honestate, ac prudentia in Religione venerabilium Patrum Iesuitarum sua visitatione consolatus est: hi omnes, expetita prius à Camillo benedictione,proficiscebantur, de ipsius humilitate plene loquentes: ab eisdem semper instanter obsecrans, apud Dominum deprecari pro illo dignarentur.

Qua instantia supplicat orãdum pro ipso.

51 Demum Gaspar Maximinus Camilli municeps ad eum visum accessit, a quo cum expetiuisset Camillus, qua pulsus causa Romam adijsset, protinus ait, vt suum germanum fratrem, appellatione Dominum Ioannem, à vinculis solueret, qui Teate à Vicario Generali in carceres fuerat, ob quædam ad iurisdictionem spectantia iurgia detrusus. tum subloquutus est Camillus,vt lætãter patriam repeteret,quandoquidem fratrem per plateas ambulantem inuenisset; ille vero suspensus mente vacillabat, minime illò ire deliberans; vnde Camillus quatuor, vel circiter quinque vicibus ipsum solicitauit, vt extra metum rediret ad suos: tandem verbis serui Dei fidem adhibens regressus est, & cum Bucchlanicum ad suam patriam properasset,adinuenit pridie germanum fratrem à vinculis absolutum, quare Deo bonorum auctore, suoque famulo grates referens, factum publicauit.

Lib. 2. c.19 Hortatur ciuem suũ domum regredi inuenturum fratrẽ à vinculis absolutum.

52 Expeditus itaque hoc est à visitationibus liber,quas non admisit, nisi admodum vtiles, ac spirituales: reliquum autem temporis,demptis necessarijs medicaminibus, orando consumebat, vel aliquam auscultando deuotam,quę fiebat à suo valetudinario, lectionem. Placuit valde audire alterius vitæ tractatum P. Luca Pinello auctore, pariter expositiones Eminentiss. Card. Bellarminij supra Fidei Symbolum, ambo nobilissima germina Illustrissimæ familiæ Sancti Patriarchæ Ignatij de Loyola. Verum sensim se expedite omnino contendebat à laicorum contubernijs, & conuersationibus: vt Deo vacaret;

Excludit laicorum visitationem.

vnde

1614.

vnde cũ aliquãdo à quibusdã, quãuis nobilibus viris videri patrẽ magno desi derio optaretur, ipse vero qm̃ in suis orationibus, ac deuotionibus intẽtus detinebatur, & in grauiori animæ suæ negotio implicabatur, excludi illos humaniter iussit; vnus autem ex Patribus, cupiens illis morem gerere, ait, Paternitas vestra excogitet, hos illustres viros sua cupiunt deuotione te intueri, ac loqui, quapropter inurbanum videtur illos suo desiderio fraudatos dimittere, quid inquit, Camillus nisi corpus pene corruptum, & prostratum in lecto, ceu cadauer contemplabuntur? si hoc concupiscunt pergant ad hospitalia, & pietatis opera exhibeant; ibi enim ægrotos consolentur, & nulla cum eo verba terere, qui omnium scelestium hominum primus est: Vnde mi Pater semel morimur, & post lęthum gradum non reuocamus sursum ad damna, quæ patrauimus, resarcienda: nunc mihi modicum à Domino oblatum est tempus; vt me totis viribus, ac mente componam, uictor vt peragam formidabilem mortis conflictum.

Hortatur suos ante decessũ ad frugalitatem.

His autem vitæ suæ supremis diebus voluit omnem Domus familiam corã se vna cernere, eamque consolari. priusquam ex hac lacrymarum valle transitum faceret, quibus astantibus, cunctos assidere rogauit, & expetita prius à Reuerendissimo Patre Generali (qui aderat) venia, atque obedientia os aperiens, hæc & similla edidit verba. Patres, & fratres mei, quos in Domino vehementer amo, vos omnes totis præcordijs hortor ad instituti nostri obseruantiam, & potissimum ad ardentem erga pauperes infirmos caritatem, atq; vnionem, dilectionemque fraternitatis, cordis munditiem, paupertatem, obedientiam, & demum ad altissimam humilitatem. Cum autem has virtutes quasi testamento eis relinqueret, verba sequens, ait, ne animo consternamini ob nimias procellas, & insectationes excitatas, vel vnquam ab infernali bestia commouendas, scitote quęlibet initia esse debilia, patique difficultates: diabolus enim aduersus hanc Religionem rabido ore fremit; quam spero, se per vniuersum propagaturam Orbem, & in eam, spiritu Domini flante, fido fore, vt eximiæ virtutis, & eruditionis viri ingrediantur. Maiorem quoque mihi spondeo post meum è vita decessum, assequuturam progressum, quàm obtinuit me viuente. Vnde singulos stare, firmiterque permanere in sua vocatione suadeo, & fideliter, attenteque in hac sancta laborare Religionis vinea, nec de me quis in minimo mæreat, vel tristetur decubitu: quandoquidem si Diuinæ Maiestatis clementia me numerare inter suos dignabitur electos, præclarius inde adiumentum potero vobis meis carissimis filijs afferre, quam hic morans in terris, vbi iugiter in culparum labem irruimus, & varios defectus in momenta incurrimus. Dum ratiocinandi finem faceret, & oculi copiam lacrymarum affluentem haurirent, ad cælum lumina extulit, dixitque Patres, ac fratres mei dilectissimi à Patre misericordiarum veniam peto, (& statim ad suos conuersus alumnos) atque à vobis, incipiens à Patre Generali hic assidente, & à reliquis omnibus, de quolibet, quod ex me potuisset, minus digno exemplo, prodere, inscitiam potius, quam malitiã culpate. Denique quantum mihi ab Omnipotente permissum, atque concessum est, in Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Beatæque Virginis (eleuatam tenens dexteram, formauit viuificæ Crucis signum) præsentibus, atque absentibus, & omni æuo futuris, meam elargior benedictionem. Ad hæc extrema verba vniuersi genibus se inclinarunt super humum, ab eorum oculis lacrimarum riui erumpendo, ita vt illorum voces singultus frequens interrumperet, dum ve-

53

niam

niam à Patre poſtulabant;acceſſere omnes ſucceſſiuè,ac nominatim inchoando Reuerendiſſimus Pater Generalis, & ſequentes alij immediate eius manus deoſculati ſunt, ac fletu abluere non exiguo. Camillus vero cunctos humaniter,atq; amanter complexatus eſt, rurſus ſua benedictione illos ilares fecit: porro hoc lacrymabili nondũ abſoluto ſpectaculo, ſinguli in proprias cellas, vt finem ploratui facerent,ſeceſſerunt;& ne Camillo vlterius moleſtè forent, ſinerentque quieſcere, qui non valuit in hoc flebili theatro non admodum collacrymari quoque obſeruans illud Apoſtoli, Flete cum flentibus; vel Salomonis ſapiantiam, quæ flendi tempus aſſignat, dum ait, Tempus flendi, ꝙ præſentis vitæ ſpatium profecto eſt.

Omnes deoſculatus eſt, ac iterũ benedicit.

54 His vltimis diebus ſuo Confeſſario, ob ſuam deuotionem, Pater Camillus impoſuit Sanctiſſimi demortui Cruci affiſſi Domini ſimulacrum,vt effingeretur,ſupra cuius caput Pater Aeternus, Spiritus quoq; ſanctus in Colũbæ ſpecie efformaretur, à quorum lateribus, hoc eſt ſubtus eundem Patrem ſempiternum,ac Spiritum ſanctum duo cæleſtis Hierarchiæ Angeli calicem cruoris plenum à Filio in redemptionem generis humani effuſi, eidem oſtendentes, infra autem manus clauis confoſſas alij duo pariter Angeli calicem tenentes, ac ſanguinem colligentes, aderant cum hac ſola differentia, quia ex dextera parte Aliger binos calices ſtringere inſpiciebatur, vno colligens manantem ſanguinem à Diuiniſſimo latere I E S V,altero vero à dexterea palma haurientem cruorem Diuiniſſimum recipiens,ſecundus Angelus porro à ſiniſtræ manus vulnere cadentis ſanguis implebat Calicem: in Sanctiſſimæ Crucis ſtipite nimirum infra pedes ſui dilectiſſimi filij à dextro latere ſtabat Beatiſſima Virgo: à leua autem ſtrenuiſſimus Cœleſtis Militiæ Princeps,cui commiſſa eſt ſuper animas exeuntes à corpore cuſtodia,Michael Archangelus,peculiaris Camilli patronus,Sanctiſſimam Virginem in mortis conflictu vnicum refugium cernebas, manibus, & ore pro ſalute Camilli rogare natum, & Angelos memoratos offerentes ſanguinem Patri, ac Spiritui ſancto ad eorũ captandam miſericordiam ob infiniti valoris cruorem, intuiti eſſetis, voluit quoque Camillus ſanguinem in magna copia, ac redundantem, atque viuacem depingi, ſed vnius non memini: Patres vero noſtri ob ſui deuotionem, neſciente tamen Camillo (has dumtaxat relatas figuras efformari iuſſit Camillus) in eademmet pictura ipſum genuflexum ad pedes ſalutiferæ Crucis coram Beatiſſima Matre Maria effigiari ſtatuere, quem Diuiniſſimæ Proli ipſa orando oſtendebat; hæc eſt tela,quam vt vidi, vt noui, vt potui ſimulaui, obſcuro tamen atramento: in claro nihilominus tum erit, ſi nos ita frugi vixerimus, vt in articulo mortis digni inueniamur ab eiſdem Sanctiſſimis, ac Diuiniſſimis Perſonis, patrocinia obtinere.

Simulari mandat deuota picturа.

55 At vero poſt Sacramentorum ſuſceptionem, ægris de more adminiſtrari conſuetum, reliquum erat alia ſe communire armatura, hoc eſt Apoſtolica benedictione. Vnde notabili cordis affectu propoſuit,vt ad Sanctiſſimum Pontificem pro ea nanciſcenda ſufficiens deſtinaretur authoritatis perſona; in hoc fauor Reuerendiſſimi Prælati Lucæ Antonij Euſtachij aulici interioris ſuę Sãctitatis interpoſitus fuit. Qui Prælatus cum Patris noſtri ſingulariter ſtudioſus exiſteret, illam adeptus eſt, Camillumque adijt ipſam in nomine,ac vice ſuæ Beatitudinis illi conferens, iſtud euenit ſub eiuſdem diei veſperum, quando ſacra vnctione fuit roboratus. Eidem latori Domino Lucæ Antonio reſpondit Camillus, celſior ſane gratia hodie mihi obtingere nequibat, decora-

Lucratur Apoſtolicã benedictionem.

1614.

ri quippe tanto priuilegio: quapropter innumeras Diuinæ Bonitati rependit grates, quæ ipsum Romæ defungi concesserat; vt tam ingenti ditaretur thesauro; proinde Diuina Maiestas subintulit pluribus incolumem annis suam Beatitudinem tutetur, & in sua semper gratia felicius seruet,& adaugeat;exhibuit quoque ipsimet Domino relatori grates non exiguas, qui tale ei adeoq; prosperum deportauerat missum, & obtinuerat thesaurum.

56

Postridie hoc est sabbato iv. idus Iulij nonnulli ipsum adierunt Religiosi, nomine,& virtute conspicui,inter quos extitere Pater Augustinus Caracciolus, qui ante discessum genuflexus voluit à Camillo benedictionem assequi, ita fando,vtinam assiduo tecum commorari mihi liceret, ac Paternitatis vestræ frui conuersatione, atque ministrare; Pater quoque interfuit Franciscus Zazzera, pariter à Camillo secedens, ait, Pater Camille quando Paternitas vestra in Paradisi delitijs remorabitur Sanctum Philippum Patrem nostrum aue dicat, veniet tibi quidem protinus obuiam, cuius hic extitisti filius spiritualis: præterea ipsum visit hac die Frater Sanctus Cappuccinorum Guardianus, cũ quo sermonem intexuit Camillus de Dei dilectione,stupens quomodo rationalis creatura suum factorem non ardenter amaret, quando cernimus bruta animantia, & fera suos diligere benefactores, atque obsequi proprio Domino. sed longus esset, & inexplebilis sermo, hoc paucarum dierum circulo,quæ dixit, operatus est, & occurerunt Camillo, enarrare.

Visitur à piis Religiosis.

57

Dumtaxat hoc referam; cum enim esset ad illud suæ diuturnæ infirmitatis signum, statumque redactus, vt posset cum patientissimo fateri Iob, Adhæsit os meum pelli meæ,eius ossa quidem singillatim enumerare quisque quiuisset, sola tamen lingua aliquantum valida, ac robusta remanserat, qua Dominicas caneret benedictiones, atque assiduis laudibus Diuinum nomen celebraret, & sane non mereretur videre ea lingua corruptionem,quæ æternum Creatorem iugiter scit magnificare; vnde plerumque à nostris dulcia cum Domino formare colloquia auditus est. Interdum, ah summæ animæ meæ rector,atq; amator, quot bonorũ donis tibi obnoxius sum? quandoque tñ in Crucis formam expandens brachia, siue in cœlum eleuans,prodibat, tibi amantissime Dñe innumeras repẽdo grates ego vilis terræ vermis,ac miserãdus peccator, vestra quidẽ maiestas infinitæ miserationis plena relucet in exuẽdo à fæcibus miserrimos peccatores; nonnunquam se Domino offerens ita aiebat, ò vtinam ad te Saluator meus pio affectu euolem, & post te trahar, non autem cum mihi placitum est, sed tuæ cum visum fuerit bonitati, vnde varia iaculatoriæ orationis verba taliter item dicere audiebatur (semper putans à nemine nec cerni,neque auscultari) Saluator meus quidquid sum,fui,vel aliquando ero à vestra exijt benignitate, deniq; mentis oculos ad primam eius adolescentiam conuertens,Domine (cum plantu aiebat) me summopere te offendisse doleo, pœnitet me totis visceribus omnipotentiam tuam meis læsisse sceleribus,concupiscerem hos oculos torrentem haurire lacrymarum die,noctuque,vt possem vesaniæ meæ errata corrigere, ac abluere, sed tu misericordia mea,& vnica salutis meæ spes,rumpe laqueos,da lacrymarum fontes.

In eo articulo quomodo terit tẽpus.

58

Cum autem ad Camillum delatum esset Sanctissimum Crucipendentis simulacrum, cum ea mysteriorum plena inuentione, quam sibi effingi mandauerat in tela (vt supra notatum est) ibi se inspexit genuflexum inter Sanctissimam Virginem, & Crucis stipitem, tum aliquanto admirans stetit, postmodũ ait,tu scis Domine,ac reparator omnium Deus præter mei intentionem inesse

1614.

isthic me simulatum, ita Domi Superiore, meoque Confessario dispensante tuum propterea puto esse Diuinum beneplacitum, quare tibi refero grates innumeras, & eo magis spe erigor, quo infra tuos Diuinissimos pedes, & immaculatæ tuæ Genitricis cerno, me fuisse depictum. Vnde satis est, vt vna minutissima stilla de tuo pretiosissimo cruore ad me deriuet, qua superabundāter, non autem dubitanter, emundabor. Exinde ad Virginem conuersus, en Beatissima Virgo, age, fons pietatis, fac vt quoslibet dolores, mortisque angores æquanimiter feram, & si hæ minus satis sunt ad expiandas animæ meæ sordes nouæ superaddantur pœnæ, ac tormenta, vt cum tuo famulo Ignatio inclyto Martyre fari queam, Frumentum Christi sum, vt demum panis mundus inueniar, impetra mihi, misericordiarum Mater, veræ perfectæque contritionis donum. Cum hæc, & æqualia edidisset voces, iussit in prospectu deponi picturam, vt assiduo præ oculis haberet, ac iugiter contemplaretur. Sed animaduertendum est in ea tela cerni Beatissimam Virginem digitos extendere supra Camilli caput, atque ex eius ore ea verba exire videntur, Parce Domine famulo tuo, quem pretioso sanguine redemisti. Quapropter Camillus lætatus est fidens in tutissima Matris tutela, & in nati indeficiens clementia. In huius telæ simulacris, veluti in nitidissimo speculo, die, ac nocte meditabatur Camillus animum dulcissimis soliloquijs componens, exornansque. Instituit quoque suo valetudinario, vt Pater, qui in hora sui transitus præsens assisteret, (quamuis pauca loqui licuit, quia mors veluti somnus eum statim surripuit) nam somnum magis cepisse arbitratus esses, quam emori, vt paulo inferius indicabitur: sæpe sæpius de ineffabili, atque inæxtimabili Dominico sanguine, deque illius infinito valore disereret, ac meminisset, vt his verbis cor eius robur, ac refrigeria sentiens ad æternorum spem raperetur. Neue in admirationem quiuis minus prudens animum inducat, si Camillus tanta cautela, timore, ac pœnitudine in sua processerit salute, & se adeo munitum ad certamen cum morte exire studuit, atque tam vehementer sua delicta ipsum conterruere. Quando Sanctissimus, ac Sapientissimus Pater Augustinus, ante suā ad cœlū demigrationem Psalmos Pœnitentiales stylo exaratos affixos in suo cubiculo relegebat; atque registratum posteritati reliquit, neminem, licet se iustum putet esse, absque pœnitentia ex hac vita decedere audeat, quo magis, qui multifariam Diuinam læsit Maiestatem, formidolosum esse conuenit? ita nos Salomonis sapientia informat, inquiens, De propitiato peccato noli esse sine metu.

Varias orationes iacūlatorias.

Donec expiraret semper obediuit.

59 Præter spiritualia exercitia quamlibet terrenam occupationem, vel cogitatum execrabili odio hac tempestate prorsus vetuit. Et cum hora cibos capiendi instaret, Camillo fari sane licuit diuinum illud axioma. Antequam comedam suspiro; quandoquidem magno cruciatu afficiebatur; attamen vt obtemperaret, illis vescebatur, quamuis pauca manderet, seu mauis quia mandere nequibat, potiones, siue ius, vel liquores, seu sorbilia oua deglutiebat, & iam ad trigesimum suæ nimiæ inappetentiæ mensem peruaserat; nihilominus quęque illi edenda offerebantur, sui Domini in Cruce defixi fel, & acetum reminiscens, & ob suorum peragenda pœnitentiam errorum, protinus, patienter, semota omni repulsa, vel indignatione, suscepit alimenta; dum vitę permitteret tempus. Quæquę virtutum exercitia suis in Domino filijs linquere studens, maximè lethi tempore, quando potissimum, quę aguntur menti inhærent. In vtraque brachiorum parte plures alligatas custodiebat medalias

bene-

1614.

benedictas, vt in articulo mortis plenariam nancisceretur indulgentiam, quibus sæpè deuota figebat oscula; itaque in omnibus, quasi apis argumentosa lucrari sategit.

60

Quodã die sabbati sub Vesperũ Camillum adijt visum Excellentiss. Dominus Franciscus à Castro, tum Romæ Catholici Regis Philippi Tertij legati munere fungens. Vir præter egregiam prosapiam, egregius quoque moribus, qui post circulum suarum magnitudinum calcato omni fastu, terrenaque superbia dies suos Monachus professus, Deique Sacerdos humiliter, atque inclyte, & gloriose clausit: hęc satis mihi pro tanti herois magnificentia dixisse raptim sufficiat. Ad Camillum itaque properauit, secumq; locutus est, se illius orationibus, vxoremque sodalem, ac socrum, cunctosque natos commendans. Postmodum à Camilli cubiculo (quod commune in valetudinario erat) excludens cunctos solus mansit, & aliquantisper mutuo ratiocinati sunt. Vbi arbitrati fuere de Regia Phil. III. Domini Hispaniarum magnitudine meminisse, vt nimirum suis interuentionibus eam Dominus confirmare, propagare, ac extollere dignaretur. Et personam pariter Regis, Reginæque ipsius coniugis, atq; prolis Diuinę offerret Maiestati; pſperos pluribus annis in sui dilectione, ac timore regeret, optimoq; Prouinciarũ, ac Regnorũ moderamine perpetuò eos seruaret: ista creditur pronunciasse præfatum Principem, & Camillum humaniter, pronteque iuxta sui humilitatem penes Dominum se exhibuisse facturum.

Visitur à legato Catholicæ maiestatis.

61

Absolutus à tot visitationum frequentia Camillus, quæ illo die admodum præter consuetum concurrerat; quidam ex nostris Patribus ait, Paternitas tua pridie exclusit ab se, quemquam accedere huc appeteret, hodie vero cũctos admisit; itaque quod heri denegauit, hodie duplicato numero suppletum est, cui respondit Camillus, hi fuere Religiosi, quos Dominus ad me direxit, vt suis mihi opitularẽtur precibus. Inde admirans, multi extimationem quam de ipso conceperant, ait, extra mentem feror; quomodo cum ego sim vilis, ac miserandus peccator, & pauper, ac indignus Religiosus tot nihilominus viri Illustres, ac probitate decori meis tamen confidant frigidis orationibus quicquam adepturos, totum sane ex eorum prodit modestia, atque humanitate. Tum subdit præfatus Pater, Dominus saltem illorum exaudiat desideria, at Camillus inquit, ita euenire faxit Deus, ne rectæ voluntatis fidentia, bonisque, quæ desiderant, frustentur.

62

Sensim deuenimus ad diem Dominicum iij. Iud. Iulii, dies equidem eius felicem egressum à corporeis vinculis immediate præcurrens, quando scilicet Camillum suo lumine priuauit, vt meliore perfrueretur, ac nitidiore iubare. Hac porro triumphali Dominico die coram aliquot ex Patribus, ac nostris fratribus legi sibi imposuit protestationes languentibus in articulo exeundi à corporeis ligaminibus fieri consuetas, Camillo singulas confirmante, atque comprobante nutibus, ac voce, & notanter expeditius ea ad fidem spectans à se prolata fuit, Deumque obtestatus est se velle, prout semper vixerat, animam exalare in ea Catholica fide, quam sancta credit, & amplectitur Romana Ecclesia, extra illam, sicut olim foris arcam, quilibet naufragium patitur: in qua itidem suos hortatus est, firmiter, vt solidæ columnæ permanere perpetuò: & singulariter in obseruantia summi, Romanique Pontificis, se obsequentissimos præstare: hanc protestationum chartulam penes se retinuit, imposuitque, vt cum ea sepulturę traderetur. Et in horum omnium com-

Legi sibi imponit protestationes, cũ quibus sepelitur.

pro-

1614.

probationem capto dextera Diuinissimi Cruci affixi Domini simulacro strictim, ac deuote pluries ipsum deosculatus est. Prout faciendum commiserat, cum eisdem protestationibus à ceruice pendentibus in sepulcro conditus est, hians, viuus, lingua, functus scripto, veracissimam Christi Domini, mundique seruatoris fidem profiteri.

63 Sol eiusdem diei ad occasum festinabat, & Eminentissimus Card. Gymnasius nunc functus, tunc Religionis Protector, proprium nepotem Dominum Franciscum, & Aemilium Spinellum eiusdemmet Domini Cardinalis à Secretis destinauit, vt visum Patrem Camillum adirent, ac suo nomine salutem dicerent, seque in cunctis humaniter offerrent, cuius Principis memoriam, ac benignitatem grato animo Camillus excepit, sic affirmans, nimium Eminentissimo Domino Cardinali debeo pro tot in me ingentibus exhibitis beneficentiæ titulis, non inquam in terris me redditurum spondeo, eo quod vitæ meæ modicum superest tempus; at si Dominus, vt in sua spem meam fixi clementia, salutem largietur æternam, mearum erga Eminentiam suam obligationum onera haud equidem obliuiscar; & quidem huius Principis beneuolentia, singulariter studiosa in omni euentu cum Patre nostro Camillo se ostendit, eumque, vt par erat, notabili dilectione complexus est.

64 Post horum profectionē Dominorum sibi porrigi mandauit imagines quas iusserat simulari, & in prospectu seruabat, easq; nimia obseruabat attentione, hasque singillatim deosculans amantissima, ac deuotissima miscebat colloquia. Inchoans à clementissimo Cruci confixo Domino, ait, Pijssime Saluator, tibi hanc animam, quam omni exhausto à proprijs, ac sacratissimis venis sanguine redemisti, commendo; fac vt tua immensa pietate ad te, vnde per creationem exiuit, perque amarissimam passionem, & mortem in Crucis stipite redēpta est, redducatur, sicut cætera elementa ad suum peruadere centrum, naturali propensione nituntur, ita ego ad te mi Domine, absterge quæso vnica tui cruoris gutta cunctas animæ meæ sordes, ad te cui proprium est misereri semper, & parcere firmissimum animæ meæ præsidium confugio, si me despicies, quo vadam? necesse est ad æterna cadam; quod absit, incendia, eia benignissime Domine, parce famulo tuo, quem pretioso sanguine redemisti, in te anchoram meorum deieci desideriorum. Hinc ad Virginem verba dirigens, inquit, Ah Beatissima Mater ob singultum, & planctum, atque constantiam, quam Crucis in stipite stans ostendisti, fac, vt mea deplorem crimina, & cuncta firmiter sustineam aduersa, ac demum à tuo Diuinissimo nato veniā meorum assequar delictorum, exinde ori imagines applicans, & exordiens à sanctissimo Cruce pendenti Domino, per singulas discurrendo, oscula pressit, ac Beatissimæ Virgini, Diuo Michaeli Archangelo, cæterisque Cælitibus se ipsum ex corde obtulit, vt orantes apud Dominum pro eius salute assisterent. Denique Patrem Aeternum exorauit, vt per merita ipsius vnigeniti Filij sibi consubstantialis, benigniter ei ignosceret.

Soliloquia cum amantissimo Iesu crucipendēte.

65 Sub eademmet nocte diei Dominicæ cuidam Patri, qui vigil erat, eique assistens, ait, nescio num excogitauerint Patres necessaria parare pro mei cadaueris depositione ad tumulum, quod loqui super hoc audierat, respondit: subintulit Camillus, quæso animaduertite vitæ meæ non superesse plusquam crastinam diem, vt præsignauit, vitæ clausit horam, vt legenti infra mox patebit, sed vnde illi de exequiarum iustis, & sepulturę tanta cura fuisse? arbitror, & in meo non falli arbitrio opinor: timorem extitisse ne suum (vt euenit) cor-

Disponit super, iusta mox ei persoluenda.

Lib. 2. c. 18. erga finem.

1614.

pus exanime reuereretur, dum mandat illico sepulturæ donari, ò felix, & humilis,in via viuēs,atq; defungens magis,qui humilitatē tam ardēter amasti. adeoque præcauisti,vt etiam defunctum corpus nulla iactantię spicula valerēt transuerberare; attamen tu consuluisti, ne honere afficiatur,exuberans in tui vilipensione; tamen id in tuo non stetit volitu, quin maximo afficereris honore.

66 Demum ad lætum, & mœstum, ad nubilum, & nitidum, ad flebilem, & gaudiorum plenum transiui diem, mœstum, nubilumque nobis: Angelis vero Cœlestibus (prout credimus) lætabundum, & festiuum, diem functionis Camilli, Iam albescerat dies lunæ, luna est Virgo illibata, de qua legimus Pulchra vt luna, & mensis prid. Idus Iulij, Tum eminentissimus Cardinalis propria persona iterum Camillum sua visitatioue honorare dignatus est, quā gaudenter suscepit Camillus, vt suam instanti prece, illi Principi, ac Religionis Protectori, commendaret Religionem, qui humaniter omni tempore, & occasione,dum vita foret superstes se facturum respondere sibi complacuit. Postmodum quasi à somno suarum cælestium meditationum expergefactus valetudinarium quæsiuit, interrogauitque de hora, qui ait, duodecimam appropinquasse, & nedum agitur de Missæ celebratione? inquit Camillus,quādoquidem hanc solam mihi auscultare fas erit.

Visitur ab Eminentiss. Protectore.

67 Vnde statimatque vnus ex Patribus paramentis indutus Sacerdotalibus eā dicere cæpit, Camillus vero attentissimo corde, & aure mysterijs tanti Sacrificij plusquam solito incubuit, quod in communi (de more) agebatur valetudinario; dum enim Apostolorum Symbolus legeretur, singulis fidei articulis caput inclinauit, in illis tamen verbis, Et homo factus est, profundissima deiectione ceruicem submisit, si licuisset profecto,aut vires suppeterent ad terrā se prostrasset, ita pariter effecit dum intellexit, Passus sub Pontio Pilato, vsq; ad eam clausulam, Inde venturus est:in memento vero ante consecrationem repente vocem extulit,validiori, quo potuit modo,orationes,clamans,orationes plusquam consueto, tempus adest Patres mei, ac filioli, vt mihi Dominus salutem animæ præstet, & me coram eius præsentem tribunali, in eleuatione autem Diuinissimæ Hostiæ fortiter pugno diuerberans pectus, altis, & claris notis aiebat, mihi famulo tuo ignosce Domine ob prætiosi sanguinis merita,pro me in Crucis ara effusi, Demum absoluto sacro, suum compellauit Confessarium, rogauitque ne à suo discederet latere, eo fine, vt quidquam in mentem occurrens, protinus Sacramentalem susciperet absolutionem, & aliqua suppeditarentur ei spiritalia verba, vt valeret Diuini colloquij pabulo, iugiter nutrire mentem, & mulcere animum Dei famelicum.

Quibus cō- siderationib. sacrum auscultat.

68 Itaque totum diei reliquum de Deo loquendo,ac meditando consumpsit, omnibus,qui ipsum visum ibant, vt suis precibus illi opem afferrent,iniunxit, mox se expediens; Cuidam eius familiari vocabulo Francisco Buttelli, qui manus Camillo deosculari accesserat, ait enim, pro me hoc sero deprecare, qui uir satis conspicuam honestate vitam ducebat, Dominus Thomas Condopoli domi nostræ Physicus ipsum percōtatus est,quomodo à suis ęgritudinibus tractaretur, valde bene, respondit, dum Domini mei dudum expecto vocationem, Cum pariter ad eum deuenisset Dominus Ambrosius Gallicanus Patris nostri admodum studiosus, simulatque inspectus à Camillo, en Domine Gallicane, inquit, alter, & immortalis medicus nos præstolatur. Quidam ex Patribus repente ingrediēs ad Camillum,illum intuitus est signis,

In quo consumit vitæ vltimas horas.

& ocu-

1614.

& oculorum nutibus verba facere cum Imagine Sanctisſimi Cruci pendentis Domini, animaduertens tamen ibi aliquem adeſſe, deſijt à colloquijs frontem ſerenans. In ſigno Salutationis Angelicæ, quod ſub meridiem pulſatur, Camillus licet adeo linguæ aridìtate cruciaretur, vt pene eam nequiret dimouere, attamen Sanctisſimam Virginem diſtinctis notis humiliter ſalutauit conſuetis orationibus.

69 Audiens horologij campanam percontatus eſt, quam horam deſignaſſet, reſponderunt, decimam nonam, cõtra horologium lamentatus eſt admodum, nempe in longum protrahere horas: opperiebatur enim ardenti deſiderio veſperum noctis, vt dormiret in Domino, & ad illam auroram, matutinamque lucem, quæ nunquam agnoſcit occaſum conſcenderet, hoc eſt depoſito mortalitatis amictu, ſuo dulcisſimo Domino IESV frueretur, itidem impoſuit, vt plures ſecum aſtarent Sacerdotes, ac pro ipſo auxilium implorarent Diuinum, dum rectis vigeret ſenſibus, ipſe vero nedum Litaniæ cum recitarentur, reſpondit, ora pro me, atque adeo cæteris commendationis animæ orationibus. Cum aliquando eius Confeſſarius dum commendationis animæ ordinem legeret, ipſumque aqua luſtrali aſpergeret, Camilli vero faciem non tangeret, tum ipſe petiuit, plus aquæ luſtralis, denotans velle abundanter aqua ſundi benedicta, vnde idem Pater aſpergillo Camillum ſignauit in fronte affluenter, tum ait, ita ſatis eſt, quare attentisſimo mentis oculo ſuæ ſalutis cautus fuit: ita vt omnes in admirationem induceret, quam frequenter medalias ad obtinendas indulgentias deoſculatus fuerit, quas alligatas iugiter aſſeruauit in bracchio, prout nuper annotaui, & ſuum amantiſſimum Crucifixum perſæpe oſculando ſalutauit.

Lamentatur ergà horologium, quaſi procraſtinãs lethi horam Lib. 2. c. 18. prope finem

70 Vnde perfectum non modo diſcurſum, verum etiam ſenſus exteriores integre poſſedit, & linguam, adeo ut in ſonante Aue Maria ſub ſolis occubitu, ipſe optime eam protulit, ita enim poſtulauerat ſibi concedi à Domino, vt ſenſibus quippe vigeret ad occaſum vſque ſuæ defunctionis. Et licet vigilantiſſima cura, & intento, ardentique corde contenderet, in amore cœleſtium creſcere, propriamque ſalutem in tuto, hoc eſt in cauerna Dulciſſimi Lateris ſui Domini locare: nihilominus quandoque doluit, dicebatque tepeſcere, Deumque in diligendo remiſſum ſe quodammodo ſentire. Id profecto ex ſua prodibat humilitate, vel ex vehementiſſimo, quo ferebatur amore ad magis, magiſque ſummum Bonum diligendum, vel demum, quod mihi potius probabile ſit, non excludendo prçallegatas rationes, quoniam habat cum Apoſtolo diſſolui, eſſeque cum Chriſto, at propterea illius anima non ſatiabatur, ſed propheticum auebat impleri deſiderium, inquiens. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Lingua viguit adusque extremum.

71 Iam hora multis ante luſtris concupiſcenti animo à Camillo exoptata, expectataque aduenerat, propter quam, vt in ea nimirum dignus appareret, & tanquam vnus ex prudentibus virginibus iret obuiam cœleſti Sponſo, tamdiu in Dei vinea, tamque fideliter gelidas noctes, & diei ardores ſufferre gauiſus eſt. Iam inquam cum quadrante dilapſa fuerat prima noctis hora, & importunus miniſter, dulcia Camilli cum Domino, Virgineq; Diuoque Michaele, in quos attente inſpiciebat, interpellauit colloquia, vocauitque ſi aliquid diſtillati liquoris vellet in faucium humectationem deglutire, cui ſubridente vultu, ait, expecta paululum frater ad vſque alium temporis quadrantẽ: intra quem ea felix anima ad æternam Cœlorum Regna demigrauit, vt ſuarum

Lib. 2. c. 28. Dormitio P. noſtri.

coro-

1614.

coronis misericordiarum, à miserente Domino redimita, triumpharet (sic eius pietas eximia fari compellit.) Itaque hora, & dimidium horæ noctis cunctis procumbentibus genu Domi Patribus, Camillus vero defixa tenens lumina ad Imagines, quas paulo antea sibi effigiare iusserat, lætitiæ signa dans, expansis manibus, ac brachijs in Crucis formam, & dulcissimum IESV nomen, Beatissimæq; Matris inuocans, ea verba dū legerētur, mitis, atq; festiuus Christi IESV tibi aspectus appareat, volauit illico ad Cœlum, vt credimus, pridie Idus Iulij feria secunda 1614. ætatis suæ agens sexagesimum quartum expletum diebus vero addictis quinquaginta, & conuersionis ad Dominū 40. die memorabili Beatissimo, ac Seraphico Patri Bonauenturæ sacro, nisi affirmare velim præterijsse festum, quia sol iam occiderat. Nullum ipsius corpus siue antea, siue in termino relinquendi spiritum, siue postea indecorum prębuit motum, siue dereliquit vestigium, immo è diuerso semper sedato visum est vultu, & non magis diem obijsse, quam dormitionem accepisse considoratum est iuxta propheticam veritatē, Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Ergo nè bone Pater, ac Pastor, hic omnino desolatos tuos prętermittes filios? nefas est hoc machinari, quod est somniari. sed tuam nunc arbitramur magis contutari Religionem, pro ea igitur pugna, & luporum eam insidiantium retunde dentes, quemadmodum hic nobiscum morans insectatus es; itaut perpetuum nostrorum omnium te agnoscamus propugnatorem, atque patentem. Demum hic tua sectantes nos vestigia, & paterna monita, pariter perfruituros bonis, Diuina opitulante gratia post lethi necessitatem deueniamus.

72

Fragmē cuiusdam epistolæ supra lethum patris nostri.

Referam nonnulla cuiusdam epistolæ fragmenta missæ à P. Matthęo Morruello ad Patrem Simonem de Bologna; quandoquidem multa in ea contēta nuper à me exarata videntur, aliqua dumtaxat, quæ minime interiecta sūt, colligā. Cessit è vita (sic incipit) imò transijsse speramus ad fortunatam, iucundioremque vitam P. noster Camillus prima noctis hora cum dimidio absq; pituita cum loquela; vnde vnicum dans ore ridenti hiatum, extollensque ad sydera lumina feliciter expirauit: palam præmonuerat mane, ea se nocte clausurum in morte oculos, sic prorsus accidit; Nudius tertius, vel quartus fuit ante sui obitum, quando instanter petijt sibi sanctam Vnctionem conferri, formidolosus ne absque aliquo fungeretur ex Sacramentis. Vnde A. R. P. Generalis nos omnes in valetudinarium conuocans sacrum Missæ fecit, & nō sine graui planctu Sanctissimum Viaticum ei dispensauit, & paulo post Sacramentum Vnctionis extremæ administrauit: sed ante ipsius Sacramenti collationem mentem, & vultum sustulit in Cœlum vna, & manus, parumper ita in oratione perseuerans, inde ad nos oculos deflexit humiliter postulans, vt Dominum rogaremus, se dignari velle, vt illius Sacramenti virtutem ea maiori, quo par erat susciperet deuotione, ac viua fide, quemadmodum tanti Sacramenti excellentia postulat (qua enim dispositione Corpus Dominicum communicauerit supra enarraui) eo vnctus, quasi fortis athleta euasit, Diuinęque innumeras grates retulit maiestati, quæ ipsum tātò dignum effecerat munere. Et post multa ita subnectit in epistola; Grauius à morbo se diuexari sentiens, vetuit ne quilibet ex Laicis ad ipsum introduceretur, rationem allegās, hic status permutatio quammaximi profecto momenti est; quocirca oportet quamattente in ea excogitare, & non à tot visitationibus me à Domino auocari; sed studere me potius ipsi sancta meditatione adhærere. Noluit in eo ar-

ticulo

ticulo fieri mentionem, de alio, præter quamquod de Diuinissimo Christi Domini Sanguine, deque ipsius misericordia, loquens adhuc in illo conflictu quamuis non æque clarè, ac distinctè, sed interpellatim appellans Diuinissimum IESVS nomen, & Mariæ, vnde infra semiquadrantem suo reddidit Creatori spiritum. Pater Domi Præfectus recitans erat commendationis animæ libellum, Pater vero Marcellus Mansius Generalis Consultor prope caput adiacebat, aliqua subministrans deuotionis verba, ego itidem ex altero cubilis latere simulacrum Sanctissimi Cruci pendentis Domini dextera, ante conspectũ Patris nostri eleuans persæpius Dominicum Sanguinem, vt ipse præordinauerat, verbo suggerebam; tota item genuflexa coram eo domus orabat. Post obitum, qui fuerit ploratus prætermitto, vndequaque lamenta, suspiria, & fletus redundabant, & si cuiusuis liniretur plantus, excitabatur illico, & innouabatur ex aliorum lacrymis, ac lamentis ob sui amantissimi Patris amissionem; hucusque præfatus Pater Matthæus olim Generalis nostri Ordinis, alia subindicat; quæ propterea quod cum ordine rerum mox dicendarum connexionem habent, idcirco infra dispensabuntur, xv. Kalen. Aug. 1614.

73 At quoniam virorum aliquo in ordine præheminentium causam mortis solent curiosius inquirere homines; propterea licet multa supra narrauerim de extrema Patris nostri ægritudine, hic tamen ex litteris P. Francisci Amodei nostræ Religionis Sacerdotis, ac professi, viri siquidem spectatæ virtutis compendio magis innotescet, hac enim epistola ipsius mortem recensere intendit, & ex occasione de ægritudine, at quoniã de Patri nostri letho satius facta est recordatio, modo dumtaxat, quæ vltimam Patris attingunt valetudinẽ depromam, hæc eiusdem in Epistolæ exordio extant verba. Carissimus frater, pax Christi. Præsentes mitto litteras, & tibi de more auspicor salutem pariter, & aliquam Patris nostri Fundatoris erga ipsius transitũ ex hac ad meliorem vitam recenseo particulam. Genuæ (hic tangit ægritudinem, quam anno primo A. R. Patris Nigli Generalatus contraxit) quædam ei ciborum inappetentia superincidit, adeo acris, vt nullatenus cibos suscipere permitteret natura, ita vt omnes fore, vt vita fungeretur, excogitarent, paulatim recuperatis aliquantum, at non in integrum viribus, mẽse Octobri Romam peruenit, vbi tota hyeme illum ipsamet inappetentia afflixit, non profuit quicquã, licet omnis adhibita sit diligentia, & medicaminum præsidium, bene vt valeret: quare coactus est ferme semper in lecto sterni ob nimiam artuum exilitatem, à qua incunctanter tortus est. Recurrente autem mense Maij ex proprio cubiculo, vbi decubuerat, ad commune valetudinarium euehi voluit, vt quotidie sacro Missæ interesset, & Sanctissimæ Eucharistiæ particeps fieret; quandoquidem dum in priori sisteret habitatione maxima cum difficultate induebatur, & ad infirmorum super alios innixus ducebatur habitaculum, vt inibi missam auscultaret, & Cælesti Angelorum vesceretur pane. In valetudinario demum decumbens, validior facta est edendi inappetentia; ita vt ei obsonia afferentibus cuiusque saporis, vel præstantiæ maximopere vexari, affirmauit, in assumendo, & tormentum pariter sustinere in deglutiendo, hæc esculenrorum nausea, in poculenta itidem transiuit; quocirca eius natura non minus horruit escam, quam æque potiones, vnde in tota alimenti sumptione tres, aut quatuor aquæ cum modico mero vncias non excessit, tamen difficulter, & cum horrore, ac morbi pœna sumpsit; hinc non mediocres passa est dolores omni ex parte natura vndique iactata, atque obses-

Recensetur ordinatim postrema P. nostri ægritudo.

1614.

ſa ab infirmitate, continens, & in tot coniecta conflictationes; in quibus eius patientia magna, & continua claruit: obſeruantia, quam adhibuit ſibi obſequentibus valetudinarijs ſingularis nituit, perquam modeſte, & ęquanimiter ſumẽs cũcta cũ vehemẽti corporis diſplicẽtia, ſiue quidquid potabile, vel eſculentũ ſuggerebatur; ſufferentiam in amplexando quodcumque aduerſitatis monſtrum ob Dei dilectionem praecellentem vidimus, his malis noua ſuperadiecta eſt febris, quae ſub veſperum cuiuſque diei in eum irruit, &c. ſubnectit iam dictus Pater Franciſcus, & agit de Patris noſtri Sacramentorũ ſuſceptione de obitu, & quę poſt eumdem obſeruarunt. Dat. Romae iv. non. Auguſti *1614.* pluſquam frater (ſcribit enim cuidam laico) Franciſcus Amodio; reliqua praetermiſſi, quae inſeruntur earumdem litterarum in deſcriptione, quoniam de his nuper ſatis ampla mentio à me facta ſpectatur. Sed quid tot induciae?

74

Mane antelucano eius corpus Sacerdotalibus circumornatum paramentis in Eccleſiam ſupra feretrum à ſex profeſſis Sacerdotibus ductum eſt, vt de more ſacrum Miſſae decantaretur, ac Defunctorum Officium perſolueretur. Quare apertis Eccleſiae valuis, quaſi eius lethi fama ſtatimatque à praecone, vel ab aliquo coeleſti numine euulgata eſſet, per Vrbem cucurrit, volauit, non hic interſerere contendo difficultatem, quam tum Reuerendiſſimus Pater Generalis in celebrando ſacro, & Patres in decantando officio paſſi ſunt, a lacrymis, quae vt riui ab oculis fluebant, praepediti, notat in ſua epiſtola quam ſupra memini P. Matthaeus Merruellus antiphonarios à planctu occupatos verba articulare nequiuiſſe. Interim eius functionis vox diſſeminabatur, & ecce repente confluere, ſicut frequens pluuia, ad Diuae Mariae Magdalenae Eccleſiam numeroſa, & pene innumera populi frequentia, perſonarum cuiuſque generis, aetatis, conditionis, & ſexus, alter ad fratrem ſuũ, ad amicum, ad proximum, ad aduenam aiebat, eamus, & intueamur magnum Dei famulum Camillum, qui in templo iacet Diuae Mariae Magdalenae demortuum, ibi enim Beatus ſe reputauit, qui eius manibus, pedibuſque, ac veſtimentis oſcula fixit: flores, & myrtum à Patribus ſupra corpus (iuxta Romanorum conſuetum) conſperſos, detrahebant, gentes ſibi deuote ſeruantes, patrum cauthela, & cura adeo vigil ſatis eſſe non potuit, quin etiam veſtes dilaniarentur, & raperentur, pia rapina, à multis, vſque ad barbae, capitiſque pilos; quiuis penes ſe habere cupiebat, quod Patris corpus tetigerat, vnde alij proprios applicabant, ſudariolos, nonnulli coronas, quidam vero extractis à digitis anulis in illos patris inſerebant: vniuerſi illum commendabant, eius vel maximè caritatem celebrantes, & dum os, & genas Patris Camilli manibus applicarent, & corpori, non pauci Sacerdotes, & auctoritatis viri aſſerebant, ò manus benedictas in caritatis maſſa immerſas, quę diu extitiſtis, caeci quoq; in oſtio templi eleemoſynas mendicantes, ſubbito, conſiderantes populi deuotionem, nimiumque concurſum inter ſe conſpirarunt, quamdam componẽtes orationẽ, virtuteſq; Camilli recolentes, atq; canentes, potiſſimũ caritatẽ erga inopes, & infirmos, ipſum cõpellantes feliciſſimis cognomentis. Plures ſtirpe clari, tam viri, quam Matronae aiebant, ò vtinam liceret hic iugiter immorari, adeo à conſpectu illius corporis benedicti rapiebantur, ſeq; ad deuotionem mirifice excitari manifeſtabãt. Quidã autem nobilis Hiſpanus affirmauit minime ſe deceptũ crediciſſe, in aeſtimando Camillũ ingẽtẽ Dei ſeruũ, quandoquidem Patris Camilli manus contrectans, ſic tractabiles, ac flexibi-

Quid contigerit dũ officia celebrarentur defũcti.

Lib. 2. c. 31. per totum.

les

les adinuenit, vt illas cuiuſdam viri optimę vitæ, qui deceſſerat in Hiſpania dum in eiſdem Regnis commoraretur. Non parui nominis quidam viri Patris Camilli lethum pręſentientes ſuſtulere vocem, nunc pauperum extincta eſt, dicentes, ſingularis lucerna; merito de ipſius amiſſione egeni, & infirmi ploratum edidere. Pater Fr. Dominicus ex ordine Carmelitarum Religioſus S. Tereſiæ vir ſua tempeſtate magna prudentia, & probitate, cuidam ex noſtris Patribus protulit magnum heroem Cœleſtium manſionum exceſſiſſe; cui liquido Apoſtoli dictum conſonare ait, idoneum fecit illum Dominus Miniſtrum noui teſtamenti; nonnulli verò aſſeuerabant, ſe penitus ignorare, verum nobis potius congratulari debere, quam triſtari, eo quia ſi hic Patrem perdiderant, in Cælis fuerant adepti ſtrenuum protectorem; Denique alij varia promebant in tanti viri præconia laudum.

75 Verum qui ſupra modum aerem magnis clangoribus percutiebant, à dæmonibus preſſi tum viri quam mulieres non modico in numero extitere, diuerſa fatentes licet coacti in honorem Serui Dei Camilli; iure quidem merito, etenim eorum ſuperbiam humilitate, & ipſorum impietatem caritate, & pietate peſſundedit, nunc vero ab aſpectu ſui corporis contorquentur, & ſua tortura ſe deuictos clamant, atque trophæa Camilli proclamant, aliqui vlulantes ad capulum propinquare recuſabant, plures manibus velabant ſibi oculos, ne ipſum intuerentur, ſiue illos ſtrictis rugis comprimebant, vnica voce cuncti gementes fatebantur, ſe conflagrari, & vehementer cruciari, atque a viſu Camilli corporis vapulare, vnus ſingillatim, dum ad capulum accedere ſuaderetur, malo inquit ad carcerem detrudi, quam ipſo proximum fieri; alter verò aiebabat, quare coarctatis me, huic adherere ſeni, qui ſtatim ac functus eſt Cœlum penetrauit? Multitudo autem in momenta creſcebat, talis quidem res Patribus nunquam venit in cogitatum, vnde æquibonique fecerunt, ne aliqua ſuboriretur perturbatio, & inconueniens, iam enim frangi incipiebant columnæ ligneæ, altaria, quæ circumdant, & ornant, ipſiuſmet capuli pedes vacillare, & rumpi inchoauerant; Corpus itaque in ſacrarium perduxere; vt ea Populi conſtipata caterua ſedaretur: iam Sol ad occaſum feſtinabat. Cum autem notum eſſet hoc plebi acrius inſtitit, ne illinc amoueretur; vnde neceſſitate coacti ſunt Patres cohortem conuocare ſatellitum, & hac via intus illud in ſacrarium benedictum corpus vehere, quod non ſine graui peractum eſt difficultate, manente Populo extra ianuam, & tumultuante, ſed a cuſtodia militum frænabatur.

Lib. 2. c. 21.

Frigor energuminorum

76 Quidam ænerguminus, qui nequiuerat felix illud depoſitum cernere in Eccleſia, ingreſſus eſt in atrium Conuentus; indeque ſupra ſcamnum proſiliens à quadam feneſtra, corpus inſpexit; at verò repente, quaſi ab occulta, ſed valida manu retrorſum deiectus eſt, humi procumbens, euſque ſic iacẽs quoad eleuatus ab aliorum manibus ſurrexerit, & tum erectus tanto impetu inde fugit, quanto vnquam ſtimulatus equus cucurrerit ore fremendo acriter torqueri, & aduri conquerebatur; nonnulla quoque extra Eccleſiam Diuæ Mariæ Magdalenæ, hoc tempore contigere, quæ mox ſubnectuntur non in vniuerſum, ſed pauca, modeſtia enim, & breuitas plura docet obducenda: ſed quæ in eadem Eccleſia occurrit cuidam referatur.

Loc. ſupra allegato.

77 Don Andreas Canalis Sardus Sac. Theol. Doct. ponit in ſua teſtificatione cum die obitus P. Camilli in eius Eccleſiam vna cum Epiſcopo Sardinenſi cauſa videndi corpus deueniſſet, poſt multum laberis ad pheretrum appro-

pria-

1614.

priauit, ibiquammagnam obsessorum à dæmone turbam altis vocibus inclamantem vidit, & audiuit, inter cæteros inspexit mulierculam, præ reliquis vociferare, & velut anguis contorqueri, cui proprior effectus quidem Sacerdos, hæc verba prodidit, præcipio tibi immundissime spiritus ob merita huius Serui Dei exire ex hoc corpore, ad has voces veluti ab acuto ferro spiritus nequã confossus deiecit mulierem consternatam supra tellurem. Don Andreas iam memoratus interea mulieris manum erexit, & supra Patris benedictum pignus deposuit, quæ parua interiecta mora semiquadrãtis se erexit magna quiete ab omni infestatione exempta, & post orationem, & gratiarum exhibitiones Deo suoque famulo Camillo abscessit.

Claret in processu Romę fabricato

Mulier quædam Romę nomine Iacoba à Cacodæmone inuasa dum prope sepulchrum P. nostri legeretur, vbi nempe simulacrum Patris fixum in pariete pendebat: spiritus autẽ nequam altis clangoribus, ait, heu me miserum hinc me deducito, & cum à Sacerdote exorcizante coarctaretur dicere causam (inquit ille) ostendens P. Camilli imaginem in quadam tabula depictam, cum ego infelix vnus essem ex supremo Seraphinorum Choro, me ruente, locum eumdem adeptus est hic senex; quapropter illum cernere nullatenus valeo; item ad quosdam alios, qui ibi astabant Patres, conuersa asseruit, neque vos vllo pacto queo intueri, vnde isthinc ite, quos maximopere exhorreo propter opus, quod infirmis præstatis, namque illas animas à me, meisque contubernalibus longo tempore, magnoque labore acquisitas à vobis in transitu vestris monitis, & orationibus ereptas, amitto: quare nedum aduersus Angelos bellare cõpellor, verum contra vos; & licet sit fallacissimus, immo mendaciorum Pater, attamen Deo referatur sempiterna laus, quoniam hac vice non apparet, quomodo à veritatis directione discesserit; cogente illum Domino, vt pium commendationis animæ munus, quantæ sit præstantiæ clarescceret, per eosdem oppugnatores in ipsomet lethi conflictu exhibito testimonio. 78

Lib. 3. c. 20.

De verbis cuiusdã arreptitiæ.

Imagines, & quodcumque à Serui Dei Camilli fuisset contactum, dæmon horribiliter execratus est, maxime hoc tempore suæ sepulturæ; tamen in testimonium sit quod subditur. Mulier quædã eadem in Vrbe Romę telæ vẽditrix in foro (sic dicunt) Nauono super Diui Iacobi gradus assidebat, telam diuendere expectans, emptor concurrit, & facta de pretio conuentione, pecuniam euulsit à crumena, mercator autem in Ecclesia Diuæ Mariæ Magdalenæ ad visendum P. Camilli corpus iam exanime interfuerat, vnde sumpsit de floribus, ac myrto, quę idem corpus contrectauerant; quare pecuniam detrahens à crumena, vt pretium solueret, venditrix, quæ occultè arreptitia erat, statimatque exclamare cæpit, vror, vehemẽter ardeo, & fugiens circum forum ibat, vnde tandem apprehensa, protulit tolle myrtum, eius enim olfactum, nec visum, valeo sustinere; eo quod illum senem tetigere demortuum in Ecclesia Magdalenæ, intelligens de Patre Camillo tum temporis defunctum, quem subsequenter ait, infestinis, atque intentissimis odijs insequor. 79

Loco nuper citato.

Ostenditur obsessa tactis floribus à corpore P. nostri abstractis;

De alia refertur muliere Vrbis eiusdem Plautilla Dicta, hæc diu ab aeri, & pituitosa detenta vexabatur ęgritudine spatio nimirum integri lustri, assidua super hoc, & varia assumens medicamina, tandem casu euenit illi porrigi Myrti ramum, è functo corpore P. Camilli ereptum, quæ cum eiusdem ægræ vestibus fuisset applicitus, tũ nõ secus ac vulneratus taurus supramemorata fœmina acerbas voces extulit, vt ab ea protinus secluderetur, quod quidem 80

Lib. 3. c. 20. in fine.

omnes

omnes insueto stupore obseruarunt, illam, quam infirmitate correptam arbitrati fuerant, seuè à dæmone extitisse cruciatam, virtutem illius myrti malam bestiam (vt vtar vocabulo ipsius Patris Camilli, sic dæmonem appelātis) non valentem pati, indeq; execrans Serui Dei Camilli merita, à quibus veluti duris flagris acriter vapulabat, ostendit toto quinquennio mulierem detinuisse oppressam, & ægram, occulto tamen modo.

De alia muliere obsessa.

81 Eadem itaque nocte patrum modestia voluit, vt tanti populi conturbatio sedaretur, & domus quiesceret, corpus humi cōdidere, positum vnica in arca cipressina, per modum tamen prouisionis, quoadusque aliæ fabricarentur capsæ, vt decentius eius memoria quiesceret; surgente aurora regressus est populus, sed stetit, & mœstus ad proprias domos reuersus est; at si valuit multorum accessus ad Patris nostri benedictum corpus hac via intercludi, obsessorum verò à dæmone turbæ, ne streperent, quis potuit cohibere? quisuis clangoribus, & lamentis cuncta exturbabat. Tertio autem die, vt congruentius illi memorando pignori daretur requies, extractum est à tellure, quod intueri Domina Dux Sforza concupiuit, & quædam sed paucæ aliæ dignæ matronæ. Ast illud sicut deposuerant, esse obseruarunt tractabile, ac flexibile, quasi viuens facile componentes ipsum (quia facile artus flectebantur) in capsa (vt significaui) cipressina, quæ in alteram plumbeam immissa est, & hęc tertio loco in castaneam arcam iniecta est, itaque trium in custodia capsarum commissum est benedictum patris nostri corpus, humatumque à cornu Euangelij in maiori Altari, supra verò sepulchrum ex lateribus formatus est, veluti quidam lapis, vbi nostræ redemptionis signum ex eisdem lateribus efformatum etiam apparet. Non propterea frequentia populi cum deuotione destitit vnquam, immo minus anno pluriora quam centena vota concurrere, siue depicta, uel argentea ex cælatura, affixa in pariete prope sepulchrum. Quæ inde abstracta sunt.

Lib. 2. c. 31. prope finem Sequitur cōstipata populi frequētia ire ad tumulum.

82 Primum enim signum in templum allatum extitit quædam ex argento tibia, quæ omnibus dicendi præbuit occasionem; quandoquidem Seruus Dei Camillus tot annorum decursibus atroces sustinuerat in tibia cruciatus, modo autem, vt honore decoretur eius sufferentia, Diuina Maestas complacuit sibi, ad Camilli sepulchrum argenteum offerri crus.

Prima memoria ad sepulchrū fuit argentea tibia.

83 Seruus à pedibus Eminentissimi Cardinalis Torres, cui natus erat filius iam tum puer annorum circiter septem, qui diù attractis neruis brachium curuum gestabat, remedia tamen quamuis plura adhibuissent parentes, nil tamen profecerant, dum enim inhumatum supra tellurem corpus patris Camilli in Ecclesia custodiretur: puer brachium ad corpus Serui Dei admouit, quod seclusa mora extendit libere, nec vllam in eo posthac passus est grauedinem, quo perfecte vsus est, ac sicut de reliquo vsum habuit.

In processu Romæ formato.

84 Iulius Stella septennio à quadam in naso fistula molestias tulerat, nunquam nec pus, nec sanguinem fluere desinente, magna fide ad Camilli corpus perrexit, adhuc manens supra tellurē, eius tetigit, & deosculatus est manus, quas vlceri deuote applicuit, & veluti ex optimo medicamine repente sensit refrigerium, ac meliorauit, vnde paucorum intra dierum interuallum omnino cōualuit; res siquidem præter sui, & omnium expectationem, quando vero nulla prætermiserat ad salutem nanciscendum indaginem, & remedia, ac viam ad sanandum.

Lib. 2. c. 31

85 Angelus item anni vnius cum dimidio filius Felicis Matthęucci secum ex

1614.

vtero matris fracturã in inguine traxerat ad oui magnitudinem, aliud subterfugium medicinæ periti non adinuenere, solum, cum ad ætatem septennij peruenisset, quando firmiores vigent vires, castrari; alijs item ægritudinũ molestijs afflictabatur, etenim lac ab vbere materno suggendo, euomebat; bona eorum fortuna nempe vir, & uxor per templum Diuæ Mariæ Magdalenæ pertransiere, at quoniam recens fama gratiarum, quas ob merita Patris Camilli Altissimus Deus operabatur, adhuc efferuescebat, optime factu arbitrati sunt præfatum in templum ingredi, & pro filij Seruum Dei Camillum deprecari incolumitate, absoluta oratione propriam rediere domum, albescente mane cupiens mulier natum uestimentis circumducere, tunc mirari cœpit, ac stupuit, prolem spectans omnino infirmitatis expertem, sed magis gauisa est, quando lactis alimentum trahens non euomit, quare pro adeptis gratijs, summo Deo, suoque famulo Camillo meritas cum lætitia retulere. Non defuere signa, quę ostenderent Serui Dei Camilli uirtutem, optimasque operationes, post etiam funera, uarijs, pijsque personis Religiosis exhibita.

Ex processibus fol. 157.

Ea se ipsmet nocte discessus ex hac ad immortalem uitam P. nostri Camilli, in somnis cuidam apparuit uiro in eadem Vrbe Romæ pœnitenti (quem honoris causa sileo) illum commonefacientis, ut quoddam confiteretur crimen, quod ipse paruipendebat: vnde vir ille rei nouitate pene exterritus, cernens Camillum stellis circumornatum, quo pergeret interrogauit, & quid in eo habitaculo moraretur? tum vero Camillus inquit, modo vita functus sum, & in cœlestia scando, tum ille sollicitus surrexit e lecto, & Ecclesiam Diuę Mariæ Magdalenę petiuit; & quemadmodum in somnis audierat, in vigilia proprijs oculis verum esse obseruauit: Inde cum lacrymis confessario adaperuit patrati delicti deformitatẽ: meritamque pœnam luit, se constituens sui ipsius vindex. 86

Lib. 2. c. 22

Romæ Montis Quirinalis in radice extat Monialiũ Conuentus, vbi anno 1614. onus Priorissæ Soror Vrsula Gasparina sustinebat, hęc eodem anno feria secunda prid. Id. Iulij inter primam, & secundam noctis horam per cochlidem in superiorem Monasterij partem ascendebat, vt puellarum, iuxta consuetum, viseret dormitorium, in ascensu eleuans per aerem oculos, circulum fulgentibus stellis magnitudine adinstar circumferentię molaris lapidis inspexit, in cuius medio nubes fulgida instar infantis eminebat, quæ sensim vna cum sideribus Cœlum versus tendebat. Inde tanto territa, mirandoque signo ad conuocandas extemplo socias, ut eiusdem rei adeo prodigiosæ conscię fierent, descendit: una tantummodo appellata Anna de Rossis accelerato gradu cucurrit præ alijs, uiditque uisionis partem, nempe tum intra Cœlum sidereum recipi circulum, quique erigi uisus fuit ex loco intra templum Pantheon, & palatium Demosantis Ferrini, nequiuerunt, tum quicquã de eo sorores affirmare, siue conijcere, eo usque mane facto, quædam tum Monasterium adiere seculares personæ, pręter cętera enarrarunt ea nocte sesquihora spiritum efflauisse P. Camillum de Lellis Fundatorem RR. patrum S. Mariæ Magdalenæ, sic enim appellantur Romæ nostri patres, ex quo satis piè collegere, eam, quæ adinstar nubis eleuabatur ad Cœlos, animam fuisse eiusdẽ patris, ita quidem indicante loci situ, alijsque signis, & sidera fortasse Angelos denotasse, uel eiusdem Religionis gloriosos patres suo Fundatori honorabilem texentes coronam. 87

In processu Romæ condito.

Cum adnauigaret P. Aloysius Francus Neapolitanus Sacerdos, ac professus nostræ Religionis supra triremes Partenopes Mense Iulij 1614. eundi cau- 88

In processu Neap. condito.

1614.

ſa Meſſanam prid. Id. Menſis eiuſdem grauis perturbatio maris exorta eſt, & ipſe quoque perturbato ſtomacho, totiſque membris agitatus integram diem tranſigerat, decurrente iam noctis tempore exturbatæ menti, & corpori dare quietem cogitauit, principio ſomnus in ipſum obrepſerat, quando repente viſus eſt illi videre Patrem noſtrum hilari, iucundoque vultu, ſic alloquentem, Pater Aloyſe æquo animo eſto, quibus dictis, eum cruce ſignaſſe in fronte apparuit ei, vnde exterritus ſurrexit, quidue cogitaret nō ſciebat. Hinc pene media dilapſa hora, pulſantem audiuit in trireme campanam, & exquirens quid ſibi ille campanæ ſonitus denotaret, reſponderunt nautæ inditium eſſe ſecundæ noctis horæ, ſignato tempore Meſſanam appulſit, curioſius ſcrutans penes ſe quid huiuſmodi ſomnium, deſignaſſet: non multo poſt litteræ Roma venientes lectæ fuere, Patris noſtri Camilli tranſitum continentes, vnde obſeruatis temporum circumſtantijs, dignouit præfatus Pater Aloyſius eam fuiſſe horā, qua pater Camillus vitam hanc feliciter clauſerat, quibus perſpectis grates innumeras Deo retulit, ſuoque ſeruo, qui in ſui exceſſu licet in ſomnis illius fuerat recordatus. Memoratus pater iamdiu, multumque laborauerat, in formandis vitæ patris noſtri proceſſibus, & adhuc ſuperſtes extat, ad teſtimoniū cuiuſdam mulieris, ſed virtute virili, ac pectore, deuenio.

89 Sebaſtiana Spagnoli virgo annorum circiter centum; ſed operæpretium eſt aliqua de ipſa in medium allata cernere, priuſquam eius adducatur teſtificatio. Pater Hieronymus Ghetti Romanus, ac vniuerſæ Auguſtinianæ familiæ Generalis ſic de illa cum iuramento atteſtatur, cuius triennij ſpatio Sacramentales auſcultauit confeſſiones, totum conſtat in proceſſibus, & in libello patris Camilli. Sebaſtiana Spagnoli inter primas noſtri ſæculi Altiſſimi Dei famulas connumerandam puto, cui Dominus maxima, & ſpiritualia dona contulit, altiſſimaſque contemplationes, nominatim Dominicæ paſſionis, ſpineæ coronationis, in horto agoniæ, ſuiſque precibus plures quoque operatus eſt Dominus gratias, & non vulgaria priuilegia: ſæpius mihi identidem enarrauit cantus Angelicos comitatos eſſe obitum P. Camilli de Lellis Fundatoris Religionis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, quos ipſa proprijs auribus percepiſſe affirmauit, [& licet multis grauaretur annis ſenſibus tamen, ac memoria viget, hucuſque pater Ghetti, tantæ mulieris non prætermittendum teſtimonium puto; ſed quid iureiurando ponit exponere. Lib. 2. c. 22.

90 Ab eodemmet obitus die Patris Camilli de Lellis Fundatoris, &c. in Eccleſia Diuæ Mariæ Magdalenæ, vbi eius ſeruatur corporis depoſitum, voces, ſeu cantiones multorum infantium iucundiſſimas hiſce auribus ſenſi, modulantium lætiſſimos pſalmos, & hymnos, vt Cantate Domino cāticum nouum laus eius in Eccleſiā Sanctorum, &c. Te Deum laudamus, & alia in Sanctorum Dei Confeſſorum ſollemnitatibus decantari mos eſt, hæc perſeueranter die quolibet ad vſque Diuæ Marthæ feſtum, quæ temporis diſtantia ſexdecim comprehendit dies, audiui, hi muſici concentus mirificam in eius præcordijs conſolationem excitabant: ſequitur eiuſdemmet depoſitio. Eodē loco.

91 Inſuper dum in eodem templo Diuæ Mariæ Magdalenæ die quadam ſiſterem, & præſtolarer, vt minor populi frequentia fieret ad præfati patris ſepulchrum concurrentis, ſic vicinior facta, vt patris in tumulo ſerenius, & liberius valuiſſem orare. Interim ex ea Eccleſiæ ianua, quæ atrium conuentus eorumdem patrum reſpicit, binos, atque binos, & ſic ſucceſſiuè procedere proceſſionaliter, complures pp. quos circum Eccldſiam ire, intulta ſum, noua, & Lib. & c. cit.

inſueta

1614. insueta ista res mihi visa est; quandoquidem hi patres processionibus non vacant, ita mecum ipsa loquebar; attamen attentè spectabam exitum post octo, vel decem prtrum combinationes, vnus apparuit medius duos inter patres accensos manu tenentes cereos, medius vero, ceu quamdam gestabat reliquiam, omnium tandem nouissimus p. Camillus incedebat indutus consueta Religionis veste; verumtamen quam numerosis, & fulgentibus stellis coruscam, quæ eidem fixæ hærebant tunicæ, processio tandem, vnde exiuerat, rediјt per eũdem (vt significatum est) digressum, gaudium id mihi, & stuporem attulit: ea verò sidera in tunica fixa sum arbitrata, fuisse animas opere, & oratione patris Camilli translata in æternæ iucunditatis Regiam; sed quod sequitur exemplum non displiceat memorare.

92 Virginea Poggi Romana à medicis destituta, mortique proxima, cui etiam extremæ vnctionis Sacramentum fuerat collatum, & pium opus commendationis animæ iam illi impendebatur; hęc vera fide, cordeque perfecto ad patrem Camillum se conuertit, quem vidisse attestata est splendidissimo vultu infantibus pulcherrimis circumsociatum, cui persuasit Camillus, ne mœrore tabesceret, sed læto animo esse quippe se bene valituram, quod succedente die omnino contigit absque vlla naturæ, vel medicorum operatione, sed Deũ primo summum bonum, eiusque famulum inde Camillum suæ salutis prædicauit largitorem.

93 His temporibus dum mortis fama patris Camilli per Vrbem volitaret; quidam Sacerdos Hispanus Hieronymus à lacu nuncupatus *Parochi* Diui Nicolai in carcere coadiutor tertiana laborabat, acerbe illum molestans, qui inter frigorum, & caloris sæuitiam spatio horarum quatuor cruciabatur, semel cum accidentia in ipsum impeterent (hoc enim illi interdiu iam peruigili occurrit) se patris Camilli precibus instanter obtulit, talem habens sermonem: ò pater Camille si verum est, vt diuulgatur per totam Vrbem te sempiternis frui mansionibus, pro me salutem à Domino nanciscere; cum hæc pio, ac deuoto corde pronunciasset, apparuit illi repente Pater Camillus, ad instar pulchri senis, statura ingente, quid petis? sic interrogans, ecce adsum! sed probus ille Sacerdos eum contuens, candida circumamictum veste admiranter, ait, quo pacto esse potest Patrem Camillum te vocari, & esse, quandoquidem Diuæ Mariæ Magdalenæ patres nigris incedunt tunicis; cui Pater subintulit, ne vlterius curiose, inquiras, expone si quid à me postulas, abs te humiliter peto (ait Sacerdos) vt mihi salutem implores à Domino, ego vero polliceor te visum venire statimatque conualuero, & in tui Conuentus Ecclesia Missæ sacrum celebrare; insuper argenteum votum ad te perducam; Camillus verò ait, fac obserues quod spopondisti; & illico videri desijt; Sacerdos autem eo instanti relictus à morbo liber euasit; sequentis verò diei mane diluculo Ecclesiam Diuæ Mariæ Magdalenæ adijt, sanctumque Sacrificium peregit, factumque quod ei contigerat, vt vidit, vt audiuit, retulit, spondens mox allaturum argenteum votum. Elapso inde quinque dierum spatio, cum voto ad corpus patris nostri recurrit, ibiq; post orationem suæ valetudinis signum deposuit, & patres sibi astantes cõmonuuit de his, quę nouiter illi acciderant, ita inquiens, patres miraculum supra miraculum, ita clamabat, cum negligerem in huius voti executione, vehemens incessit in me capitis dolor; statimatque culpam non ignorans negligentiæ fuisse non implendo votum, è vestigio domo profectus sum, vt illud compararem, vix domi ianuam transilie-

Lib. 2. c. 22.

ram ; vt me conferrem ad aurifices , & ecce nullis inducijs appositis capitis vertigo prorsus excessit.

94 Præterea eadem in Vrbe Romæ quidam adolescens sanguine clarus admodum à dæmone agitabatur; dum illum bis, terque in die quolibet prolabi in graue scelus induceret, nec à sæua tentationis bestia valuit eximi, licet per varias confessariorum consultationes diuertisset, nil tamen proficiebat, quo in facinore bino circiter septennio miser se inuerserat, aliquot mensibus ante patris nostri Camilli obitum ad eum missus est,cui pater spopondit se pro ipso futurum apud Dominum Oratorem, & remisit eum,tantum abfuit hæc Camilli deprecatio,vt adolescens nusquam amplius illud patrauerit crimen,immunis omnino euadens ab eo tentatore : verum post dicti patris decessum præfatus adolescens erat dormiens surgentis auroræ tempore. En illi visus est Dei seruus Camillus lætitia , & iubilo plenus , nobilis autem hic vir patrem rogauit,vt pro ipso à Domino imploraret auxilium;quemadmodum adhuc vitam viuens eum fuerat opitulatus ; nihilominus tale suscepit responsum , tu quoque vitare memento peccandi occasionem : hanc enim præceptionem cunctis tradere consueuerat Camillus, dum hic nobiscum remoraretur,transacto somnio, non autem à memoria istius adolescentis Camilli documentũ euanuit, sed intensius, atque ardentius posthac in via spiritualis disciplinæ incessit, & de hoc fidem authenticam propria manu subscriptam, atq; munitam confecit.

Lib. 2. c. 12.

95 Locum denique habitationis , vbi nimirum seruus Dei Camillus animum feliciter efflauit, haud neglectum patres deseruere, sed in oratorium Domino Sanctissimæ Cruci pendenti dicatum,vt fas postulabat,demutarunt,vndequaque magnificis distinctum picturis à magnifica manu cuiusdam patris nostri professi , ac Sacerdotis vocabulo Francisci Meloni Neapolitani ad oleum, vt dicitur,nobili cum inuentione expressis, hac scilicet partitione, & ordine.

96 Ostium sacelli meridiem respicit; Altare verò contra ianuam locatur parieti adhærens , vbi quotidie sacra peraguntur , in cuius medio Sanctissimum Cruci pendentis Domini simulacrum constitutum adest,& est illud, quod locutum,& consolatum fuerat in angustijs patrem nostrum gemẽtem,vt antea, & sæpius accepistis; sub cuius pedibus pater Camillus genibus procumbens prospicitur; à dextro latere S. Michael Archangelus , à sinistro vero Angelus Custos spectatur, quia locus Altaris vsque ad tecti conuexum circulariter aliquantulum concauus sistitur ad instar fornicis.

97 In conuexo autem tecti principio, vtpote supra Altare Beatiss. Trinitas simulata cernitur, ac genuflexam Sacratissimam Virginem manibus in actu coram nato offerendi patrem Camillum, nostramque Religionem contemplaris; ubi quidam campus, seu Cœlum circumadiacet,in eo complures transuolãt, & chorum ducunt Angeli : inde sequitur per lineam rectam ductam à parietibus laterum , & transeuntem per sacelli fornicem choros Patriarcharum, exinde eadem distinctione Apostolorum principatus, postea Martyrum candidatus; demum post succedentibus ordinibns , ac distinctionibus Virgines, Confessores, & tandem aliquando super ostium intus sacellum Religionum Fundatores depicti ostenduntur.

98 A latere in cornu Euangelij per totum parietem Pater Camillus in lecto cernitur per manus Eminentissimi nostri Protectoris Augustissimum Angelorum Panem suscipere, hic aliæ intersunt distinctæ figurę , quas recensere non

1614. iuuat, & mens ex se comprehendere sufficit: in pariete verò à cornu epistolę pariter se extendentem eumdem patrem conspicis in extremo animæ decertantem conflictu: vbi quoque affabre pictura expressit efficiem Regis Catholici Oratoris Excellen. Dñi Francisci de Castro, quem alias commẽdatum memini de nostra Religione optime meritũ. Hoc sacellum nedum à nostris, verum à quoque, qui illud ingreditur admodum reuerenter visitur, ob merita tanti patris inibi functi.

99 Decreueram plura hic subnectere, statum Religionis; siue patris nostri personam attingentia; sed breue tempus vetuit, coegitque in alium transferenda tomum, si Diuinæ tamen gratiæ flamen benigniter secundare placuerit; hęc item scripta, siue typis non committere, siue longa post tempora posteritati relinquere manu elaborata statueram: ast iuuat maiorum, superiorumque obsequi mandato. Idcirco maturius re perspecta censui in nomine Sanctissimę Trinitatis Patris, Geniti, ac Spiritus Sancti, Beatissimęque Virginis Deiparæ, nec non sanctæ obedientię ad vocem, quamuis trepidus, vt is, qui mare nunquam intrauit, retia laxare, formans librum, vbi semota selecta vocabulorum cortice, & inutili subtilium sententiarum curiositate, quibus minime scatet, est inuenire exempla, & instrumenta quidem, sed nobilissima, proximisque fauorabilia, atque potissima ad Diuinam flectendam clementiam, si opere cõplexantur; & demum ad perennem nanciscendam gloriam satis idonea, quam Dominus misericordiarũ pater suis operariis pollicetur per Prophetas, & per Euangelium suum apertis, & patentibus litteris resonans Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Finis impositus est scriptioni post decursum trium annorũ 1638. 4. Idus Decemb. rutilante aurora, hora 13. sub auspicijs Immaculatæ Conceptionis Deiparæ; itaq; spero Virginem Intemeratam mihi, sua benignitate futuram propritiam auroram, vt me, meosque per exiguos labores ad tutum ducat sinum, optatũq; salutis, & immunem ab hoste.

Extat modus vsitatus à nostris agros visendi, qui in agone certant lethi.

100 EXacto sermone quoad modũ ægris ministrandi intus Hospitia, vt sparsim per totum codicem, quasi semen super tellurem iniectum, apparet; non incongrue duci arbitror ordinem quoque interferere, veluti appendicem, seruatum à nostris visendo infirmos per vrbes, & loca, domosque peculiares.

101 Attento itaque animo obseruandum est à populis, ne introducantur nostri, seu quiuis Religiosi, aut Sacerdotes ad ægrum, postquam loquelam perdiderit; tunc enim temporis nullo verborum præsidio languidum fulcire poterũt, & messem bonam, & optimam, quam erant collecturi, quia iactum tempestiuè non fuit verbi Dei semen, nullatenus congregant: super enim hoc cognati, & astantes, ac ministrantes dolentibus ægris suo tempore rationem de incuria Domino reddent perquam strictam.

102 Quare postquam vocati fuerint PP. & properantes ad ægrotorum cubilia, benigniter eos, humaniterque salutent, nec protinus mœstum inducant sermonem, de letho nempe, de gehenna, ac simili: quin antea illos placidis verbis sedatos, beneuolosque reddiderint: cur enim ad obtinendum temporaneum aliquod, tanta vtimur oratoria industria, tantoque artificio ad supprimendum in litigijs aduersarium? eadem verò quorsum adhibenda non sunt, ad lucrandam animam, quæ diuino fruitura est conspectu? lucrifacta igitur

ęgroti

ęgroti voluntate, familiari, placidoque diſcurſu, quod etiam in noſtris conſtitutionibus cautum apparet, tunc liberius de ipſius agendum eſt ſalute, nimirum ſi confeſſus eſt integre, & ſuorum pœnituerit peccatorum, quatenus Dei ſummi boni, & amabiliſſimi offenſa. Hinc aliquot ex noſtris patribus tantam collatam eſſe uidimus gratiam, & in dicendo efficaciam, atque leporem, ut grauiora delicta, quę iampridem malè, grauiterq; languentes per multa obduxerant decennia in cõfeſſionibus, poſtmodum cum lacrymis in integrum manifeſtarunt in confeſſione, qua peracta deceſſere, ut alibi à me notatum, à legentibus non ignoratur.

103 Poſtea uerò ſubinterrogent ſi Sanctiſſimo fuerint Viatico communiti, ſi uerò non, ad illud ſumendum quamdeuote diſponant, ac pręparent, dictis efficacibus eius præſtantiam, utilitatem, atque neceſſitatem aperiendo; idipſum de extrema unctione agere nequaquam negligendum; eo quoniam pluries ſuper his factus eſt ſermo, non fruſtra duplicandus.

104 Exinde proteſtationes ſunt infirmis adhibendę, extant in Rituali Romano, ſuntque etiam à Patre Sanctio Cicatelli ex noſtris patribus typis editę, quę legi ualent ęgroto: licet enim in lecto minime ſterneretur homo ægrotans, cõgruum nihilominus foret, pluſquam ſemel per ſingulos menſes eos legere, atque perlegere, vel ſibi, ſi ignorat, legendas alteri tradere, eaſque ducere in pectore: ſi vero in promptu non ſuppetunt, facile ſane eſt per ternas diſcurrere Theologicas virtutes.

105 1 Fidem ſcilicet confiteri ſe proteſtando, voce, ſi poteſt, ſecus nutu, vniuerſos nimirum fidei articulos, & quidquid à ſummis, Romaniſque Pontificibus tanquam pertinens ad fidei dogma ſtatutum eſt; contrarios autem errores iſti aduerſantes veritati liberè deteſtando cum ſuis fautoribus, ac ſectatoribus, veluti diabolica machinamenta, & verſutias ad perdendum animarum ſalutem excogitata: pro qua ſiquidem catholicæ fidei veritate ſanguinem gaudenter, vitamque profuderunt tot martyres inclyti, tot porrò excelſi Confeſſores aſperrimè in ieiunijs, vigilijs, cilicijs, aſſiduiſque orationibus, ac deprecationibus, lacrymis, humi dormitione vitam tranſegere, & ſicut Spiritus S. tuba Paulus Apoſt. pręđicat in melotis, in pellibus caprinis, &c. ecquis ſingula pœnitẽtiæ genera recolere potẽs eſt? quibus clauſerunt vitæ ſuæ terminos, & lacrymas; vnde innumeris ſe locupletarunt eximiæ caritatis fulgoribus.

106 2 Circa ſpem pariter nonnulla ſeminare verba ſalubre eſt; animo namq; pendendum eſt, noſtrarum ſpemum anchoram in Saluatoris noſtri diuiniſſimo cruore, tanquam in ſaluberrimo, tutiſſimoque maris ſinu ſiſtendam, ac ſtabiliter defigendam; atque etiam in puriſſimę Virginis meritis, & deprecationibus, quæ potentiſſima eſt penes filium ab anguſtiarũ in morte tempeſtatibus nos illęſos, integroſque ſeruare, atque in dilectione ſui dulciſſimi nati ſeruare, quæ tantopere amat, pluſquam humana valet mens excogitare, nos ad eã protectricem noſtra conuertere ſalutis deſideria, vt ſuis interuentionibus, bonum, quod optamus, aſſequamur, & præmia cum Beatis poſſideamus; poterũt quoque Sancti Michaelis Archangeli cum reliqua Angelorum corona præſidia conuocari, & Apoſtolorum nominatim Principis, ac Sancti Patroni, atque Protectoris, & ſui nominis ſuffragia ſancti humiliter orationibus obſecrari: in hoc diuitiarum cœleſtium apparatu ſpes noſtrarum cogitationum locãda eſt, & non in aliquo alio, ſi quid vero boni egimus, à Diuina effluxit bonitate, ac benignitate.

1614.

3 Denique protestatio de caritate ab ægro superest emittenda, quæ gemina se extendit, perinde atque arbos duobus eleuata ramis, vnus sursum erectus, reliquũ verò deorsum inclinans, primo diligendus est summus Deus totis visceribus, hoc est animæ, corporisque viribus, & ob hanc dominicam dilectionem cunctorum pœnitere peccatorum;& quem incautè,negligenter, data opera, & peruicaciter læsimus, immo animas nostras infauste illaqueauimus, nunc ad eum, sine inducijs, redire per lamenta pœnitentiæ necessitatis tempus iam vrget, apposita firmiter exclusione reddeundi in posterum ad aibominandum peccatorum barattrum, si tamen vita superfuerit:& sicut proni, ac pronti fuimus antehac ad delinquendum,ita pariter in futurum amarè nobis dolendum est, tanto extitisse rebelles parenti, ac benefactori, summoque bono, amabilissimoque,delinquendo. Secundus huius arboris ramus proximi desiderat dilectionem; cui soluenda sunt protinus; dummodo suppetat modus, debita,soluantur, dimittendæ quoque ex animo iniuriæ,vt possimus in altum caput extollere asserentes Dominica verba,dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, siquem verò læsimus efflagitanda est eidem venia: Benedictio impendatur, siqua est, proli lecto circumastanti, vel absenti. Demum ab ægroto auris aduersario occludatur, cor verò, osque resonet Diuinissimum Nomen IESV, ac Beatissimæ Virginis MARIAE. Si forte ob mentis exturbationem alicui præbuerit assensum delicto, vel suggestioni diabolicæ,quod vtinam vnquam contingat, modo verò qui sui perfectè compos extat illud detestetur, ac protestetur nullatenus velle illi assentiri, sed penitus ab se discutere. 107

Postremo quiescere desinatur æger, sed visendus in tempus, & horas congruentiores, quæ sunt magis periculosæ minitantes interitum, cuiusmodi est meridies, mane sub auroram, vel sero sub solis occubitum: quod si nouum extra hæc designata tempora periculum inuaserit ægrum, gens domus eiusdem patres eat conuocatum: si verò adeo languescat infirmus, vt proximus eius suspicetur decessus, tum nequaquam à nostris deseritur, verum per mutuas vicissitudines illius lecto adhærent, bini perdurantes patres ternas, siue quaternas horas; dum isti cœnobium repetunt ad quiescendum; alii verò loco eorum succedunt:noctem autem sibi diuidũt in binas custodias,primi duo patres excubant adusque dimidiũ noctis; alij autem post deuenientes quoad noctis transitum perseuerant: his siquidem mutationibus certa, nec præfinita designanda est lex, sed iuxta domus nostræ subditorum copiam, vel patris obeuntis commendetionis animæ munus deuotionem, ac vires, præfigitur. Isthęc ferme regulæ osseruantur à nostris,dum munus exercent opitulandi infirmis in mortis agone dimicantibus,plura prætermitto, quæ si non intermisissem in hoc opere, hic apponenenda forent: te autem plura docuit Dei,proximique dilectio,sine quo vniuersa dilabuntur,& in cassum ruunt:qui affectus si tantum adest spero fore, vt animarum messis fœcunde colligatur, gaudet mater, quia peperit in mundo hominem,quanto cumulatius lætitiæ festa peraget, qui auxilium fuit, vt anima penetraret cœlestia,iuxta Ps. veritatẽ,Qui habitare facit sterile in domo matrem filiorum lętantem. 108

Et ecce tetegimus Cœlo fauente finis præsentis Tomi punctum, cuncta claudẽdo cũ decessu, qui est vltima linea rerum, P. nostri Fund. Hæc extrema scriptioni trado,& typis,dum remoror intra Nosocomium Incurabilium, Neapolis Kalendis Nouembris 1641. ægri quidem mihi fuere materies, & atra- 109

men-

mentum, atque eorum vlcera papyrus, lamenta verò, & suspiria, & gemitus, necessitatesque stimulus exercendi stylum. Re vera non valeo, quod in pectore retineo, verbum cohibere; licet enim plura super hoc Hospitium dixerim antea, nunc recordari etiam lubeat, quod prætermissum cecidit.

110 Paucis enim excursis mensibus quædam congregatio (pręter alias à me anno 1588. memoratas) ad opus intra idē Hospit. obeundū pietatis honestorū hominum, à Reuerendis Patribus Teatinis, mirando modo, & ordine, ac miseratione erga languidos erecta dirigitur, ipsa, & vna patres manus admouent ad omnia pietatis officia, licet aliqua opera humillima penderes, verū mundis nihil coinquinatum, fulgent enim ipsi PP. nedum Sacerdotio, verū, & eruditione, & concionibus, atque nobilitate natalium; sed magis tamen virtute, & caritate, quæ vinculum est perfectionis, in eo enim loco patinas lauant, pauimenti verrunt sordes, humiliora profectò pro Dei, pauperumque dilectionę perhiberent exercitia ad animā, corpusq; spectantia, si tēpus breue, & hora id eis concederet, sed hæc modica sunt satis ad argumentandū de reliquis miserationibus, tam impensis ab ipsis, quam à suis in Dño filiolis cōgregatis, qui etiā cadauera ad sepulturę locū deducūt propriis scapulis in capulo, Die Iouis post prandium illuc confluunt ingente in numero. Tandem pristinum resumendo sermonem, à dignioribus, & primoribus personis inchoando, ac descendendo adusque infimam plebem, non est inquam personarum status quin eo concurrat ad auxilia his pauperibus pręstanda, & ore, & ære, & manu.

111 Quare etiā ibi reperies die Mercurij, tēpore cœnę, quæ fit secunda cū 20. hora lanios, & Fartores, cupidinarios, salsamētarios, atq; pistores, & cæteros de hoc genere, ibi cibant suis manibus languidiores, & cibos valdè honorādos ex gallinis compactos ægris apponunt ex propria pecunia, & alia beneficētiæ opera præstant, quæ centies recolere onerosum est. Quorum apparatus ciborum in eo sistere spectatur: ducunt enim ad ægros singuli congregati quamdā tabellam, vbi præter candidum panem, quatuor appositas videre est patinas, in vna quidem apponuntur acetaria, in reliqua autem pars gallinæ cum ouis compacta inest; tertia verò continet dapem ex pastillis admodum delicatis confectam, eiusdem pulli cum iure elixis, in alia demum, idest quarta, fructus varij, & dulciaria redundant; insuper vasculum afferunt, vbi tunsæ gallinæ pectus apponitur cum sacchari copia, quod porrigitur ægris gracilioribus (& hanc vocant tortam) omnes autem, qui ab eis aluntur egeni centenam attingunt numerationem, & amplius, singuli enim supra iam relati congregati, qui præfatam tabellam ferunt ad ægros, notabili pietate pascuntur, quousque cuncta deglutiuerint, quæ si ægris displicuerint, vel ab illis mandi nequiuerint, in alia permutant commodiora, id sane languenti inopi iudicabis non leue esse refrigerium, & solamen, refrigerium inquam membris, solamen autem menti; tanta siquidem pietate inspecta ad compunctionis legitimum callem redit cor, malitiæ formam deponens; quare sedate portant ęgritudinis molestias, & ad Sacramenta Veneranda Ecclesię congruenter disponuntur, suscipiuntque; lethum ipsum præstolantur sine horrore, feruntque sufferenter dum venit, post terga deiectis simultatibus, & odijs, sicut Apostolus prædicat, omnem malitiam deponentes. Vide ergo quomodo ex alimoniæ pauxillo leuamine Angeli quoque hilarescunt, conuersionem peccatoris dum speculantur. Tu quoque beneficentiæ ne obliuiscaris, quando ex ea tot bona pululant pręclara; multotiens enim ex parua scintilla magnum excitatur incendium

1614.

(sic .n. in prouerb.est) vtpote ex paruo contẽpto malo sensim in profũdũ dilabimur delictorũ, ita pariter ab exiguo cũ dilectione exhibito pietatis opere, maxima nõ raro bona effluũt. His quoq; misericordię oparijs singularis est meriti, & astantibus, ac obseruantibus tale opus admirationi, et non exiguo documento, quæ beneficentia quidem sine voce prædicat ardenter, & potenter mouet sine studiorum labore, sed viuis benignitatis operarionibus, cum irrefragabile sit, satius magis exempla mouere, quam verborum emendicati periodi. Si verò hi pij homines corpora adinueniunt, demortua priusquam cænam inchoant, ad sepulturæ sacellum processione facta inter eos cum suis patribus, qui ex Congreg. piorũ Sacerdotum S. Georgij Neap. appellãtur, hymnos modulantes, & orationes, Psalmosq; recitãtes, ducunt: hæc via profectò facilis, sed efficax est, ad fallax percalcandum sæculum; notanter dum spectãtur ægri, in flore adolescentiæ, & viriditate iuuentæ fuisse pulchri coloris, firmitate virium robustos, nunc autem deiectos in foraminoso iacere lecto, nec se posse à dextro in sinistrum, sine multorum iuuamine, conuertere latus, toti à morbo possessi gallico, scatentibus vndique plagis, vermibus, pure, ac nidore, cernũtur, p̃ter intestinos excruciatus eos indesinẽter totis noctibus, ac diebus acriter flagellãtes; felix, sic ille cecinit, quẽ faciunt aliena pericula cautũ: nunc dum valemus, ex fine mœsto læta colligamus, sicut ex scissura, & vulnerata arbore manna excerpitur, vel ex amara radice dulces fructus, & salubres prodeunt; quæ breuiter colorauì super hac Congregatione, prout noui, prout vidi, prout curiosè obseruaui, omnino exhibetur quoq; à memorata nuper Congregatione. Sint vniuersi, & mei, licet leuissimi, atq; istorum, omniumque similia exhibentium labores ad gloriam Altissimæ Triadis, & ad nostrarum, atque infirmorum emolumenta salutis animarum. Amen.

FINIS PRIMI TOMI.

NEAPOLI, Typis Secundini Roncalioli. 1641.

SVPERIORVM LICENTIA.